DIOD SICVLVS

DIODORI SICVLI
BIBLIOTHECÆ
HISTORICÆ
LIBRI XV,
RELIQVI.

Quibus accesserunt ECLOGÆ, *seu fragmenta ex libris Auctoris, qui desiderantur.*

Omnia ex interpretatione
LAVRENTII RHODOMANI Cherusci,
Suis Capitibus seu Paragraphis distincta:
Quibus respondet INDEX locupletissimus.



HANOVIÆ
Typis Wechelianis, apud hæredes
Joannis Aubrii.
MDCXI.
Cum Privilegio S. Cæs. Maiest. ad decennium.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. CHRISTIANO,

CHRISTIANI F., AVGVSTI N., HENRICI Pr. Duci Saxoniæ, S. Romani Imperii Archimarſallo & Electori, Landgrauio Tyringiæ, Marchioni Myſniæ, Burggrauio Magdeburg., &c.

ET

ILLVSTRISSIMO, CELSISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

IOHAN. WILHELMI F., IOHAN. FRIDERICI N., IOAN. PR. Duci Saxoniæ, Landgrauio Tyringiæ, & Marchioni Myſniæ, &c.

ET

REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DN. HENRICO JVLIO, JVLII F., HENRICI N., ET HENRICI PR. Halberſtad. Epiſcopatus Præſuli: Brunſuic. & Luneburgenſium Duci, &c.

Dominis S. Clementiſſ.

HISTORIÆ *laudationes variæ paſſim,* ILLVSTRISSIMI PRINCIPES, DOMINI CLEMENTISSIMI, *apud*

magni nominis auctores exſtant, quæ & dignitatem eius magnificam, & vtilitates ampliſſimas lectoribus commendant. Sed inter omnes vix vlla eſt luculentior, quam illa POLYBII *ſcriptoris grauiſſimi, qui* SCIPIONIS *Africani poſterioris, à quo Carthago, Imperii Romani æmula funditùs euerſa eſt, non præceptor tantum, ſed perpetuus cõſiliarius, omniumque domi ac militiæ negociorum ſocius fuit. Is enim hiſtoriæ ſuæ initio, hac illam oratione celebrat:* QVOD NVLLA HOMINIBVS AD VITAM RECTE INSTITVENDAM VIA SIT EXPEDITIOR, QVAM RERVM ANTE GESTARVM SCIENTIA. *Quibus mox iſta ſubiicit:* HISTORIÆ COGNITIONEM VERISS. ESSE DISCIPLINAM, ET VELVTI GYMNASTICAM PRÆPARATIONEM AD RES CIVILES, COMMONEFACTIONEM DENIQVE DE ALIORVM CASIBVS ADVERSIS VNICAM ET ILLVSTREM ESSE MAGISTRAM, QVÆ GENEROSE FORTVNÆ VICISSITVDINES PERFERRE DOCEAT. *Hoc eulogio quid grauius & neruoſius? quid fructum eius ſummatim,* ὡς ἐν τύπῳ, *luculentiùs exponat, & ſimul ad quod hominum genus illa maximè pertineat euidentiùs oſtẽdat?*

Tametſi

Tametsi enim eius cognitio cunctis æquè mortalibus est communis, his tamen præcipuè contigit, qui in Reip. administratione cum fructu eius salutari, suaq́ immortali gloria, versari cœperunt. Nam quod in Panegyricis quondam Græciæ ludis, quales Pithii ac Olympici erant, factitabatur, id in historiæ etiam lectione vsu venire solet. Ad illos quidem omnis farinæ homines promiscuè confluebant; Sed alii alios sibi fines habebant propositos. Erant enim, ac sanè pars omniũ maxima, qui ex agonibus illis nihil aliud nisi voluptatem, exiguo tamen momento durantem, captarent. Nec deerant, qui negociando lucrum sibi parare inde cuperent. Interim quàm paucissimi reperiebantur, & profectò non nisi optimi, qui ad omnis generis artium spectacula contemplanda illo se animo conferrent, vt præclarè se gerentes Hieronicas imitando, ad similem virtutis decus progressi, eiusdem gloriæ præmium adipiscerentur. Non aliter ad Panegyrim historicam summus Agonothetes DEVS *vniuersos homines vocat, vt conspectis illorum exemplis, qui vel præclarè, vel secus rem gesserunt, ad virtutum ibi eluc̃escentium imitationem, & vitiorum è regione in oculos incurrentium declinationem & fugam, inuitentur & adsuefiant.* AT PO-

PVLVS ID CVRAT SCILICET. *Ideò fructus ad illos potißimùm redũdat, qui Heroica indole præditi in hoc vnicè incumbunt, vt egregiè consulta & facta, (quæ in historiis contemplanda se offerunt) ad singulare patriæ decus & commodum grauiter & dextrè imitando, ex certamine bene peracto coronam perpetuò florentem, cum æterno historiæ præconio, tandem reportent: Ex hoc ordine primum sibi locum vendicant illi, qui rectè & laudabiliter aliis præesse destinatum animoq; fixum habent. His post negociorum publicorum accurationem nihil familiarius est, nihilque carius, quam historias tum sacras, tum profanas, diurna nocturnaq; manu versare, suiq; vsus facere, quæ ad institutum pertinere iudicârint. Id autem tantò exsequuntur diligentiùs, quantò magis exploratum illis est atq; perspectum, quid & quãtum vtilitatis in thesauro Historiæ reconditum habeatur. Id vno propè verbo complexus est* POLYBIVS, *dum* MAGISTRAM VITÆ POLITICÆ HISTORIAM *appellat. Vt verò duo sunt fidelis magistri officia; vnum, vt liberalium artium scientia discipulos imbuat; alterum, vt ad vitæ honestatem morumq; sanctimoniam illos adsuefaciat. Ita duos præcipuè historia fines habet, vt videlicet sapientia lectorem*

rem

rem instruat, vtque virtute omnis generis illum exornet atque beet. Sapientiam igitur ante omnia quærit ille, cui dignum operæ precium ex Historia referre animus est. Id autem in cognitione rerum memorabilium, & applicatione earundem consistit: Atqui hîc de illis sapientiæ partibus non agitur, quæ ad philosophicum vitæ genus pertinent. Hoc enim in confesso est apud omnes, præterquam omnis disciplinæ rudes & expertes, omnes totius Philosophiæ artes, tanquam FLVVIOS *&* LACVS, *(comparatione* HOMERICA*) ex Historiæ* OCEANO *deriuari: Sed de his tantùm sermo est, quæ ad communis vitæ gubernationem requiruntur. Vt sunt omnia illa, quæ vsquam in orbe terrarum per omnes mundi ætates, in togatâ & bellicâ administratione, sapienter vel secus cogitata, suscepta, instituta, dicta & patrata fuerunt. Quod enim Cicero ex Platone grauiter monet, vt* REIPVB. PRÆFVTVRI CORPVS TOTVM CVRENT: NE DVM PARTEM ALIQVAM TVENTVR RELIQVAS DESERANT: *Id vir politicus in historiæ lectione præstat, dum* πάντα ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἄγειν καὶ σωματοποιεῖν, *hoc est, omnia vno veluti intuitu complecti, & in corpus redigere, historicæ* POLYBII *regu-*

læ se attemperans, studet. Vniuersalem igitur Historiam præcipuè sibi commendatam habet. Quæ in religionis Christianæ professione, ac cultu etiam res Biblicas & Ecclesiasticas tractationis suæ pomœriis necessariò includit. In hac illi cognoscenda offeruntur, mundi & omnium rerum initia & progreßiones; generis humani propagatio, monarchiarum constitutio; series, translatio & gubernationis forma ratioque; principum succeßio, & res in toga sagoque confectæ; Leges, iudicia, bella, consilia, strategemata; sapienter & argutè pronunciata; exempla, rectè prauéque factorum. Ad hæc ecclesiæ, inter tantos mundi satanæque furores, & imperiorum confusiones ac ruinas, defensio & conseruatio, miraculis stupendis confirmata; propagatio doctrinæ & religionis, eiusdemque corruptelæ, & instaurationes; patefactiones Dei; & promißiones de Christo, huiusque exhibitio, miracula, conciones, & salutiferæ redemtionis peractio; Doctorum succeßio, certamina & victoriæ illustres; hæreticorum & Tyrannorum fraudulenti ac violenti conatus, horribilesque pœnæ; Et quæ ἀξιολόγως occurrunt alia. Quis enim breui recensionis filo constringat amplißimum historiæ Catholicæ subiectum? Quemadmodum verò ingeniosa

&

& sedula mellificii artifex illa, optimos per amœnissima pratorum & hortorum tempe, flores non modò circumuolitat, aut insidens leuiter degustat: sed medullam succi elicit, eamque ad nectaris sui confectionem transfert: Sic politicus historiæ lector non acquiescit si ἐπιπολαίως & obiter historias euoluat, aut nudam euentuũ ac rerum gestarum cognitionem teneat: In hac enim nequaquam sapientiæ politicæ summam constituit; sed omnes circumstantias inuestigat, adeoque fontes ipsos rimatur. Ac præcipuè in consiliorum & actionum caussas penitissimè inquirit, memor gnomes Poetæ sapientissimi: FELIX QVI POTVIT RERVM COGNOSCERE CAVSAS! *Ibi dum mentem accuratè versat per singula, prouidentiam* DEI *admirabilem, per tot rerum vices præ omnibus intuetur, suspicit, veneratur. Hæc enim non modò in perpetua ecclesiæ gubernatione ac defensione mirificè elucet, sed etiam in imperiorum administratione, & omnium quæ geruntur & accidunt in genere humano, vicissitudine euidenter se conspiciendam exhibet; dũ regna, imperia & res publicas constituit, & ad tempus quod ipsa fato determinarit, conseruat, tandemque à gente ad gentem trãsfert. Hæc viros sapientia & virtute pollentes ad*

gerendam rempub. & res præclarè ac salutariter exsequendas, tam ex humili obscuroque loco, quàm alto illustrique, producit, instruit, fortunat. Ideò NIMRODVS, Assyriorum primus Monarcha, fortis coram Iehoua Venatoris appellationem obtinet. De Cyro trecentis propè annis Isaias antè vaticinatur, quàm Babylone capta Monarchiam Persicam inchoaret: Hæc principum successiones efficit, mirandasque in imperiis mutationes dispensat ac moderatur; Quod quatuor bestiarum, quibus totidem summa orbis imperia denotantur, cœleste thema graphicè demonstrat. Hæc legitimos magistratus salutaribus consiliis instruit, & successibus prosperis donat. Improbos autem, vt Sardanapalos & Antiochos, etsi ad tempus conniuendo tolerat, limitibus tamen præstitutis coercet, & ad extremum catastrophe tragica horrendum in modum plectit. Breuiter; HIC EST ILLE DEVM PATER ATQVE HOMINVM REX, vt HOMERI & VERGILII phrasi vtar, qui cœlum istud politicum suo Numine torquet, resque omnes velut in bilance suspensas habens, momento facilime, quocunque libet, aut inclinat, aut impellit. Prouidentiæ igitur diuinæ in imperiis consideratio pars non minima historicæ prudentiæ

videtur,

videtur, maximè si in hanc Dei præsentiam in imperiis, cui sapientiæ, iustitiæ & omnipotentiæ suæ documenta illustrissima adiungit, intuens Magistratus, ad religiosum eius cultum, hoc est, orthodoxam fidem, cum vitæ sanctimonia coniunctam, accendatur & confirmetur. Nam praxis seu actio virtutis altera magisterii historici pars est, sine qua frugiperda est omnis opera; siquidem iuxta PLATONIS *testimonium,* SCIENTIA QVÆ REMOTA EST A IVSTITIA, CALLIDITAS POTIVS QVAM SAPIENTIA *appellãda. Cum enim norma sit omnium vitæ consiliorũ & actionum* LEX DEI, *ad cuius præcepta & sententias, cũ alii homines, tum illi maxime, quos ad gubernacula Deus collocauit, se conforment: non est melior nec aptior eius interpres quam historia. Quam singulari erga humanum genus bonitate Deus propterea conscribendam curauit, vt quod illa regulis suis præcipit ac sancit, hæc exemplis, in alta tanquam specula positis, illustraret atque confirmaret: Hæc autem exempla tantò conspectiora sunt, & efficaciùs mouent, quantò illustriores sunt personæ à quibus designantur. Quocirca omnes, qui fructuosam laudabilemque in publicarum administratione rerum, operam nauare volunt, conuersos*

huc animos, intentosque oculos habent, ut quid piè & religiosè, quid prudenter & scitè; quid iustè & clementer; quid fortiter & modestè; quid fideliter & constanter, nec non quid contrà, à quoquam institutum & perpetratum sit, accuratè considerent & expendant, idque ad hunc omninò finem, ut rectè consulta, dicta, & facta, usibus suis commodè & dextrè applicent: Vitiosè autem & prauè, turpiterque ac sceleratè commissa, canis rabidi & anguis virulentissimi morsu peius, auersentur & defugiant. Verbigratia: Cum in gubernatione heroicam prudentiam Iosephi & Salomonis; in debellandis hostibus magnanimitatem Iosuæ & Maccabæorum; in emendatione vitæ salutarem pœnitentiam Dauidis, Manaßis, & Theodosii Magni; in precibus ad Deum fundendis ardentißimam inuocationem MOYSIS & EZECHIÆ; amorem & studium iustitiæ in ARISTIDE; integritatem MICYTHI Siculi egregiam in administratione tutelæ; erga deuictos clementiam IULII CÆSARIS & PHILIPPI; in defensione patriæ contra hostes industriam & strenuitatem THEMISTOCLIS & LEONIDÆ; continentiam ALEXANDRI M. & SCIPIONIS AFRICANI; sinceritatem amoris

ris fideique constantiam in IONATHA SAVLIDA; *beneficentiam erga Christi ecclesiam* CONSTANTINI M., CAROLI M., LVDOVICI PII, HENRICI AVCVPIS, LOTHARII SAXONIS, HENRICI LEONIS; *aliorumq; alias virtutes egregias, contemplantur animi generosi: fieri non potest quin mirifico æmulationis studio inflammentur. E contrario cum vident in monstris illis, & quasi abortibus naturæ humanæ, (quos Carcinomata & pestes humanæ societatis merito appellemus) vitiorum ac scelerum immanitatem; vt extremam* ANTIOCHI CALIGVLÆ & NERONIS *impietatem; sacrilegas* HELIODORI, CRASSI, PHAYLLI, BRENNI, AGATHOCLIS *rapinas; malignas, in caput tamen auctoris recidẽtes,* ARCHITOPHELI *suasiones perfidissimam à patre defectionem, & incestas cum vxoribus paternis commixtiones* ABSOLOMI; *horrenda regum* ISRAELITICORVM & OTHOMANIDARVM *parricidia; crudelitatem inauditam* IEZABELIS, MANASSIS, *tyrannorum in Sicilia*, IANI BASILII *Moschouitarum ducis; ingratitudinem & perfidiam* PAVSANIÆ LACEDÆMONII, SEPTIMII, PO-

PILII, CASSII, BRVTORVM, *aduersus patriam* POMPEIVM, CICERONEM, IVLIVM, *optimè de illis meritos nefarios seditiosorum conatus, funestosque exitus, in gente Iudæorum, sub* NERONE *primùm; deinde sub* TRAIANO, *& in colluuie rusticorum, duce* MONETARIO, *& id genus alia: non toto solum pectore cohorrescit animus ad virtutem natus & adsuefactus; verùm suæ quoque fidei commissos, quantum in se est, à fœditate ac pernicie illa enormium transgressionum vt auertat, strenuè ac fideliter contendit. Quicquid enim in historiis legit & obseruat vir princeps, id totum, vt cætera omnia, ad subditorum refert vtilitatem. Nam ideò ad factorum exempla, caussas, occasiones, consilia & euentus, totumque domesticæ & externæ seu bellicæ administrationis modum & rationem animum attendit, non solum vt ipse instructior prudentiâ, & virtutum exercitatione melior, euadat: Sed etiam, vt hoc studio conditionem ciuium beatiorem efficiat. Hæc ergo caussa illa est, quæ sapientes reipublicæ gubernatores ex vltima inde memoria huc vsque mouit & perpulit, vt historiis alii legendis, alii etiam conscribendis, ingenium, operam & sumtus impenderent. Notum est, in populo* DEI, *quid* MOYSES, SAMVEL,

MVEL, SALOMON, ESDRAS, *Euangelistæ, Apostoli, & qui his successerunt, Patres, Episcopi, Doctores, aliique præcellentes viri, in historiis contexendis præstiterint. Nec obscurum quantoperè inter Ethnicos, Ægyptiorum sacerdotes, Persarum monarchæ, Græcorum & Romanorum principes quidam, elaborârint. Nec desunt apud Germanos viri genere ac sapientiâ illustres, qui calamo res gestas ad posteritatis memoriam vt transferrent, impendiò studuêre. Atque vt cætera prætereamus, quem fugit, quid nostro hoc seculo Imperatores Romano-Germanici ad historiæ tractationem contulerint?* MAXIMILIANVS *certè primus, eiusque nepotes* CAROLVS V. & FERDINANDVS, *pronepos etiam nominis eiusdem, historicos per totam Europam doctissimos aluerunt, magnoque in precio habuêre. Quorum vestigiis,* RVDOLPHVS II. *Cæsar opt. max. summa cum laude insistit: nec minùs in hoc est, vt res gestæ ad immortalitatem propagentur, quàm vt orbem terrarum meritis factorum cœlo æquandis impleat. Et quid moror, quo minus ad vestrorum, principes celsissimi, maiorum in hoc studiorum certamine decora transeam? Cum enim hi contra* FRANCOS, NORMANNOS, HENETOS, POLONOS, BOHEMOS,

BORVSSOS & LIVONES *armis res maximas gessissent, adeò ut nonnulli ex his Imperii Romani sceptrum, ut* HENRICVS AVCEPS, *& tres deinceps* OTHONES, LOTHARIVSQVE SAXO *&* OTHO IV. *alii dignitatem Electoriam, ut* HENRICVS *superbus &* FRIDERICVS *bellicosus, promererentur; in toga etiam conditis urbibus & castellis; sancitis legibus, constitutis & iustè administratis iudiciis; fundatis & prouentuum dote amplissima locupletatis Episcopatibus, monasteriis & ecclesiis; ita patriæ suæ præfuissent, ut ad immortalem sibi gloriam nihil facerent reliquum: Interim tamen nulli aut rarissimi heroicè ab illis facta dignè posteritatis memoriæ commendassent: hanc tandem viam ingressi sunt, ut Academias conderent, opibusque ad hæc idoneis ac necessariis dotarent: ubi tum cæterarum artium, tum etiam historiæ disciplina perpetuò vigeret. Futurum enim pro sua diuina sapientia prævidebant, ut aliqui inde exorirentur, qui sua & maiorum præclarè facta sempiternæ memoriæ consecrarent. Tritauus ergo vester, illustrissimi Saxoniæ duces,* FRIDERICVS I. *verè* ὄζος ἄρηος; *ideoque Bellicosi cognomentum adeptus,*

Lipsensem

Lipsensem Academiam, ex Pragensis ceu naufragiis collectam, in Mysnia DEO *& Musis dedicauit, huiusque pronepos* FRIDERICVS *sapiens Vitebergensem in Saxonia fundauit, reditusque ad eam largißimos contribuit. Quã successores vt fouerent, amplificarent, ornarent, nihil studii ac liberalitatis prætermiserunt. Auus dehinc tuus,* FRIDERICE WILHELME, *princeps optime,* IOAN. FRIDERICVS *magnanimus, & parens inclytus* IOAN. WILHELMVS *pius, cum fratre* IOANNE FRIDERICO II. *tertiam in Tyringia Academiam Ienæ instituerunt: vbi præter alias disciplinas, etiam historiæ studium exerceretur. Nec minore sibi beneficio rempub. Christianam deuinxit tuus,* HENRICE IVLI, WELFIDARVM *gloria, parens laudatißimus* IVLIVS; *dum Helmstadianam, in amplißima Ducatuum Brunsuig. ditione, Academiam constituit: inque ea studium historiarum præcipuè excolendum & amplificandum, insigni cum fructu, curauit. Quod* HISTORIÆ IVLIÆ *opus, auspiciis eius feliciter ceptum, tuisque nixibus & impendiis hucusque laudabiliter continuatum, satis superque declarat. Quam singulari autem & mirifico amore Historiam complexus sit tuus,* CHRI-

STIANE, *Elector potentissime, auus* AVGVSTVS, *cum* MAVRITIO *patruo magno, &* *genitor* CHRISTIANVS, *septemuiri omnes: sumptus quos in* SAXONICÆ & MYSNICÆ HISTORIÆ *conscriptionem fecerunt, luculentè testantur. Quæ maiorum & parentum virtus, præter generosiss. indolis vestræ, ad omnia Heroica excitatæ, affectionem, ad eiusdem studii amorem & cultum animos etiam vestros exstimulat & inflammat. Quod cum res ipsa publico veluti præconio vbique nunc proclamet, testificationem hic ampliorem non desiderat aut requirit. Id ergo, vt hanc per aliquot interualla annorum vtcumque elaboratam à me* DIODORI SICVLI *interpretationem Sereniss. celsitud. vestris nuncuparem, fiduciam non exiguam iniecit. Vtque hoc auderem, duæ potissimum caussæ effecerunt, primum adduxit me auctoris bonitas & præstantia. Cum enim historiam vniuersalem ediderit, propter cuius excellentiam ab eruditæ Græciæ antiquitate in magna æstimatione habitus fuit, & à Christianæ etiam religionis scriptoribus clarissimis, vt* IVSTINO MARTYRE & EVSEBIO, *laudem non vulgarem consecutus est: Res etiam amplissimas, à nobilissimis orbis terrarum gentibus,*

vt Ægyptiis, Assyriis, Persis, Græcis, Romanis, Carthaginensibus, aliisque gestas, narratione disertissima exponat: Varias præterea rerum & personarum memorabilium descriptiones, & omnis generis virtutum & vitiorum exempla, cum eulogiis & sententiis grauissimis subinde aspersis, contineat: Ac prouidentiæ tamen diuinæ, res mortalium vniuersas inspicientis ac moderantis, si quisquam inter Ethnicos scriptores alius, assertorem egregium sese præstet: quis principum lectione dignum esse non videt? quod exemplorum demonstratione planum fieret, si modus præfationis non obstaret. Non incommodum tamen videtur pauca saltem delibare. Quam ardenti studio, & quam vnanimi consensu, quam alacri virium coniunctione, inuictaque strenuitate Græci patriam contra Xerxem in Græcia & Asia; & aduersum Carthaginenses in Sicilia; defendunt ac tutantur! Quod exemplum vtinam Germani nostri hodiè contra Turcas, aliosq; imperii hostes capitales, imitentur! Quam funestum & exitiale, non ciuitatibus tantum illis, sed toti Græciæ, est bellum ciuile inter Athenienses primum & Spartanos, postmodum inter Lacedæmones ac Thebanos gestum! Hoc enim Græcia, in viscera sua ferrum stringens,

tandem viribus & opibus exhaustis, in Macedonum potestatem deuenit, cùm externis omnibus hactenus inuicta & formidabilis exstitisset. Quàm multum verò abest, ne idem per intestina dißidia & concertationes mutuas nobis accidat? Quod tamen Deus clementer prohibeat, omenque vertat in melius. Quàm infelicem euentum bella ex superbiâ & pleonexiâ, fiducia virium, aliis præter meritum illata, sortiantur; an non fœda Xerxis fuga, & horrenda Atheniensium in Sicilia clades & occidio, abundè satis cõfirmat? Superbiam extremo odio persequi & radicitus exstirpare Deum, nonne euidenter PHILIPPI *&* ALEXANDRI *Magni interitus tragicus ostendit? Dum alter imaginem suam inter* XII. *deos collocat, alter pro Iouis filio adorandum se statuit. Et quanta naturæ humanæ infirmitas sit, quanta sortis inconstantia, iidem maximè conspicuum mortalibus præbent documentum; quando intra exiguum temporis spacium non ipsorum duntaxat potentia & maiestas corruit, sed familia etiam ad internecionem redigitur. Quàm facilè sit diuinæ omnipotentiæ aliquem ex summo gloriæ & potestatis culmine deturbare, ac redigere in nihilum, & rursum altum ex infimo gradu ad celsißimum fastigium extollere, præter iam memorata*

*morata exempla tyrannorum in Sicilia Diony-
siorum & Agathoclis historia luce meridiana
clarius facit. Sed pauca ista iam sufficiant. Tan-
tarum igitur rerum considerationem principi-
bus maximè conuenire, extra dubitationem est.
Nunc altera dedicationis caussa vt indicetur,
reliquum est. Apprimè calcar mihi adhibuit
gratiæ referendæ officium: Cum maximis clien-
telæ vestræ* DOMINI CLEMENTISSI-
MI *beneficiis obligatum me agnoscam. Nam in
tuarum Dux* HENRICE IVLI *prouincia-
rum vna, Cheruscorum videlicet sub Hercyniis
montibus, terrâ, natus sum; ibidemq; in Gymna-
sio Ilfeld. liberaliter in pietate, Linguis & arti-
bus eruditis institutus.*

*Deinde publicum in monasterio cliẽtelæ tuæ
Walceroda ecclesiam & scholam docendi ac gu
bernandi munus ad septẽ annos feliciter* σὺν θεῷ
*sustinui. Eximium denique fauorem erga studia
mea tuum ex indiciis haud obscuris, iampridem
deprehendo.*

Posthac in tua, FRIDERICE WIL-
HELME PRINCEPS, *& illustriss. fratris
tui germani* IOANNIS, *Domini mei clemen-
tiss. Academia Ienensi, inter professores pub. alle-
ctus, liberalitatem vtriusq; expertus sum miri-
ficam.*

A Tua denique Celsitudine, CHRISTIANE, Dux & Elector Saxoniæ illustriss. ad hanc interpretis historici functionem in Academia Viteberg. adscitus, post varias vitæ meæ iactationes, tanquam in portu studiorum, nunc acquiesco, & à benignitatis tuæ aura suauißimè recreatus, exoptata studiorum, ad vsus iuuentutis applicandorum, commoditate perfruor.

Proinde officii mei omnino esse iudicaui, si metaphrasin hanc, cum suis corollariis, Ienæ olim inchoatam, & nunc Vitebergæ, post multas ærumnas & interruptiones, vtcunque tandem absolutam, sub feliciss. auspiciis & clementiss. patrocinio Celsitudinum Vestrarum publicis vsibus exponerem.

Per Musarum igitur & Gratiarum sacra iuraque Clementias Vestras obtestor & oro, vt lucubrationes has meas non grauatè suscipere, ac beneuolè approbare, meque ac studia mea etiam deinceps benignè complecti & fouere, ne dedignentur.

Deus opt. max. Celsit. Vestras cunctis animi corporisque & fortunæ bonis ita cumulare atque beare velit, vt diutißimè patriæ patres, quales vos esse tot prouidentiæ & benignitatis paternæ documenta probant, superesse, valere, ac florere, ad insigne reipublicæ Christianæ emolumentum

tum queatis. Valete Domini Clementissimi. Viteberga, D. Gregorii, Anno Christi cIɔ Iɔ cII.

ILLVSTR. CELS. VVV.

Subiectiss. Cliens & minister

LAVRENTIVS RHODOMANVS.

CANDIDO LECTORI

Laurentius Rhodomanus S. D.

ANNI iam pręterierunt XXXVII circiter, cùm in Gymnasio Ilfeld., ad Hercinia in Saxoniam ex Tyringia portam sito; (quod tunc studiis & & exercitamentis artium & linguarū, inprimis Græcæ, antistite Neandro, informandæ iuuentutis magistro & artifice dexterrimo, ita florebat, vt cum optimè constitutis ac celeberrimis in tota Germania facilè de palma certaret) Græcis literis operam dabam. Inter cæteras autem studiorum commoditates etiam hæc mihi contigerat, vt ex præceptoris Bibliotheca, quam libris in omni artium genere instructissimam habebat, quicquid ad vsus expeterem, affatim depromeretur. Venit tum, inter alios optimæ notæ auctores, in manus etiam DIODORVS SICVLVS, non ita pridem ab HENRICO STEPHANO editus. Quem vbi primùm legere cœpi, dicere non possum, quantos in animo statim meo hic scriptor amores excitârit! in quantam sui admirationem me rapuerit! adeò, vt ex illo tempore, illum amare & magnifacere, prædicare etiam, vbi occasio daretur, nunquam destiterim. Styli autem facilitas & elegantia, in quam tunc ætatis præcipuè respiciebam, mirificè me capiebant. Sed affectio hæc eo magis creuit & confirmata est, quo plus iudicii cum æta-

te &

te & profectu in bonis literis accedebat: maximè cùm postea viderem, quanta rerum optimarum varietas in catholica DIODORI historia contineretur. Tametsi verò plurimum inter auctores classicos perpetuo tribuebam DIODORO: nunquam tamen interpretandi eius cogitatio animum subiit: præsertim cum tot in eo non obscuri nominis viros elaborasse iampridem animaduerterem. Id eò nunquam huc operæ aliquid contulissem, nisi doctissimus ille omnium nostro seculo Typographorum HENRICVS STEPHANVS prouinciam hanc mihi commendasset.

Postquam enim Memnonis & Agatharchidæ Eclogarum versionem, REINERI REINECCII τοῦ ἰσοελληνεστάτου consilio & hortatu cōcinnatam, censuræ illius subieceram: quam etiam tantoperè approbauit, vt cum sua Persicorum Ctesiæ interpretationem breui pòst in lucem emitteret: non per litteras modò, sed Bernhardum etiam Prætorium Hessum P. L., ex amicis nostris integerrimū; cuius in curandis meis ad eum pagellis opera vtebar, ad laborem istum suscipiendum enixè me instigauit. Quia enim vir ille ad bonos auctores cum typo venustissimo exprimendos, tū lucubrationibus suis, & quibuscunque aliis rationibus posset, illustrandos, natū se ac præclaris diuinitus instructum adiumentis, intelligebat: fideliorē auctoris optimi interpretationem diutiùs à maxima studiosorum parte desiderari, non tolerandum sibi existimabat ampliùs. Et quid causæ est, cur nonnulla ex autographis Epistolarum ad me eius non apponam? Ita verò scribit: *Cùm de opusculis histo-*

ricis à te versis, & de Q. CALABRO *à te verso itidem, sermonem cum Bernhardo Prætorio (qui me tuis verbis salutatum accesserat) haberem: venit in mentem Diodorus Siculus, quem poscere nouam interpretationem constat. Ideoque dum ego illi: Quid si verò in tam celebri scriptore vertendo Rhodomanus operam suam poneret? quod si in toto opere non posset, saltem in priore eius parte id præstaret. Ego certè, nisi semper infinitis aliis negotiis districtus fuissem, iam pridem ipsemet istud onus subiissem. Tanti scriptorem illum facio. Nec verò dubito, quin à te quoque maximi fiat. Quare tuum responsum non sine aliqua spe exspectabo, &c. Francfordii April.* XVI. *Anni* 1593. *His nundinis ex officina mea prodiit Isocrat. Græcolat. vna cum septem meis in ipsum Diatribis. Me breuitati studere (mihi alioqui peringratæ) occupationes nundinales cogunt. Ideò iam tibi dicere cogor, Vale.*

Mouet me tanti viri auctoritas, & publicæ vtilitatis consideratio tandem, vt operi manus admouerem. Et feliciter res successit. Nam intra pauculas hebdomades in mythologicis (hinc enim exorsus fueram) partem non exiguam absolui. Cùm verò exemplari destitutus proprio, copiam eius vt mihi faceret, rogarem, & liberaliter id mecum communicauit, & in hunc modum rescripsit:

Mitto ad te exemplar Diodori, quum scribas à te repetitum esse, quod habebas. Et quum nolim te exemplaris penuria præstare non posse, quod te lubenter præstiturum, & antea scripseras, & nunc quoque scribis, ad interpretationem eius quod attinet. Multò autem

tò autem magis mihi quoque illud placet, te interpretationem, quæ tua sit, dare, quàm veterem illam à te interpolatam. Sed multum tamen ab illa poteris adiuuari: nec video, quid obstet, quo minus, quæ satis apta reddita erant, retineantur. Fore autem quod dixi, vt adiumento tibi sit illa vetus interpretatio, ex eo mihi persuadeo, quod locos aliquot mihi videar ἐν παρόδῳ legisse non incommodè versos. Nescio tamen, an satis fidere memoriæ hic debeam: & malo hoc integrum tibi relinquere. Vbi autem, quod mitto exemplar per N. N. Bibliopolam Ienensem, tuas in manus venerit, de hoc certior fieri cupio, simulque specimina tuæ interpretationis diuersorum illius scriptoris locorum accipere. Literas ad Sylburgium mittes: qui eas mihi reddendas curabit. Verum & hoc scire cupio, an non aliqua exemplaria historiarum Ctesiæ & Memnonis, quæ ipsi Sylburgio ad te mittenda dederam, acceperis. Ad Diodorum autem vt reuertar, quamuis specimina interpretationis è diuersis eius locis petam, velim tamen alioquin te ordinem librorum sequi: & prioribus libris prius operam dare. Vale, Francfordii Martii XX. Anno 1594.

His literis vbi denuò mihi calcar additum erat, qua poteram contentione reliquam versionis mythologicæ partem promouebam: nec priùs manum de tabula, quod dicitur, quam colophonem tractationi imposuissem: quam his interim verbis STEPHANVS flagitabat:

Eam interpretationis Diodori partem, cui iam manum vltimam imposuisti, sperabam me his nundi-

nis accepturum. Ac fortaßis aliqua in ea parte animaduertißem, de quibus meum iudicium haud improbasses. Sed voluisti fortaßis ad nundinas proximè sequentes rem differre, vt non iam partem, sed potiùs totum mitteres. Quod libenter videbo à te factum. Ad Q. Calabrum quod attinet, si in thesauro fuit prætermissus, consultò factum haud fuit, &c. Francfordii XV. *April. Anno* 1595.

Desiderio igitur τοῦ ἐργοδιώκτου vt satisfacerem Antiquitatum Diodori V. libros à me conuersos, pureque descriptos, illi transmisi, in sequentibus nonnihil periculi à me factum significans. Quod tam gratum ei fuit, vt ad omnium deinceps librorum interpretationem me denuo sic inuitarit: *Tuam interpretationem illorum* V. *Diodori Siculi librorum libenter vidi, sed multò libentiùs (ne quid dissimulem) vidissem, si adiunctos sibi vicinos suos habuissent. Cum tamen paruus ille librorum, quos mittis, numerus initio mihi nullo modo satisfaceret, essetq; velut minimum valdè sitienti poculum: satisfacere propemodum cœpit, postquam eas, quas huius paucitatis affers, rationes & legi & expendi: ac præsertim cum ex iisdem literis tuis, te iam in* XIII. *versari, intellexi: &c. Francfordii* XVII. *Septemb. Anno* 1595.

Hoc postremum ad me eius responsum fuit. Nam plures dehinc viri huius excellentiss. non modo scriptiones, sed operas etiam nescio quod infortunium abrupit: eumque non multò pòst fatalis, & tunc Germaniæ, multisque clariss. viris (inter quos etiam Commelinus, Typographorum à STEPHANO diligentissimus erat) funesta lues exstinxit. Quod in causâ fuit, vt & versionis meæ quinque

quinque librorum, STEPHANO exhibitorum, iacturam fecerim. Quæ nonnisi magnis laboribus & impendiis deinde reparata fuit. Tunc verò nouo quodam modo rem institutam tractare sum aggressus. Cùm enim tempus interpretationis longiùs extractum iri, propter laboris adhuc relidui magnitudinem præuiderem: vt maturiùs Auctorem, nouâ & meliore (si possem) donatum latinitate, publicis vsibus exhiberem: interpolandos sequentes libros aliquot mihi proposui: Et à postrema libri XIV parte facto initio, ad finem libri XV filum deduxi. Nam superiora, à Vaticano interprete olim reddita, iam meam habebant versionem. At huius me tandem operæ tam pœnitere quam pigere cœpit: cum subinde hæ cogitationes interpellarent: Ecquid tu tibi vis? Cur censuram in aliorum opera tibi sumis? an non suum vnicuique integrum relinquere, nouumque pro tui ingenii viribus cõdere, fuerit honestius? Atque hęc tandem ratio peruicit. Ad consuetum igitur versionis modum reuertebar. Interea non deerant, qui me hortationibus suis, vt in pristino tenore persisterem, animabant. Quos vt optimè de meis studiis meritos nominem, grati animi religio hîc iubet & impellit; vt fuerunt inter litteratos, NEANDER ille optimus: qui donec in viuis erat, nũquam ad pulcerrima quæque opera me excitare ac promouere destitit. Cui viro, si maximam profectus mei quantulicunque partem adscribam, quod iustitia & veritas maximè postulant, facio. Et proximus ab hoc, quod adiuuandi & ornandi mei rationes attinet DAVID CHYTRÆVS ὁ πολυίστωρ;

etiam ipſe tum Fata ſuperſtitem eſſe voluêre, non præceptoris tantum, ſed etiam primarii amici beneuolentiam ac ſtudium mihi perpetuum declarans. Ad quos acceſſerunt alii: Europæ totius lumen, JOSEPHVS SCALIGER, & JOANNES CASELIVS, Philoſophiæ & Græcæ Romanæq; Eloquentiæ Doctor in Academia Iulia inſignis. Nec inter Politicos defuêre, qui fauore ſuo laboribus his meis ſubleuamẽtũ adſpirarẽt. Inter quos meritò primas obtinẽt tres viri magnifici & Iuriſconſulti clariſſimi, D. DAVID PFEIFERVS, D. MARCVS GERSTENBERGIVS, D. CHRISTIANVS DISTELMEIER ſeptemviratus Saxonici, Landgrauiatus Tyringici, & Marchionatus Brandeburgici Electoralis Cancellarii ſapientiſſimi, & præclare de Republ. merentes. Qui dum velut Atlantes infinitum illud ampliſſimæ gubernationis cœlum ſuſtinent, literariam ſimul rem magno ſtudiorum commodo, vt iuuent, exornent, amplificent, enituntur, & immortalẽ propterea apud omnes eruditæ ſapientiæ cultores obſeruantiam atque gloriam promerentur. Muſæ equidem meæ ſe plurimum his debere, non grata ſolum mente nunc agnoſcunt, ſed pia etiam voce in æternum prædicabunt. Cum quibus meritò coniungo D. IOAN. GEORG. GOEDELMANVM, & LVDOVICVM WILHELMVM MOSERVM, Illuſtriſſ. Elect. Saxonici conſiliarios ſpectatiſſimos; quorum ille conſiliis, eloquentia & dexteritate, tum alibi, tum in ſummis legationibus, operam nauat præclariſſimam, ſuaq; virtute & ingenii excellentia tantam apud RODOL-

PHVM

PHUM II. Imperatorem Augustum, & summũ in Orbe terrarum μονοπλήτλω, sibi gatiam conciliauit, vt inter S. Palatii Cæsarei Comites fuerit allectus.

Hic industriam, fidem, ac prudentiam suam, partim in Illustriss. Sax. Ducis Augusti institutione, partim in aliis Reip. muneribus, ita probauit, vt nõ tantum in ampliss. Consiliariorum collegio locum obtinuerit: Sed intimus etiam Cameræ Electoralis Secretarius sit effectus. Vterque autem me studiaque mea fauore ac potrocinio, vt semel complecti cœpit, sic amare & iuuare nunquam desinit. Mentionem igitur horum inter patronos eximios si non facerem, in sanctas Gratiarum leges peccare non immeritò viderer. Quanquam verò his amicorum velut calcaribus incitatus, faustisque acclamationibus subinde roboratus, in curriculo feliciter cœpto gnauiter pergebam; nihil præter optatam studii huius metam habens propositum: variæ tamen remoræ interuenerunt, quæ sub primum statim exordium, è carceribus vix dimisso, & in medio cursu, tandemque circa finem ipsum, dum à meta ad carceres prope reuersum est, impeditum me retardârunt. Bis enim publicum in Academia IENENSI munus gerendum fuit; primum Decani, seu Agonothetæ philosophici; Exinde magistratus, qui summus in Academiis existit: vbi tela hæc per interualla non exigua interrupta fuit. Bis etiam sors mea, quam variis diuina prouidentia vicibus mirabiliter versat, locum mutare interea me iussit: semel cum ad Gymnasii Stralsund. in Pomerania gubernationem accitus; iterum cum ad publicam Historiarũ

profeſſionem in Academiam Viteberg. reuocatus ſum. Hic enim, poſt longam veluti iactationem, ſtudia mea, ſub Illuſtriſ. Saxoniæ Electoris CHRISTIANI clientela benigniſſima, exoptatum inuenêre portum: vt vere cum Marone exclamare poſſim: *O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit! Namque erit ille mihi ſemper Deus; illius aram Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.* Nec parum rationes meas cõturbauit diſceſſus ex hac vita illorum, qui ἐκτυπωταὶ huius operis eſſe debebant, STEPHANVM dico, & COMMELINVM. Hic enim poſt obitũ illius, editionem operis vltrò in ſe receperat. Diuinæ tamen bonitatis temperamento ſingulari factum eſt, vt quicquid eſt huius lucubrationis, Vitebergæ tandem ad finem deductum, officinam typographicam iam olim deſtinatam apud hæredes Wechelianos, CLAVD. MARNIVM & IOAN. AVBRII, FF., laudabilem rei literariæ operam nauantes, tandem inueniret. Ἀφορμὴν itaque & progreſſum operis, amice Lector, habes.

Jam quæ interpretationis ratio ſit, requiris? Ea ſanè, quæ ad amuſſim non exacta, nec omnibus numeris abſoluta eſt. Procul enim abſit, vt hanc mihi excellentiam arrogem. Quam citra inuidiam libentiſſimè illis concedo, quos diuinis ingeniis, præditos fortunatiore Deus occaſione beauit, quam me; qui eruditionis ſupellectilem, curtam profecto & perexiguam, per maximam ætatis partem, inter difficultates vitæ perpetuas, hinc inde collegi. Satis autem mihi fuit, ſi dictionis forma, licèt non pura omninò; (hoc enim in voto

magis

magis & conatu quam effectu mihi est) à natura tamen Latini sermonis non abhorrente, vterer. Nec cacoethes illorum mihi imitari placuit, qui meros crepantes archaismos, nouum loquendi genus, ab inferis resuscitatum præ nitidissima Romanæ dictionis puritate, tot laboribus & curis, per decrepitam hanc mundi senectam, à summis ingeniis reparata, nobis obtrudunt; & cum elegantia Ciceroniana excellere nequeant, antiquaria saltem nouitate admirationem sui leuiter ac stolide affectant. Quibus vt omnes sanæ mentis studiosi τὸ μακρὰν χαίρειν dicant, totus fidelium magistrorum chorus, per elegantiores Musas obtestatur, atque suadet. At nec ad verba Auctoris ita me semper alligaui, vt liberius quædam reddere interdum religioni mihi duxerim: Non raro enim sententiam exprimere satis mihi visum: quem tamen interpretandi modum sic temperaui, vt verba interim emphatica simul exprimerentur. Hic non pauca subesse ingenue fateor, in quibus nec mihi, nedum emunctæ naris lectori satisfecerim. Quam facile est in magno opere, vbi animus ad finem properans ad vlteriora perpetuo auocatur, aut minus commode vertere aliquid, aut præterire, aut quouis alio modo allucinari & labi? Profecto si ad iustam examinanda trutinam singula forent, ad vitæ prius terminum, quàm tanti operis metam perueniretur. At defectibus & erratis, vbi vbi occurrent, æquitatis studiosus veniā haud grauatim impertietur: præsertim vbi secum perpûtârit, neminem tam esse doctum, linceisque oculis præditum, quin aliquid ignoret, visuque

tranſcurrat. Quod ſi etiam illis, qui vni tantum negocio vacant, contingit, quid, his non euenturum putas, qui multis & variis ſimul occupati diſtringuntur? Vt vero de magnitudine operis, de feſtinatione ad finem, de eruditionis inopia, & varietate laborum nihil addam, nonne locorum (quales paſſim occurrunt) obſcuritati & perplexis ſententiarum nodis aliquid acceptum feres? præſertim cum exemplarium, quæ cum vnico noſtro contuliſſemus, copia fuerit negata: Ne quid de cenſura hominum doctiorum minime nobis interim conceſſa dicam. Naſutos autem ſciolos, omneſque inuidiæ & obtrectationis morbo laborantes, ne flocci quidem facio. Hos, ſi noſtra hæc interpretatio ita ſordeat, vel nouam, & quidem ſuo, quod dicitur, Marte elaboratam, dare, vel ad priorem reuerti, atque ita noſtram hanc nobis ſaluam & incontaminatam relinquere iubemus.

De Eclogis hoc obiter, ὡς ἐν παρεργήκης μέρει, ſignifico, me diu magno illas deſiderio expetiuiſſe. Tandem vero, ſed diuerſo tempore, copiam harum mihi factam eſſe. Nam pars ex vltima Decade libri Diodori excerptorum in manus noſtras venit, cum Photii bibliothecā, quam μυελοβίβλον non fruſtra appellitant, mihi donauit Abrahamus Drentwedius Auguſtanus, iuuenis ingenio, eruditione piaque humanitate inſignis. Cuius amicam hic mentionem vt inſeram, Gratiæ me admonent: quas non minus fideliter colit, quam S. Theologiæ Linguas & Artes philoſophicas induſtriè adiungit.

Alteram deinde partem, temporis ordinē

tamen

tamen priorem, ex Decade tertia, communicauit mecum è Bibliotheca sua vir CL. optimeque de Græcæ Linguæ studiis promerens, DAVID HOESCHELIVS. Qui inter alia veterũ Græcorum scripta, quæ, cum ignorantiæ ac obliuionis tenebris, situque ac blattis conflictantia, eruit atque emendat, & cum exoptatissimo τῶν φιλομούσων fructu in lucem emittit; has etiam Diodori Siculi reliquias ab interitu vt vindicaret, impensè operam dedit. Sed tantum abest, vt ἀποσπασμάτια illa excerptaque, desiderium meum expleuerint, vt multo magis hoc accenderint.

Idem enim mihi euenit, quod illis, quibus diuturniorem sitim restincturis exiguus boni liquoris scyphus exhibetur: Aut qui speratis ex longinqua nauigatione mercibus amplissimis minutas naufragii reliquias sparsim hincinde colligunt. Vtinam vero tantam Historicis Musis felicitatem summus illarum præses & choragus largiatur, vt si non omnibus XXV. Diodori libris, huc vsque deficientibus, at vero quinque saltem de prima Decade amissis tandem potiri nobis liceat.

Hîc ad extremum Auctoris optimi commendationem flagitare à me cuipiam videatur officium: nisi iam ab alio id luculente sit præstitum. Nam de illius patria & ætate, de operis titulo, distributione, argumento & temporum complexu, de præteritis ab eo concionibus: de discrepantia nominum in magistratibus Romanorum, de clausulis narrationum Epiphonematicis, de prouidentiæ diuinæ testimoniis, de stylo denique & eulogiis ipsius apud veteres: disertam atque erudi-

tam posteritati commentationem, cum apologia de Antiquitatibus in speciem fabulosis, contra LVD. VIVEM, H. STEPHANVS reliquit. Ad quam lectorem hinc dimitto, vnum duntaxat vt mantissæ loco hic superaddam, operæ pretium videtur.

Etsi præclarum fuit eruditæ vetustatis de Diodoro iudicium, vtpote, quem Græcia maximi fecit illo ipso tempore, quo doctrinarum & eloquentiæ studia per Græciam maxime floruerunt: Iustini Martyris & Eusebii, Pamphili testimonia planum faciunt: Hoc tamen seculo inuentus est, qui existimationi atq; gloriæ ipsius non modicum derogaret, Ioannes nimirum BODINVS, vir alioqui magno ingenio, variaque & recondita eruditione, ac singulari eloquentia, cum magno politicarum rerum vsu, præditus. Nam hic Methodi suæ historiæ cap. v. argumentorum machinis (vt quidem putat) non infirmis, auctoritatem eius oppugnat: dum, quæ in genere dicendi, ipsaque historiæ tractatione criminetur, anxie conquirit. Ac primum quod ad res attinet, lapsus eius in ratione fastorum & Olympiadum arguit, & Romanorum magistratuum nomina toties vel deprauata, vel planæ omissa notat. Res etiam Italicas leui tantum brachio attingi, queritur: cum in explicatione interim Græcarum se prolixissimè diffundat. Ad hęc in suas ipsum leges peccare, dū longissimas alicubi orationes inferciat, præteritis narrationibus magis necessariis. Salsè præterea Lunarium apud Ægyptios annorum interpretationem, vt absurdam & ineptam deridet. Ac di-

ctio-

ctionis tandem genere nihil vulgarius eſſe aſſeue-
rat. Hîc non omnia ad viuum reſecanda, ſed au-
ctori quædam condonanda eſſe, vltro fatemur.
Idque non immerito. Si enim in formoſiſſimo
puellæ corpore, ob cæteras eximiæ formæ dotes,
nęui aliquid facile cõdonetur: quis pauculos quoſ-
dam errores, in tam concinno alioquin vtilique
opere, non prompte Auctori ignoſcat? Quod igi-
tur ad confuſaneas annalium rationes, & Magi-
ſtratus Romanos perperam nominatos, aut præ-
poſterè collocatos, vel etiam præteritos, attinet,
idem & alii, maximè autem excellentis doctrinæ
& diligentiæ accuratiſſimæ vir CAROLVS SIGO-
NIVS non ſemel conqueritur. At fieri potuit, vt
in alios inciderit faſtos Diodorus, vndę applica-
tionis illa diuerſitas exiſtat. Nam pleraque Magi-
ſtratuum nomina librariorum incuria vel curioſi-
tate mutilatim aut mendoſè exarata eſſe, vt arbi-
tremur, τεκμήρια non ſunt obſcura. Quod eruditus
candiduſque lector pluribus in locis obſeruabit.
Italicarum autem narrationum breuitatem pru-
denti auctoris iudicio adſcribimus. Compendiaria
enim tantiſper βραχυλογίᾳ vti voluit, in antiquitati-
bus ſcilicet illis Romæ adhuc creſcentis, quæ copiā
& ſplendorem non ita admitterent, donec imperii
iam confirmati, perque totum pene orbem pro-
latati, res aliquando tanto maiore orationis appa-
ratu & nitore exponere atque illuſtrare poſſet. Id
quod abundè ſatis ab eo præſtitum eſſe, fragmen-
ta de bellis Punicis; de tumultibus ſeruilibus; de
bello Italorum ſociali; quamlibet pauca, nobis
demonſtrant. Reprehenſionē ob inſertas ab Au-

ctore conciones prætereo, cum putida ſit, & BODINVM ipſum redarguat, quod Diodori ſcopum non obſeruarit, vel obſeruatum alio tranſponere voluerit. Non enim omnes omnino conciones ab Hiſtoria remouendas cenſet: verum ab immoderata illarum immixtione vt abſtineatur, monet, eaſque in loco neceſſarias eſſe probat.

Quam candidè verò agat cum Hiſtorico noſtro, dum per annos Ægyptiorum menſes eum intelligere, perhibet, iudicent illi, qui non ex ſua Diodorum ſententia illud aſſerere, animaduerterint. Quam iniquum vero eſt, propter vanam aliorum perſuaſionem deridendum propinare lectoribus eum, qui inter alias narrationes etiam huius mentionem facit? Cenſuræ tandem de ſtylo, PHOTII de hoc ipſo iudicium ex Bibliotheca eius ſubiunxiſſe, hoc loco contenti erimus. Quod κατὰ λέξιν Diſtinctione LX. pagin. 51. Auguſtanæ editionis ſic habet: Κέχρηται δὲ φράσει σαφεῖ τε καὶ ἀκέμψῳ, καὶ ἱστορίᾳ μάλιστα πρεπούσῃ: καὶ μήτε τὰς, ὡς ἂν εἴποι τις λίαν ὑπερηττικισμένας, ἢ ἀρχαιοτρόποις διώκων συντάξεις, μήτε πρὸς τὴν κατωμαλισμένην νεύων παντελῶς ἀλλὰ τῷ μέσῳ τῶν λόγων χαρακτῆρι χαίρων, φεύγων τε τροπὰς, καὶ τἄλλα· πλὴν τῶν παρ' Ἕλλησι, μυθολογουμένων θεῶν τε καὶ ἡρώων ὅσα τὸ ποιητικὸν ἔθνος νέμεται Hoc eſt, Dictionis forma perſpicua, nec exquiſitè ornata, quæque hiſtoriã maxime decet, vtitur. Et neque conſtructiones nimis ac ſupra modum Atticas perſequitur, neq; ad plane vſu tritam deuergit: ſed genere dicendi mediocri gaudet: tropicaſque locutiones & cætera fugit præter fabuloſas de Diis & Heroibus narrationes, quas gens Poetica ſibi vendicat. Iam arbitrium

bitrium penes lectorem esto, vtri maiorem habe-re fidem malit, Bodinone, Græcas literas medio-criter intelligenti, an PHOTIO: qui tantá in omni doctrinarum genere facultatem consecutus est, vt de omnium ferè scriptorum, ætatem illius ante-gressorum, stylo & argumento, extra omnem iu-dicii aleam, pronunciare non dubitârit.

Hæc ergo sunt, quæ præfationis loco in lu-cubrationes has meas communicanda tecum Le-ctor humanissime, arbitrabar: vt aliquid tum de ratione ac forma interpretationis, tū de existima-tione Auctoris tibi constaret: Tuum nunc est, piis votis gnauisque studiis, huic nostræ operæ fauere, ac optimè de te mereri cupientibus optima quæ-que vicissim à Deo precari. Quo abs te impetrato, abunde magnam nobis gratiam esse rela-tam, profitemur: Vale, ac fruere.

HÆC IN PRIMO DIODORI LIBRO continentur.

PRæfatio in totum opus.
De mundi ortu quid Ægyptii tradant.
De diis, à quibus vrbes in Ægypto conditæ.
De primis in orbe natis hominibus, & vitâ antiquissimâ.
De Diuum honore immortalium & templorum adornatione.
De terræ Ægyptiacæ situ: & quæ de Nilo mira narrantur. Incrementorum præterea causas, & historicorum Philosophorumq́; (de his) sententias exponit.
De primis Ægypti regibus, & singulorum actis.
De pyramidum structuris, quæ inter VII. orbis miracula recensentur.
De legibus & iudiciis.
De consecratis Ægyptiorum bestiis.
De ritibus, quos Ægyptii circa mortuos obseruant.
De Græcis, qui doctrina celebres in Ægyptum profecti, vtiles inde disciplinas in Græciam transtulerunt.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECÆ HISTORICÆ

Liber I.

LAVRENTIO RHODOMANO Cherusco interprete.

1. AVCTORIBVS qui vniuersales historia contexuerunt, magnam cuncti mortales vt gratiam referant, par est; quòd suis laboribus communis vitæ societatem iuuare honestissimâ cõtentione studuêre. Cùm enim docendi quid expediat genus, periculis haud obnoxium introduxerint, pulcerrimam hac tractationis suæ operâ lectoribus peritiam conciliant. Nam in vniuscuiusque experientia versans discendi ratio, id quidem efficit, vt multis cum laboribus & periculis quæ conducant singula dignoscas: (ideoq; Heroum experientissimus, inter multos aduersæ fortunæ casus, *multorum mentes hominum cognouit & vrbes*) At comparata historiæ beneficio prudentia, aliorum perperam recteque facta intelligens, vacuam à malorum experimentis doctrinam habet. Præterea, vt homines vniuersos, mutuâ quidem cognatione inter se deuinctos, sed locorum & temporum interuallis distantes, ad vnius communitatem ordinis vt redigerent, enixè operam dederunt; ac si diuinæ prouidentiæ administri exstiterint. Nam illa postquàm ornatissimam siderum, quæ videntur, dispositionem, hominumque naturas in communem analogiam coagmentauit, sic omne continenter æuum, velut in orbem circumagit, vt singulis competentem à fato

fortem impertiatur. Hi communes terræ habitabilis actiones literarum monumentis tradendo, vnam rationem & commune rerum peractarum thesaurarium opera sua esse, demonstrarunt. Nam aliorum erratis ad rectam vitæ institutionem pro exemplis vti & ad varios in vita euentus, non quod gerendum sit quærere; sed quod rectè factum est imitari, scitum atque pulchrum est. Enimuerò in consiliis, ætate prouectos iunioribus, ob comparatam longo rerum vsu prudentiam, omnes anteponunt. Hanc verò tantis historiæ disciplina interuallis antecedit, quantum rerum multitudine præstare ipsam nouimus. Ideoque ad omnes vitæ casus vtilissimam esse huius applicationem meritò quis statuerit. Adolescentibus enim senum prudentiam adiungit; senibus experientiam iam adeptam, multiplicat. Priuatos principatu dignos efficit: Principes gloriæ immortalitate ad res pulcerrimas suscipiendum excitat. Et præter hæc omnia milites laudationibus à morte habitis ad discrimina pro patria alacriores facit. Improbos autem infamiæ perpetuitate à scelerum libidine & conatu auertit.

II. Quid? quod propter virtutis memoriam, per historias propagandam, incitati sunt alii vt vrbes conderent; alii vt leges, quibus vitæ communis tutela ac salus continetur, promulgarent: multi quoque vt scientias & artes ad bene merendum de genere mortalium inuenirent, impendiò laborarunt. Cumque ex omnibus beatitudo compleatur, historiæ certè, vt laudum harum auctori, palma vindicanda est. Sic enim statuendum, viris laude dignis hanc virtutis custodem, & nequam hominibus improbitatis, ignauiæque testem, & toti mortalium generi benefactricem esse. Si enim fabula de inferis, argumento ficto constans, multum ad pietatem & iustitiam hominibus confert; quantò magis historiam

III. veritatis antistitam atq; vatem, & totius quasi Philosophiæ metropolim, mores ad honestatem informare posse, iudicemus? Cuncti enim mortales, ob naturæ imbecillitatem, vix ad exiguum momentum totius æternitatis viuunt, per omne deinde tempus exstincti. Et his sanè, quibus nihil in vita præclari actum, cum defunctis corporibus, omnia vitæ adiuncta simul intereunt. at qui virtute sibi gloriam comparârunt, diuinissimo historiæ ore per omne æuum celebrantur. Cum mortalibus ergo la-

go laboribus immortalem famæ celebritatem commutare, honestum prudentibus esse, censeo. De Hercule in confesso est, quod ingentes & assiduos labores ac pericula, quoad inter homines vitam egit, sponte sustinuerit, vt benignè hominum generi faciendo immortalitatis præmium referret. De aliis viris bonis, pars ad heroicos, pars ad diuinos planè honores, sunt euecti; qui tamen omnes historiæ beneficio, virtutes ipsorum ad immortalitatem transmittentis, laudibus ita magnis sunt affecti. Alia enim monimenta exiguum durant tempus, & casibus abolentur variis. At historiæ vis & efficacitas, per totum penetrans orbem, tempus ipsum, cætera corrumpens, æternæ ad posteros traditionis custodem habet. Quid? quod etiam ad sermonis facultatem hæc conducit, quo non aliud quippiam pulcrius quis inuenerit. hoc enim Græci Barbaris, docti indoctis, præstant. Adde quod hoc solo fieri potest vt vnus multis superior existat. Quicquid denique actum est, tantum

II. apparet, quantum id dicentis facultas exhibet. Quin etiam viros bonos ἀξίους λόγου, hoc est, *sermone dignos*, appellitamus, vt qui hoc ipso virtutis primatum sint adepti. Cúmque in plures hic partes diuidatur, vsu venit, vt poëtica magis delectet, quam prosit, legum sanctio coërceat, non doceat; ita cæteræ quoque partes, aut nihil ad beatitudinem contribuant, aut mixtum vtili noxium habeant; nonnullæ etiam veritatem mendaciis oppugnent; sola interim historia, in qua verba rebus consonant, quicquid pulcrum est & conducibile, scriptione complectitur. Adhortari enim ad iustitiam, accusare improbos, prædicare bonos, & maximam denique legentibus peritiam addere, quis eam non cernit? Quapropter cùm

III. & nos scriptores eius meritò in precio esse videremus, ad æmulandi eiusdem argumenti studium excitati sumus. Dum verò animum ad scriptores qui nos ætate præcessere aduertimus, consilium horum, quoad licet, maximè approbamus: non scripta tamen ad iustum vtilitatis & facultatis modum elaborata ab his fuisse, arbitramur. Cùm enim lectorum vtilitas postulet, circumstantias quamplurimas complecti; plerique vnius tantum gentis aut ciuitatis integra bella recitauêre. Pauci verò à priscis

temporibus exorsi, res cunctis gentibus communes literis mandare, ad hanc vsque ætatem, enixi sunt, & horum alii tempora singulis conuenientia non adiunxerunt: alii res barbarorum transiliunt. Sunt, qui fabularum narrationes, propter tractationis difficultatem improbatas, transilierunt. Nonnulli susceptam à se operis tractationem, fato ipsorum vitam intercipiente, non perfecerunt. nemoq; de negotium hoc aggressis, infra Macedonum tempora historiam deduxit. hi enim ad Philippi, isti ad Alexandri res gestas, illi ad successores aut posteros deductam historiæ telam abruperunt. Licet verò multæ & magnæ res ad nostram inde ætatem sint derelictæ, nemo tamen historicorum vno scriptionis ambitu propter argumenti molem, has comprehendere instituit. At quia tempora & gesta in plura volumina à diuersis scriptoribus coniecta habentur, fit, vt cognitio illarum nec animo comprehendi, nec memoria retineri, facilè queat. Nos igitur singulorum tractationibus ad examen vocatis, historiam contexere decreuimus, quæ lectoribus & plurimum conducat, & molestiæ exhibeat minimum. Si quis enim totius mundi, vt vnius ciuitatis, acta memoriæ tradita, ducto ab antiquissimis temporibus exordio vsq; ad suæ ætatis memoriam, in literas pro virili referre conatus fuerit, laboris certè plurimum sustinuerit, sed opus interim vtilissimum concinnarit. Ex hoc enim cuiuis ad vsum priuatum vtilia, non secus ac si ex magno fonte hauriat, depromere licebit. Nam qui tot monimentis auctorum euoluendis animum applicant, his primùm non facilè copia suppetit librorum ad hunc vsum necessariorum. tum varietate & multitudine librorum impediti, difficillimè rerum intelligentiam adsequuntur. At historia vno tractationis circumscriptu, rerum gestarum seriem complexa & lectionem expeditam subministrat, & intellectum planè sequacem habet. Imò hanc aliis tantò præcellere quantò vtilius est totum parte, continuum diuiso, & exactam temporis notationem habens illo, quod, quando gestum sit, ignoratur, existimandum est. Quapropter cùm argumentum hoc vtilissimum fore, sed tempore & labore prolixo indigere videremus, triginta annorum operam in id contulimus, magnamque Asiæ & Europæ partem, non absque periculis & ærumnis perlustrauimus; vt pleraque, & maximè instituto huic necessaria,

IV.

loca inspiceremus ipsi. Multum enim locorum inscitiâ peccatum est, non tantùm à scriptorum vulgo, sed nonnullis etiam qui primum gloriæ decus obtinent. Adiumento verò nobis ad inceptum hoc fuit potissimum argumenti pertractandi cupiditas; per quam quod effici alioqui minimè videtur posse, effectum redditur. Deinde rerum omnium quæ argumento huic inseruirent, subministrata Romæ copia. Vrbis enim huius maiestas, potentiâ suâ ad fines orbis terrarum pertingens, dum sat longo tempore eius inquilini fumus, plurimis vltroque obuiis nos adminiculis instruxit. Nos enim ex Agyrio Siciliæ oppido oriundi, & propter commercia Romanorum in insula magnam linguæ cognitionem adepti, ex commentariis ipsorum, à longo inde tempore adseruatis omnes imperii huius gesta accuratè desumsimus. Initium verò duximus à fabulosis, tum Græcorum, tum Barbarorum, narrationibus, quæcunque apud singulos è prisci temporis memoriâ repetuntur, pro facultatis nostræ modo pensitantes. Argumento iam absoluto, dum libri nondum editi sunt, de toto prius opere quædam breuiter definire libet. Primi enim sex è libris nostris, res & fabulas Troiano bello superiores complectuntur. Horumq; priores tres, Barbarorum proximè sequentes, Græcorum antiquitates, continent. In sequentibus vndecim, res vbique locorum gestas, à bello Troiano, vsque ad Alexandri interitum, descripsimus. In tribus tandem & viginti libris, reliquas inde cunctas digessimus, vsque ad initium belli à Romanis aduersus Gallos excitati, quo Imperator Caius Iulius Cæsar cui res gestæ Diui nomen adsciuêre, & plurimis pugnacissimis Gallorum gentibus debellatis, Imperium Romanum ad Britannicas vsque insulas prolatauit, cuius res principio gestæ incidunt in primum Olympiadis centesimæ & octogesimæ annum, Archonte tum Athenis Herode.

V. Porrò de temporibus hoc opere cõprehensis, ea quæ bellum Troianum antecedunt, certo spacio non definimus, quia nullum certitudinis fulcrum, cui fidamus, ad nos peruenit.

IV. A bello autem Troiano Apollodorum Atheniensem secuti, octoginta annos ad reditum Heraclidarum statuimus. Ab hoc ad Olympiadem primam, trecentos & viginti octo, à regibus Lacedæmoniorum tempora computando. A pri-

ma autem Olympiade ad initium belli Gallici, qui nobis historiæ finis est, septingentos & triginta. Ita vt opus vniuersum, XL. libris absolutum, annos CIↃ. CXXXIↃX. comprehendat, temporibus, quæ bellum Troianum anteuertunt, exceptis. Hæc itaque initio accuratè definiuimus, dum lectorem in totius instituti notionem deducere, eosque qui libros interpolare solent, ne alienos labores corrumpant, dehortari cupimus. Iam quicquid à nobis per totam historiam bene scriptum est, inuidiæ sit expers; si quid inscitiâ peccatum à peritioribus corrigatur. Expositis ergò, quæ præfanda duxeramus, scriptionis nostræ promissum facto comprobare enitemur.

VI.

DE diis igitur quas notiones habuerint, qui primi numinis cultum docuerunt, & quæ de vno quoque deorum fabulosè narrentur, horum pleraque seorsim (quod argumentum hoc sermonem longiorem postulat) conscribenda suscipiemus. Quæ verò præsenti historiæ conuenire existimabimus, certis digesta capitibus, ne quid cognitione dignum requiratur, exponemus. Et nunc de vniuerso hominum genere, & rebus per cognitas orbis partes effectis, quoad per illarum vetustatem licet, accuratam narrationem contexemus, ab vltimis inde temporibus exorsi. De primo igitur hominum ortu, duæ apud summæ auctoritatis Physiologos & historicos sententiæ habentur. Alii enim horum qui & ortus & interitus expertem esse mundum statuunt, hominum etiam genus ab æterno, sine vllo generationis principio extitisse affirmant. Alii contra qui & genitum hunc mundum, & corruptioni obnoxium esse censent, perinde atque illum, homines quoque certo tempore ortum consecutos, asseuerant.

VII.

Cùm enim initio rerum vniuersitas coagmentaretur, cœlum & terram, naturis horum commixtis, vnam habuisse formam. Sed post mutuam (aiunt) corporum secessionem, mundus totum hunc ordinem in se spectabilem demum est complexus; aërque perpetuam obtinuit agitationem; cuius pars ignea ad sublimissima eius concurrit; cum natura eiusmodi propter leuitatem sursum tendat. Quam ob caussam & sol, cum cætera stellarum frequentiâ, verti-

gine

ligine istâ comprehensus est. Cœnosa autem & turbida materies, cum humidis concreta, propter grauitatem in vno simul loco subsedit. Dumque continuâ in se volutatione conuertitur, ex humidis mare, ex solidioribus terra lutosa & per quam mollis adhuc, effecta est; quæ igne Solis primum irradiante coaluit & post inflatam & quasi fermentatam à calore superficiem, humidorum nonnulla deinceps compluribus in locis intumuerunt, & velut pustulæ subtilibus pelliculis circumdatæ, exstiterunt. Quod etiamnum in stagnis & palustribus locis accidere videtur; quando post soli refrigerationem aer subitò ignescit, nec paullatim mutationem sentit. Cumque humida ex calore, ceu genitali semine, ita fœtificarent, noctu quidem fœtus à circumfusâ aëris nebulâ, incrementum accipiebant, interdiu verò ab æstu Solis consolidabantur. Tandem verò cum inclusi fœtus maturum accepissent incrementum, perustis & disruptis membranulis, enatæ apparuerunt omnis generis animalium formæ. E quibus plus caloris nacta, in sublime euolârunt. Terrestri autem concretione prædita, in reptilium & aliorum humi versantium ordine fuerunt recensita. Tum humidæ naturæ bestiæ, natatiles dictæ, ad cognatum sibi locum simul excurrêre. Cumque terra subinde magis ab igne Solis & spiritibus constiparetur, ad extremum nihil amplius maiorum animalium producere in vitam potuit: sed ex mutuâ commixtione singula, quibus viua inest anima, generari cœperunt. Videtur & Euripides de vniuersorum generatione à iam dictis non discrepare, Anaxagoræ Physici discipulus; in Menalippe enim hos versus ponit:

Sic vna cœlo forma cum terrâ fuit.
Sed fecerant à sese vbi diuortium,
Mox cuncta gignunt, inque lucem dant feras,
Aues, soloq; quæ viuunt, & arbores,
Mortaliumq; genus.

Quod si vis hæc terræ, viuos tunc producendi fœtus, absurda aliquibus videtur, Ægyptii pro se in testimonium adducunt, quæ ad hoc vsque tempus ibi contingunt. In Thebaide enim Ægypti, quo tempore Nilus exundat, humectatâ inde tellure, & incidente Solis æstu, ideoq; superficie multis in locis putrescente, copiam murium innu-

merabilem gigni. E terrâ igitur induratâ, & aëre pristinum ordinem ac temperiei modum non seruante, animalia nasci certum est Quo factum, vt in primâ etiam rerum omnium generatione variæ animantium naturæ è terrâ viuæ procrearentur. Atqui de primo rerum omnium ortu talia accepimus. Ceterùm homines primitus natos vitam inconditam & beluinam egisse, memorant; vt qui sparsim ad pascua exierint, & sapidissimam quamque herbam, ac spontè natos arborum fructus, comederint. Cumque à feris infestarentur, mutuò sibi opitulari vsu edocti, & metu ad societatem adacti, paullatim cognatas inter se formas agnouerunt. Voce autem adhuc confusâ, & nihil significante, pedetentim verba articulatè pronunciando, & signis vnamquamq; rem subiectam notando, elocutionem tandem rerum omnium sibi notam fecerunt. Sed cùm per totum orbem huiusmodi cœtus coirent, & quique, vt sors dabat, verba connecterent, non eadem omnes loquelâ vtebantur. Ideoque variæ, omnisque generis linguarum formæ exstiterunt. Et primæ illæ congregationes vniuersis originem nationibus præbuêre. Primi sanè homines, cùm nihil dum ad vitam vtile inuentum esset, laboriosè vitam sustentarunt, vtpote vestibus nondum amicti, domiciliisque & igni non adsueti, & mansuetioris victus omnino rudes. Nam cum alimenta rure domum comportare nondum scirent, terræ fœtus ad necessarios vsus non reponebant. Ideoque multi frigoris inclementiâ, & penuriâ victus, per hyemem interibant. Verùm inde sensim experientiâ edocti, hyeme in speluncas refugere, & fructus adseruationi idoneos recondere, & cognitione ignis, aliorúmque commodorum imbuti, multas artes, & alia vitæ conducibilia inuenire cœperunt. Quid multa? Vsus omnium magister fuit hominibus; qui animal ingeniosum, manibus, oratione atque animi solertiâ, tanquam administris, ad omnia instructum cuiuslibet rei peritia, familiariter instruxit. Hæc de prima hominum generatione, & ratione vitæ antiquissima, nobis admodum adstrictis, iam dicta sufficiant. Nunc rebus per nota terrarum loca gestis, quæ quidem memoriæ sunt proditæ, recensendis manum apponemus. Qui igitur primi fuerint reges, non est quod vel ipsi asseramus, vel aliis scire se profitentibus, assentiamur. Fieri enim non potest, vt inuentio

VIII. IX.

rerum

rerum in eandem cum regibus ætatem inciderit. Quod
etsi quis concesserit, historicorum tamen genus recenter ad-
modum vitæ communi exortum esse, apparet. Ceterùm de
cuiusque nationis antiquitate non modò Græci; sed & Bar-
barorum plærique ambigunt; qui indigenas se esse, & o-
mnium hominum primos vitæ commoditates inuenisse, &
res apud se actas, à plurimis inde seculis literarum moni-
menta promeruisse, iactitant. Nos equidem de antiquitate
singulorum, quæque nationes aliis tempore, & quanto an-
norum numero, sint priores, certi aliquid non definiemus.
Quæ verò apud singulos de vetustate & rebus olim gestis
narrantur, hæc in capita digeremus, ita vt modum, ceu sco-
pum, nobis præfixum habeamus. De Barbaris autem pri-
mum dicemus, non quòd antiquiores Græcis arbitramur;
(vt Ephorus adseruit) sed plerasque res earum præmittere
volumus, vt posteà Græcorum historiam ingressi; nihil in
horum antiquitatibus alienum immisceamus. Quia verò
deos in Ægypto natos fabulantur, eisque prima siderum
obseruatio tribuitur, & præclara virorum præstantium facta
apud eos commemorantur; initiũ à rebus Ægypti sumemus.

X. Sub primos ergo rerum omnium ortus, primos in Ægy-
pto homines prouenisse, Ægyptii memorant, idque tum
ob benignam regionis temperiem, tum naturam Nili. hic
enim ad multa generandum cùm apprimè sit fœcundus, ali-
menta quoque sponte nata præstat, vnde in vitam genita
facilè nutriantur. nam radicem calami & lotum fabamque
Ægyptiam, & quod Corseon vocatur, ac multa id genus
alia, ad promptum humano generi victum suppeditat. Ani-
mantia verò initio apud se orta, hoc argumento probare
nituntur, quod nunc quoque in Thebaide, quibusdam
temporibus mures generantur tanti, vt magna id viden-
tes admiratione percellantur: quorum aliqui ad pectus
vsque & anteriores pedes efformati incipiant moueri; re-
liquum verò corpus, quod nondum glebæ naturam exuit,
informe adhuc retineant. Vnde manifestum fit, mundo
iamprimùm coagmentato, primos in Ægypto homines,
propter fertile soli temperamentum generatos esse. Cùm
enim nusquam terrarum alibi quippiam horum produca-
tur, in sola Ægypto, præter morem solitum, generatas ita
bestiolas conspici. Et vt dicamus summatim; siue in dilu-

uio, tempore Deucalionis facto, maxima pars animantium exstincta est, Ægypti incolas sub meridie positos, imprimis seruatos esse, quorum videlicet terra pluuiæ vt plurimum expers sit, consentaneum videri. siue vt alii asserunt, animantibus omninò pessum datis, terra de integro nouas viuentium naturas extulit; hac tamen nihilominus ratione principem animantium ortum isti regioni vendicandum esse, dicunt. Si enim imbrium alibi sese effundentium humor ardori, qui apud ipsos existit, admixtus fuerit, temperatissimum inde aëra ad primitiuam cunctorum animantium procreationem fieri, autumant. Etenim nostra quoque ætate, per irriguos Ægypti campos, in aquis serotinis bestias enatas cerni. Recedente enim fluuio, vbi primùm sol limum exsiccârit, animalia quâ integra, quâ semiperfecta, & telluris glebæ etiam dum adhærentia, concrescere aiunt.

XI. Cæterùm vetustissimos in Ægypto mortales mundũ supra se contemplatos, & non sine stupore demiratos vniuersi naturam, duos esse deos existimâsse, æternos & primos, solem quippe & Lunam, quorum istum Osirim, hanc Isim, ab Etymo quodam (i. certa nominis ratione) appellarint. nam si Græcè interpreteris Osirim *multoculum* esse: & meritò; cùm radios vbique intendens vniuersam terram & mare, quasi multis oculis, collustret. cum quo etiam poëtæ consonet versus:

Sol qui cuncta vidit, quique omnia cœlitus audit.

Quidam è priscis Græcorum fabulatoribus Osirim Dionysum & Sirium denominatione quadam vocant. quorum Eumolpus in carminibus Bacchicis ait:

Sidereum Dionysum igni radiante coruscum.

Et Orpheus:

Ergo vocant ipsum Dionysum aliumq; Phanetem.

Nonnulli quoque pelle hinnuleâ (quæ Nebris dicitur) ideo Bacchum amictum esse dicunt, vt astrorum varietas significetur: Isidemq; interpretari *antiquam*, quod nomen ab æterna & antiquâ generatione ei sit impositum. cornuaque ei addunt; quia talis Lunæ aspectus est quando falcis imagine crescit & decrescit: & quia bouem apud Ægyptios consecratam habet. Hos itaque deos mundum vniuersum gubernare statuunt, nutrientes & augentes omnia, tripartitis anni temporibus inaspectabili circuitum motu absoluentibus,

tibus, nempe, vere, æstate, autumno. Quæ licet naturam inter se maximè contrariam habeant, annum tamen consensu optimo efficiant. horumque naturam deorum plurimum conferre ad generationem omnium. quorum alter ignis & spiritus; altera humidi & sicci, vterque aëris sit ex æquo præses, & per hos omnia gigni & ali. ideoque totum naturæ vniuersæ corpus Sole & Lunâ consummari; cuius partes iam indicatæ, spiritus, ignis siccitas, humor, & aeria tandem natura; è quibus, vt in homine caput, manus, pedes, & alias partes numeramus, eodem modo corpus mundi consistat.

XII. Horum vnumquodq; pro deo habitum propriam sibique congruam appellationem ab iis, qui primi articulatâ voce in Ægypto vsi fuerint, accepisse. Sic, vt *spiritus* Iupiter, si interpreteris, nominetur; quòd vis animalis in viuentibus ab eo tanquam auctore proficiscatur ideoq; omnium, quasi parens existimetur; clarissimo quoque inter Græcos poetarum suffragante, vbi de hoc deo loquitur:

Parens hominumq; deûmq;.

Ignem porrò Vulcanum per interpretationem dici, & ipsum magni dei loco venerandum; qui multum ad cunctorum generationem, & exactum incrementum contribuat. *Terram* vero pro nascentium conceptaculo ab ipsis habitam veluti matrem vt & Græci *Demetra*, verbo successu temporis paullũ immutato, vocitent, cùm antiquitus *Genmetera* (id est, terrã matrẽ) nuncuparint, attestante Orpheo his verbis:

Terra Ceres, cunctis mater, dans omnia largè.

Humorem priscis Oceani appellatione notari; quod ex interpretatione alimonia mater est: & à nonnullis Græcorum sic accipi; de quo & poëta canat:

Oceanumq; ortum diuûm, Tethynq; parentem.

At Ægyptii Nilũ suũ pro Oceano censent; ad quem etiam dii sint orti. Ex omnibus enim orbis prouinciis in sola Ægypto multas esse vrbes, ab antiquis diis, vt Ioue, Sole, Herme, Apolline, Pane, Eilithyiâ, aliisq; pluribus, conditas. *Aëri* porrò Mineruę nomẽ quadam vocis interpretatione attribuisse, Iouisq; filiam hanc & virginẽ putari, eò quòd aër naturâ corruptioni non obnoxius sit, & summum vniuersi mundi locũ occupet, vnde etiam fabula, è Iouis vertice illam enatã. Vocari autẽ Tritogeneiam, quod ter in anno naturã mutet, vere, æstate,

æstate, hyeme. *Glaucôpin* dici, non quod glaucos, id est cæsios habeat oculos, insulsum enim hoc esse; sed quia aër glauco sit adspectu. Tradunt præterea, quinque illos deos totum orbem peragrare; & nunc sacrorum animalium formis indutos, nunc in hominum speciem conuersos, mortalium sese oculis exhibere. idq; minimè fabulosum, sed facultati ipsorum conueniens esse: si quidem reuerâ hi sunt, qui omnium generationem efficiunt, quod & poeta in Ægyptum profectus, vt à sacerdotibus accepit, eum ad modum fieri in opere suo poëtico alicubi affirmat:

Hospitibusq; dei similes aliunde profectis
Introeunt vrbes variæ sub imagine formæ;
Vt videant, quæ praua viris, quæ iusta gerantur.

De diis igitur cœlestibus & sempiternum genus sortitis hoc ab Ægyptiis narratur. At præter hos alios esse terrestres perhibent, naturâ quidem mortales; sed mentis solertia & beneficentia erga homines vniuersos ad immortalitatem euectos, quorum aliqui etiam reges Ægypti fuerint. Horum alios (si interpretatio fiat) communia cum diis cœlestibus nomina; alios propria obtinuisse. sunt autem Sol, Saturnus, Rhea, Iupiter, Ammon à nonnullis cognominatus, Iuno, Vulcanns, Vesta, & Mercurius. Solemque in Ægypto regnâsse primum eodem astri cœlestis nomine insignem. Sunt tamen inter Sacerdotes, qui Vulcanum primum regem dictitant, ignis inuentorem, & beneficio hoc gubernacula regni consecutum. Cùm enim arbor in montibus cœlo tacta, siluaque in propinquo accensa esset; accessisse Vulcanum (hyems tum fortè erat) magnamque cepisse è calore voluptatem, & subsidente flammâ, subinde aliquid materiæ adiecisse, atque igne sic conseruato, accitos esse homines alios, vt redeunte ex illo commoditate fruerentur.

XIII.

Post hæc imperasse Saturnum, & ductâ in matrimonium Rhea sorore, genuisse, vt fabulantur quidam, Osirim & Isidem, vt verò plurimi asserunt, Iouem & Iunonem, quibus virtus totius mundi regnum promeruerit. Ex his quinque deos natos, ita vt in vnamquamque intercalarium apud eos dierum quinque, vnius natalis incideret. nomina illorum Osiris, Isis, Typhon, Apollo & Venus. Osirim, Bacchum significare, Isidem quam proximè Cererem. Osirim ductâ

in ma-

in matrimonium Iside, acceptoque regno multis vitam communem meritis affecisse. Primùm enim, ne homines

XIV.

se mutuò deuorarent, inhibuisse; quando Isis tritici & hordei frumentum, (quod antea neglectum in agris, vt aliæ herbæ, nascebatur, hominibus ignotum) inuenit, & Osiris frugum culturam solerter excogitauit, gratamque accidisse hanc alimoniæ mutationem, quòd & natura inuentorum voluptatem secum afferret, & à mutuâ tandem laniena sibi temperare vtile videretur. Pro testimonio inuentarum frugum afferunt, ritum qui ab antiquo apud eos seruatur. nam etiam nunc messis tempore oblatis spicarum primitiis, incolæ iuxta manipulo plangere, Isidemque inuocare solent. id quod idcircò faciunt, vt honorem pro inuentis deæ sub primæ inuentionis tempus retribuant. Apud nonnullas quoque vrbes cum Iséa (festum Isidis) celebrantur, in pompâ, tritici & hordei vascula circumferri, ad primitus deæ industria repertorum memoriam. Quin & leges statuisse ferunt Isidem, secundum quas ius inter se homines communicarent, & ab exlege, vi atq; iniuriâ, pœnæ metu, desisterent. Ideoque Græcis veteribus Cererem *Thesmophoron*, (id est, legiferam) vt quæ princeps leges sanciuerit, appellari.

XV.

Conditam porrò ab Osiride vrbem in Thebaide Ægypti centum portarum, quam matris cognomento insignierit; sed à posteris *Diospolin* (id est Iouis vrbem) & Thebas nominari. de cuius conditore non solùm auctores, verùm ipsi in Ægypto sacerdotes disceptant. Multi enim tradunt, non ab Osiride, sed multis annis pòst, conditam esse, à rege quodam, cuius res particulatim suo loco describemus. Quin etiam, parentibus, Ioui & Iunoni templum magnitudine & sumtu nobile; fanaque insuper duo Ioui aurea maius cœlesti, minus qui regnauit illic patri suo, quem Ammonem vocant; dedicasse ipsum ferunt. statuisse etiam aliis diis sacella ex auro, suis vnicuique honoribus attributis, & sacerdotibus curæ sacrorum præfectis. In precio autem singulari apud Osirim & Isidem habitos inuentores artium, & qui vtile quippiam architectarentur. ideo æris & auri officinis in Thebaide repertis, fabricata arma; quibus feras interficerent, tellurem operarentur, & regionem ad humanitatis cultum studiosè redigerent, simulacra quoque & fana deûm aurea elaborarent. Fuisse etiam Osirim agriculturæ studio-

sum,

sum in felicis Arabiæ oppido Nysâ educatum iuxta Ægyptũ Iouis filium, & nomen retulisse, apud Græcos à patre simul & loco, *Dionysum* mutato nomine dictum. Nysæ meminit etiã poëta in Hymnis quod contermina Ægypto fuerit, vbi inquit:

Phœnice procul Ægypti prope flumina, Nysa est,
Vrbs sacra, mons altus, syluis qui floret amœnis.

Hic prope Nysam, aiunt, vitem inuenit, & cum huius etiam fructus culturam animaduertisset, primus vino vsus est, & plantationem vitis, vsumq; vini & collectionem eius ac condituram, alios homines edocuit. Apud eum in maximo ante omnes honore positus fuit Hermes, (id est, Mercurius,) eximiâ ingenii perspicacitate in excogitandis vitæ humanæ commodis instructus. XVI. Hic enim primus (vt ferunt) & communem loquelam articulatim distinxit, & multis rebus nomine destitutis nomen indidit. Literas inuenit, deorum cultus & sacrificia ordinauit. distributam astrorum seriem, vocumque harmonias & naturas princeps obseruauit; palæstræ insuper inuentor; numerosæ concinnitatis & corporis decorè effingendi studiosus artifex. lyræ à se inuentæ tres chordas induxit, anni tempora imitatus. tres enim tonos fecit, acutum, grauem & medium. acutum ab æstate, grauem ab hyeme, medium à vere desumsit. Græcis elocutionis magister fuit; vnde Hermes (id est, *enunciator & interpres*) vocatur. Osiridis denique Notarius erat sacrorum, cum quo is omnia communicabat, & cuius maximè consilio vtebatur. Ipse, non Minerua, vt Græci contendunt, oleæ plantam inuenit. XVII. Osiris porrò narratur, quod beneficentiæ & gloriæ studiosissimus esset, magnum contraxisse exercitum, quo totum orbem hominibus frequentatum peragrare, & plantationem vitis, ac tritici hordeique sementem genus hominum edocere constituit. Si enim ab agresti & ferâ viuendi consuetudine ad mitiorem victus rationem homines auocasset, fore sperabat, vt hac beneficiorum magnitudine ad immortales sibi honores viam præmuniret. quod & euentus ratum fecit. Non enim illa tantum ætas munere hoc fruens, sed tota posteritas; reperti alimenti gratia, repertores vt deos omnium clarissimos honorauit. Hic igitur rebus Ægypti constitutis, & totius regni administratione Isidi vxori in manus tradita, consiliarium ei Mercurium adiunxit, quòd prudentia cœteros ante-

ſtaret omnes. Imperatorem vero toti ſuæ ditioni reliquit
Herculem, genere propinquum, cunctisq; ob fortitudinem
& corporis robur, ſuſpiciendum. at tractibus qui ad Phœni-
ciam inclinant & locis maritimis Buſirim, Æthiopiæ & Li-
byæ Antæum, curatores dedit. Tum ipſe promotis ex Ægy-
pto caſtris, cum exercitu militiam ſuſcepit, fratre comitatus,
quem Græci Apollinem vocant. Idem lauri monſtrator ab
ipſis perhibetur, quam huic deo præcipuè omnes dedicant.
Hederæ autem inuentionem Oſiridi tribuunt; eamq; huic
deo, quomodo Græci Baccho, conſecrant. Ideoq; Ægy-
ptiorum linguâ Oſiridis plantam dici perhibent. quæ vitin
ſacris præfertur, quod illi folia defluant: hæc perpetuum vi-
roris decus conſeruet. quod veteres in aliis quoq; æternæ vi-
riditatis ſtirpibus obſeruarunt; dum Veneri myrtum, Apol-
XVIII. lini laurum, Palladi oleam vendicant. Cum Oſiride, aiũt,
duos militatum profectos eſſe, Anubim & Macedonem
fortitudine præſtantes viros; qui ex belluis, ab audacia ipſo-
rũ non abludentibus; armaturas maximè inſignes geſtarũt.
Anubidi enim ex pelle caninâ, Macedoni ex lupi corio tegu-
mentum erat. q̃ ob cauſam hæ beſtiæ religioſè ab Ægyptiis
colũtur. Aſſociauit etiã Pana ſuæ expeditioni, qui in præcipuâ
apud Ægyptios veneratione eſt. Huic enim non modò ſimu-
lacra in omni paſſim fano, ſed etiã vrbẽ eius nomine in The-
baide, q̃ Chemmin appellant incolæ (Panos vrbem interpre-
tantur) exſtruxerunt. Secuti ſunt etiã agriculturæ periti, Ma-
ro plantandæ vitis; & Triptolemus ſerendarum frugum &
totius meſſis rationem edoctus. Paratisque iam omnibus,
Oſiris post votum diis nuncupatum, alendi cæſariem vſq; dũ
in Ægyptum reuerſus eſſet, per Æthiopiam iter fecit. eam
ob cauſam ad recentiora vſq; tẽpora religioſus apud Æpytios
mos inualuit, vt qui peregrinationes ſuſciperent, ad reditum
ſuum vſq; comas nutrirent. Dum in Æthiopia verſatur, gens
Satyrorum ei adducitur quos pilos in lumbis (*oſphy*) habere
ferunt. riſus enim amator erat Oſiris; & Muſicæ choreisq;
gaudebat. ideo Muſicorum agmen circumducebat: in quo
nouem erant virgines, canendi ſcientiâ præſtantes, & cętera
eruditæ, Græci Muſas vocãt. quarũ pręſes Apollo, inde Muſa-
getes (i. *Muſarũ ductor*) nominatus. Satyri igitur quia ad tri-
pudia, & decantationẽ carminum, omnẽq; hilaritatẽ & luſum
apti erant, in partẽ militiæ venerunt. non enim pugnax erat

Oſiris.

Osiris, nec ad acies & discrimina belli descendebat; cùm gens omnis, vt deum, propter merita ipsum reciperet. In Æthiopiâ verò agricolatione hominibus tradita. & oppidis nobilibus exstructis, regionum præfectos & vectigalium exactores reliquit. Dum his illi occupati tenentur Nilus, aiunt, sub canis Sirii ortum (quando impleri solet maximè) ruptis aggeribus magnam Ægypti partem inundatione submersit, eamque grauissimè, cui Prometheus cùm imperio præerat, adeò vt omnes propè homines diluuio absumerentur. parumque abfuit, quin sponte doloris impatientiâ vitam Prometheus abdicasset. Et tum à subito irruptionis impetu & vndarum violentiâ nomen aquilæ fluuius accepit. Hercules autem, ardua semper moliens, & fortitudini impensè deditus, rupturæ voragines mox obturauit, & fluuium intra pristinas aluei ripas coercitum auertit. Ideò poëtarum nonnulli Græcorum factum hoc detorsêre ad fabulam. quod Aquilam, Promethei iecur depascentem, Hercules confixerit. fluuio antiquissimum nomen erat Oceames, quod Græcè sonat Oceanus. post ob eruptionem aquila dictus. Inde Ægyptus à locorum istorum rege appellatus, quod & poeta testatur, vbi inquit:

XIX.

Ægypto statui rapidas in flumine naues;

Nam prope Thonim (vt vocatur) vetustum Ægypti emporium, in mare se fluuius exonerat. Postremum nomen quod à Nileo rege fuit sortitus, etiamnum retinet. Osiris autem ad Æthiopiæ fines progressus, fluuium vtrinque aggeribus excepit, ne exundationis tempore plusquàm expediat, stagnet: sed per exstructas quasdam fores leniter, quantum opus foret, aquæ immitteret. Hinc per Arabiam, secus rubrum mare, ad Indos vsque & orbis inhabitabilis fines, perrexit. Nec paucas Indis vrbes condidit, è quibus vnam vocauit Nysam, Ægyptiæ illius, vbi nutritus fuerat, monimentum relinquere volens. In hac Indorum Nysa hederam plantauit, quæ præ omnibus Indiæ & finitimæ terræ locis tantum ibi crescit & permanet. Multa insuper alia sui in terras illas aduentus signa reliquit; quibus Indi posteriores inducti, controuersiam mouent super hoc deo, & natione Indum esse contendunt. Elephantorum quoque venationi operam dedit, & vbique indices expeditionis suæ statuæ vt superessent, accurauit. Progressus inde ad

XX.

de ad cæteras Asiæ nationes, per Hellespontum, in Europam etiam transfretauit, inque Thracia Lycurgum Barbarorum regem, cœptis eius obsistẽtem, interemit. Tum Maronem iam senecta ætate plantatorum in ea terra curam agere, & vrbem condere sui nominis Maroneam, iussit. Hinc Macedonem filium regem Macedoniæ dedit ab ipso denominatæ. Triptolemo agriculturam in Attica demandauit. Totum denique orbem Osiris emensus, mitissimorum fructuum communicatione de vita communi bene meritus est. Quod si qua tellus plantam vitis non admitteret, conficiendum ex hordeo potum docuit, vini fragrantiâ & efficacitate haud multo inferiorem. Reuersus in Ægyptum dona vndecunque locorum præstantissima secum retulit, & ob beneficiorum magnitudinem communi omnium consensu immortalitatis præmium paremque diis cœlestibus honorem adeptus est. Deinde ex hominibus ad deos translatum Isis & Mercurius sacrificiis aliisq; inter deos præclarissimis honoribus dignati fuere. Qui & initiationũ eius ceremonias, aliaque super eo mystico ritu peragenda, ad magnificandam huius dei potestatem, instituerunt.

XXI. Interitum Osiridis ex antiqua traditione in arcanis Sacerdotes habuerunt. verum temporis successu tandem accidit, vt aliqui silentio occultatum in vulgus effutirent. Osirim enim iustè regnantem in Ægypto à Typhone fratre homine violento & impio, trucidatum esse memorant. Is dilancinato interfecti corpore in XXVI. frusta, cuique facinoris socio vnum tribuit, vt omnes ita piaculo innecteret, sibique in regni defensione & custodiâ firmos haberet adiutores. At Isis soror & coniux Osiridis auxiliante filio Horo, vindictam cædis persequens, supplicio de Typhone complicibusque sumto, regnum Ægyptii capessit. Pugnam ad fluuium commissam esse propè vicum dicunt qui Antœæ nunc nomen habet, & situs est in parte quadam Arabiæ; dictus ab Antæo, quem Hercules Osiridis ætate supplicio affecit. Reperit Isis omnia corporis frusta, pudendis solummodo demtis; volens autem sepulcrum mariti ignotum quidem, sed cunctis tamen Ægyptiis religiosum efficere, decretum suum hoc modo exsequitur. Effigiem hominis ex aromatibus & cerâ conformatum ad Osiridis magnitudinem, vnicuique parti circumdat, & aduocatos tribuum sacerdotes iureiurando cunctos obligat, ne, quod fidei

ipſorum creditura ſit vlli hominum reuelent. Tum priuatim ſingulis confirmat, penes ſolos ipſos exuuias regis ſepeliendas deponi. & beneficiorum mentione facta, vt ſuo quiſque loco, corpus tumulent, & Oſirim diuino honore decorent, adhortatur. Vnum præterea ex animalibus apud ſe natum, quodcunque velint, ei dedicent, idque donec in vitâ ſuperſit, non aliter quàm Oſirim quondam ipſum venerentur, mortuoque eundem, quem illi cultum, impertiant. Sed cùm vtilitate etiam ſacerdotes inuitare ad cultus iſtos vellet, tertiam eis terræ partem, ad deorum miniſteria & ſacra munia fruendam, donauit.

Hi igitur beneficiorum Oſiridis memoriâ, & poſtulatione reginæ, commodorúmque indulgentia prouocati, omnia, vt Iſis ſuggeſſerat, exſequuntur. Quocirca adhuc hodie quælibet ſacerdotum tribus apud ſe funeratum Oſirim opinatur, & conſecratas olim beſtias in honore habent, & circa exſtinctarum ſepulturas luctum ſuper Oſiride renouant. Cæterum Tauri ſacri, tum qui Apis, tum qui Mneuis vocatur, vt Oſiridi dicati ſint, & pro diis colantur, apud vniuerſos promiſcuè Ægyptios ſancitum eſt. Hoc enim animantium genus maximè omnium frumenti inuentoribus, ad ſementem faciendum, & vtilitates agriculturæ omnibus æquè cômunes, operam commodarat. Poſtremò Iſis poſt Oſiridis obitum nullius ſe viri complexum admiſſuram iurauit, & in æquiſſimâ regni adminiſtratione quod reliquũ erat vitæ, exegit, benefactis erga regni ciues, omnes ſupergreſſa. Ideò poſt diſceſſum ab hominibus ſepulta apud Memphim, Diuûm honoribus potitur, vbi etiam nunc ſacellum eius in luco Vulcani oſtentatur. Quanquam alii nô in Memphi reliquias horum deorum repoſitas eſſe dicunt, ſed ad Æthiopiæ montes & Ægypti in Inſulâ Nili, quæ loco, quem Philas vocant adiacens, ab euentu campus ſacer appellatur. Signis hoc probant in inſulâ iſtâ reliquis, ſepulcro videlicet Oſiridi exſtructo, vniuerſis per Ægyptũ Sacerdotibus religioſo, & CCCLX. pateri (*choas* vocant) in eo repoſitis. Quas quotidie deſtinati ad hoc ſacerdotes lacte replent, & inuocatis deorum nominibus, lamentantur. Eam ob cauſam Inſula non aditur, niſi à ſacerdotibus, omneſque Thebaidos incolæ maximi iuramenti vim habere iudicant, ſi quis per repoſitum apud Philas Oſirim deieret. Membra igitur Oſiridis reperta, hûc

XXII.

ad mo-

ad modum ſepulturâ cohoneſtata dicunt. virilia autem à Typhone in fluuium abiecta eſſe, quod ſociorum nemo hæc recipere vellet: quæ tamen ab Iſide nihilominus diuinis honoribus ſint affecta. Nam in templis effigiem horum adornatam coli præcepit, & initiorum ceremoniis, ſacrificiiſq; deo iſti peragendis honoratiſſima vt eſſet, plurimâq; veneratione digna, effecit. Idcirco & Græci, poſtquam ſacrorum Bacchicorum ritus & Orgiorum ſolemnitates ab Ægyptiis accepêre, membrum id in myſteriis, initiationibus & ſacrificiis, dei huius *Phalli* nomine honorant.

XIII. Annos ab Oſiride & Iſide ad Alexandri qui nominis ſui vrbem in Ægypto cõdidit regnum, annos numerant plus decies mille, vel, vt nonnulli ſcribunt, paulò minus ter & vicies mille. Eos verò qui deum hunc Thebis Bœotiæ ex Semele & Ioue natum perhibent, mentiri aiunt. Nam Orphea, cum aditâ Ægypto initiatus eſſet, Bacchi myſteria participaſſe, & quia Cadméis amicus erat, inq; precio habebatur; vt contrà ipſis gratum faceret, ortum Bacchi eò tranſtuliſſe: vulgusque cùm quod ignorarent, tùm quod hunc deum pro Græco cenſeri vellent, cupidè myſteria cum initiorum ritibus excepiſſe. Anſam verò tranſcribendi Græcis generationem dei & ſacra, ab Orpheo apprehenſam eſſe huiuſmodi. Cadmus Thebis Ægyptiis oriundus, cùm aliis liberis etiam Semelen genuit. Hæc à quopiam vitiata & prægnans facta, poſt ſeptem menſes infantem peperit, eâ ſpecie, quam Ægyptii Oſiridi tribuunt: id genus vitale eſſe non ſolet, ſiue dii nolint, ſiue natura non permittat. Cadmus itaque re comperta, quod oraculo præmonitus eſſet, vt patrum ſancita tueretur, infantem conſecrauit, & digna ei ſacra inſtituit, quaſi hac ſpecie Oſiris denuo ſe mortalibus exhibuiſſet. Procreationem verò ad Iouem retulit, vt ſimul & Oſirim honeſtaret, & corruptam ab infamiâ eximeret: quare apud Græcos etiam diuulgatum eſt, Semelen Cadmi Oſirim è Ioue ſuſcepiſſe. Inſecutis verò temporibus Orpheus, qui carminum modulatione, ſacrorumque rituum inſtitutis, & diuinarum rerum interpretatione, magnam apud Græcos gloriam adeptus erat, à Cadméis hoſpitio acceptus, eximioque Thebis honore affectus eſt. Qui, quod Theologiâ ab Ægyptiis imbutus eſſet, priſci Oſiridis generationẽ in tempus minus vetuſtũ tranſtulit, & Cadméis gra-

tificatus nouos initiorum ritus inſtituit. vbi ad myſteria admiſſis, è Ioue & Semele natum eſſe Dionyſum traderetur. Homines igitur partim ab inſcitiâ partim Orphei gloriâ & fidei opinione decepti, in primis verò quod gratum eis eſſet, deum iſtum pro Græco haberi, ritibus illis, vt dictum eſt, vti cœperũt. Quibus fabulatores deinde, adſcitâ poëtarum gente, omnia theatra impleuerunt, firmaque poſteris fides & immota huius rei facta eſt. Denique nobiliſſimos (aiunt) cùm heroes tum deos ſibi vendicarunt Græci, vt & Colonias ex Ægypto deductas.

XXI

Nam Hercules patria Ægyptius, quia vir fortiſſimus erat, pleraſque orbis prouincias adiit, & columnam in Africâ poſuit. Cùm enim confeſſum ſit apud omnes, quod diis cœleſtibus Hercules in bello Gigantum ſuppetias tulerit, nequaquam terræ conuenit, tum Gigantes procreaſſe, cùm Herculem ætatem egiſſe Græci perhibent, ſeculo videlicet ante bellum Troianum proximo, ſed potius, vt Ægyptii Aſſerunt, ſub primam mortalium generationem. à quâ computant Ægyptii plusquàm decem annorum millia, à Troicis verò minus quàm mille ducentos. Ad eundem modum claua & Leonis exuuiæ Herculi antiquo congruunt, quia nondum inuentis illo tempore armis, homines ſecum congreſſos lignis repellebant, & beluarum coriis pro tegumentis vtebantur. Iouis quidem filium appellant: ſed ex quâ ſit matre neſciunt. Nam plus decies mille poſt annos ex Alcmenâ nato, cùm primùm ab ortu Alcéi nomen haberet, poſtea Herculis cognomentum acceſſiſſe; non quod per Iunonem gloria ei obtigerit (ita enim nomen ἡρακλῆς Matris interpretatur) ſed quod Herculis vetuſti ſtudia æmulatus, gloriæ ſimul & nominis hæreditatem illius adierit. Conſentire cum Ægyptiorum aſſertione famam, quæ à longinquis inde temporibus inter Græcos propagata eſt, quod à beſtiis terram Hercules repurgarit; quod minime quadret in eum, qui Troiana propè tempora attigit; vbi plurimæ orbis partes per agriculturam, vrbesque & habitatorum vbique frequentiam, pacatæ erant. Sed terræ ad mitiorem cultum reuocationem magis priſco Herculi competere; cùm homines à multitudine ferarum adhuc opprimerentur, & maximè in Ægypto, cuius etiamnum ſuperior regio deſerta ſit, & ferarum plena. Conſentaneũ enim Ægypto, vti patriæ, Herculem proſpexiſſe, expurgatamque à beluis terram co-

lonis

lonis tradidisse; Et ob hoc communes cum diis honores es-
se consecutum. Perseum quoque in Ægypto fuisse memo-
rant Vnde Isidis generationem Græci Argis transcripserint;
dum Ionem in bouis formam conuersam, hanc esse fabu-
lantur. XXV. Et omnino magna est de diis hisce discrepantia.
Eandem enim alii Isidem; alii Cererem, alii Thesmopho-
ron; (id est, *legiferam*;) quidam Lunam; aliqui Iunonem; non-
nulli omnibus hisce nominibus appellitant. Osirim autem
modò Sarapin, modò Dionysum, interdum Plutonem; in-
terdum Ammonem; quandoque Iouem, non rarò Pana esse
putant. Sunt etiam, quibus Sarapis dicitur, qui Græcis Plu-
to habetur. Isin multa sanitati hominum pharmaca inuenis-
se, Ægyptii tradunt, vtpote quæ scientiæ medicæ fuerit peri-
tissima, adeoque multa solerter excogitasse. quam ob causam
nunc quoque ad immortalitatem elata, sanatione hominum
maximè gaudeat, & in somnis, si quis opem expetierit, mani-
festam numinis præsentiam, promtamque indigentibus be-
ne merendi facultatem exhibeat. Ad demonstrandum hæc,
afferre se, aiunt, nō Græcorum more fabularum vanitatem,
sed factorum euidentiam. nam totius propè orbis testimo-
nio se niti; qui effusis deam honoribus, ob præsens in me-
dicando numen, remunerentur. In somnis enim adsistentem
ægrotis remedia contra morbos subiicere, eique morige-
rantes nec opinatò conualescere. Multos etiam, à medicis
propter morbi difficultatem desperatos, ab hac salutem acci-
pere, plurimosque oculis prorsus captos, aut alia corporis
parte mutilatos, si ad deæ huius opem confugerint, in pristini
vigoris integritatem restitui. Inuenit illa (inquiunt) immor-
talitatis pharmacum, quo filium Horum, Titanum insidiis
oppressum, & mortuum in aquis inuentum, non tantùm red
ditâ animâ in vitam reduxit, sed etiam immortalitatis parti-
cipem fecit. Hic vltimus deorum, post parentis Osiridis ab
hominibus translationem, regnasse videtur. Horumque in-
terpretantur Apollinem, qui medendi & vaticinandi artem
ab Iside matre edoctus, oraculis & medicationibus bene de
mortalium genere meritus est. XXVI. Atqui sacerdotes Ægy-
ptiorū facta supputatione temporum à regno Solis ad Ale-
xandri transitum in Asiam, annorum XXIII. millia circiter
colligunt. Fabulantur præterea deorum antiquissimos
CIↃCC, & posteriores non infra CCC annos, regnasse. cùm

autem fidem excedat ista annorum multitudo, nonnulli affirmare non verentur, quod olim, Solis motu nondum cognito, annus ad Lunæ circuitum descriptus fuerit. & ob id cùm anni sint tricenorum dierum, non potuisse omninò non fieri, vt aliqui mille annos viuerent: quandoquidem nunc etiam, cùm anni duodenis mensibus constent, non paucis vltra centum vita protrahatur. Consimilia etiam de illis dicunt, qui trecentos annos videntur regnasse. Illorum enim ætate, annum quatuor mensibus absolutum dicunt, quot singulæ anni solaris partes continent, ver scilicet, æstas & hyems. Quæ caussa etiam est, vt quidam Græcorum annos Horas, & annales Horographias vocent. Ægyptii porrò è fabulis suis repetunt, Isidis ætate, qui Græcis Gigantes dicuntur, multorum corporum exstitisse; quos monstrosâ in templis specie dispositos sacrifici Osiridis flagellant. Terrâ prognatos aliqui fingunt, cùm recentem ex se originem daret animantibus. Sunt qui, ab eximii roboris & multorum egregiè factorum euentu, fabulam de multiplicitate corporum natam esse, perhibent. In hoc maxima pars consentit, per illatum Ioui & Osiridi bellum omnes fuisse deletos.

XXVII

Lege etiam Ægyptiis statutum est, vt præter communem aliorum hominum morem, cum sororibus matrimonium ineatur; quòd Isidi apud ipsos feliciter hoc successisset. hæc enim Osiridi germano nupsit, & præstito à morte eius iuramento, nemini posthac in complexum se venturam, de cædis auctoribus pœnas exegit, & regno ad finem sanctissimè præfuit. Plurimisque adeò & maximis homines vniuersos beneficiis cumulauit. Ob has igitur caussas in more positum est, vt plus potestatis & honoris sit penes reginam, quàm regem, & in tabulis dotalitiis, inter priuatos imperium fœminæ in virum assignetur: vbi vxoribus per omnia se obtemperaturos, mariti profitentur.

Sepulta fuit Isis in Memphi, vbi nunc etiam sacellum eius in luco Vulcani monstratur. Licet quidam affirment, ad Philas, in insulâ Nili, deos hos tumulatos esse; vt iam antè dictum. Nec me fugit, scriptores quosdam

dam sepulcra horum ad Nysam Arabiæ transferre ; vnde & *Nysæus* appelletur Dionysus, & columnam vtrique deo cum sacrarum literarum inscriptione , erectam ; in quarum vnâ, Isidis videlicet, hæc notantur: EGO ISIS SVM REGINA HVIVS REGIONIS, A MERCVRIO ERVDITA. QVÆ LEGE PER ME SANCITA SVNT, NEMO SOLVERE POTEST. EGO SATVRNI NOVISSIMI DEI FILIA SVM, NATV MAXIMA. EGO SVM OSIRIDIS REGIS VXOR ET SOROR. EGO SVM ILLA QVÆ PRIMA FRVGES MORTALIBVS REPERIT, EGO REGIS HORI MATER SVM. EGO SVM, QVÆ IN CANIS SIDERE EXORITVR. MIHI BVBASTOS VRBS ÆDIFICATA. VALE, GAVDE ÆGYPTE, MEA NVTRIX. In altera, quæ Osiridis est, hæc inscripta leguntur: PATER MIHI SATVRNVS, DEORVM OMNIVM NATV MINIMVS. SVM VERO OSIRIS, REX ILLE, QVI EXERCITVM DVXIT IN OMNEM REGIONEM, VSQVE AD INHABITABILES INDORVM TERRAS, ET AD ARCTVM VERGENTES PLAGAS, VSQVE AD ISTRI AMNIS FONTES, ET PORRO AD CÆTERAS TERRÆ PARTES, OCEANVM VSQVE. SVM AVTEM SATVRNI FILIVS ÆTATE PRIMVS ET GERMEN E PVLCRO GENEROSOQVE SEMINE ORTVM, COGNATVS DIEI. NEC EST LOCVS IN ORBE, AD QVEM EGO NON PERVENERIM; QVI MEO INVENTA BENEFICIO OMNIBVS DISTRIBVI. Tantum de inscriptione columnæ legi potest. Plura quæ subsequuntur, vetustate corrupta sunt. De sepulturâ ergo deorum istorum dissentiunt plærique, quod Sacerdotes exactâ harum cognitione secretò imbuti;

ob pericula, quæ arcana deorum diuulgantibus impendent, verum eliminare foràs nolunt. Plurimas etiam posteà ex Ægypto colonias in orbem terrarum disseminatas esse, dicunt. In Babylonem Belus, Neptuni & Libyæ, vt creditur, filius, coloniam duxit, & delectâ apud Euphratem, sede, Flamines, pro more Ægyptiorum impensis & oneribus publicis exemtos, instituit; quos *Chaldæos* Babylonii nominant. Hi stellas, sacerdotum in Ægypto Physicorumque & Astrologorum exemplo, obseruant. Inde Danaus etiam profectus, Argos vetustissimam propè Græciæ vrbem, ciuibus frequentauit. Colchorum etiam nationem ad Pontum; & Iudæorum Arabibus interiectorum, & Syris, ab Ægyptiis egressi quidam condiderunt. ideoque per antiquam traditionem in vsu his gentibus esse, vt pueros apud se natos ritu, ab Ægyptiis deriuato, circumcidant. Nec non Athenienses coloniam Saitarum esse ex Ægypto, sibique cognatos his documentis probare nituntur: quod soli inter Græcos vrbem hanc Astu vocitent ab *Asty* quod apud ipsos est, denominatam. Et quod Respublica illorum eodem modo sit ordinata & digesta, quo Ægyptiorum, in tres nimirum partes distributa: quarum primam obtineant Eupatridæ (*patricii*) ipsis dicti, in disciplinis maximè exercitati, & ad honores, quomodo sacerdotes Ægyptiorum, summos prouecti. Secunda classis sit rusticorum; quibus arma comparare, & pro patriâ belligerari, incumbit, ad modum illorum qui agricolatores nuncupati, Ægyptiis bellatores subministrant. Tertio loco censeantur opifices, qui manuarias & protritas exercent artes, & ministeria publica maximè necessaria obeũt: quod & ipsum Ægyptiorum ordinationi respondeat. Fuisse & Duces nonnullos Atheniensium ex Ægypto oriundos. nam Peten aiunt, patrem Menesthei, qui ad Troiam militauit, Ægyptium esse liquet; posteà cum ciuitate etiam regno potitum. Geminæ eius naturæ veram Athenienses caussam ex suo ingenio reddere non posse, cùm tamen omnibus quàm notissimum sit, *Semiferum* ideo vocari, id est, ex homine & bestiâ compositum, quod geminæ Reipublicæ municeps fuerit, Græcæ videlicet & Barbaræ. Ita Erechtheum natione Ægyptium, Athenarum regem factum, his rationibus demonstrant. Cùm per totum fere orbem terrarum, Ægypto tantum ob loci genium excepta, omnium cõ-

XXVIII.

XXIX.

fessione, ingens siccitas, cum magnâ simul frugum hominumque pernicie, orta esset; Erechtheus ex Ægypto magnã frumenti copiam Athenas, quod cognati essent, aduexit. pro hoc merito, regnum beneficio auecti ciues benefactori detulerunt. quo accepto, in Eleusine Cereris initia docuit, & mysteria ritibus ex Ægypto traductis, instituit. Nec à ratione dissentire, aiunt, quod deam illo tempore in Atticam venisse traditur, quo fruges eius nomine insignes Athenis sunt importatæ, quarum semina tum Cereris beneficio quasi denuo repertæ videantur. Fateri etiam Athenienses, regnante Erechtheo, cùm defectus pluuiarum fruges absumsisset; Cererem illuc venisse, & donatione frumẽti ipsos subleuâsse. Ritus insuper initiorum & mysteria huius deæ in Eleusine cœpta; eodemque modo Atheniensium & Ægyptiorum sacrificia & antiquitates se habere. Eumolpidas enim ab Ægyptiis sacerdotibus, & præcones à pastophoris translatos; solosq; de Græcis nomen Isidos iurare, & cæteroqui formâ & moribus Ægyptiis quàm simillimos esse. His multisque id genus aliis ambitiosè magis (vt mihi videtur) quàm verè de coloniâ istâ disceptant; propter gloriam ciuitatis & maiestatem. Omninò plurimos à maioribus suis in colonias missos esse ad complures orbis partes, cùm tanta esset regum magnificentia & hominum multitudo, Ægyptii confirmãt. Quæ cùm nec firmis demonstrationum argumentis, nec idoneorum testimoniis auctorum subnitantur, relatione ampliore non digna iudicauimus. Itaque tantum de Ægyptiorum Theologiâ delibatum est. Nunc de regione ipsa & Nilo, aliisque auscultatione dignis, vt per capita singula recenseantur, operam dabimus.

XXX. Ægyptus tota ferè ad meridiem recedit, quæ naturali quadam munitione solique amœnitate non parùm alia determinata regnis loca præcellere videtur. Nam ab occasu deserta pars Libyæ & beluis infesta, inq; longinquum procurrens, eam munit: vbi propter aquarum inopiam & defectum alimenti, non solùm difficilis, sed etiam periculosus omninò transitus est. Ab Austro, Cataractæ Nili & montium confinia eam tutantur. Nam à Troglodytarum terrâ vltimisque Æthiopiæ finibus, quinquies mille 10. stadiorum interuallo, neque flumen nauibus traiici, neq; terra pedestri itinere permeari facilè potest, nisi quis regio & planè magnifico commeatu sit instructus. Quæ

ad ortum vergunt partim amni obfirmantur, partim deserta sunt, & palustribus cāpis(*barathra* vocant) includuntur. In medio enim cauæ Syriæ & Ægypti lacus est, latitudine perquàm angustus, sed profunditatis admirandæ; Longitudo ad ducenta stadia excurrit; nomen ei Serbonis. Si qui imperitiâ loci propius accedūt periculis insperatis inuoluuntur. strictius enim cùm sit alueus, fasciæque similis, & vastâ sabulosi littoris crepidine vndique circumfusus, perpetuo Austri flatu, magna vis arenæ ingeritur, quæ superficiem aquæ obscurat, plaudisque adspectum terræ ita assimilem facit, vt omnino discerni nequeat. Ideò multi naturâ loci non præcognitâ, cum totis ibi exercitibus absorpti periere, cùm à vero itinere aberrassent. Nam arena sensim calcata subtus recedit, & velut ex industriâ quadam malignâ ingressos supplantat, donec quid euenturum sit suspicati, mutuo sese auxilio fulciant, fugâ tamen & salute interclusâ. nam haustus à gurgite, neque enatare, cœno motum corporis impediente, neque egredi valet, cùm nihil sit, quo gressum sustentēt. Cùm enim arena cum humore permisceatur, & hac permixtione vtriusque natura immutetur, fit vt locus ille neque vado, neque nauibus transiri queat. Huc ergo delati, quoniam nihil quo se expediant auxilii suppetit, subterlapsante cum ipsis à margine arenâ, ad ima pessum eunt. Atque ita campus à naturâ suâ conueniens *Barathri* nomē accepit. Postquàm de tribus Ægypti plagis, quibus à continente munitur, dictum est, addemus nunc quod restat. Quartum ergò latus mari importuoso, tanquam muro præcingitur, transitu equidem longissimo, appulsuque & exscensu difficillimo. A Parætonio enim Libyæ, ad Ioppen Cœlosyriæ, per stadiûm fermè quinque millia, nullus præter Pharum, tutus se portus offert. Tum secundum Ægyptum ferè totum dorsum arenis & cautibus oppletum extenditur, quod à nautis locorum imperitis haud videtur. Ideo qui pelagi se pericula iam effugisse rati, ad terram cum gaudio deferuntur, inscitè naues aduertendo, præter spem naufragia patiuntur. Nonnulli, quibus propter depressum regionis situm terra prospici nequiit, non animaduertunt, se vel ad paludes & loca stagnantia, vel ad regiones incultas exorbitare. Ad hunc modum Ægyptus circumquaque naturæ beneficio munita est. Figura eius oblonga est. maritimumq; latus

XXXI.

latus II. M. stadiorum protenditur, mediterranea ad VI. M. prope. Olim longè omnium populosissima terrarum per orbem cognitarum, & ad hanc ætatem nullâ cæterarum inferior; memorabiles quondã vicos habuit, & vrbes vltra XIIX. M. vt in commentariis sacris suo notatum loco videre est. Ptolemæo Lagi regnante plures III. M. recensitæ sunt. quæ frequentia adhuc constat. In populi quondam vniuersi censu septuagies centena millia fuisse numerata dicunt, nec adhuc infra tricies centena millia censeri. Multitudine igitur hominum tantâ adiutos esse reges tradunt, vt tam arduis & mirificis operibus constructis, immortalia maiestatis suæ monimenta relinquerent. quæ singulatim paullò pòst referemus. Nunc fluuii naturam, & proprietatem terræ exsequemur. Nilus à meridie Septentrionẽ versus è fontibus nondum exploratis decurrit. siti enim sunt in extremis Æthiopiæ finibus, vbi mera vastitas, & terra propter immensum feruorem adiri nequit. Cùmq; sit omnium fluuiorum maximus, & plurimum terræ percurrat, magnos interdum anfractus facit nunc ad ortum & Arabiam se conuertens, nunc ad occasum & Libyam declinans. à montibus enim Æthiopum, dum in mare tandem excurrat, vt maximè, XII. stadiorum millia cum flexuosis, quas facit, ambagibus emetitur. Insulas etiam complexu suo efficit, cùm alias in Æthiopiâ complures, tum vnam magnitudine conspicuam, nomine *Meroen*, viginti & duo stadia latam. At tumor eius inferioribus locis contrahitur, alueo ad continentes vtrinque obiectas diuulso. cuius parte alterâ in Africam deflectens, ab arenâ incredibilis profunditatis absorbetur: pars è regione in Arabiam se effundens ad lamas diuertitur immensas, paludésque vastas, & à multis circumdatas gentibus. Ægyptum denique ingressus, quâ x. stadia, qua minus, latitudine suâ occupat, non recto semper lapsu, sed vario huc illuc flexu oberrans. nunc enim ad auroram se flectit; nunc ad vesperam; quandoque meridiem versus reciprocato tendit cursu. Montes enim vtrinque fluuium amplexi, bonum riparum tractum occupant: dumque in faucium & præcipitiorum angustias fluuius impingit, per campestria retrò actus tendit, & sat longo ad meridiem spacio euagatus, ad naturalem tandem decursum redit. Licet verò ita excellat inter omnes hic amnis; solus tamen absque violentiâ & impetu aqua-

rum tempestuoso defertur, præterquam ad *Cataractas*. Locus enim, ad x. stadia porrectus, sic vocatur, decliuis, & præruptis saxis intra angustas quasdam fauces conclusus totusque asper & voraginosus; vbi frequentes petræ arduisque scopulis assimiles exstant. Ad has cùm violentius allisa fluminis vnda, & ab impedimentis refracta, in contrarium recurrit, miri exsistunt vortices, & totus in medio locus à refluxu toties iterato spumescit: vnde accedentibus stupor non mediocris incutitur. Nam flumen illic tam concitatò & violenter præcipitat, vt à sagittæ impetu nihil differre videatur. Sub Nili diluuiem submersis iam scopulis, & toto aspreto aquis obtecto accidere solet, vt aliqui contrarios nacti ventos, per cataractam nauibus descendant: ac nemini adscendendi facultas, impetu fluminis omnem humanæ mentis solertiam euincente. Plures quidem sunt id genus cataractæ. Sed maximus hic in confiniis Æthiopiæ & Ægypti. Vt insulas ambiat Nilus iuxta Æthiopiam nonnullas, inter quas Meroe excellat, iam dictum est. In eâ nominis eiusdem vrbs est celebris, quam Cambyses conditor matris suæ Meroes nomine indigetauit. Figuram scuti referre, ceterisque insulis magnitudine illis quidem in locis, præstare dicitur: ter mille stadia in longum, & mille in latum patens, vrbesq; habens non paucas, quarum nobilissima Meroe, cui quousque flumine circumluitur, à Libyæ finibus immensi arenarum cumuli; versus Arabiam, prærupti scopulorum vertices, obtenduntur. Esse in eâ memorant fodinas auri, argenti, ferri, æris, magnamq; Ebeni copiam, & varia preciosorum lapidum genera. Tot deniq; insulas effici ab hoc fluuio, vt auditores vix credendum arbitrentur. Nam præter circumfluum vt vocant, Delta, plures numerant septingentis, quas partim Æthiopes inspersο milio colant, partim quia serpentibus & Cynocephalis, omnique bestiarum genere abundant, difficili sint accessu hominibus. Cæterum Nilus intra Ægyptum in plures scissus alueos Delta, à figura sic nominatum, efficit. Huius latera extremi fluminis aluei describunt, basin verò pelagus, ostia Nili excipiens, absoluit. nam septem ostiis in mare excurrit. quorum primum auroræ obuersum, dicitur Pelusiacum, secundum Taniticum, inde Mendesium Phatmicumque & Sebenyticum: tum Bolbitinum; & postremò Canupicum, à nonnullis Herculeum vocitatum.

XXXIII.

Sunt

Sunt & alia ostia manu facta, de quibus scribere nihil vrget.
Ad vnumquodque vrbs condita est, flumine diuisa, & ab v-
traque ostii ripâ pontibus & custodiis opportunis munita. A
Pelusiaco fossa in sinum Arabicum & Erythræum mare ho-
minum manibus deducta est, cuius ducendæ Necos Psam-
metichi filius primus auctor fuit; & post eum Darius Persa
opus quodamtenus produxit, sed imperfectum tandem re-
liquit, edoctus à quibusdam, Isthmi perfossione illa effectu-
rum, vt Ægyptus submergatur: Rubrum enim mare editius
esse Ægypto demonstrarunt. Postea verò Ptolemæus secun-
dus vltimam operi manum imposuit, & loco opportunissi-
mo sepimentum quoddam transuersarium machinatus est.
quod transiturus aperuit, & mox iterum occlusit, vsu consi-
lium non frustrante. Amnis per fossam decurrens Ptole-
mæus nomine auctoris, dicitur; vbi mare intrat, vrbem ha-
bet nomine Arsinoes.

XXX-V.

Delta Siciliæ figuram imita-
tur. Vtrumque latus ad DCCL. stadia porrigitur. Basis quæ
mari alluitur stadiorum est M. CCC. Est hæc insula multis
fossis manu factis intersecta, amœnissimum Ægypti locum
obtinens. Cùm enim à flumine sit aggesta & irrigua, ma-
gnam fructuum varietatem producit, dum anniuersario flu-
uius excessu nouum perpetuò limum affundit, & incolæ fa-
cilè eam rigant machinâ quadam, ab Archimede Syracusio
inuentâ, quæ à formâ *cochleæ* nomen habet. Cùm lenis sit
Nili profluxus, multumque variæ secum terræ deferat, & in
locis cauis atque humilioribus stagnet, fœcundas paludes
efficit. nam in his vario sapore radices nascuntur, fructusque
& caules genio singulari. quæ pauperculis & infirmis, ad v-
sum, quantum satis est, conferunt. Non enim cibos tantùm
varios, cunctisque gentibus obuios & largos præbent, verùm
alia quoque vitæ necessaria adiumenta, non parcè submini-
strant. Copiosè ibi lotus crescit, vnde panem Ægyptii, ad na-
turalem corporis indigentiam explendam conficiunt. Tum
ciborium hic vberrimum *Aegyptiam* (vt nominatur) *fabam*
edit. Hic complura arborum genera; Persicæ, quæ nominan-
tur, eximiam habent dulcedinem. propagata hæc planta fuit
ex Æthiopiâ à Persis, quo tempore Cambyses loca illa in po
testate habuit. Sycaminorum aliæ mora, aliæ ficubus similē
fructum producunt, qui cùm per totum ferè annum ibi pro-
ueniat, paratissimum contra famem perfugium se exhibet

indigentibus. Bata, quæ vocantur, post fluuii recessum comportant, eaque ob naturæ dulcedinem, pro bellariis absumũtur. Conficitur Ægyptiis potus ex hordeo quem *Zythum* vocant, odoris ac saporis iucunditate vino non multum cedens. Ad lucernas accẽdendas liquorem, ex plantâ quadam (quã *Cici* vocant) expressum, pro oleo infundunt. Plura insuper alia, ad necessarios vsus commoda, nascuntur affatim in Ægypto, quæ enumerare longum foret. Multas Nilus bestias alit, cùm alias formis diuersas, tum duas insignes, Crocodilum puta, & equum. Horum Crocodilus ex minimo fit maximus. Oua enim hoc animal anserinis similia parit, exclususq; inde catulus, ad sedecim cubitos excrescit. Hominis respectu longam ætatem viuit, linguaq; caret. Et corpus à natura mirificè communitum habet. pellis enim tota squamis integitur, duritie firmissimâ rigens. dentes maxillam vtramq; multi exasperant, duoque exstant cæteris multò grandiores. Deuorat nõ tantùm homines, sed etiam alia, quæ fluuio propinquant, animalia. Morsus imprimit acres & sæuos, vnguibusque immaniter dilancinat, ac quicquid carnis diuellit, nullâ prorsus medicinâ coalescit. Hæc monstra Ægyptii quondam hamis venabantur, suillis carnibus inescata. postea crassis interdum retibus, vti piscium nonnulli, capi solent; Ferreis interdum vectibus è nauigio crebrò in capita impactis, subegere. Infinita horum multitudo est in amni & stagnis vicinis: cum fœcundissimi sint, & raro ab hominibus necentur. nam crocodilum pro deo coli à plerisq; incolis, lege sancitum est. tum à venatione horum extraneis vtilitatis nihil redit, carne ad vescendum prorsus ineptâ. Sed tamen aduersus hanc in perniciem mortalium luxuriosam fœcunditatem ingens remedium natura procurauit. Ichneumon enim qui dicitur, magnitudine canis pusilli, oua beluæ, iuxta flumen enixæ, oberrans comminuit; non (quod maximè admirandum est) sibi aut alterius emolumenti gratiâ, sed vt naturale quoddam & coactum perpetuò in homines beneficentiæ munus exsequatur. Hippopotamus qui dicitur, (id est *equus fluuiatilis*) in magnitudinem quinque cubitis non minorem, & similitudinem ouis, bifidasq; vngulas habet, tres vtrinque dentes prominent aprugnis maiores; auribus, caudâ & voce equum refert. Tota autem corporis moles non dissimilis elephanti. Summa cutis firmitas præ cunctis fermè bestiis. Fluuiatilis

XXXV.

cùm ſit & terreſtris, interdiu in imo aquarum fundo ſeſe exer
cens commoratur, noctu in terrâ ſegetes & gramina depa-
ſcitur. Si maior beſtiæ fœcunditas, annis ſingulis fœtus pro-
duceret, agriculturæ per Ægyptum extremam inferret cala-
mitatem. Etiam hæc beſtia multorum manibus capitur, qui
ferreis eam contis percutiunt. Vbi enim apparet, coniunctis
nauigiis inuadunt, ac circumſtantes veluti cœlis (vel contis)
quibuſdam ferreis & hamatis ſauciant; tum infixorum vni
funibus alligatis, feram miſſam faciunt, vſque dum vires cum
ſanguine effluxerint. Carnibus præduris eſt, & difficillimæ
concoctionis. De interioribus veſcum nihil, neque viſcera,
neque inteſtina. Præter iam dicta, incredibili pi-
ſcium copiâ omnigenorum Nilus abundat. Non enim vt
recèns modò captis largè fruantur accolæ efficit; verùm in-
exhauſtam quoque ſalſamentorum copiam largitur. Ad
ſummam, nullus in orbe fluuius plura hominibus commo-
da accumulat. Exundatio eius à ſolſtitio incipiens æſtiuo, ad
æquinoctium vſque autumnale augetur. Interim nouum
ſubinde limum importans, tam ignaua quàm frugibus &
plantis culta ſola, quandiu velint agricolæ, humectat. Aquas
enim leniter accedentes modicis facilè aggeribus auertunt,
iiſque apertis, ſi ex vſu videatur, non magno labore iterum
inducunt. Adeoque tantum laboribus compendii & homi-
nibus emolumenti affert, vt pars ruſticorum maxima, ſemi-
nibus in exſiccatos telluris agros coniectis, pecora ad con-
culcandum inducant, & poſt quatuor aut quinque men-
ſes ad demetendum reuertantur: Aliqui leuibus aratris ſum-
mo terræ dorſo poſt humectationem obiter proſciſſo, ingē-
tes frugum aceruos, abſque magnis impendiis & laborum
ærumnis inde tollunt. Nam tota omninò apud gentes cæte-
ras agricultura magnis ſumtibus & moleſtiis adminiſtratur,
ſoli verò Ægyptii minimis cum expenſis & laboribus fru-
ges colligunt. Regio vitibus conſita eodem modo poſt riga-
tionem vino exuberat. Qui poſt inundationem rura gregi-
bus inculta permittunt ad paſtum, hunc ex vbertate fru-
ctum recipiunt, vt bis pariant oues, bis tondeantur. In-
crementum Nili ſpectantibus admirabile, audientibus
prorſum incredibile videtur. Cùm enim alii fluuii ſub
conuerſionem ſolis æſtiuam minuantur, & per æſtatis reli-
quũ ſubinde ſe magis demittant, hic ſolus tũ creſcere incipiēs

in tantum indies auget, vt Ægyptum ferè totam denique inundet. Eodem modo, cùm in contrarium Sol pari temporis spacio, sese vertit, indies paullatim fit humilior; donec intra pristinum fit alueum reuersus. Et quia campestris est hæc terra, vrbesque ac oppida & villæ agrestium in collibus manu congestis iacent; Cycladum insularum adspectum repræsentant. Et bestiarum terrestrium pleræque si ab amne intercipiantur, suffocatæ pereunt: sin ad sublimia effugerint, incolumes manent. pecudes igitur restagnationis tempore in pagis & mapalibus, pabulo ad hoc præparato, aluntur. At vulgus, negociis rusticis exsolutum, feriis indulget, & assiduè epulatur, omnibusque ad voluptatem facientibus libere ac securè perfruitur. Propter metum verò ex inundatione ortum, specula quædam Nili à regibus in Memphi exstructa est, vbi mensura illius exactè cognitâ, negotii huius Curatores per literas ad vrbes huc illuc missas, significant, quot cubitis & digitis fluuius adscenderit, & quando decrementi fecerit initium. Ita populus, de reciprocatione amnis edoctus, sollicitudine & metu liberatur, & euestigio quanta frumentorum copia sit futura, omnes prænoscunt. Obseruatio hæc per multas hominum ætates diligenter in literas ab Ægyptiis relata est. Cæterùm ingens exsistit de auctu Nili controuersia & multi è Philosophis atque historicis causas eius edisserere sunt conati: quas capitulatim exponemus: ne & longius digrediamur, néve quod in disquisitione apud oẽs versatur, intactũ relinquam⁹. De Nili.n augmẽto & fontibus eiusq; in mare tãdẽ excursu & aliis quæ præ cæteris amnib. peculiariter sibi vendicat, ipse toto orbe maxim⁹; quidã scriptores nihil omninò dicere ausi fuere; de quouis tamẽ torrẽte declamitare interim soliti. Quidã verò quęstionis explicationem aggressi, multũ à veritate aberrarunt. Nã Hellanicus & Cadmus, Hecatæus quoq; & id genus prisci omnes, ad fabulosas assertiones declinarunt. Herodotus autem multarum rerum satagens, si quisquam alius, & variæ historiæ peritus, rationem quidem illorum reddere studuit, verùm opiniones ambiguas & contradictioni obnoxias sequi deprehenditur. Thucydides & Xenophon, qui ob historiæ veritatem laudantur, ab Ægypti locorum descriptione omninò abstinent. At Ephorus & Theopompus, licet maximè omnium huc vires intenderint, veritatem tamen mi-

XXX. VII.

nimè

nimè aſſequuntur. Hi omnes non quidem negligentiâ ſed ignoratione loci aberrarunt. Nam à priſcis temporibus ad Ptolemæum, cognomine Philadelphum, nulli Græcorum Ægypti fines attigerunt; nedum ad Æthiopiam vſque penetrarunt. Tam ignara hoſpitum erant loca iſta & periculis obnoxia; donec rege illo cum Græcorum manu iſthuc profecto, exactius inde regio explorari cœpit. Fontes Nili, & locum vnde fluere incipit; nemo hactenus ſcriptorum ſe vidiſſe, vel ab iis, qui certò ſe vidiſſe confirmarint, audiuiſſe, profeſſus eſt. Ideò cùm ad opiniones & coniecturas probabiles res deuoluatur; Sacerdotes Ægyptii ex Oceano terram circumfluente hunc naſci affirmant. Sed nihil ſani memorant; dubiaque ſoluunt per dubia, & rationem ad probandum afferunt, quæ copioſa probatione ipſa indiget. Troglodytæ verò, (*Molgii* alias dicti) quos ex ſuperiori locorum tractu æſtus eò migrare coëgit; indicia quædam eſſe aiunt, vnde quis ratiocinetur; ex fontium multorum in vnum alueum confluxu Nilum aggregari. Ideoque cunctorum, qui quidem in notitiam veniunt, amnium fœcundiſſimum eſſe. Inſulæ Meroës accolæ; (quibus potiſſimum aliquis fidem adhibuerit) procul à probabilibus nugarum commentis remoti; & locis de quibus diſputatur proximè habitantes, tantùm abeſt, vt certi quid de his tradant, vt Nilum Aſtapum vocitent, quod in linguam Græcorum translatum, *è tenebris aquam* ſignificat. Hi ergò nomen fluuio, imperitiæ locorum, ſuæque ipſorum ignorantiæ conueniens, tribuunt. Nobis interim veriſſima ratio videtur, quæ plurimùm à ſimulatione ac figmento diſtet. Nec tamen ignotum mihi eſt, quòd Libyam, fluuio tum ad ortum, tum ad occaſum conterminam; definiens Herodotus Afris qui Naſamones appellantur, exactam amnis notitiam vendicet; & Nilum è lacu quodam ortum, per immenſos Æthiopiæ tractus deferri, tradat. At nec hac in parte Afrorum dictis, quamlibet ad veritatem compoſitis, nec ſcriptoris aſſertioni rem non demonſtrantis, credendum.

XXXVIII. Poſtquàm ergo de fontibus & curſu Nili iam ſat dictum, in augmenti quoque cauſis explicandis periculum faciemus. Thales, qui inter ſeptem ſapientes recenſetur; Etheſiarum flatus, oſtiis fluuii aduerſos, obſtare, ne fluentum ſuum in mare profundat, ideoque tumefacto & repleto

aquis alueo Ægyptum, vt quæ humilis ſit & campeſtris, inundari perhibet. Hæc ratio, licet probabilis videatur, falſitatis tamen facilè arguetur. Nam ſi verum eſt, quod dicit, omnes fluuii, qui contra Eteſiarum flatum in mare ſe euoluunt, eodem modo exceſſum facient. quod cùm nuſquam terrarum eueniat, certè alia incrementi cauſa & verior quærenda eſt. Anaxagoras Phyſicus augmenti cauſam in liqueſcentem Æthiopiæ niuem transfert, quem & Poëta Euripides, vt diſcipulus, ſequitur; vbi ſic canit:

Nili relinquens vndam humo pulcerrimam,
Ex Æthiopiâ qui fluens nigra, ſinu
Pleno tumeſcit, quum niues liquefactæ eunt.

Nec prolixâ hæc ſententia confutatione opus habet. quando manifeſtum eſt omnibus, per nimios calores fieri non poſſe, vt tunc nix in Æthiopiâ cadat. Nam in his regionibus omninò neque gelu, neque frigus, neque vllum hyemis indicium eſt; Nili præſertim exæſtuantis tempore. Eſto; ſit niuium copia in vlterioribus Æthiopiæ locis, falſum tamen nihilominus eſt, quod aſſeritur. Omne enim flumen è niuibus auctum, frigidas haud dubiè auras exſpirat, aëremque craſſiorem facit. At circa Nilum ex omnibus fluuiis ſolùm, neque nubes cogitur, neque auræ exſiſtunt frigidæ, neque aër craſſeſcit. Herodotus naturâ tantum eſſe dicit Nilum, quantus per implementum excreſcit. per hyemem verò à ſole, qui ſupra Africæ tum verticem circumfertur, multum humoris attrahi è Nilo, qui ob id contra naturam decreſcat; per æſtatem contra, Sole verſus Arctos digreſſo amnes Græciæ, aliarumque regionum, versùs eundem cardinem ſitarum, deſiccari & imminui. ob cauſam igitur iam expoſitam, non adeo inſolens eſſe, quod Nilo contingit, vt ſub calorem æſtiuum augeſcat, ſub hyemem contra depreſſior fluat. At reſpondendum etiam huic eſt. ſi ſol è Nilo humiditatem ad ſe hyberno tempore alliceret, ex aliis quoque Libyæ fluuiis quippiam humoris accipere, amniumque curſum deminuere, illum oporteret. quod cùm nullibi per Africam fieri obſeruetur, futilem auctoris rationem eſſe liquet. Græciæ enim fluuii per hyemem incrementa capiunt, non ob longinquiorem ſolis receſſum; ſed decidentium tunc pluuiarum crebritatem. Democritus Abderita, non, vt Euripides & Anaxagoras, regiones ad Meri-

XXX. IX.

Meridiem, ſed Arcto ſubiectas, niuibus conſpergi ait: perſpicuum enim hoc omnibus; niuiſque in Boreæ partibus coaceruatæ, copiam ad ſolſtitium manere congelatam. Per æſtatem verò gelu per calorem ſoluto, magnam fieri liquefactionem. & inde multas, ſpiſſasque per eminentiora loca nubes, cum largi in altum vapores attolluntur, gigni. Has ab Eteſiis agitatas prouolui, vſque dum maximis orbis terrarum montibus, quos in Æthiopiâ exſiſtere dicit, incumbant. tum ex violento ad iuga illa impactu imbres creari maximos, vnde fluuius ſub Eteſiarum maximè flatum vndis ingraueſcat. At ſi quis argumenti tempora diligenter examinet, non difficulter etiam hunc refellet. Nilus enim repleri incipit ingruente æſtatis ſolſtitio, cum Eteſiæ nondum ſpirant; & poſt æquinoctium autumnale quando venti iam nominati pridem conquieuêre, ſubſidit. Quandoquidem igitur certa experientiæ demonſtratio, rationum probabilitatem vincit, induſtria quidem viri amplectenda, ſed fides nequaquam dictis adhibenda eſt. Prætereo, quod euidens ſit non magis ab Arcto, quam occaſu Eteſias ſpirare. nec enim ſoli Boreæ aut Aparctiæ (*ſeptentrionales venti*) ſed & Argeſtæ (*Cauri*) ab occaſu æſtiuo flantes, nominis Eteſiarum ſunt participes. Quod etiam adſeueratur, maximos in Æthiopiâ montes eſſe, non modò demonſtratione, ſed fide etiam quam res ipſa concedat, deſtituitur. Ephorus, cauſam afferens recentiſſimam, perſuadere quidem conatur, ſed veritatem minimè aſſequi cernitur. Tota enim Ægyptus (ait) à flumine congeſta eſt & laxa naturâque pumicoſa, rimas in ſe habet magnas & continuas, per quas humoris copiam in ſe recipit, & hyemali tempore in ſe conſtringit, æſtate autem tanquam ſudores ex ſe vndequaque emittit; vnde incrementum Nilo præbetur. Scriptor hic non ſolùm ipſe locorum Ægypti naturam non vidiſſe, ſed nec ab iis, quibus regionis illius ratio cognita eſt, diligenter percunctatus, nobis videtur. Primùm enim ſi ex ipſa Ægypto Nilus incrementum acciperet, ſupra Æpyptum, vbi per ſolum petris aſperum delabitur, nequaquam exundaret. Iam plus ſexies mille ſtadiis per Æthiopiam tendens, augmentum prius habet, quam Ægyptum attingit. Deinde ſi fluentum Nili deiectius eſ-

ſet aggeſtæ terræ cauernis, hiatus illi ſupereminerent, in quibus tantum aquæ contineri non poſſet. Si verò ſublimiorem amnis locum meatibus illis ſpongioſis occuparet; fieri non poſſet, vt ex cauitatibus multò humilioribus ad altiorem ſuperficiem humor conflueret. Denique quis arbitretur, exſtillantes è foraminibus terræ ſudores tantum fluuii augmentum, quo tota ferè Ægyptus inundetur, efficere poſſe? Miſſum facio vanum de aggeratione ſoli, & aquarum in meatibus terræ conſeruatione, figmentum; cùm manifeſtæ ſint iſtorum confutationes. Etenim Mæander fluuius magnum in Aſia tractum limo oppleuit; vbi tamen circa incrementa Nili contingentium prorſus nihil euenire conſpicitur. Quomodo & Acarnaniæ fluuius Achelous, & Bœotiæ Cephiſus à Phocenſibus decurrens, terræ non exiguum accumulauit. quibus vtrinque aperti ſcriptor mendacii conuincitur. At enim verò certi quid apud Ephorum nemo inquiret, qui veritatem in multis neglexiſſe eum videbit. Philoſophi quidem in Memphi cauſam incrementi adſtruunt, confutatu magis difficilem, quàm probabilem, cui tamen adſenſum multi præbent. Terram namque faciunt tripartitam; vt vna pars ſit in orbe noſtro; altera, quæ contraria habeat anni tempora, hiſce locis; tertia inter duas iſtas, propter æſtum inhabitabilis. ſi itaque Nilus ſeſe extolleret hyemis tempore, ex noſtrâ Zonâ incrementa fluxus capere ipſum, conſtaret: quia tunc maximè apud nos depluat. Sed cùm è contrario per æſtatem intumeſcat, credibile eſſe, oppoſita orbis regione tempeſtates hyemales exoriri, vndarumque illic redundantiam ad orbem noſtrum deferri. Et proptereà ad Nili fontes peruenire poſſe neminem, quod per aduerſam zonam, nullis habitatoribus frequentatam, amnis proficiſcatur. Teſtimonium his ferre, eximiam aquæ dulcedinem, quod per aduſtam zonam fluens decoquatur, ideoque dulcore omnes fluuios exſuperet, cùm quod naturâ igneum eſt, humida dulcoret. At hæc ratio apertam & promtam habet refutationem. nam planè impoſſibile videtur, amnem ex oppoſito nobis orbe in noſtrum attolli, in primis, ſi quis rotundam ad globi inſtar terram eſſe ſtatuat. Quod ſi quis rem ita ſe habere, verborum audaciâ violentius contendat, (vt in pauca redigam) rerum natura tamen haud quaquam id concedet. Dum enim ſententiæ non facilè

cilè redarguendæ sunt, auctores, & inhabitabilem orbis par-
tem interponunt; hac viâ solidæ confutationis argumenta
se effugituros, arbitrantur. At qui de quibuscunque certi
quippiam asseuerant, hos aut rem ipsam in testimonium af-
ferre, aut demonstrationes à principio concessas assumere,
par est. Queî verò solus ex altero illo orbe Nilus huc ad nos
perfertur? An non aliis fluminibus etiam apud nos idipsum
competat? Quod dulcedinem aquæ causantur, absurdum.
Si enim à calore fluuius excoctus dulcesceret, non genitali
fœcunditate luxuriaret, nec varias piscium & bestiarum spe-
cies produceret. Omnis enim aqua, quam natura ignis alte-
rauit, à viuorum generatione est alienissima. Quapropter
cùm natura Nili decoctioni quam adducunt isti, aduersetur,
falsas incrementi causas illas ducamus.

XLI. Oenopidæ
Chii sententia hæc est: æstiuo tempore aquas sub terra
frigidas esse, hyberno contrà calidas, id quod in altis pu-
teis manifestò deprehenditur. hyeme enim asperrimâ mi-
nimum frigoris aquam in illis habere; in æstu maximè fri-
gidissimum inde humorem efferri. Quare Nilum quoque
probabili ratione per hyemem deminui & in arctum cogi:
quod calor in terra conclusus plurimum humidæ substan-
tiæ absumat, & nulli per Ægyptum imbres exsistant: per
æstatem verò, cum nihil in profundis terræ locis absumitur
amplius, ordine naturæ alueum eius absque impedimento
repleri. Occurrendum & huic, quod multi Libyæ amnes
eodem ostiorum situ & simili progredientes cursu, non si-
mili ratione cum Nilo augeantur. Nam è contrario per hye-
mem implentur; cùm verò per æstatem decrescant, falsita-
tis illum arguunt, qui probabilibus commentis expugnare
conatur veritatem, ad quam proximè accessit Agatharchi-
des Gnidius. is enim memorat, quotannis in Æthiopiæ
montibus pluuias existere continentes, à retrogressione So-
lis æstiuâ vsque ad diei & noctis exæquationem Autumna-
lem. Consentaneum igitur rationi, Nilum hyeme contra-
hi, vbi pro naturæ suæ modo à solis fontibus procurrit, &
per æstatem ab imbribus effusis increscere. Etsi autem ne-
mo hactenus generationis aquarum rationes reddere po-
test, suæ tamen sententiæ expositionem idcircò non repu-
diandam esse, docet. Multa enim naturam ferre contrà,
quàm vt causas eorum homines exactè inuenire possint.

Dictis à se testimonium id afferre, quod in aliquibus Asiæ locis accidit. Nam in finibus Scythiæ, qui Caucasum montem attingunt, iam hyeme exactâ, singulis annis per dies continuè multos, vim niuium immanem decidere. In Indiæ quoque partibus ad Boream conuersis, grandinem magnitudine & copiâ incredibili certis temporibus præcipitare. Et circa Hydaspin fluuium ineunte æstate continenter pluere. Idipsum in Æthiopiâ quoque per dies aliquot contingere. Et hanc aëris intemperiem perpetuò circumactam locis contiguis tempestates inducere. Non igitur mirum, si & Æthiopiæ, supra Ægyptum iacentis, montana assiduis obruantur imbribus, vnde per æstatem fluuius auctior factus insurgat; præsertim cum rem ita se habere, barbari locorum accolæ testentur. Quod si hæc iam memorata contrariam habent naturam iis, quæ apud nos fiunt, non propterea fidem esse derogandam. nam Austrum apud nos turbidum esse & nimbosum: in Æthiopiâ verò serenum. Et Boreales ventos in Europa concitatos & vehementes, in illis regionibus remissos, prorsusq; infirmos. Etiamsi autem de Nili exundatione vberius & maiori argumentorum varietate contra omnes illos disputare possemus: tamen hæc in medium allata nobis sufficiant; ne propositam ab initio breuitatis metam transgrediamur. Quoniam verò librum hunc ob prolixitatem diuisimus in partes duas, dum mediocritatem nobis præfixam habemus, primam historiarum partem nunc circumscribemus. quæque porrò memorabilium in Ægypto his cohærent, in alterâ parte constituemus, ab regum Ægypti recensione, ac vetustissimâ apud Ægyptios vitæ ratione, auspicati.

ALTERA SECTIO primi Diodori Libri.

CVm primus Diodori liber propter magnitudinem in duas sit partes distributus; prior equidem præfationem in totum opus continet, & quę de origine mundi, pri- XLII.

primaque totius vniuersi constitutione; adhæc de diis, qui-
cunque vrbes in Ægypto cognomines sibi condiderint;
deque mortalium primis, & vitâ omnium antiquissimâ; de
deorum etiam immortalium cultu, & templorum exstru-
ctione ab Ægyptiis referuntur. tum Ægypti situs, & quæ
prodigiosè de Nilo commemorantur, & incrementorum
eius causæ, historicorum quoque & Philosophorum sen-
tentiæ, & oppositæ singulis scriptoribus confutationes re-
citatæ sunt. In hac verò libri parte superioribus adhæren-
tia percurremus. A primis igitur Ægypti regibus exorsi,
singulorum gesta ad Amasim vsque, præmissa tamen ca-
pitulatim antiquissimâ apud Ægyptios viuendi ratione, ex-
ponemus.

LIII. Ægyptiorum quondam victum huiusmo-
di fuisse dicunt, vt antiquissimis temporibus herbas, cau-
lesque ac radices in paludibus nascentium, singulis gustatu
prælibatis, comederent; primamque omnium & creberri-
mè ingessisse, quam Agrostim vocant: quod & sapore
dulci præstet, & sufficiens hominum corporibus alimen-
tum præbeat. Nam & à pecudibus appeti, & ad crassitudi-
nem eas saginare, certum est. Vtilitatem igitur herbæ me-
mori colentes animo, hodieque cum deos accedunt ho-
mines, manu illam amplexos adorare. Hominem enim la-
custre animal esse & paludibus cognatum, ex naturæ qua-
litate ac læuore coniectant, & quod humido magis, quàm
sicco nutrimento indigeat. Alterum deinceps victitandi
morem Ægyptiis tradunt ex piscium esu, largam ad hoc
copiam subministrante fluuio, & maximè cùm post in-
undationem se submittens desiccatur. sic & pecorum car-
nes nonnullorum comedisse, & comestorum pellibus pro
vestimentis vsos. domosque ex arundinibus contexuisse,
quarum vestigia etiamnum permaneant apud Ægypti
pastores, qui omnes ad præsens vsque tempus non alias,
quàm arundinibus constructas domos probant, sibique
satis esse dicunt. Hac vitâ per multas ætates ductâ, ad
fructus, cibis aptos transiisse; è quorum genere sit etiam
panis è loto confectus. Inuentionem horum alii Isidi
tribuunt, alii in quendam regum antiquorum Menam
referunt. Repertorem sane disciplinarum & artium
sacerdotes Hermen, id est, *Mercurium*; necessario-
rum verò ad vitam degendam reges fuisse, memo-

rant. Idcircò regna quondam non ex regibus prognatis, sed iis, qui plurimis ac maximis plebem meritis subleuassent, tradita; vel quod homines suæ ætatis reges & principes ad omnibus benefaciendum hoc pacto inuitarent, vel etiam quod vero consentaneum, in sacris hoc commentariis traditum accepissent. Imperarunt (vt quidam ex ipsis fabulantur) initio in Ægypto dii & Heroes, annos paullò minus octies & decies mille, vltimusque rex fuit Horus, Iside natus. Ab hominibus autem regnum per quindecim ferè millia annorum gubernatum, ad centesimam octogesimam vsque Olympiadem, qua nos Ægyptum accessimus, regnante Ptolemæo qui noui Dionysi (id est, Bacchi) nomen vsurpauit. Interregno potitos, indigenæ fuerunt plurimi: pauci interim Æthiopes, Persæ, Macedones. Æthiopes regnarunt quatuor, per interuallum, non continuè, annis, paullo minus XXXVI. Persæ rerum summam, gente armis à Cambyse subacta, tenuerunt CXXXV. annos, computatis simul Ægyptiorum defectionibus, quibus causam dedit non toleranda præfectorum asperitas, & impietas in deos ipsorum gentiles. Ad postremum gubernacula tenuerunt Macedones per CCLXX. annos. Cæteroqui Principes indigenæ regno præfuere LXX. supra quadringentos viri, & fœminæ interim quinque. De omnibus sacrorum librorum monimenta habebant sacerdotes, per longam à vetustissimis temporibus successionem tradita; quanta cuiusque magnitudo; qualis natura fuerit; & quid suo quisque tempore egerit. Nobis equidem de vnoquoque singulatim relationem instituere, & longum foret, & superuacuum, siquidem in his plurima nullius vsus continentur. Propterea de memoratu dignis præcipua maximè nobis perstringenda delegimus.

XLI [margin]

XLV.

Post deos (aiunt) primos Ægypti rex fuit Menas, is deos venerandi, & rem diuinam faciendi rationem populo tradidit. Mensas etiam adornare ac lectos, preciosisq; stragulis vti docuit, delitiarum & magnificentiæ in vitâ sumptuosæ magister. Ideo qui post multas inde ætates regnauit Gnephachthus, Bocchoridis sapientis parens, exercitu in Arabiam ducto, cum per difficultates, locorum & vastitatem commeatus deficeret, vnius diei penuriâ, cibo vilissimo apud homines vulgares, quos ei sors obiecerat, tolerare

coactus dicitur. Hoc igitur maiorem in modum delectatus, luxum damnauit, malum imprecatus regi, qui primitus lautum istum & opiparum apparatum inuexisset. Adeòque cordi hæc cibi potusque ac lecti mutatio ipsi fuit, vt imprecationem sacris literis in templo Iouis Thebano describendam curarit. Quod maximè in causa fuit ne gloria, honoresque Menæ ad posteritatem perdurarent. Inde posteros eius imperasse ferunt LII. in vniuersum vltra CIↃ.CCCC. annos. Intereà nihil relatione in literas dignum fuisse actum. Exinde Busidirem in regno successisse, & progenitos ab hoc octo, quorum postremus primum (id est, tritauum) nomine referens, magnam illam vrbem exstruxerit; quam Ægyptii Solis ciuitatem, Græci Thebas nuncupant; ambituque mœnium CXL. stadia complexus, ædificiorum mole, & templorum magnificentiâ, & donariorum copiâ mire in modum exornârit. Hunc etiam priuatorum domos, alias, ad quartam, alias, ad quintam contignationem, eduxisse, & vt verbo dicatur, vrbem illam non tantum Ægyptiarum, sed aliarum omnium beatissimam effecisse. Ideò cùm fama de opum eius & potentiæ magnitudine vbique locorum increbuisset, euenisse, vt etiam Poeta eius meminerit, his verbis:

——— Quantave Thebæ
Ægyptiæ condunt, vbi opum vis magna per ædes:
Queis centum portæ: bis centum quamlibet intrant
Curribus instructi vsq; viri, nitidisq; caballis.

Tametsi sunt, qui non centum portas habuisse vrbem asserant, sed multa & ingentia templorum vestibula; vnde *Hetacompilus* à centum, hoc est, multis portis cognominata sit. Viginti tamen curruum millia reuerâ inde ad bella exire: nam centum fuisse equilia in regione amni finitimâ à Memphi Thebas Libycas vsque, vnoquoque ducenos equos capiente, quorum fundamenta etiamnum ostendantur. XLVI. Nec verò hunc modò regem, sed etiam qui pòst regnârunt, multos vrbi augendæ impensè studuisse, accepimus. Donariis enim multis & magnificis ex argento, auro, ebore, & statuarum multitudine colossicarum, nec non obeliscorum ex vno lapide structuris, nullam sub Sole vrbium ita decoratam. De quatuor enim templis ibi constructis vnum esse antiquissimum, quod stadio-

rum

rum XIII. circuitum, & XLV. cubitorum altitudinem, murumque XXIV. pedes latum habeat, cui magnificentiæ par sit consecratorum illic ornatus, tum impensis admirandus, tum manuum opere exquisitè elaboratus. Ædes quidem ad nuperam permansisse ætatem, sed argentum & aurum, eborisque ac lapidum apparatum à Persis, cùm Cambyses Ægypti templa exureret, dispoliata esse: quo tempore translatis in Asiam opibus, & adscitis ex Ægypto artificibus, regias illas toto orbe celebres, in Persepoli & Susis, cæteraque Mediâ, à Persis ædificatas perhibent. tantámque in Ægypto vim opum tunc fuisse, vt de reliquiis expilatorum crematis inuenta sint & collecta plusquam CCC. talenta auri, nec minus bis mille & trecentis talentis argenti. Ibi mirifica priscorum regum sepulcra, quæ posteris ad similis magnificentiæ studium nihil reliqui fecerunt. horúmque in sacris commentariis XLVII. inueniri: sed ad Ptolemæum Lagi XVII. tantum remansisse: quorum plæraque nobis Ægyptum lustrantibus od Olympiadem centesimam octogesimam corrupta fuerant. Nec verò à sacerdotibus tantum Ægyptiis hæc è libris sacris referuntur, sed & Græcorum multi, qui Ptolemæi Lagi ætate Thebas profecti, historias Ægyptiacas contexuerunt (inter quos etiam Hecatæus est) cum narratione hac nostra consentiunt. De primis enim sepulcris, quibus Iouis pellices conditas esse traditur, regis Osymanduæ (quem vocant) monimentum decem stadiorum fuisse, sub cuius introitum è vario lapide atrium longitudine duûm plethrûm (ducenûm pedum) & altitudine cubitorum XLV. Hinc digresso, lapideum occurrere peristylion quadratum, cuius vnumquodque latus quaternûm plethrorum, columnarum loco animalibus XV. ex vno saxo, figuris ad antiquum morem cælatis, suffultum. totum verò tectum & lacunar duas orgyias (IIX cubitos) latum, & stellis in ceruleo variegatum, è solido lapide constare, secundùm id peristylion, ingressum rursus alium & atrium esse, cætera assimile priori, sed variis elaboratum sculpturis. In aditu tres statuas videri ex vno saxo omnes, Memnonis Sienitæ (opus) Harum vnam sedere, omnium in Ægypto maximam: quæ pedis sui mensura excedat cubitos VII. Reliquas duas ad genua (illius repositas) alteram à dextris, à sinistris

finiſtris alteram, filiæ (nimirum) & matris, prioris magnitudinem non aſſequentes. Opus id, non tantum ob magnitudinem commendatione dignum, ſed etiam ob artem admirandum, & ſaxi naturā excellens; cùm in tā vaſtâ mole neq; fiſſura, neq; labes vlla conſpiciatur. Hanc verò inſcriptionē præferre: SVM OSMANDVAS, REX REGVM. SI QVIS NOSSE VELIT, QVANTVS SIM ET VBI IACEAM, MEORVM ALIQVID OPERVM VINCAT. Aliam inſuper imaginē eſſe matris illius ſeorſum cubitorum XX. vno ſaxo conſtans, in cuius capite tres reginæ, quibus ſignificetur, filiam vxorem & matrem regis fuiſſe. Secundùm hoc atrium (aiunt) periſtylion erat priore memorabilius, in quo variç ſculpturæ repræſentātes bellum, cum Bactris, qui deſciuerant ab eo, geſtū; in quos expeditionē feciſſe cum quadringentis millibus peditū, & viginti millibus equitum; exercituq; in quatuor agmina diuiſo, omnib. cū imperio filios regis præfuiſſe memoratur. In primo itaq; pariete rex videtur murū oppugnans amni circūfluum. in primaq; acie cum aduerſis hoſtibus quibuſdam dimicans, Leone ſocio qui terribilem ad modū regi opitulatur. Quod pars interpretū de vero Leone accipiendum eſſe affirm. ba; quem manſuefactum rex aluerit, quiq; ad pugnarum diſtrimina cum eo deſcendens, roboris ſtrenuitate facilè in fugam hoſtes verterit. Pars aliter explicabat, quòd cùm maiorem in modum fortis eſſet & inſolens, ſuas ita laudes decantare voluerit, imagine Leonis animi ſui habitum ſignificans. In ſecundo pariete captiui regis trahuntur, abſq; virilibus & manibus effigiati; quò effœminatos animos, nullaſq; in periculoſis negociis manus habuiſſe illos, ſignificatum videtur. Tertius inde paries omnis generis ſculpturas, & picturas inſignes, exhibet; quibus victimæ regis & triumphus à bello iſto actus, exprimuntur. In medio periſtylio ara ſub dio, ex lapide pulcherrimo conſtructa erat, artificio manuum excellens, & magnitudine admirandâ. In vltimo pariete duæ ſunt imagines reſidentes, ex integro ſaxo XXVII. cubitorum. Iuxta quas tres è periſtylio introitus facti, atque inde domus columnis ſubſtructa, ad Muſici theatri inſtar, cuius latera ſingula duûm plethrorum. In eâ multæ ex ligno ſtatuæ, quibus diſceptantes in iudicio, & reſpectantes ad iuri dicundo præfectos, ſignificantur. Hi nume-

IIX.

ro XXX. in vno parietum exsculpti. In medio est Prætor iudicii, veritatem clausis oculis collo appensam, plurimósque sibi libros adiacentes, habens. Hac imaginum figura ostenditur, iudicum esse, nihil accipere; & iudiciorum præsidem ad solam respicere veritatem oportere. Exinde ambulacrum est variis ædificiis refertum; in quibus omnia esculentorum genera, quibus summa in fruendo suauitas, elaborata habentur. Tum affabrè sculptus & floridè pictus rex spectatur, aurum & argentum deo offerens; quod annuatim ex omni Ægypto de argenti & auri fodinis percepit. Summa quoque ad argenti rationem adscripta erat trecenties vicies centena minarum millia. Posthæc sacram esse Bibliothecam cum inscriptione, MEDICATORIVM ANIMAE, contiguasque huic omnium in Ægypto deorum imagines, rege munus vnicuique competens offerente, vt qui Osidiri & collocatis infra assessoribus demonstret, quod piam erga deos iustamque in homines vitam transegerit Iuxta bibliothecam domus affabrè exstructa cum XX. lectisterniis, in quibus Iouis & Iunonis, regisque effigies; vbi etiam regis corpus tumulatum videtur. Circum verò vndique ædes non paucæ exsistunt, quæ omnium in Ægypto consecratorum animalium elegantes picturas exhibent. Inde ad totum sepulcrum adscensus. Quo superato, aureus est circulus in ipso monimento, CCCLXV. cubitorum ambitu, crassitie cubitali; inscriptique & diuisi in singulos cubitos anni dies, cum notatione ortus & occasus stellarum naturalis & significationum, quas Ægyptii Astrologi ab illis effici docent. Hic (aiunt) circulus à Cambyse & Persis abreptus est, quando in eius potestatem Ægyptus peruenit. Ad istum ergò modum Osymanduæ regis sepulcrum describunt: quod non modò sumptuum magnificentiâ, sed artificum etiam industriâ, longè supergressum alia videtur. Thebæi vetustissimos omnium mortalium se esse prædicant; apud quos omnium primos Philosophia & exactior Astrologia sit inuenta; adiuuante ipsos terræ situ, ad ortus & occasus siderum illustrius cognoscendum: modoque peculiari menses & annos apud se ordinatos esse. Nam dies non ad Lunæ, sed Solis motum ex gentes, tricenos mensibus dies tribuunt, & post duodecimum quemque mensem quinque dies cum quadrante intercalant

XL

L.

tercalant

tercalant; eoque pacto circulum annuum absoluunt. Menses autem intercalares non adiiciunt, nec dies (aliquot) subducunt; quod Græcorum plerisque in vsu est. Hi Solis & Lunæ defectus accuratè videntur obseruasse, & diuinationes ex his ita instituunt; vt singulatim omnes euentus certissimè prædicant. Ex progenie huius regis octauus, patris nomen adeptus Vchoreus, Memphin condidit, vrbium Ægypti clarissimam. Ex omni enim terrâ locum delegit commodissimum; vbi Nilus in plures discedens alueos, Delta, à figura sic nuncupatum, efficit. Hinc accidit, vt vrbs opportunè ad claustra iacens, sursum nauigantes in potestate haberet. Ambitum fecit stadiorum CL. & mirificam ei firmitatem, vsumque conciliauit hoc modo. Cùm enim Nilus vrbem circumfluat, & augmenti tempore inundet, ab austro ingentem obiecit aggerem; qui contra fluminis incrementa tutamen, & contra hostes è terrâ propugnaculi vicem, præstaret. A cæteris vndique plagis lacum effodit vastum ac profundum, qui impetum fluminis excipiens, omnemque circa locum, vbi agger exstructus erat, replens, mirum in modum vrbem obfirmauit. Tam præclarè demum loci opportunitatem dispexit conditor, vt plerique omnes post ipsum reges, posthabitis Thebis, aulam & habitationem regiam eò transferrent. Ab hoc ergò tempore Thebarum res imminui, Memphis contra augeri ad Alexandrum vsque regem. Qui cum de nomine suo vrbem ad mare ciuibus frequentasset, omnes inde reges Ægypti in amplificationem eius incubuêre. Nam pars eam regiis palatiis, pars naualibus & portubus, pars cæteroqui donariis & operibus eximiis, vsque adeò honestârunt, vt à plurimis prima aut certè secunda, inter orbis terrarum vrbes censeatur. Verùm de hac suo tempore peculiariter tractaturi sumus.

LI. Porrò Memphis ille conditor, perfecto aggeris & lacus opere, Regias alibi quidem constructis non inferiores regum tamen priorum magnanimitate & elegantia haud dignas ædificauit. Nam regionis huius incolæ tempus vitæ limitibus circumscriptum perexigui æstimant. At quod celebrem à morte virtutis memoriam habiturum sit, illud pendunt maximi. Et domicilia viuentium *diuersoria* nominant, quòd exiguum ad tempus hæc incolamus. Defunctorum verò sepulcra *domos æternas* appellitant,

tant, quod infinitum apud inferos æuum peragant. Quamobrem de structurâ domorum minùs sunt soliciti: in adornandis autem sepulcris eximiè nihil studii faciunt reliquum. Vrbem de quâ iam dictum, sunt, qui à conditoris filiâ denominatam putant. quam ab amne Nilo sub formâ Tauri, amatam fabulantur, & hinc virtutis admiratione celebrem apud indigenas Ægyptum esse genitum, à quo tota sit regio nuncupata. Namque per successionem regno potitum humanitate, iustitiâ, & dextrâ in omnibus gnauitate præstitisse. Ob beneuolentiam igitur omnibus valde probatam honores istos obtinuisse. Post duodecim ab hoc ætates Princeps Ægypti factus Myris, propylæa in Memphi Borealia cæteris magnificentiora construxit. Et supra vrbem lacu per x. inde schœnos (id est IↃ c. stadia) deductum IↃ c. effodit, cuius mira vtilitas, & magnitudo operum incredibilis. Circũ enim circa (aiunt) stadiûm CIↃ CIↃ CIↃ IↃ c. complectitur, profunditas autem plurimis in locis est. quinquaginta orgyiarum (seu vlnarum, id est, 200. cubitorum, vel 300. pedum,) Quis ergò operis magnitudinem perpendens, non meritò roget, quot virûm myriades & quot annis id perfecerint? At vsum eius & fructum ad Rempublicam Ægyptiorum redundantem, regisque prudentiam, nemo pro veritatis merito laudauerit. Cùm enim non certis se Nilus augmentis effunderet, & pro moderatione eius frugum vbertatem regio suppeditaret: ad recipiendum aquas redundantes lacum effodit; vt nec intempestiuo terram affluxu inundans, paludes & stagna efficeret, nec minùs quàm expediret restagnans, aquarum inopiâ frugibus officeret. Fossam igitur è fluuio in lacum duxit, LXXX. stadia longam, & tria plethra (id est, CCC. pedes) latam. Quâ interdum recipiens, interdum auertens fluuium, tempestiuam aquæ copiam agricolis exhiberet, ore nunc aperto, nunc occluso, non absque solertiâ multisque impensis. Qui enim structuræ huius claustra vel reserare, vel obstruere volebat, non minus quinquaginta talentis insumere necessum habebat. Permansit autem lacus, vsibus Ægyptiorum ita inseruiens, ad nostram hanc vsq; ætatem, & ab auctore Myris [illegible]lieque appellatur. Rex qui eum effodit, locum in me[illegible]mo sepulcrum & duas pyramides, vnam si-

LII.

bi, al-

bi, alteram vxori, ſtadii altitudine, exſtruxit, iiſque marmo-
reas effigies, in throno reſidentes impoſuit, quod immor-
talem virtutis memoriam his monimentis ad poſteros ſe
propagaturum exiſtimaret. Vectigal ex piſcibus huius la-
cus vxori largitus eſt, ad vnguenta & alium ornatum, cui
talentum in ſingulos dies ex piſcatu accedebat. nam XXII.
piſcium genera in eo contineri teſtantur, tantamque capi
multitudinem, vt qui perpetuam illic ſalituræ dant operam
(quorum ingens eſt numerus) vix opus ſuperare queant. At-
que hæc de Myride narrant Ægyptii.

III. Poſt ætates inde ſeptem (aiunt) Seſoſtris (qui & Se-
ſoôſis & Seſonchis) rex fuit, qui maiores rebus geſtis o-
mnes ſuperauit. Quandoquidem verò de rege iſto non
Græci ſolùm ſcriptores inter ſeſe diſcrepant, verum etiam
Sacerdotes Ægyptii, & qui carmine laudes eius celebrant,
non conſentanea inter ſe narrant: nos veriſimillima, & cum
reſtantibus in Ægypto ſignis maximè congruentia, refer-
re conabimur. Nato enim Seſoſtri, pater eius magnificum
& regium opus ſuſcepit. omnes eo die natos ex tota Ægy-
pto congregat, nutricibuſque ac accuratoribus adiunctis,
eandem omnibus educationis & diſciplinæ formam præſcri-
bit; perſuaſum habens, vnà familiariſſimè educatos & e-
iuſdem in ſermone fiduciæ participes, in amicos beneuo-
LII. lentiſſimos & commilitones optimos euaſuros eſſe. Cuncta
igitur affatim ſubminiſtrans, aſſiduis laborum tyrociniis
pueros exercebat. Nulli enim cibum ſumere, niſi prius
CLXXX. ſtadia percurriſſet, licebat. ideo virilem ætatem
ingreſſi, omnes athletico robore corporis, animiſque ad
imperandum, & quiduis fortiter gerendum, apti erant,
optimis vtique ſtudiis innutriti. Principiò autem Se-
ſoſtris à parente cum exercitu in Arabiam miſſus, (vnà
militabant etiam ſimul educati ſodales) venationibus ſe ex-
ercuit, & fortiter euictâ aquarum & ciborum penuriâ, to-
tam illic barbarorum nationem, nondum ſub iugum reda-
ctam, perdomuit. Poſthæc ad occiduas legatus terras, ma-
ximam Libyæ partem, admodum iuuenis, imperio ſubiun-
xit. Defuncto patri cùm ſucceſſiſſet, rerum antea geſtarum
fiduciâ elatus, totum ſibi orbem ſubiiciendum propo-
ſuit. Quidam ab Athyrte filiâ, ad capeſſendum or-
bis imperium inſtigatum, perhibent. hanc enim cùm ſa-
pientiâ

pientiâ omnes antecelleret, facilem expeditionis ſucceſſum fore patrem edocuiſſe. Alii diuinatione ad hoc vſam ferunt, quod futura prænoſceret è ſacrificiorum extis (haruſpiciná) & captatis in templo ſomniis, & prodigiis in cœlo obſeruatis. Sunt etiam qui ſcripsêre, cum Seſooſis naſceretur, patri eius Vulcanum in ſomnio viſum prædicere, puerum iam natum totius orbis dominium ſibi vendicaturum. Eaque de cauſa parentem æquales eius vndique coactos educatione regiâ dignatum, vt ad faſtigium illud ſummi imperii capeſſendi, viam filio ſterneret. Qui adultus; cum dei oraculo fidem haberet, militiam tandem hanc ſit aggreſſus.

LIII. At hoc inſtitutũ in primis omnium ſibi Ægyptiorum beneuolentiam conciliauit; neceſſarium arbitratus ſi cogitatis finem imponere vellet, vt milites pro Ducibus promtè ac lubenter oppeterent, relictique in patriâ nihil noui molirentur. ideò omnes, quoad poterat, demerebatur; hos pecuniarum largitione, iſtos agrorum donatione, illos pœnarum remiſſione demulcens, omneſque alloquiis & morum humanitate ſibi deuinxit. Læſæ maieſtatis reos impunè dimiſit, & ob æs alienum nexis (quorum ingens multitudo erat) nomina expediit. Regionem totã in XXXVI. partes diuiſit. (νομοὺς Ægyptii, id eſt, *præfecturas*, vocant) ſingulisque Nomarchas (id eſt *prætores*) ſuos præfecit, qui regiorum vectigalium curam gererent, & ſuo quiſque loco cuncta adminiſtrarent. Ex horum quoque numero viribus præſtantiſſimos elegit: & exercitum prout cœptorum magnitudine dignum erat, conſcripſit ad ſexcenta millia peditum & viginti quatuor millia equitum, curruumque bellicorum XXVII. millia: ordinum verò ſingulorum educatos ſecum, ductores fecit, iam pridem in re bellicâ exercitatos & à pueritia virtutis gnauiter ſtudioſos, fraternaque regi & ſibi mutuò beneuolentiâ deuinctos; quorum numerus CIↃ IↃCC excedebat. & his omnibus agros Ægypti feraciſſimos aſſignauit, vt reditibus inſtructi nulla re indigerent, bellicisque tantùm negotiis exercitarentur.

LV. Contractis igitur copiis, primos Æthiopes, meridiem verſus habitantes, bello aggreſſus eſt, debellatosque vectigal ſibi pendere coëgit, ebenum aurum, dentesque elephantum. Deinde claſſem CCCC. nauium expediuit in mare rubrum; indigenarum primus qui longa nauigia conſtruxit. Hac inſulas iſtic locorum occupauit; & quic-

quid

quid continentis mare attingit, ditioni suæ ad Indiam vsque adiunxit. Ipse verò terrestri agmen itinere promouens, Asiam totam subegit. Non enim prouincias solùm ab Alexandro Macedone postmodum acquisitas, verùm etiam gentes, quarum terras ille non aggressus est, inuasit. Nam & Gangen fluuium transiit, & Indiam ad Oceanum vsque totam permeauit. tum & Scytharum gentes subiecit ad Tanaim vsque fluuium qui Europam ab Asia dispescit vbi Ægyptiorum nonnullos, ad Mæotim paludem relictos, Colchorum nationem condidisse tradunt. quam ab Ægyptiis oriundam esse hoc argumento docent, quòd Ægyptiorum ritu circumciduntur; qui mos in colonia hac, perinde vt apud Iudæos permanserit. Eodem modo, quicquid Asiæ reliquum erat, totum, vt & plerasque Cycladum insularum, in fidem suam adegit. Transgressus porrò in Europam in amittendi exercitus periculum deuenit, ob annonæ defectum, & locorum difficultatem. Idcircò terminis expeditionis in Thracia constitutis, cippos vbique terrarum bello acquisitarum erexit, sacris Ægyptiorum literis, hoc verborum indicio inscriptos: HANC PROVINCIAM ARMIS SVIS DEVICIT REX REGVM, ET DOMINVS DOMINORVM SESOOSIS. In cippis illis pudendum viri, apud gentes quidem strenuas & pugnaces, apud ignauas autem & timidas fœminæ, expressit: ex præcipuo hominis membro animorum in singulis affectionem posteris euidentissimam fore ratus. Quibusdam locis suam quoque imaginem è saxo imposuit, arcu & lancea instructam quaternos palmos quatuor cubitis, qua ipse statura fuisset, proceriorem. Peracta tandem nouem annorum expeditione (cùm moderatum & comem se interea subditis præbuisset) gentes pro facultatum modo, munera quotannis in Ægyptum perferre iussit. & ipse cum captiuis, cæterisque spoliis (quorum vim immensam collegerat) in Ægyptum remeauit, rerum gestarum magnitudine omnes ante se reges supergressus; donariisque eximiis & manubiis hostium cuncta per Æpyptum templa exornauit. Tum milites, qui strenuam bello operam nauassent, donis pro merito cohonestauit. Certè à militia ista non tantùm probatæ virtutis exercitus, magnis auctus opibus, gloriosè domum rediit, sed & variis tota Ægyptus commodis

inde repleta fuit. Finitis inde bellis, copiisque dimissis, victoriarum sociis ocium, partisque fruendi potestatem concessit. At ipse gloriæ studio, & sempiternæ ad posteros memoriæ cupiditate incensus, magnas operum moles edidit, nec minus ingenio, quàm sumtu admirabiles, quibus & sibi gloriam immortalem, & Ægyptiis plena securitatis & ocii commoda in omne tempus comparauit. Nam primùm à diis exorsus, in omnibus Ægypti vrbibus templum deo, quem singuli maximè colerent, ædificauit. Ad labores autem Ægyptiorum neminem admouit, sed captiuorum operâ cuncta perfecit. Ideo templis omnibus adscripsit: INDIGENARVM NEMO HVC LABOREM IMPENDIT. De mancipiis autem quidam in Babyloniâ capti, quòd laborum molestias tolerare nequirent, à rege defecisse memorantur. Hi occupato iuxta fluuium castello munito bellum Ægyptiis facessentes, agrum vicinum populabantur. Sed impunitate tandem concessâ, locum habitationi delectum patriæ nomine Babylonem vocârunt. Simili de causâ Troiam, quæ nunc quoque Nilo adiacet, nuncupatam asserunt. Menelaus enim Ilio cum multis captiuis reuertens, Ægyptum appulit. Hic Troiani à rege deficientes, insesso quodam loco, arma in Græcos expediére, quoad libertate redditâ, vrbem patriæ nomine insignem condiderunt. Nec me fugit, diuersa de vrbibus istis, à Ctesiâ Cnidio referri, dum ait: Quosdam ex illorum numero qui cum Semiramide quondam in Ægyptum transierunt, vrbes à se conditas patriis nominibus indigetasse. At certam horum veritatem exponere non facilè est. discrepantes tamen opiniones annotare, vt sincerum de veritate iudicium lectori relinquatur necesse est.

Sesostris porrò multas & ingentes aggerum moles eduxit, in quos ciuitates, quibus editiorem natura positum negauerat, transmigrare iussit; vt insurgente fluuio tutos ibi receptus homines & animalia capesserent. Per omnem verò terram à Memphi ad mare, crebras ex amni fossas duxit, vt fruges per compendia & facilè conueherent, mutuisque homines commerciis, & vbique locorum quiete, ac prolixâ omnium commodorum abundantiâ fruerentur: & quod maximum, contra irruptiones hostium munitam, & incursatu difficilem terram effecit. Ante id enim

tempus

tempus potissima ferè Ægypti pars equorum & curruum agitationi patebat. At postea propter fossarum ex fluuio deductarum multitudinem, difficilimos præbuit accessus. Muro etiam orientale Ægypti latus contra Syrorum & Arabum irruptiones à Pelusio per desertum Heliopolim vsque, ad CIↃ & IↃ stadiorum longitudinem vallauit. Nauigium præterea Cedrinum, CCLXXX. cubitos longum, compaginauit, extrinsecus auro, intrinsecus argento obductum. Hoc deo, quem Thebæi religiosissimè colebant, dedicauit. Duos insuper obeliscos è duro lapide CXX. cubitorum altitudine; quibus potentiæ magnitudinem & vectigalium copiam, & nationum debellatarum numerum, inscripsit. Quin etiam in Memphitico Vulcani templo, suas & vxoris imagines statuit ex integris saxis; tricenos cubitos altas, & filiorum ad XX. cubitos eductas. idque propter hunc casum. Cum à magna illa expeditione reuersus in Ægyptum Sesostris, ad Pelusium commoraretur, frater ipsum, cum vxore liberisque conuiuio exceptum insidiis appetebat. His enim à potu largiore consopitis, ille magnam siccæ arundinis vim, iam pridem ad hoc destinatam tabernaculo regis noctu circumgessit & incendit. Igne igitur subitò inflammescente, ministri & satellites regis, vino adhuc graues, segniùs opem ferrebant. Tum porrectis sursum manibus Sesostris, pro salute vxoris & filiorum vota diis suscipiens, per flammas euasit. atque sic inopinatò seruatus, cùm alios deos (vt supra dictum est) tùm maximè Vulcanum, vt cuius beneficio salus ipsi contigisset, donariis veneratus est.

LVIII. Quanquam verò multis & præclaris rebus excellat Sesostris; omnium tamen magnificentissimum videtur, quod in profectionibus regis circa principes factitatum. Qui enim gentium deuictarum regna indulgentiâ ipsius tenebant, aut alioqui principatus acceperant maximos, stato tempore cum donis in Ægyptum ventitabant: quos rex exceptos cætera honorare & eximiè prouehere, sed templum vel vrbem ingressurus, equos à quadrigis soluere, regesque ac duces quaternos subiugare solebat; planum ita cunctis; vt putabat, faciens, quòd aliorum potentissimis, totoque orbe clarissimis, bello subactis, ip-

virtutis certamine sibi comparandum habeat neminem. Hic ergò Rex omnes qui vnquam cum potestate fuerunt, rebus bello gestis &magnitudine, numeroque donariorum, & operum in Ægypto editorum excessisse videtur. Exactis autem in regno annis XXXIII. captus oculis sponte vitâ demigrauit; eoq; facto non modò Sacerdotum, sed cæterorum quoque Ægyptiorum admirationem promeruit: quòd magnitudine animi factis testata, dignum vitæ exitum sibi fecisset. Adeoque gloria huius regis cum temporibus prolatata inualuit, vt cùm multas post ætates, redactâ sub imperium Persarum Ægypto, Darius Xerxis parens suam Memphi imaginem Seloosi anteponi contenderet: Flaminum princeps, in Sacerdotum concione, vbi de hoc disputabatur contra dixerit; Darium Sesostris gesta nondum superasse demonstrans. Rex igitur non tantum non indignè hoc tulit, sed è contrario ingenuâ libertate demulsus & exhilaratus, elaboraturum se dixit, vt, si tantundem vitæ sibi contingat; nulla in re illo sit posterior. Res etiam parili ætate gestas comparari iussit: hoc enim iustissimum esse virtutis examen. Atqui de Sesoosi hactenus dicta nobis sufficiant.

LIX. Successit ipsi in regno filius, patris nomine assumto. Is quidem nihil omninò memorabile bello peregit; calamitate tamen singulari afflictatus est namque oculorum vsum, vt parens, amisit, vel ob naturæ paternæ communitatem, vel ob impietatem in fluuium, quem, vt fabulantur quidam, iaculis impetierat. Hoc infelice igitur casu ad opem deûm implorandam adactus, cùm longo tempore plurimis sacrificijs & honoribus iram numinis auerruncare studuisset; nulla tamen eius ratio habita fuit. Decimo demum anno oraculi monitu, vt & deum Heliopolitanum veneraretur, & fœminæ alienum virum non expertæ lotio faciem ablueret; à suâ coniuge exorsus, cùm multas explorasset, nullam inuenit incorruptam; præter hortulani quandam, quam sanitati redditus vxorem duxit: adulterasque viuas in vico quodam concremauit, quem ab euentu hoc *glebam sacram* nuncuparunt. vt Heliopolis igitur deo pro beneficio gratiam redderet, diuini responsi iussu binos saxi obeliscos, ad octo cubitorum latitudinem, & longitudinem centum, dedicauit.

Post

Post hunc ingens successorum numerus nihil memoratu dignum egit. At multis pòst seculis Ammosis regnum adeptus, violentius potestate in plebem abusus fuit. nam multos præter ius plexit, nec paucos facultatibus exuit, fastuosumque & arrogantem, ac per omnia superbum cunctis sese exhibuit. Tolerabant ad tempus oppressi, dum resistere potentioribus nullâ ratione possent. Quamprimùm verò Actisanes Æthiopum rex bello eum inuasit, ansâ odii exsequendi arreptâ, pars maxima deficit, Tyrannoq; non difficulter victo, Æthiopum regno Ægyptus accedit. Actisanes æquo animo, (vt hominem decet) res secundas ferens, erga subditos modestè se gessit; vbi & singulare quippiam in prædones designauit. nec enim capitali nocentes supplicio affecit, nec impunitos omninò dimisit. Ex tota enim prouincia reos hinc inde conquisiuit, & post cognitionem iustissimam, totum damnatorum agmen, naribus amputatis in vltimas deserti oras deportauit. Quibus in confiniis Ægypti & Syriæ, non procul à vicino littore oppidum constituit, (*Rhinocoluram* ab hac ciuium calamitate vocitarunt) quod cunctis ferè ad victum pertinentibus destituitur. Circum enim circa salsugo est, & pauxillum intra mœnia aquæ, & quidem corruptæ, gustatuque perquàm amaræ, putei subministrant. Huc submouit ipsos eo consilio, vt nec pro vitæ pristinæ more damno innocentes afficerent, nec in permixtione cum aliis ignoti laterent. Veruntamen in hanc, quamuis desertam, omniumq; propè commodorum inopem relegati oram, congruum, indigentiæ suæ victum (Natura ad omne contra penuriam machinas impellente) excogitarunt. Nam de stipulâ ex vicinis agris detonsâ fissaque, longa nectebant retia, quibus per multa in littore stadia expassis conturnices (quarum magnus è pelago numerus gregatim aduolat) aucuparentur, quantumque sat esset, victus, sibi compararent.

LXI. Post regis huius obitum, recuperato Ægyptii regno suæ gentis regem crearunt. Menden, quem nonnulli Marum vocant; qui nullum omninò facinus bellicum designauit, sed sepulcrum Labyrinthi nomine sibi construxit, non tam mole admirandum, quàm artificio inimitabile. Ingressus enim ipsum, non facile exitum, nisi ducem peritissimum nactus, reperire potest. Sunt qui Dædalum quoque in Ægyptum ferunt

delatum, demiratumque operum illic solertiam, Minoi Cretensium regi Labyrinthum ad exemplar Ægyptii concinnasse: in quo Minotaurum, quem dicunt, versatum esse fabulantur. Atqui Cretensis vel à Regum aliquo destructus, vel longinquitate temporis vitiatus intercidit: cùm Ægyptius ad nostræ ætatis tempus structuram prorsus integram conseruârit.

LXII. Exstincto hoc rege, cum per quinque hominum ætates, solitudo magistratuum fuisset, quidam ex ignobilium numero præ cæteris rex designatus fuit, quem Ceten Ægyptii, Græci Proteum nominant, cuius ætas in belli Troiani tempestatem incidit. Quod verò ventorum scientiâ præstitisse, seque nunc in animalium formas nunc in arbores, aut ignem, aut aliud quippiam transmutâsse traditur, idipsum cum sacerdotum de illo narratione consentit. nam ex assiduâ cum Astrologis consuetudine huiusmodi arcanorum peritiam adeptum esse. Ex ritu autem, regibus per traditionem vsitato, hanc deformæ transformatione fabulam apud Græcos ortam. Ægyptii enim Principibus Leonum, Taurorum & Draconum facies, vt regiæ potestatis insignia, capiti circumdare; & nunc arbores, nunc ignem, quandoque etiam suffimentorum non pauca fragrantium in vertice gestare, mos erat. Simul vt his decorè se exornarent, simul vt stuporem a iis, & superstitionem iniicerent. Proteum regno vitaque defunctum excepit Remphis filius. Is vitam vectigalibus accurandis, & opibus vndecunque aceruandis, totam insumsit. nec pusillus hominem animus, ingeniique sordida auarities vel in sacra diuorum munera, vel beneficia hominibus conferenda, quicquam expendere sinebant. Ideo non vt rex, sed dispensator bonus pro virtutis gloriâ maximos pecuniarum cumulos, quantos regum superiorum nemo, reliquit. argenti enim & auri talenta quadringenties mille coëgisse fertur.

LXIII. Hoc demortuo ad septem hominum ætates sceptra per successionem tenuerunt reges prorsus ignaui, qui, quicquid agerent, ad otium & voluptates referrent, ideoque nihil exacti operis, nihil actionis historiâ dignæ, in sacris libris annotatum habent, excepto Nileo: qui fluuium Ægyptum prius vocitatum, Nilum de se nominauit. Idem quia canales & fossas quamplurimas opportunè

tunè duceret, & ad commodiorem Nili vsum studii multum conferret, auctor fluuio nominis huius exstitit. Octauus inde rex Chemmis(Chembes)patriâ Memphites quinquaginta annos imperauit,& trium pyramidum, quæ inter clarissima orbis opera septem numerantur,maximam eduxit. Sitæ illæ versùs Libyam, à Memphi stadia cxx. & à Nilo xlv. absunt. Magnitudo in his operum & manuum solertia mirificum contemplantibus stuporem afferunt.nam vnumquodque latus maximæ (figuræ hæc quadrilateræ est) super basi septena plethra, altitudo plusquam sena plethra continet: & paulatim ad verticem vsque contrahens latera senis cubitis absoluit. Tota è solido lapide, elaboratu quidem difficili,sed durationis perpetuæ,confecta est. Cùm enim non pauciores mille anni (quidam plures quam ciↄ ciↄ ciↄ cccc. annotant) ad vitæ nostræ tempestatem effluxerint, saxa pristinam compagem, totámque structuram adhuc incorruptam seruant. Hic lapis per magnam locorum distantiam ex Arabiâ deportatus esse, & aggerum adminiculo (machinis tunc nondum inuentis) opus surrexisse ferunt. & quod maximam pariat admirationem, substructio tam insana perfecta est in loco, qui totus circumquaq; arenosus est, vt ne vestigium quidem tum aggeris, tum cæsi & politi lapidis sit reliquum. vnde non paullatim hominum operâ,sed coniunctim&simul,ceu à deo quopiam tota illa moles in circũfusas arenas collocata videatur. Ægyptiorũ nonnulli monstrificè de his loqui, & nescio quas fabulas obtrudere conantur; quod nimirũ cùm aggeres isti è sale & nitro constarent fluuius immissus eos liquarit, dissolutosq; præter operis absoluti structuram prorsus aboleuerit. Atqui non & veritas rei sic habet;sed quę hominũ multitudo aggeres construxit, hæc in pristinum eos locum regessit, ccc.enim & lx. virûm millia, vt aiunt,ministeriis hisce incubuerunt,totúmq; opus vix viginti annorum spacio consummatum est.

LXIV. Denatum hunc regem in imperio secutus est germanus Cephrẽ annósq; sex vltra quinquaginta regnauit. Sunt, qui non fratrem,sed filium nomine Chabryim regno potitum tradunt. hoc sane omnium consensu affirmatur quòd successor prioris institutum æmulatus,pyramidũ alteram extulerit,artificio quidẽ structuræ priori assimilem,sed magnitudine longè inferiorem. Quodlibet enim basis latus stadium tantummodo

obtinet. Maiori inscripta est pecuniæ, in olera & raphanos operarum expensæ summa, plusquàm CIↃ IↃↃ. talenta insumta indicans. Minor inscriptione caret; & in vno latere adscensum habet malleo incisorio excauatum. Has licèt sepulturæ suæ destinassent reges; accidit tamen, vt neuter inibi conderetur. Plebs enim, propter laborum molestias, regumque crudelitatem & violentiam illis infensa, cadauera è monimentis se eruituros, & discerpta ignominiosè abiecturos, interminabatur. Quamobrem moriens vterque vt in obscuro cadauer loco funerarent, amicos iusserunt. Post hunc Mycerinus rex fuit (aliis Mycherinus vocatus) eius, qui priorem condidit pyramidem natus. qui tertiam aggressus, ante perfectum opus vitâ defungitur. vnumquodque basis latus ad terna plethra fundauit. Parietes verò ad XV. contignationes vsque è nigro saxo, Thebaicum referente, eduxit. Reliquum verò lapide quo pyramides aliæ constructæ erant, expleuit. Opus hoc, quanquam magnitudine à cæteris superatur; structuræ tamen arte & lapidum magnificentiâ longè excellit. In latere Boream versùs adscriptum est auctoris nomen, MICERINVS. Hic priorum (aiunt) regum sæuitiam detestatus, vitam humanitati & moderationi ac beneficentiæ erga subditos addictam coluit. Fecitque tùm alia plura, quibus populi erga se beneuolentiam quam maximè fieri posset, prouocaret, tùm in populi causas apud magistratus vim magnam pecuniarum insumsit; dona largiens hominibus probis, qui in iudiciis non, vt par erat, demitti videbantur. Sunt etiam aliæ pyramides; quarum vnumquodque latus duûm plethrorum est, & totum opus, præter magnitudinem, cæteras structurâ imitatur. Has proximi tres reges vxoribus suis confecisse perhibentur. Nec dubium est, quin hæc opera cætetis per Ægyptum longè præcellant, non tantùm substructionum mole & impensis, sed etiam industriâ artificum. plus enim architectos, quàm reges ipsos, qui sumptus in hoc fecerunt, admirandos esse censent. Istos enim propriis ingeniis & studiis, hos diuitiis hæreditariò acceptis, & molestiis alienis destinata perfecisse. At de pyramidibus nullus omninò, nec apud indigenas, nec inter scriptores, est consensus. Alii à regibus suprà memoratis, alii ab aliis, eductas memorant. maximam scilicet Armæi, secundam Amasis

masis (Ammosis) tertiam Inaronis opus esse. Hanc nonnulli Rhodopidos meretricis sepulcrum esse dicunt, cuius amore capti Nomarchæ quidam (id est, *locorum præfecti*) communi id opus sumtu, demerendæ eius gratiâ, perfecerint.

XV. Exinde regnum suscepit Bocchoris, corpore exili & despecto, sed ingenio & prudentiâ ante se regibus præcellens. Post multas hinc tempestates regno Ægypti præfuit Sabaco, natione Æthiops, deorumque cultu & benignitate antecessoribus cunctis superior. Argumentum humanitatis non dubium alicui præbuerit, id quod inter pœnas lege irrogatas (de capitalibus loquor) maximum est. Pro capitis enim supplicio id rependit damnatis, vt vinculis adstricti in oppidis laborarent: eorúmque operâ multos erexit aggeres, nec pauca Nili diuortia commodùm effodit. Hoc enim consilio plectendis supplicii acerbitatem deminui, & inutilium loco pœnarum magnam vrbibus vtilitatem creari, persuasum habebat. Pietatem eius summam ex visione somnii & abdicatione magistratus æstimaueris. Nam deus Thebarum præses, in somniis ipsum alloqui visus: FELICITER ET BEATE REGNVM ÆGYPTII TENERE NON POSSE, NI DISSECTIS, QVOTQVOT ESSENT, SACERDOTIBVS PER MEDIVM IPSORVM CVM SATELLITIO TRANSIRET. Quo sæpius iterato, sacerdotes vndequaque accersens, deum, si diutius illic subsistat, offendi ait: qui per somnium alias neutiquam talia iussisset. purum igitur sceleris & piaculi abire, & fato vitam reddere, quàm deo molestum esse aut vitâ per cædem nefariam pollutâ Ægypto dominari malle. Ita regno tandem indigenis reddito, in Æthiopiam se recepit.

XVI. Magistratuum in Ægypto solitudo tunc fuit per biennium; sed plebe ad tumultus & intestinas cædes conuersa; XII. inter se Duces præcipui coniurant, senatuque Memphi habito cùm mutuæ concordiæ & fidei leges conscripsissent, reges seipsos creant. Cùm igitur ad fœderis iurati formulam XV annos perpetuo inter se consensu rempublicam administrassent, ad communis omnium sepulcri exstructionem animos adiiciunt, vt quemadmodum mutuâ per vitam beneuolentiâ coniuncti æquales gessissent honores; sic vno post obitum loco conditi, communi gloriam monimento complectantur. Operum

verò

verò magnitudine omnes ante se reges excellere properârũt. nam quodam in Africa loco, circa Myridis lacus ostium, delecto, monimentum quadratum, & stadium quaqua versùs complexum, è saxis pulcerrimis substruxerunt, ita vt ad sculpturas cæterámque operum solertiam, posteris nihil facerent reliquum. Murum enim ingressis domus occurrit, vndique columnis suffulta. quadragenis latus pilis explebatur. tectum ex vno constans lapide, præsepibus & quibusdam aliis affabrè politis exsculptum, diuersisque picturis variegatum erat. Patriæ quoque regum singulorum monimenta, cum templis & sacris ibi frequentatis, pulcerrimis picturis elaborata continebat. tanto denique sumtu, tantaque mole substructionem hanc sepulcri reges inchoauerant, vt, nisi deiectio illorum perfectionem anteuertisset, nemo operum magnificentiâ illos excedere quiuisset. At cùm Ægypto per XV. annos præfuissent, summa rerum ad vnum hanc ob causam deuoluta est. Psammetichus Saites, Ægypti regum vnus, maritimis potitus oris, cunctis negociatoribus, maximè Phœnicibus & Græcis, mercium copiam faciebat. hoc itaque pacto, dum res ex suâ prouinciâ cum lucro distrahit, & importata à Græcis acquirit, non tantùm magnas collegit opes, sed etiam gentium & Principum sibi amicitiam comparauit. Inuidiâ igitur impulsi reges cæteri, bellum viro inferunt. Nonnulli scriptorum veterum fabulantur, oraculum Principibus editum. Qui ex ipsorum numero primus æneâ phialâ deo Memphitico libâsset, totam in potestate Ægyptum habiturum. Psammetichum igitur, cùm Sacerdos è templo aureas phialas XII. extulisset, detractâ galeâ libamen fudisse. quod cùm suspectum haberent collegæ, à nece quidem eius temperâsse: sed ditione pulsum, in paludes mari vicinas relegasse. Siue hoc igitur, siue inuidia (vt dictum est,) dissensioni causam præbuerit: Psammetichus ex Arabiâ, Cariâque & Ioniâ stipendio milites conduxit, collatâque acie apud vrbem Momenphim victor abiuit. Aduersæ partis regum alii in prælio ceciderunt, alii in Libyam profugi, armis de regno non vltra disceptare valuerunt. Toto proinde regno potitus Psammetichus, Memphitico deo propylæum (vestibulum) orientale exstruxit, fanumque muro circumdedit, pro pilis colossos duodenûm cubitorum substituens, Mercenariis autem militi-

LXVII.

militibus extra stipendium promissum dona eximia distri-
buit, locumque Stratopedon, id est, castrorum inde nomen
adeptum, agris insuper multis sorte attributis, paullùm su-
pra ostium Pelusiacum inhabitandum concessit. quos A-
masis multos post annos regnans inde summotos, Mem-
phim transtulit. Quod conductitii ergò militis præsidio re-
gnum vindicasset, huic deinceps administrationis negocia
præcipuè commisit, magnasque peregrinorum copias ale-
re perrexit. Suscepta dehinc in Syriam expeditione, cùm
externos in acie præferens in dextrâ collocaret parte; popu-
laribus verò neglectiùs habitis, sinistrum attribueret lo-
cum. Ægyptii hac indignitate permoti plures quàm cc
M deficiunt, & nouas occupaturi sedes, Æthiopiam ver-
sùs iter intendunt. Ad quos duces quosdam initio rex mit-
tit, dehonestationem illam excusaturos: quibus repudiatis,
ipse cum amicorum comitatu nauibus insequitur. At vbi
nihilominus iuxta Nilum progressi, iam fines Ægypti
transcendunt, precibus ad sententiæ mutationem eos solici-
tans, templa; patriam; vxores; liberos; recordari iubet. Tum
vniuersi hastas clypeosque pulsantes, contentâ voce respon-
dent, quoad arma in potestate habeât, facilè sibi patriam re-
perturos; Reductis quoque tunicis genitalia ostentant,
nunquam sibi vxores aut liberos defore, quamdiu his sint
instructi, dictitantes. Hoc animorum robore, & hoc rerum,
quæ aliis potissimæ videntur, contemptu, optimum Æthio-
piæ tractum, agris longè latéque sortito diuisis, ad incolen-
dum sibi vendicarunt. Hinc non mediocrem Psammetichus
dolorem concepit. Dumque res Ægypti disponit, & vecti-
galibus operam dat augendis: Athenienses etiam & nonnul-
los Græcorum alios societatis fœdere, sibi adiunxit; liberalis
& benignus in peregrinos sponte in Ægyptum migrantes;
& Græcis tam eximiè addictus, vt filios etiam suos Græcis
disciplinis imbueret. Primus certè omnium Ægypti regum
gentibus aliis peregrinæ regionis emporia patefecit, ma-
gnamque nauigationibus exterorum securitatem præstitit.
Nam rerum ante ipsum potiti inaccessam peregrinis Æ-
gyptum faciebant; appulsos vel morte, vel seruitute multan-
tes. Busiridis equidem impietatem, inhospitalitas gentis
tam famosam Græcis reddidit. non enim reuerâ sic acci-
dit, sed immanitas summa fabulæ commento locum dedit.

Post IV. inde ætates Apryes duos & XX. annos administrauit. Is cum instructissimis terrâ marique copiis in Cyprum & Phœniciam impressione factâ, Sidonem vicepit, aliasque Phœniciæ vrbes terrore subegit. Et ingenti pugnâ nauali Phœnicibus & Cypriis deuictis, cum magnâ spoliorum vi in Ægyptum reuersus est. Postquàm verò lectissimis ciuium copiis aduersus Cyrenem & Barcem missis, maximam harum partem amisisset, elapsos ex illâ clade infensissimos habuit. Ad perniciem enim militum, expeditionem illam consulto factam suspicati, quò securius reliquis Ægyptiis imperitaret, desciuerunt. Contra hos Dux à rege designatus Amasis, vir illustris inter Ægyptios, mandatis eius de concordiâ resarciendâ prorsus neglectis, & contrà ad maiorem à rege abalienationem perduellibus incitatis, & ipse deficit, atque rex creatur. Nec multò pòst cùm etiam cæteri populares ad eum transissent, regem quò se verteret dubium, necessitas ad inuocanda mercenariorum subsidia compulit, qui circiter XXX. millia erant. Sed cùm prælio commisso ad Marium vicum, victoria penes Ægyptios staret, Apryes viuus in hostium manus venit, ac strangulatus periit. Amasis autèm regni negociis, prout conducere visum, constitutis, iustum & æquum in Ægyptios imperium exercuit, & magnum hoc ipso fauorem promeruit. Cypri etiam oppida subegit: & multa deûm templa donariis magnificis exornauit. Cúmque annos LV. regnasset, vitam cum morte commutauit: quando Cambyses rex Persarum Ægyptum bello adortus est, tertio Olympiadis sexagesimæ anno, vbi Parmenides Camarinæus stadio victor erat. Postquam de regum Ægyptiorum actis, ex vltimâ hominum memoriâ ad Amasis vsque mortem repetitis, sat dictum est; reliquis ad sua de hinc tempora suspensis: nunc instituta Ægyptiorum præ aliis admiranda, & quæ maximè lectores iuuare possint, summatim recensebimus. Multi enim prisci Ægyptiorum mores non tantùm ab indigenis probati fuére: sed in magnam quoque apud Græcos admirationem venerunt, ob quod inter doctos celebratissimi quique peregrinationibus in Ægyptum operam dedêre, vt legum illic & studiorum, tanquam rerum magni momenti, cognitionem assequerentur. Et quanquam regio antiquitus (propter causas antea recitatas) aditum hospitibus negaret, proficisci

LXVI

LXIX.

ficisci tamen illuc ex antiquissimis Orpheus & Homerus poëta; è posterioribus cùm alii complures, tum Pythagoras Samius; itemque Solon legum conditor, non dubitarunt. Affirmant itaque Ægyptii, literas & notationem siderum; speculationes item Geometricas, & artes quamplurimas; legúmque optimarum sanctiones, apud se inuentas. quorum demonstrationem hanc afferunt maximam, quòd vltra quater mille & IↃCC. reges indigenæ Ægyptum gubernarint; & ipsorum prouincia omnium toto orbe beatissima fuerit: quæ nunquam ita euenissent nisi moribus & legibus optimis, omnisque disciplinæ studiis imbuti homines fuissent. Nos autem, quæ Herodotus & nonnulli rerum Ægyptiarum scriptores, portenta narrationum pro veritate sponte amplexi, & voluptatis gratia fabulas commenti deblaterarunt, missa faciemus; sed quæ à Sacerdotibus Ægypti in commentarios relata penniculatè examinauimus, ea nunc exponemus.

LXX. Primi Ægyptiorum reges non pro cæterorum instituto Monarcharum vitam agebant, vt omnia scilicet ad suum arbitrium, nullis obnoxii censuris moderarentur: sed vniuersa non modò publicè gerenda, sed & quotidianæ vitæ regimen, & victus ratio, ad legum normam conformata erant. Quippe ad ministeria ipsorum nullus adhibebatur seruus, neque emtitius, neque verna: sed nobilissimorum tantùm sacerdotum filii, XX. annos egressi, & præ eiusdem gentis hominibus cæteris optimè instituti: vt, si curatores corporis & familiares optimos nocte dieque secum rex haberet, nihil prauum, aut vituperatione dignum committeret: Nullus enim princeps ad nimium improbitatis procedit nisi præstò sint, qui cupiditatibus eius subseruiant. Horæ tam noctis, quàm diei præfinitæ erant, quibus regem non sibi placita, sed legibus statuta, omnimodè agere oportebat. Sub auroram experrecto literæ vndecunq; scriptæ omnium primò acceptandæ erant, vt omnia rectiùs moderari posset, si exactè singula regni negocia comperta haberet. Tum lotus, & regni insignibus splendidáque trabeâ ornatus, diis sacrificatum ibat. Adductis tum ad aram victimis, mos erat principem Sacerdotum regi adstantem magnâ voce in confertâ Ægyptiorum coronâ preces enunciare: VT DII SANITATEM, CVM BONIS CÆTERIS OMNI-

OMNIBVS REGI, IVS ET ÆQVVM ERGA INFERIORES TVENTI, LARGIANTVR. Singulæ etiam regis virtutes deprædicandæ tum erant, quod videlicet piam erga deos, & mitissimam erga homines affectionem gerat, vt qui sit continens, iustus, magnanimus, alienus à mēdacio; benignus bonorum communicator; & tandem omnis concupiscentiæ victor; qui minores delictorum meritis pœnas irroget; & ampliorem beneficio gratiam rependat benemeritis. Hæc multaque alia his affinia, vbi perorauit Antistes, ignorantiæ ad extremum peccata exsecratur, regem quidem culpâ eximens, sed & noxam, & pœnas in ministros & doctores malorum retorquens. Quod ideò peragebat, simul vt ad metum numinis, & vitam diis gratam regem exhortaretur, simul vt non admonitionis acerbitate, sed laudum illecebris virtuti maximè congruis, ad vitæ modestiam illum adsuefaceret. Posthæc cùm extis victimæ inspectis, rex perlitâsset, à sacris libellis Sacerdos, consulta quædam & facta clarissimorum virorum, ad vitam conducentia, è commentariis sacris prælegebat, vt Princeps Reipublicæ honestissimorum rationes consiliorum animo cōsideratas, ad præscriptam singulorum administrationem simili modo accommodaret. Non enim agendi ad populum & iudicia obeundi tantummodo; sed etiam de ambulandi & lauandi, & cum vxore dormiendi, omniumque adeo per vitam agendorum, tempus definitum erat. Simplici præterea nutrimento vti; & vitulorum anserumq; carnibus vesci; & certam bibere vini mensuram, quæ nec ad repletionem immodicam, nec ad ebrietatem faceret; in more habebant. Breuiter tam moderata victus ratio præscripta fuit, vt non legislator, sed Medicorum optimus, ad sanam valetudinem omnia referens, eam instituisse videatur. Mirum sanè atque insolens, quotidiani potestatem cibi non integrā esse regi; sed multò admirabilius, quod nec iudicare, nec quiduis agere, nec punire quenquam ex petulantiâ aut irâ, aliâve iniustâ causâ, contrà quàm de singulis sancitæ leges iubebant, ipsis liceret. Hæc cùm more tenerent, tantum abfuit, vt indignè ferrent, aut animo offenderentur, vt contrà beatissimam se vitam agere existimarent. Alios enim mortales, temerè naturæ affectibus indulgentes, multa cum damnis aut periculis coniuncta peragere: imò nonnullos sæpe, etiamsi peccaturos se præsciant,

LXXI.

amore

amore tamen vel odio, vel quacunque perturbatione animi subactos, nihilominus mala perpetrare: se verò regulam viuendi à prudentissimis viris approbatam amplexos ab officio minimùm aberrare, statuebant. Hac erga subditos iustitiâ cùm reges vterentur, maiore in se ciues beneuolentiâ, quàm amore cognatos, propensos habebant. Non enim Sacerdotum duntaxat collegia, sed vniuersa Ægyptiorum natio, adeoque singuli, non tàm de vxoribus liberisque & bonis suis priuatis, quàm de regum incolumitate soliciti erant. Quocirca longissimo etiam tempore sub regibus memoratis integrum Reipublicæ statum conseruârunt, in summâ vitam felicitate exigentes; quamdiu hæc legum constitutio vigebat. Adhæc plurimæ ab eis gentes subactæ, maxima vis opum collecta, prouinciæ inimitabili operum magnificentiâ illustratæ, vrbesque variis ac sumptuosissimis donariis exornatæ fuerunt.

LXXII. Certè quæ post obitum Ægyptii regibus suis præstiterunt, non exiguam beneuolentiæ ciuium erga magistratum declarationem habebant. Honos enim in gratiam beneficii à sensu remotam collatus, non falsidicum veritati testimonium perhibebat. Nam post regum cuiuspiam è vitâ excessum, omnes per Ægyptum, luctu communi suscepto, lacerare vestes, sacras ædes claudere, sacrificia inhibere nec festa celebrare per septuaginta duos dies solebant: capitibus autem luto conspersis, sindoneq; infra mãmas succincti, viri pariter & fœminæ ad ducenos, aut trecenos, circumibant, bisq; in die lugubri carmine defuncti laudes concinnè modulantes, virtutem eius quasi ab inferis reuocabant. Interim neq; carnibus neque frumentis vesci, & à vino omnique lautitie abstinere, nec balneis aut vnguentis aut lectorum stragulis, vt nec ad res venereas se conferre, quisquam vel voluit, vel ausus fuit. Sed vt defunctâ sobole carissimâ serio quisque mœrore correptus, dies illos luctui impendit. Intereà necessariis ad funerationem magnificè præparatis, & dierum, vltimo, cadaueris arca in vestibulo sepulcri exposita de legis præscripto, in honorem defuncti, gestorum ab eo in vita recitationem instituerunt; vbi si quis accusare vellet, liberam habebat potestatem. Laudes autem regis peregerunt Flamines, vnumquodque præclarum eius facinus recensentes. Et multa hominum millia ad funeris deductionem congregata, si vitam bene peregisset, audita ru-

more secundo prosequebantur, sin verò, secus, obstrepebant. Multi itaque reges, ob plebis refragationem, conspicuâ & solenni funerationis pompâ caruêre. Quo effectum, vt reges posteri non solùm ob causas suprà dictas; verùm etiam quòd contumeliosam à morte corporis tractationem, & sempiternum ignominiæ dedecus metuerent, iustis actionibus studerent. Atqui de regum antiquorum moribus potissima hæc sunt. Cæterùm cùm tota Ægyptus in plures diuisa sit partes, quæ voce Græcâ *νομοί* appellantur; suus vnicuique Nomarcha, (*gubernator seu Prætor*) penes quem rerum omnium administratio & cura; præfectus est. Totiusque regionis (quæ tripartita est) primam Sacerdotum ordo sibi portionem vendicat, in magnâ apud indigenas auctoritate & reuerentiâ constitutus, tum ob pietatem in deos, tùm quòd summam ex eruditione prudentiam ad Rempublicam adferunt. Ex vectigalibus autem suis cuncta per Ægyptum sacrificia procurant, ministrosque alunt, & suis inde vsibus necessaria depromunt. Neq; enim deûm honores mutari; sed ab eisdem eodem ritu peragi, neque in commune omnibus consulentes necessariorum copiâ destitui, fas esse iudicabant. Hi namque vt Senatus Principes regi perpetuò sunt præstò, quâ operâ, quâ consilio & doctrinâ ipsum adiuuantes. Ex astrologiâ quidem & sacrorum inspectione futura diuinant & prædicunt: è sacrorum verò librorum annotatis res gestas cum vtilitate coniunctas prælegunt. Non enim, vt apud Græcos, vnus tantùmmodò vir, aut fœmina vna, sacerdotio fungitur, sed complures sacrificia, & honores deûm obeunt, qui posteris eandem vitæ rationem quasi per manus, tradunt. Hi à cunctis oneribus sunt immunes, & primas à rege honoris & potestatis obtinent. Secunda terræ portio regibus cessit ad vectigalia; vnde in vsus bellorum impendunt, & splendorem suum conseruant; Spectatæ quoque virtutis viros dignis prosequuntur muneribus, & quia affatim ipsis suppetit; tributis plebem non demergunt. Pars vltima militibus cedit, qui ad officia in expeditionibus bellicis dicto se audientes exhibent; vt qui bellorum periculis obiectantur, per liberalem hanc agrorum attributionem summâ patriæ beneuolentiâ deuincti promtissimè bellorum discrimina exciperent. Absurdum enim foret, salutem omnium committere iis, qui nihil

LXXIII.

hil

hil in patriâ, pro quo dimicarent, cari & precioſi haberent. & quod potiſſimum, vt in hac fortunarum copiâ ſoboli darent operam facilius, & populoſam efficerent terram, ne peregrinis militum copiis foret opus. Adde, quod ordine iſto à maioribus accepto, virtutis paternæ exemplo ad fortitudinem excitantur, & à pueris rerum bellicarum ſtudioſi, fiduciâ animorum & peritiâ inuicti tandem euadunt. Diſtincta quoque eſt Reſpublica in tres alias hominum claſſes, paſtorum videlicet, agricolarumque & opificum. Agricolæ ſolum fructibus gignendis aptum, non magnis elocatum ſtipendiis à rege, ſacerdotibuſque ac militaribus, accipiunt, & in hoc omne tempus exercendo conterunt. Et quia ab infantiâ in ſtudiis ruſticis educantur, longè aliarum gentium colonos peritiâ exſuperant. Nam terræ naturam, & aquarum fluxum, & ſementis atque meſſis, & alios comportandi fructus tempora exactè norunt, partim maiorum diſciplinâ, partim experientiâ propriâ edocti. Eadem quoque paſtorum ratio; qui pecorum curâ tanquam hæreditatis iure à parentibus acceptâ, iis alendis omne vitæ tempus elocant. Multa quidem à progenitoribus de optimâ accurandi & paſcendi pecudes ratione accepta habent, ſed non pauca æmulationis ſtudio etiam ipſi adinueniunt. Et quod admirationem propter ſummam in hiſce rebus induſtriam in primis meretur, gallinarum altores, anſerumque paſtores, animantium horum procreatione, naturâ cæteris quoque peruulgatâ, non contenti, ſuo ipſi ingenio infinitam auium (huius generis) multitudinem congregant. Non enim aues incubare ſinunt, ſed ſuis ipſi manibus (quod mirum eſt) fœtus excludunt, & ſic efficacitati naturali ingenio & arte nihil concedunt. Quin & artificia Ægyptiis maximè exculta, & ad iuſtum perducta finem, videre eſt. Apud hos enim ſolos fabris & opificibus vniuerſis nullum in Republicâ munus aliud vel ordinem ſuſcipere licet, niſi à legibus definitum & à parentibus traditum: vt neque magiſtrorum inuidia, neque rerum ciuilium occupatio, neque aliud quicquam, illorum circa hæc ſtudium impediat. Alibi enim circa multa diſtrictum habere animum artifices, nec in vnius duntaxat rei tractatione propter auaritiam perſiſtere videmus. Alii enim agricolationi manus admouent, alii mercaturæ fiunt conſortes, ſunt etiam, qui duas aut tres ſimul artes capeſſunt. Plurimi in ci-

uitatibus popularem ſtatum amplexis ad conciones publicas curſitantes detrimentum Reipublicæ, ſibi vero emolumentum, per aliorum largitiones, comparant. At inter Ægyptios, ſi quis opificum Rempub. capeſſit, aut plura ſimul artificia exercet, grauiſſimas incurrit pœnas. Hac igitur ratione veterum Ægyptiorum Reſpublica diſtincta fuit; hanc ſui quiſque ordinis curam inde à maioribus vſque geſſit. Iudiciis verò diligentiam non vulgarem adhibent; quòd ſententias pro tribunali pronunciatas maximum vitæ communi momentum afferre in vtramque partem cenſent. Nam haud obſcurum ipſis erat, ſi facinoroſi punirentur, & iniuriâ oppreſſis auxilium ferretur, optimam hanc delictorum emendationem fore. Et contrà ſi terror à iudiciis impendens ſceleratis, vel pecuniâ vel gratiâ euerteretur confuſionem vniuerſæ hominum ſocietatis euenturam proſpiciebant. Nec abſque ſucceſſu conſilium fuit, quo optimos ex ciuitatibus nobiliſſimis viros iudiciis præfecerunt. Nam ex vrbe Solis & Thebis & Memphi denos iudices elegerunt, qui conſeſſus, nec Areopagitis Athenienſium, nec Senatui Lacedæmoniorum, poſtponendus videbatur. Congreſſi hi xxx. viri vnum ex collegio & quidem optimum præſidem iudiciorum creârunt, in cuius locum vrbs alium ſubmittebat iudicem. Stipendia in victum & alias res neceſſarias, à rege iudicibus præbebantur, ſed Prætori multò amplius. Geſtabat is in collo ex aureâ catenâ dependens è lapillis precioſiſs. ſimulacrum, cui *veritas* nomen. Hoc à iudiciorum Principe aſſumtum diſceptandi lites auſpicium erat. Tum iix. codicibus (quibus vniuerſæ leges deſcriptæ continebantur) apud Iudices depoſitis, mos fuit, vt actor ſingulatim ſcripto exhiberet, & crimen, & facti modum, & damni illati æſtimationem. Reus contrà poſt acceptum ab aduerſario criminationis libellum ad ſingula ſcriptum opponere, ſe vel non feciſſe, vel faciendo non deliquiſſe, vel delinquendo minus pœnæ commeruiſſe. Tum accuſator ſcripto replicare, defenſor reſponſionem duplicare. Poſtquàm bis ita libellos iudicibus exhibuerant litigantes, tandem ſententias inter ſe dicendi xxx. viris; Prætori veritatis effigiem alteri cōtrouerſantium parti applicandi officium incumbebat.

LXXV.

Hoc modo cuncta Ægyptiis iudicia peragere ſolenne eſt. Cauſidicorum enim oratione multum iuri caliginis offundi

LXXVI.

fundi

fundi arbitrantur; cùm oratorum artes, & actionis præstigiæ,
» & periclitantium lacrymæ multos adducant, vt legum rigo-
» rem & veritatis normam posthabeant. & sæpenumero vide-
» re sit reos conflictantes in iudicio, vel per fallaciam, vel per
» voluptatem aut misericordiæ affectionem, facultate dicen-
» tis elabi. Verùm enimuerò si suam aduersarii causam in li-
» teras referrent, rebus per se nudè consideratis, exactiorem
» fore diiudicationem existimabant. Ita enim nec ingeniosos
» tardioribus, nec exercitatos imperitis, nec mendaces & con-
» fidentes veracibus & modestis prælatum iri. Sed omnes æ-
quo iure potituros, quando sat longum à lege tempus con-
cederetur aduersariis, ad ingesta & regesta examinandum;
iudicibus ad vtriusque partis dicta conferendum & diiudi-
candum. Iam postquàm legum mentio incidit, non
alienum ab institutâ historiâ ducimus leges Ægyptiorum
exponere, quæ vel antecellunt vetustate, vel diuersam ab a-
liis constitutionem habent, vel (vt verbo dicatur) vtilitatem
adferre studioso lectori queant. PRIMO, in periuros capi-
» tis pœna sancita fuit: vt qui duo maxima committerent fla-
» gitia; quòd; & pietatē in deos violarent & fidē, maximū hu-
» manæ societatis firmamentum, euerterent. Si quis in viâ ho-
minem interfici, aut quamlibet vim sustinere videns, cùm
posset, non vindicasset, capitali supplicio obnoxius erat. Sin
quis re verâ opem ferre per infirmitatē, nō potuisset, indica-
re tamen latrones, & actione scelus persequi tenebatur. Hoc
negligenti, plagæ certo numero inflictæ, & triduo cibis in-
terdictum. Calumniosi accusatores statutam falsò delatis
pœnam subibant, si postmodum eius condemnati essent. Æ-
» gyptiis vniuersis iniunctum erat, vt nomina apud magistra-
» tus profiterentur: indicantes simul, quo prouentu & vitæ ge-
» nere victum sibi quisque compararet. Mentitus, aut iniustum
agitans quæstum, mortis pœnam incurrebat. quam legem
Solon à peregrinatione in Ægyptum Athenas traduxisse fer-
tur. Qui sponte liberum hominem, aut etiam seruum necas-
set, ei leges capitis supplicium irrogabant: vtpote quæ non
fortunæ conditione, sed factorum consiliis à sceleribus inhi-
beri cunctos vellent, & hac erga seruos curâ homines cōdo-
cefacerēt, ingenuos multò minus iniuriis adficiēdos. Parētib;
liberorū interfectio nō capitalis erat: sed tres dies atq; noctes

XXII.

in complexu occiſi perdurare cuſtodiâ aſſidente publicâ, cogebantur. Non enim iuſtum putabant vitâ priuare eos, qui vitam natis dediſſent: ſed caſtigatione potius, cui dolor & pœnitentia ineſſet, homines ab eiuſmodi auſis auertendos eſſe. At in filios patricidas exquiſitiſſimum pœnæ genus ſtatuerunt. Damnatos enim ob hæc, ſimulac fruſtulatim corporis membra calamis præacutis, ad digiti magnitudinem deſecuiſſent, viuos ſuper ſpinis cremari neceſſum erat. nam atrociſſimum inter mortales ſcelus eſſe iudicabant, per vim illis vitam eripere, qui vitam dediſſent. Prægnantes ad mortem condemnatas ante partum non interimebant. Quam legem multi Græcorum receperunt: iniquum exiſtimantes, quod nihil deliquiſſet, idem cum malefico ſupplicium perpeti: & ob vnius facinus à duobus pœnam exigi. Adhæc cùm maligno ſcelus conſilio peractum eſſet eidem ſupplicio nondum intelligentem ſubiici. Et quod omnium maximum, nequaquam conuenire, vt cùm grauida tantùm rea peragatur, fœtus tàm patri, quàm matri communis, vitâ multetur: quandoquidem non magis improbentur iudices, qui cædis reum ſeruant, quàm qui inſontes è medio tollunt. Capitales ergò leges; quæ quidem præ cæteris ſapientiæ laudem merentur, ita ſe habent.

LXXVIII.

Inter alias verò quæ de bellis ſancita eſt, ordinum deſertoribus, aut Imperatorum iuſſa non exſequentibus, non mortis ſed infamiæ extremæ pœnam decernit. Quod ſi poſtea ignominiam ſtrenuitate aboleuerint, in priſtinam libertatem & fiduciam reſtituuntur. Ita cùm ignominiam grauius morte ſupplicium fecit legum lator, ſimul infamiam pro ſummo habendam malo docere voluit; ſimul nihil morte affectos vitæ communi profuturos amplius: honore verò deiectos priſtinæ ingenuitatis deſiderio plurimum adhuc boni effecturos, cenſebat. Qui hoſtibus ſecreta enunciarent, his linguam exſecari lex mandabat. Illis qui monetam adulterarent; aut noua ſubſtituerent pondera, aut ſigilla tranſculperent; Scribis etiam, qui tabulas falſas concinnarent; vel de relatis in tabulas publicas quippiam demerent; aut ſyngraphas ementitas obtruderent; lex vtramq; manum præcidi iuſſit, vt quâ quiſque corporis parte in legem peccâſſet, hac ad finem vſque irreparabili cum damno & ipſe culpam lueret, & alios pœnâ hac ſuâ commonefactos, ab id genus facinore deterreret. De ſexu muliebri acerbas habebant

bant leges. nam qui vim ingenuæ attulisset, huic genitalia
præcidi iubebant. vnius enim facinoris enormitate tria ma-
xima flagitia, iniuriam; corruptelam; liberorum confusio-
nem; perpetrari iudicabant. Si persuasu adulterium esset cõ-
missum, viro mille plagæ fustium, mulieri narium detrunca-
tio irrogabatur. nam mulieri ad vetitas libidines sese exor-
nanti, præcipua venustatis lenocinia adimenda cense-
bant. Leges de commerciis à Bocchoride latas asse-
runt. His mandatur, vt si quis pecuniis mutuò acceptis abs-
que syngrapho se debere neget, interposito iuramento, à de-
bito absoluatur. primum ideò vt iurisiurandi religionem ma
gnifacientes deum reuereantur. cùm enim manifestum sit,
quod sæpius deierans fidei iacturam faciat, vnus quisque, ne
hoc emolumento priuetur, maximoperè cauebit ne ad iura-
mentum deueniatur. deinde & hoc animum legislator in-
duxit, si fidem in vitæ integritate totam constituat, cunctos
ad morum probitatem inuitatum iri, ne tanquam fide indi-
gni infamentur. Iniquum prætereà iudicabant, quibus citra
iuramentum fides habita esset, his de eodem contractu iura-
tis fidem denegari. At per interuentum syngraphæ fœne-
rantes, vltra duplum per vsuram augere sortem vetabat. &
vsuras de facultatibus duntaxat obæratorum exigere, sed
corpus in nexum ducere nullo modo concedebat. bona illo-
rum arbitratus esse, qui vel labore comparassent vel per do-
nationem à possessore legitimo, accepissent. sed corpora ciui-
tatibus deberi; quibus ad congrua belli, pacisque munia v-
tantur. Absurdum enim esse, militem, qui pro patriâ sese pe-
riculis obiiciat, propter fœnus à creditore, si ita contigerit, in
neruum abduci, & ob priuatorum auaritiam communem o-
mnium salutem in discrimen venire. Videtur & hanc legem
Athenis inuexisse Solon; *Sisachthia* (quam *excussionem one-
rum*, id est, vsurarum moderationem, vertas) nomine ab ipso
vocitatam. quâ ciues vniuersi ab ære alieno in corporis ne-
xum credito, liberauit. Et vituperant quidam non immeritò
plerosque apud Græcos legumlatores, quod arma, aratrum,
& alia operi faciundo maximè necessaria ob fœnus pigno-
ri capere vetuerint, at eos qui illis vti debebant, nectendos
permiserint.

LXXX

De furibus lex quædam Ægyptiis est per
quam singularis. Qui furtis operam dare volunt, nomina a-
pud furum Principem profitentur, & euestigiò furtum ex pa-

cto ad eum referunt. qui res suas amiserunt consimiliter v-
numquodlibet amissorum literis consignatum exhibent, lo-
cumque ac diem & horam, quibus iacturam fecerint, adscri-
bunt. hoc modo cunctis facilè repertis, fraudatus, taxatio-
ne rerum facta, quadrantem horum persoluit, & tum sua re-
cuperat. Cùm enim fieri non possit, vt omnes à furto absti-
neant, viam legislator inuenit, quo tota res sublata præter
exiguum redemtionis precium, seruaretur. In matrimo-
nium Ægyptiorum Sacerdotes vnam, alii quot quis velit,
ducunt. natisque alendis cunctos operam dare necesse est:
vt hominum multitudo suppetat, quod hoc plurimum ad fe- «
licitatem terræ, vrbiumque conducat. nec quenquam filio- «
rum pro spurio habent, etiamsi ex ancillâ emptitiâ sit pro-
creatus. solum enim patrem generationis auctorem esse,
matremq; alimenta tantùm & locum infanti præbere. arbi-
trantur. Arbores etiam quæ fructum edunt, mares; sed quæ
non ferunt, fœminas; contrà quam Græci, nominant. Pue-
ros absque sumtu, frugalitate prorsus incredibili educant.
nam coctilia quædam, ex vili paratuque facili materiâ con-
fecta, papyri etiam medullas, sub cinere tostas radicesque ac
caules palustres nunc crudos, nunc elixos & assos apponunt.
Sine calceamentis & nudi plerique educantur, ob commo-
dam locorum temperiem. Impensarum summa, quas in
puerum faciunt parentes ad virilem vsque ætatem, non vl-
tra xx. drachmas, sese extendit. Quas ob causas maximè
Ægyptus & hominum frequentia, & plurimis operum ma-
gnificorum structuris excellit. Sacerdotes duo litera- LXXX
rum genera, tum quas sacras vocant, tum quæ communio- I.
rem habent disciplinam, pueros docent. In Geometriæ
& Arithmeticæ studiis prolixius eos exercent. nam quia flu-
uius quotannis egressus variè agros transformat, multas o-
mnis generis controuersias inter vicinos de limitibus exci-
tat, quas exactè dirimere non facile est, nisi Geometræ peri-
tiâ veritas ostendatur. Arithmetica autem cùm ad cæteras
vitæ rationes tùm ad Geometriæ speculationes, ipsis com-
modat. Adhæc non parum Astrologiæ studium emolumen-
ti cultoribus adfert. nam Ægyptii (quamuis & alii) accuratis-
simè siderum constitutionem & motum obseruant. Et de-
scriptiones singulorum per incredibilem annorum nume-

rum

rum custodiunt; cùm ab antiquissimis indè temporibus hoc apud eos studium certatim sit agitatum. Planetarum etiam motus & circuitus, & stationes, & vniuscuiusque vires circa ortus animantium, quæ bona aut quæ mala efficiant, cupidè & impensè annotârunt & sæpe euenturos vitæ casus prædicentes hominibus, velut acu rem tangunt. Nec raro frugum calamitatem aut exuberantiam, morbosque promiscuè vel hominibus vel pecoribus ingruituros, præsignificant. Terræ quoque tremores & diluuia; ortusque cometarum; & quorumcunque cognitio humanam excedere facultatem vulgò putatur, ex longi temporis obseruatione prænoscunt. Chaldæos etiam in Babyloniâ Ægyptiorum colonos esse, & à Sacerdotibus Astrologiam edoctos, eò celebritatis prouenisse, adserunt. Cæterùm vulgus Ægyptiorum à puerili ætate parentum aut cognatorum magisterio cuiusque vitæ artem (vt suprà indicatum est) edocetur. Literas strictim docent non omnes, sed artificiorum magistri potissimùm. Palæstram verò & Musicam apud eos discere non moris est. nam è quotidianis palæstræ exercitiis non sanitatem, sed exigui temporis robur, & omninò periculosum, iunioribus comparari existimant. Musicam non modò inutilem, sed & noxiam esse, vt quæ virorum animos effœminet, persuasum habent.

LXXXI.

Morbos vt anteuertant clysteriis & potabilibus quibusdam purgamentis, ieiuniisque & vomitu, corpora medicantur; idque vel in dies singulos repetunt, vel triduum aut quatriduum interponunt. In omnis enim nutrimenti digestione maiorem partem esse superfluam, & hinc morbos creari; ideoque curationem iam memoratam, quâ principia morbi tolluntur, ad recuperandam valetudinem cõferre plurimùm affirmant. In expeditione bellicâ, aut intra patriæ fines peregrinatione, absq; mercede curantur. Medici enim annonam ex publico accipiunt, & Medicinam ex lege scriptâ, per multos ab antiquo Medicos illustres concinnatam, applicant. Si leges, quas sacri codicis lectio tradit, secuti ægroto sanitatem reddere nequeant, culpâ vacant, & indemnes abeunt. sin contra præscriptum agant, capitis iudicium subeunt. nam medendi rationem longi temporis vsu obseruatam, & ab optimis artificibus ordinatam, paucos ingenio & solertiâ superaturos, legislator censuit.

LXXXIII.

Bestiarum in Ægypto con-

ſecratarum religio haud abs re inſolens, & quæſtione digna videtur. namque animalia quædam Ægyptii ſupra modum non viua tantùm, ſed & demortua venerantur, vt feles, ichneumones, canes, accipitres, & quas ibides vocant, itemque lupos ac crocodilos, & plura id genus alia. quorum cauſas reddere, breui ſuper his diſſertatione præmiſsâ conabimur. Ac primùm vnicuique animalium, quæ venerantur, generi, ager conſecratus eſt, reditum ferens accurationi & alituræ ipſorum ſufficientem. Diis etiàm nonnullis vota pro liberis à morbo ſeruatis Ægyptii facientes, capillis abraſis, & ad argenti, aurive pondus libratis nummos curatoribus animalium iſtorum expendunt. Hi carnes conciſas accipitribus inter volandum, magna voce acclamantes, obiiciunt, quouſque recipiant. Felibus autem & ichneumonibus confriatum in lacte panem cum poppyſmo apponunt; aut piſcium ex Nilo ſegmentis eos cibant. eodem modo cæteris quoquè beſtiis, pro ſuo cuiq; genere victum ſubminiſtrant. Munia verò hæc non tantum non declinant, aut propalam obire erubeſcunt, ſed è regione, ceu maximis deûm honoribus, magnificè ſe his oſtentant, & peculiaria per vrbem & agros inſignia circumgeſtant; vnde procul agniti, quorumnam animalium curam agant, flexione genuum alióque cultu ab omnibus honorantur. Si quod illorum interiit, ſindone inuolutum, cũ eiulatu pectora tundentes, ad ſalituram deferunt. tum oleo Cedrino, & aliis, quæ & fragrantiam, & diutinam cadaueris integritatem præſtant, conditum, ſacris in cryptis ſepeliunt. Qui de beſtiis illis ſponte aliquam interemerit, capite plectitur exceptâ felis & ibidis cæde: quas ſi quis, vel volens vel inuitus occiderit, ad mortem certiſſimam à multitudine concurrentium abreptus, crudeliſſimè interdum etiam abſque iudicii ſententiâ tractatur. Hic metus facit, vt qui id genus animal exſtinctum fortè conſpexerint, procul abſiſtentes, mortuum ſe inueniſſe hoc, cum lamentis & atteſtatione proclament. Adeò verò animis hominum iſta animalium religio impreſſa eſt, & tam obſtinatum ad venerandum ea quiſque affectum gerit; vt, etiam quo tempore Ptolemæus rex à Romanis nondum amicus erat renunciatus, & plebs omne huc ſtudium conferebat, vt ex Italiâ eò profectos obſequiosè coleret, vtque nullam eis criminis aut belli anſam præberet, ob metum contenderet: fele tamen à

Romano

Romano quodam interfectâ, populique ad ædes eius concursu facto, neque proceres à rege ad deprecandum missi, neque communis Romæ terror, hominem pœnæ eximere valuerit, quamuis citra voluntatem facinus peregisset. Id quod non auditu perceptum referimus, sed ipsi in peregrinatione ad Ægyptum coram vidimus.

XX

Si fide maiora, fabulisque similia iam memorata apparent, longè insolentiora dehinc memoranda videbuntur. Cùm enim fames aliquando Ægyptum premeret, multos ad mutuam inter se carnis humanæ depastionem adactos, ferunt; sed nemo quisquam de sacrosanctis animalibus vel degustâsse aliquid, incusatus est. Quid? quod in quacunque domo mortuus inuenitur canis, omnes domestici toto raduntur corpore & luctum instituunt. Et quod admirabilius isto, si vinum aut frumentum, aut aliud ad victum necessarium in ædibus, vbi bestiam vita defecit, repositum habetur, ad quemcunque deinceps vsum applicare religio est. Et quando in peregrinâ belligerantur terrâ, cum mœrore feles & accipitres in Ægyptum, quandoque etiam viatico destituti, transferunt. Quæ porrò circa Apim in Memphi, Mneuim in vrbe Solis, Hircum in Mendete, Crocodilum in Myridis lacu, Leonem apud Leontopolitas, aliáque huius generis multa peragantur; narrare quidem facile est, sed narranti credere, nisi quis ipse viderit, perdifficile. Hæc sacris in septis nutriuntur: multique præstantissimi viri magnis alimentorum impendiis curam illorum gerunt. Similaginem enim, vel alicam in lacte coctam, & placentas varii generis melle conditas, ansérúmque carnes, quà elixas, quà assas, perpetuo subministrant, quæ crudis victitant, his aues aucupio acquisitas obiiciunt. Quid multa? magnos omninò in alimoniam sumtus conferunt, calidisque mundare balneis, & optimis perungere liquoribus, ac suffitus ex omni genere fragrantissimos exhibere non desistunt. Quin & stragula preciosissima & mundum decentissimum suppeditant, & vt naturæ lege se ineant, curâ summâ prouident. Fœmellas insuper cuiq; animantium sui generis speciosissimas pellicum nomine alunt, & sumtus cultusq; maximos impendunt. Defuncto aliquo æquè se gerunt, ac si carissimis liberis orbati fuerint, nec pro facultatum modo, sed longè supra

æstimationem illarum funerant. Nam post interitum Alexandri, cùm Ptolemæus Lagi iam Ægyptum occupasset, accidit vt Apis in Memphi senio deficeret. Curator ergò illius & amplissimam tunc apparatus copiam in funus totam insumsit; & quinquaginta insuper talenta à Ptolemæo fœneratus est. Nostrâ quoque memoriâ quidam animantium nutritores, ad victum ipsorum non minus centum talentis profuderunt. His etiam reliqua circa sacrum bouem (quem Apim nominant) vsitata, adiungantur. Post magnificam defuncti sepulturam, destinati huic negocio Sacerdotes vitulum, eâdem præditum notâ quâ superior fuit, inuestigant; quo inuento, plebi à luctu vacatio datur. Sacerdotes autem quibus hoc curæ est, vitulum primùm in vrbem Nili perductum, ad dies XL. pascunt, in nauigium deinde thalamegum (*cubiculatum*) in quo domus aurata, collocatum, vti deum Memphim, in Vulcani lucum, transportant. Per XL. illos dies fœminæ duntaxat, ipsum vident, ante faciem eius constitutæ, eleuatísque peplis, inguina ostentant. cætero deinceps tempore in conspectum noui dei prodire illis interdictum est. Tauri huius cultum ad hanc referunt causam. Osiridis animam in ipsum demigrasse perhibent, quæ ob id huc vsque perpetuò, quando ipse apparet, in posteros transfundatur. Nonnulli etiam dicunt, Osiridis à Typhone necati membra Isidem in ligneam vaccam coniecisse, byssinis obtectam, & hinc Busirim vrbem nuncupatam. multaq; alia de Api de fabulantur, quæ singula recensere prolixum arbitramur. Sed cùm omnia admiranda sint, & fidem superent, quæ ad cultum sacrorum animantium peragunt Ægyptii, magna etiam perplexitas causas illorum scrutantibus obiicitur. Sacerdotes equidem arcanum de his placitum habere n deorum historiâ suprà à nobis commemoratum est. At vulgus Ægyptiorum has tres causas exponit. quarum prima omninò fabulosa est, & cum priscâ simplicitate conuenit. deos enim initio genitos, cùm paucitati illorum multitudo & scelerata improbitas hominum terrigenarum præualeret; in animalia se transformasse, atque hoc modo crudelitatem & vim illorum effugisse, dictitant. sed postea rerum in mundo potitos, vt primis salutis auctori-

LXXV.

LXXVI.

bus

bus gratiam retribuerent, conſecratis, quarum ſpeciem induiſſent, beſtiis, & viuas impenſè alere, & mortuas religiosè funerare docuiſſe. Alteram cauſam ita recitant. Ægyptios veteres, cùm propter ordinis in exercitu confuſionem à vicinis ſæpenumero pugnâ vincerentur, ſigna cohortibus præferenda excogitaſſe. Beſtiarum igitur, quas nunc venerantur imagines formâſſe; quas Sauniis (id haſtæ genus eſt) affixas Duces geſtarent; vt hoc pacto, cuius quiſque ordinis eſſet, certò dignoſceret. Quæ ordinis concinnitas, cùm ad victoriam plurimum afferret momenti, animantibus illis ſalutem acceptam retuliſſe. Ad gratiam illis ergò reddendam morem hunc, nullum de animalibus imagine quondam repræſentatis interficiendi, ſed religiosè quâ dictum eſt curâ & veneratione proſequendi, ſancitum eſſe. Tertia in hac quæſtione ab ipſis cauſa affertur, vtilitas animalium, quâ vitam hanc communem & ſocietatem hominum adiuuant. Nam vacca (inquiunt) & alios, qui terram opere exerceant, parit, & ipſa leuius ſolum vomere proſcindit. Oues bis fœtum edunt; è quarum lanis amictus ſimul & ornatus corporum, è lacte & cremore edulia tàm iucunda, quàm larga, conficiuntur. Canis vſui eſt venationibus & cuſtodiis. ideo deum, quem Anubim appellitant, canino capite repræſentant; canem Oſidiri & Iſidi corporis fuiſſe cuſtodem indicantes. Alii narrant canes Iſidi (quando Oſirim inueſtigabat) duces fuiſſe, & feras, aliosque obuios auertiſſe, & fidos beneuolosque inquiſitionis ſocios ſe præbuiſſe cum vlulatu. Idcircò etiam in Iſidis feſto pompam canes antecedunt: quique ritum hunc docuêre, vnà beneficium huius beſtiæ ſignificare voluerunt. Ælurus porrò, (ſeu felis) contra lethiferos aſpidum morſus, & alia ſerpentium genera, quæ ictu nocent, vtilis eſt. Ichneumon crocodili fœtum ex inſidiis obſeruat, & relicta eius oua conterit. idque gnauiter & ſtrenuè facit, nullam inde percipiens vtilitatem. quod niſi vſuueniret, fœtu beluarum exuberante, amnis frequentari non poſſet. Imò Crocodili ipſi ab hac beſtiolâ enecantur. miro & prorſus incredibili rationis compendio. ichneumon enim limo inuolutus, quando crocodilus hiante

rictu in ripâ dormit, per os eius in media viſcera introſilit. & tum confeſtim ventre eroſo, citra periculum euadit ipſe, ſed hoſtem eâ clade ſtatim enecat. Inter aues Ibis ad angues, locuſtasque & erucas tollendum prodeſt. Accipiter Scorpiones, Ceraſtas (*ſerpentes cornutos*) & beſtiolas mordaces, quæ præſentaneo homines veneno perimunt, infeſtat. Sunt qui ideò hanc volucrem coli dicunt, quòd augures & diuini his præpetibus vſi, futura Ægyptiis prænuncient. Nonnulli tradunt, vetuſtis temporibus librum filo puniceo circumligatum, in quo deorum cultus & honores ſcripti Sacerdotibus Thebas allatum eſſe, quam ob cauſam Notarii ſacri nunc quoque licium purpureum & accipitris pennam in capite geſtent. Aquilam Thebæi colunt; quod auis hæc regia & digna Iouis maieſtate videatur.

LXXVIII. Hircum ob genitale membrum inter deos retulêre, quomodo apud Græcos etiam Priapum honorari perhibent. Animal enim hoc in Venerem eximiè propenſum; & membrum illud corporis, generationis inſtrumentum, honore dignum eſſe, quod ab eo natura animantium ortum ſuum deriuet.

Denique pudenda (aiunt) non apud Ægyptios tantùm, ſed apud alios quoque non paucos in myſteriorum ritibus religioſè habentur, vt à quibus generatio animalium promanat. Ac Flamines, qui à patribus ſacerdotia accipiunt, in Ægypto iſti deo primùm initiantur. Panes etiam & Satyri eandem ob cauſam in veneratione ſunt apud homines. Quocirca etiam imagines ipſorum in fanis plerique dedicant, arrectis ita membris, vt hirci naturam imitentur. Hanc enim pecudem ad coitum ferri procaciſſimè, traditur. Hac igitur ſignificatione gratam diis mentem pro fœcunditate gentis ſuæ teſtatam voluêre Tauri autem ſacri. Apis (inquiunt) & Mneuis, non ſecus, quàm dii honorantur, vt Oſiris inſtituit; tùm propter agriculturæ vſum, cùm etiam, vt gloria illorum, qui fruges reperiſſent vnà cum meritis ad omnem poſteritatis memoriam propagaretur. Boues autem rufos immolare fas eſt, quòd hunc colorem habuiſſe Typhon videatur; qui per inſidias Oſirim oppreſſit, & propter viri cædem ab Iſide ſupplicio affectus eſt. Homines quoque (aiunt) eiuſdem quem Typhon habuit coloris, antiquitus ad Oſiridis monimentum à regibus ma-

ctatos

ctatos esse. Et pauci sanè Ægyptiorum rufi inueniuntur, sed peregrinorum complures. Proinde & fabula de Busiridis aduenas obtruncantis sæuitiâ apud Græcos inualuit: non quod rex *alioqui Busiris vocatus*, is sit; sed tumulus Osiridis, linguâ vernaculâ id nominis habuit. Lupis, vt asserunt, honorem tribuunt propter affinitatem, quæ ipsis cum canibus intercedit. nam naturis parùm variant, & ex complexu mutuo fœtus procreant. Aliam quoque rationem venerationis, sed magis fabulosam, adducunt. nam Isidi quondam (aiunt) cum Horo filio aduersus Typhonem certamen inituræ, Osiris ab inferis sub lupi formâ opitulator venit. sublato igitur Typhone, victores bestiam coli præceperunt; quia conspectum eius victoria insecuta esset. Nonnulli affirmant, sub Æthiopum in Ægyptum irruptionem, ingentes luporum cateruas conuenisse, qui hostium incursantium agmen vltra Elephantinam vrbem inde fugauerint, quâ de causâ præfectura illa Lycopolitana nominetur. atque ita bestias, de quibus iam sermo est, cultum istum promeruisse.

LXXIX. Reliquum est, vt de Crocodilorum diuinitate agamus. de quâ plurimi quęstionem mouent; quî fiat, vt cùm beluæ istæ homines deuorent, æquè tamen ac dii colantur, atrocissima interim perpetrantes. Ad hoc respondent; non tantùm à fluuio, sed etiam, ac quidem longè magis à Crocodilis munimentum regioni præstari. Ideoque prædones ex Arabiâ & Africâ, multitudine beluarum absterritos, tranatare Nilum non audere. hoc nunquam futurum, si bellum inferatur belluis, & à venatoribus hæ funditus deleantur. Sed tamen & alia de illis historia recitatur. nam vetustorum regum quendam, qui Menas nominatur, canum suorum insectatione in Myridis lacum esse compulsum, quem crocodilus (mirabile dictu) susceptum in littus vlterius transportârit; qui vt gratiam pro donatâ salute bestiæ reponeret, vrbem Crocodili nomine iuxta ædificarit: & diuinis crocodilos honoribus affici iusserit, lacúmque eorum alimentis dedicârit, vbi & sepulcrum sibi cum pyramide figuræ quadratæ, & Labyrinthum, magnæ apud multos admirationis, ædificârit. Ad eum quoque modum de cæteris memorant: quæ singulatim recensere nimis longum foret. nam quòd vtilitatis in vitam redun-

dantis causâ hoc illos cultu afficiant, ex eo liquere aiunt; quod non pauca esculentorum nonnulli ex ipsis non comedant: dum alii lentes, alii fabas, nonnulli caseos aut cepas, & id genus vesca alii (quorum copiâ tamen Ægyptus abundat) omninò ne quidem degustent. Quo declarent, docendos esse mortales, vt ab immodico comestilium vsu sibi temperent, & si quiduis à quouis edatur, nihil absumentium ingluuiei tandem suffecturum. Alii aliam causam afferunt; priscorum ætate regum, cùm plebs subinde contra magistratum conspirans, defectionem moliretur, principum quendam, prudentiâ excellentem, in plures regionem partes distribuisse, & in singulis cultum bestiæ cuiuspiam instituisse, aut cibo aliquo interdixisse, vt si suum quique venerarentur, dedicatúmque alibi contemnerent, concordiam inire Ægyptii nunquam possent. idque ex effectis notum esse. omnes enim finitimos; dum alii alios rituum transgressione offendunt; discordias inter sese exercere. Quidam & hanc consecratorum animalium causam addunt. post primam hominum ex ferinâ illâ vitâ consociationem, homines se mutuò deuorabant, & perpetuò inter se conflictu, qui plus posset infirmiorem subigebat. exinde verò, qui robore aliis inferiores erant, vtilitate edocti, in cœtum coibant, & signa de consecratis postea animalibus sibi proponebant. Ad quæ cùm præ metu subinde concurrerent, agmen non aspernandum contra vim molientes effectum est. quod exemplum cætera multitudo imitata, in Systemata (*cœtus*) discessit. Hinc factum vt animal, cui suam quique incolumitatem adscriberent, honores diuinos, vt optimè de ipsis meritum, obtineret. Quamobrem hac etiamnum tempestate gentes Ægyptiæ, discordi religionis studio, bestias à principio sacras deuenerari. Ægyptios denique supra cæteros mortales, quicquid bene de ipsis meretur, grata mente prosequi affirmant, gratiæ retributionem maximum vitæ præsidium esse iudicantes. Siquidem palam fit, omnes ad benefaciendum illis propendere maximè, apud quos Gratiæ thesauri quàm pulcherrimè recondantur. Hisque de causis Ægyptii reges non secus ac si veri essent dii, adorare & religiosè colere videntur. Nam & non sine diuinâ ipsos prouidentiâ summam potestatem adeptos, & cùm

XC

velint

velint & possint maxima conferre beneficia, diuinæ naturæ participes esse, arbitrantur. De sacris ergò animantibus etsi plus æquo à nobis dictum est, Ægyptiorum tamen leges præcipuè admirandas interim explanauimus.

CI. At si quis ipsorum ritus, circa defunctos audiuerit, non minùs consuetudinis insolentiam demirabitur. Etenim si quis apud ipsos mortem obierit, cognati & amici omnes, conspersis luto capitibus, lamentantes per vrbem, quoad cadauer funeratum sit, circumeunt. Interim à balneis & vino omniq́ue lautiore cibo abstinent. at nec vestes elegantes induunt. Sepulturæ triplex est conditio; sumtuosissima, mediocris, & vilissima. In primam argenti talentũ insumitur; in secundã, viginti minæ; in vltimam perexiguæ fiunt impensę. Libitinarii qui funus curant, artẽ à maioribus acceptam factitant. hi cuiusq; rei in funus impendendæ, consignatione mortuorũ domesticis oblata, quomodo exsequias celebrari velint, sciscitantur. Vbi de omnibus inter ipsos conuenit, acceptum inde cadauer ministris, ad vsitatum hoc munus, constitutis tradunt. Primus igitur, quem scribam vocant, deposito humi corpore, circum ilia sinistrum latus, quantum inde resecandum sit, circumscribit. Tum Paraschistes (*incisor*) ipsis dictus, lapidem tenens Æthiopicum, vbi carnis, quantum lex iubet, dissecuit, extemplò quanto potest cursu aufugit, persequentibus eum quotquot adsunt cum lapidum iactu & exsecrationibus, ac si piaculum in ipsum auertant. » Nam quicunque eiusdem naturæ corpori vim » vulnúsque aut quoquomodo malum inferat, odio hunc » dignum esse, persuasum habent. Taricheutas verò, (*qui cadauera condiunt*) omni honore atque cultu dignantur. nam Sacerdotibus familiares sunt, & in sacrarium, vt qui sacri sint, liberè ingrediuntur. Quamprimùm ad secti cadaueris curationem conuenêre, vnus per hiatum manu ad præcordia immersa, quicquid intestinorum est, præter cor & renes extrahit. Alius aluum, cum visceribus singulis repurgatam, vino palmeo, aromaticisque odoribus perluit. Lotum denique cadauer ad dies plures xxx. vnguento primùm cedrino aliisq; delibutum reddunt. Myrrha deinde ac cinamomo, aliísq; non longiori tantùm conseruationi, sed etiam fragrantiæ aptis, conditum propinquis red-

dunt: vbi ſingula corporis membra tantam habent inte-
gritatem, vt etiam palpebrarum & ſuperciliorum pili, adeo-
que tota corporis ſpecies inuariata perſiſtat, & formæ pri-
ſtinæ effigies agnoſcatur. Hinc multi Ægyptiorum, in ma-
gnificis apud ſe ædiculis maiorũ cadauera aſſeruantes, tam
expreſsè multis ante ſuam natiuitatem ſeculis defunctorum
facies contemplantur, vt ſingulorum complexum corporis
ac lineamenta faciei contuentes, mirificâ voluptate, non
ſecus ac ſi adhuc ſecum viuant, adficiantur. Sepelien- XCII.
di porrò cadaueris neceſſarii & gentiles certum ſepulturæ
diem iudicibus & conſanguineis præfiniunt, & nomine mor-
tui indicato, quod paludem tranſiturus ſit, certò confir-
mant. Inde plures XL. iudices accedunt, habitoque in he-
micyclo quodam vltra lacum conſeſſu, nauis, ab huius ne-
gocii curatoribus prius inſtructa, attrahitur proretâ quo-
dam gubernatore, quem ſua linguâ Charontem vocant.
Ideóque Orpheum cùm peregrinatus quondam in Ægy-
ptum hunc ritum vidiſſet, fabulam de inferis partim imi-
tatum, partim ex ingenio ſuo commentum eſſe, perhibent:
de quo particulatim paulò inferiùs agemus. Deducto igi-
tur in ſtagnum nauigio, priuſquàm mortui loculus inibi
deponatur, quiſquis accuſare velit, à lege poteſtatem ha-
bet. Quod ſi quis in medium progreſſus, inſtitutam ac-
cuſationem probârit, quòd vitam malam egerit, latâ per
iudices ſententiâ, tum ab vſitatâ cadauer ſepultura arcetur.
ſin accuſator calumnioſam intendiſſe actionem deprehen-
ſus ſit, magnæ obnoxius eſt pœnæ. Quando verò
nullus ſe offert accuſator, aut oblatus criminationis fal-
ſæ conuincitur: depoſito cognati luctu, ad mortui laudes
procedunt, & de genere quidem nihil, vt Græcorum con- “
ſuetudo habet, memorant: quia omnes æquè nobiles in Æ- “
gypto eſſe cenſent. Sed vt à puero educatus & inſtitutus, “
& ad virilem ætatem progreſſus pietatem in deos; & iuſti- “
tiam; itemq; continentiam & alias virtutes coluerit, recen- “
ſent, ac deos infernos, vt in contubernium piorum recipiatur
obteſtantes rogant. Laudes clamore ſecundo vulgus excipit,
& magnificis ſimul laudibus defunctum prædicat, vt qui ſem-
piternum cum piis æuum in Ditis regno ſit peracturus. Ca-
dauera, quibus propria ſunt monimenta in deſignatis ad hoc
conditoriis reponunt. at qui ſepulcra propria non poſ-
ſident,

ſident, domi ſuæ nouam condunt ædiculam, erectumque loculum ad firmiſſimum parietem ſtatuunt. Sepulturâ prohibitos, vel ob intentata crimina, vel ob æris alieni debitionem ſuis in ædibus condunt. Et ſæpe fit in poſterum, vt opibus aucti nepotes debitis aut criminibus exſolutos, honorificâ maiores ſepulturâ dignentur.

CIII. Sanctiſſimè autem conſtitutum eſt apud Ægyptios, quòd parentes aut maiores ad æternam habitationem translatos impenſiùs honorare videntur. Hic etiam mos ipſis eſt, vt parentum cadauera denatorum pro creditis oppignorent. qui nexos non repignerant, improperium hos maximum, & poſt exceſſum è vitâ ſepulturæ priuatio, conſequitur. Huius tam exquiſitæ conſtitutionis auctores iure quis admiretur, quod modeſtiam & probitatem morum non tantùm ex vſu viuentium inter ſeſe, verumetiam ex mortuorum humatione & cultu, quantum à mortalibus fieri potuit, inſinuare contenderunt. Enimuerò Græcis fabulis commentitiis, & famoſis poetis fidem harum rerum, quòd ad honores piorum & ſceleratorum pœnas attinet, tranſcripſerunt. idcircò non modò ad optimam vitæ rationem homines adducere per hæc non potuerunt, ſed contrà deriſionem improborum atque contemptum incurrerunt. Apud Ægyptios verò cum pœnæ malorum & bonorum præmia non in fabulis, ſed conſpectu poſita ſint, quotidiè pars vtraque officii admonetur: & hoc modo fit » maxima & vtiliſſima morum correctio. Optimæ enim le- » ges cenſendę ſunt, non quę opibus maximè homines cumu- » lent, ſed quæ morum humanitate, & rerum ciuilium pru- » dentiâ quàm inſtructiſſimos efficiant.

CIV. Dicendum quoq; nobis de legumlatoribus Ægypti, qui tàm aliena ab aliorum vſu, & mirabilia ſancita promulgârunt. Nam poſt antiquiſſimam in Ægypto vitæ conditionem, deorum imperio, Heroumq; ætati, in fabulis aſſignatam, primus aiunt Mneues vir & magni animi, & inter hoc nomine celebratos de vitâ optimè meritus, populum induxit, vt iuxta leges ſcriptas vitam inſtituerent. Leges à Mercurio ſibi traditas, vnde ingentia vitæ bona promanarent, ſimulauit. Quod apud Græcos in Creta etiam Minos, apud Lacedæmonios Lycurgus factitauit, quorum iſte Ioui, hic Apollini ſuas vendicauit. Id commenti genus apud plures quoque alias gentes adhibitum, multorum cauſa bonorum

persuasis extitisse ferunt. Nā apud Arianos Zathraustes bonum genium, apud Getas Zamolxis communem Vestam; apud Iudæos Moses Deum, qui IAO dicitur, legū auctorem suarum finxisse, perhibetur: siue quod admirandum prorsus & diuinum esse iudicarent commentum illud quòd in commodum societatis humanæ exiret: siue quòd vulgus ad maiestatem & potentiam illorum, qui leges inuenisse dicerentur, respectans, dicto magis audiens fore existimarent. Secundum Ægypti legislatorem Sasychē memorant, virū intelligentiâ præstantem, qui ad priores leges tū alias adiecit, tū quæ ad deûm religionem & honores pertinēt, accuratissimè ordinauit. Hic & Geometriam inuenisse, & sidera contemplandi & obseruādi rationē populares docuisse, fertur. Tertium inde Sesostrim celebrant, qui non solùm rebus bello præclarè gestis, cæteros Ægypti Principes post se reliquit, sed & militari Ægyptiorum ordini leges cōcinnauit, & cuncta ad militiam pertinentia in formam conuenientissimam digessit. Quartus legislatorū nominatur ab illis Bocchoris, rex, vir sapiens & versutiâ excellens. Hic & omnia quæ ad reges spectant, constituit, & exactum contractibus modū præscripsit. In iudiciis eâ fuit sapientiâ, vt multæ sententiæ propter excellentiam adhuc nostro seculo memorentur. Corpore perquam infirmo, ingenioque pecuniarum auidissimo perhibetur. Post eum Rex Amasis operam legibus impendit: qui Nomarcharum munia totamq; Ægypti administrationē in ordinem redegit. Is & ingenii solertiâ, & morum benignitate atq; iustitiâ præcelluisse traditur: quo factum vt imperium, licèt à regibus non oriundo, Ægyptii tamen illi commendarint. Eleis, cùm circa ludos Olympiacos occupati missis ipsum legatis cōsulerent, quo pacto iustissimè illos administrarent, respondisse memoratur; Si Eliensium nemo in certamen descēderet. Polycrates Samiorū regulus amicitiæ fœdus cum eo pepigerat. At cùm & ciues, & extraneos illuc profectos, violentius tractaret, per legatos ad moderationē hominē adhortabatur. Sed cùm nō obtemperaret, tandē per literas amicitiæ & hospitali fœderi nuncium remisit: Nolle se (inquiens) subitò mœrori inuolui: siquidē acerbum imminere casum tàm tyrannicè dominanti, exactè præsciat. Vnde & propter comitatē & certum prēmonitorum euentū, Grēcis admirationi fuit. Sextus tandem Darius Xerxis pater, legibus

gibus Ægyptiorum animum appulisse dicitur. Detestatus enim non sine odio Cambysis (qui in regno præcesserat) in tēpla Ægyptiorum impietatē benignitati in homines, & amori erga deos, operā dedit. nam cū sacerdotibus Ægypti familiaritatē iniit, & Theologiæ ipsorū, rerumq; in sacris voluminibus annotatarum, particeps factus est. vnde edoctus, quā reges antiqui magnitudine animorum & erga subditos humanitate fuissent, ad imitationem vitæ ipsorum se attēperauit. Propterea tantū honoris cōsecutus est, vt superstes adhuc, diui appellationē, quod nulli regū aliorū cōtigit promeruerit; & defunctus vitā, honoribus iustissimis olim Ægypti Principes æquipararit. Hos igitur viros publicas Ægyptiorū leges, tātū apud alios celebritatis adeptos cōfecisse memorāt. Insecutis autē temporibus multas, quæ præclarē sancitæ putabantur, à Macedonibus abrogatas esse; qui rerum potiti, regium nationis huius imperium sustulerunt.

XCVI. His ita explicatis, recensendi nobis sunt qui priscis illis temporibus, sapientia & doctrina celebres apud Græcos, peregrinationes in Ægyptum, ad iura & disciplinas gentis cognoscendum susceperunt. Etenim sacerdotes Ægyptiorū Orpheum; Musæum; Melampodem; Dædalum; Homerum poetam; Lycurgum Spartanum; Solonem Atheniensem; Platonem Philosophum, Pythagoram Samium; Mathematicum Eudoxum; Democritum Abderitā; & Oenopidem Chium; ad ipsos aduentâsse, è sacris commētariis referunt. Signaq; horum omnium, quā imagines, quā desumptas à locis aut operibus, appellationes ostentant; & ex cuiusque professione artis demonstrationes adferunt, quibus probant ex Ægypto cūcta, quibus admirationē illi apud Græcos sibi pepererunt, translata esse. Nam Orpheum plerosq; mysteriorum ritus, & quæ circa errationem eius orgia celebrantur, totamq; de inferis fabulā, inde asportâsse. Nam Osiridis & Bacchi initiorum cæremonias easdem esse; Isidisque & Cereris, præterquam quod nomine differant, inter se planè conuenire. Et dum pœnas impiorum apud Orcum; & piorum tempe; & peruulgata imaginum figmenta introducit; Ægyptiorum funerationes eum imitari dicunt. Animarum enim deductorem Mercurium, pro veteri Ægyptiorum instituto, Apidis cadauer aliquo vsque deductum illi tradere, qui Cerberi laruam præ se ferat. Id cùm Orpheus cum Græcis com-

municâsset: Homerum eius vestigia secutum poemati suo inseruisse;

Heroumque animas Cyllenius euocat Hermes,
In manibusque gerit baculum qui fulgidus auro est.

Vbi progressus aliquantum addat;

Oceani veniunt vndas & Leucada rupem,
Solis & ad portas, vbi somnia (gens vaga) regnant.
Vlteriusque adeunt viridantia prata, frequentant
Quæ manes hominum vitâ simulacra carentûm.

Oceani nomen hîc fluuio tribui, sic enim linguâ populari Nilum Ægyptiis nominari. Per Solis portas Heliopolin intelligi. Pratum verò & defunctorum habitationem confictam, esse locum iuxta paludem, quem Acherusiam vocant, propè Memphin, quam prata & stagna amœnissima cum loti & calami syluis, circumdāt. Nec abludere, quod mortuos loca ista incolere fingat. plerásque enim & maximas Ægyptiorum funerationes istic peragi, dum cadauera per amnē & Acherusiam paludē deportata in cryptis illic sitis reponant. Cætera quoque Græcorum de inferis commenta cum his, quæ etiamnum fiant in Ægypto, conuenire. Nam quod cadauera transuehit nauigium, Barin appellari, obolumque portitori, quem Charontem indigetant pro naulo solui. In vicinia etiam Scotiæ (id est, tenebricosæ) Hecates fanū, & Cocyti, Lethesq; portas, æneis vectibus obstructas, & præter has aliam Veritatis esse, cui Iustitiæ absque capite simulacrum proximè adstet. Multa insuper alia de fabulosis commētis in Ægypto superesse. quorum appellatio, ipseque actionum vsus adhuc duret. Nam in Acanthiorum vrbe, trans Nilum, versus Libyam, CXX stadiis à Mēphi dolium est perforatum (aiunt) id quod Sacerdotes CCCLX vno quolibet die aquam ex Nilo perferūt, & de asello (seu ocno) fabula in celebri non procul inde cōuentu ipso actu exhibetur, vbi vir quidam longum à principio funiculum torquet, multique retrò quod tortum est, dissoluunt. Melampodem porrò sancita Baccho sacra apud Græcos, & fabulosam de Saturno atque Titanibus narrationem, adeoq; totam de affectionibus deorum historiam ex Ægypto traduxisse, perhibent. Et hinc Dædalum perplexas Labyrinthi ambages, qui ad hoc vsque tempus perduret; à Mendete primùm; seu, vt nonnulli referunt, à Maro rege, multis ante Minois imperium

XCV

perium annis exstructus; Dędalum imitatum. Eandem quo-
que esse proportionem statuarum in Ægypto veterum quæ
est à Dędalo effictarū in Gręciâ. Pulcherrimumq; in Mem-
phi propylæum Vulcani Dædalum architectatum esse, tan-
tæ apud illos existimationis, vt statuā ei ligneam ipsius manu
fabricatam in eodem templo collocârint. quem tandem ob
ingenii dexteritatem & inuētorum solertiam, in magno pre-
cio habitum, ad diuinos honores extulerint. Nam in vnâ ad
Memphin insularum hodieque fanum Dędali perquàm re-
ligiosum indigenis exstare. Quod autem Homerus eò lo-
ci venerit, cum aliis argumētis, tum pharmaco per Helenam
Telemacho apud Menelaum, ad inducendam exātlatorum
obliuionem exhibito, probant. Nepēthes enim pharmacum
(à mœroris vacuitate sic dictū) quod Helenam à Polymne-
ste Thonis vxore acceptum ex Thebis Ægyptiis asportâsse
memorat; poeta diligēter exploratum habuisse videtur. nam
etiam nunc efficaci hoc remedio mulieres illic vti, & apud so-
las Diopolitanas iræ & tristitiæ medicamētū inueniri (The-
bas autem & Diospolin vnam & eādem esse ciuitatem) asse-
runt. Veneremq; ab indigenis, ex vetustâ quadam traditio-
ne auream vocari; eoq; nomine quēdam in Memphitarum
territorio campum esse. De Iouis & Iunonis complexu, inq;
Æthiopiam profectione fabulā Homerum ex Ægypto trās-
tulisse. Quotannis enim Iouis sacellum apud Ægyptios per
fluuium transmitti in Africam, & post dies aliquot, ac si deus
ipse ex Æthiopiâ redux sit, reuerti. Figmentum de complexu
deorum à festorum solennitate, in quâ vtriusq; sacellum in
montem, omnis generis floribus instratū, à sacerdotibus de-
portatur, acceptum esse. XCIIX Addunt his, quòd Lycurgus,
Plato, & Solon, multas ab Ægyptiis leges mutuati, in Res-
publicas suas receperint, & quod Pythagoras sacrū (quē vo-
cant) sermonem, & Geometriæ pręcepta, artemq; numeran-
di, & animarum in quoduis animal trāsmigrationem, ab Æ-
gyptiis acceperit. Democritum etiam quinquennio apud se
commoratum, & magnam Astrologiæ scientiam comparas-
se arbitrantur. Sic & Oenopiden cū Sacerdotibus & Astro-
logis familiariter versantem, cùm alia, tum potissimùm Solis
circulum, quod obliquum habeat iter: & contrarium aliis si-
deribus faciat progressum; didicisse. Sic Eudoxum, cum A-
strologiæ istic operam dedisset, multis vtilibus monumentis

in Græciâ editis, magnam nominis celebritatem adeptum. Statuarios denique veteres maximè claros apud se ad tempus vixisse, vt fuerunt Telecles & Theodorus Rhœco geniti; qui Samiis Apollinis Pythii simulacrũ elaborârunt. Nam statuæ huius dimidium in Samo à Telecle fabricatũ Ephesique à Theodoro fratre alteram partem absolutam, memoratur; iunctasq; inter se partes ita consensisse, vt totũ corpus ab vno confectum videretur. quod genus artificii à Græcis nequaquam exerceri, sed frequentissimum apud Ægyptios vsum habere, contendunt. Apud hos enim non oculorum contuitu, quod Græcis in more est, aptam statuæ conformationẽ æstimari, sed quando lapides excisos, & in partes distributos elaborant, tunc portionem simul à minimis ad maxima desumi. Vniuersi enim corporis structura in x x I partes ac quadrantem diuisa, totam symmetriam (quâ partes ad partes, eædemque ad vniuersum corpus respondeant) ab illis reddi. Idcircò vbi de magnitudine artifices inter se conuenerunt, digressi suam quisque partem tàm congruam alteri facit, vt operis horum insolentiâ admirationem cum stupore inducat. Simulacrum ergò Samium, pro Ægyptiorum solertiâ, à vertice in duo sectum, ad pubem vsq; dei, medium ita distinguere, vt suã vndique æquabilitatem habeat; cumque manibus sit protensis, & cruribus ad progredientis modum diductis, quàm proximè ad Ægyptiorum effigies accedere illud aiunt. Atqui hæc de rebus in Ægypto celebratis, memoriâque dignis recitata sufficiant. Nunc vt initio libri propositum. quæ sequuntur res gestas & fabulas, ab his quæ Assyrii per Asiam factitarunt, exorsi, proximo libro persequemur.

HÆC SECVNDO DIODORI LIBRO CONTINENTVR.

VI. De

DIODORI SICVLI BIBLIOthecæ historicæ Liber II.

I. PRAECEDENS ergò liber, totius operis primus, res Ægypti complectitur: Quibus insunt, quæ fabulosè de diis Ægyptiorū, & prodigiosè de natura Nili, aliisq; huc pertinentibus commemorantur. Adhæc de terra Ægypti, & regibus antiquis, singulorumque gestis dictum est. Hinc structuræ pyramidum, inter septem miranda orbis opera recensitæ, locum obtinent. Posthæc quæ de legibus & iudiciis, deque sacrosanctis in Ægypto bestiis, admirationem merentur, exposuimus. Tandem ritus circa defunctos; & Græcos doctrinâ celebres qui in Ægyptum profecti rerum vtilium disciplinam in Græciam transportarunt, recensuimus. Hoc deinceps libro res in Asiâ priscis ætatibus gestas, ab Assyriorum imperio exorsi, describemus. Antiquitus reges indigenas, quorū nec facta inclaruere, nec nominis memoria durat, Asia habebat. Primus inter eos quorum historiæ memoriam propagārūt, Ninus Assyriorum rex, res magnas peregit. de quo particulatim nonnulla perscribere, animum induximus. Cùm enim naturâ bellicosus virtutis amore flagraret, iuuenū validissimos armis instruxit, & diu mul-

tumque exercitatos, ad omnem laboris & periculorũ in bellis tolerantiam adſuefecit. Inſigni ergò manu contracta, cum Ariæo rege Arabiæ, ſtrenuis tùm viris plenæ, ſocietatẽ iniit. Nam gens iſta libertatis perpetuò amans eſt, nec vnquã extraneum principem admittit. Ideò nec Perſarum, nec Macedonum poſtea reges, quamuis potentiſſimi, nationem hanc ſubigere valuerũt. Arabia enim quòd partim deſerta, partim aquis defecta, aut puteis occultis (quos indigenæ tantùm nôrunt) intercepta ſit, ab externis militum copiis expugnari nequit. Ninus ergo Aſſyriorum Monarches Arabis ſubſidio inſtructus, numeroſo cum exercitu finitimos ſibi Babylonios inuaſit. Babylon autem quæ nunc eſt, illo tẽpore nondũ erat condita. Sed alias Babylonia vrbes non contemnendas habebat; cuius incolis tum facilè in poteſtatem redactis, quod diſcriminum belli rudes, & imperiti eſſent; ipſis quidem annui penſionem tributi imperauit, regem vero debellatum, cum liberis captiuũ abduxit & interemit. Poſthæc validâ manu Armeniam aggreſſus, euerſis quibuſdã vrbibus, metum cæteris incuſſit. Idcircò rex ipſorum Barzanes ſe bello imparem eſſe videns, cum magnis ei muneribus occurrit, & omnia ſe imperata facturum, pollicetur. Huic pro magnitudine animi ſui benignum ſe præbet Ninus, regnumq; Armeniæ cõceſſit, ſed ita, vt amicus foret, & milite ac cõmeatu expeditiones ipſius iuuaret. Ac ſubinde auctior factus Mediã appetit, cuius rex Pharnus, vtut validam opponens aciem vincitur; & plurimis ſuorum amiſſis, ipſe cum liberis ſeptem, & vxore captus in crucem agitur.

II. Cùm itaque res Nino tã proſperè ſuccederent; vehemẽs eum cupido inuaſit totius intra Tanaim & Nilum Aſiæ ſubiungendæ. " vſque adeò fortunatos proſper rerum ſucceſſus plus habendi cupiditate incendit. " Amicorum ergò vni Mediæ Satrapiam cõmittit: ipſe interim ad ſubigendas Aſiæ gentes ſe conuertit; & ſeptemdecim interuallo annorum omnes alios, præter Indos & Bactrianos, ſuæ poteſtati ſubiecit. Singulas autẽ pugnas, omniumque ab ipſo deuictorum numerum nullus ſcriptorum recenſuit. Ideò nobiliſſimas tantùm gentes, Cteſiam Gnidium ſecuti, breuiter percurremus. De terris maritimis & reliquâ deinceps continente, Ægyptum & Phœniciã; cauamq; Syriam cũ Ciliciâ, Pãphyliâ, Lyciâ; & præter has Cariam; Phrygiam; Myſiam & Lydiam; ſubegit, Troadẽ quoq; & Phry-

& Phrygiam ad Hellespontum; cum Propontide; Bithyniâ, Cappadociâ; & barbaris ad Pontum gentibus vsque ad Tanaim adiunxit, Caddusiorum etiam terrâ & Tapyrorum, nec non Hyrcanis; Dacis; Derbicibus; Carmaniis; Choramnæis; Borcaniis & Parthis; est potitus. Adhæc Persiam & Susianam; & quæ Caspiana nominatur; in quam faucibus perangustis, quas Caspias hinc portas vocant, iter patet. Multas insuper alias, sed minores gentes subiugauit, de quibus dicere longa mora esset. Bellum autem Bactrianum propter difficultatem transitus, & virorum in eâ pugnacissimorum copiam, post multos ibi labores incassum exhaustos, in aliam distulit occasionem.

III. Interim reductis in Syriam copiis, locum ad magnæ vrbis exstructionem appositum elegit. Nam præterquàm quòd rerum gestarum claritudine omnes ante se præcesserat: tantæ quoque molis vrbem condere festinabat, vt non modò omnium tunc in orbe terrarum maxima exsisteret, sed etiam vt nemo postgenitorum tale quid aggressus ipsum facilè superaret. Arabum igitur regem, muneribus & spoliis honoratum magnificis, domum cum exercitu dimisit. At ipse contractis vndique copiis, & omnium facultatum suarum apparatu, ad Euphraten fluuium vrbem preclarè munitam, figurâ altrinsecus oblongâ posuit: nam latus vtrinque longius ad CL stadia excurrit; reliqua duo minora, XC obtinent. Ambitus igitur totus stadiis CCCCXXC constat. Nec conditorem spes fefellit: à nullo enim postmodum vrbs tanto ambitus spacio, tantâque magnificentiâ mœnium exstructa fuit. Nam murus ad centum pedum altitudinem exsurgebat, & ad trium latitudinem curruum iunctim agitandorum porrectus erat. Turres in eo mille quingentæ, ducentos pedes altæ. Quibus habitandam vrbem dederat, Assyrii erant plærique iidemque potentissimi; ex aliis tamen nationibus qui vellent, aggregatis. His magnum agri vicini tractum assignauit, vrbemque Ninum suo nomine appellari iussit.

IV. Hac ita perfectâ, Bactrianos cum exercitu petit: vbi Semiramidem coniugio sibi iungit: quam cùm omnium fœminarum clarissimam exstitisse accepimus; fieri non potest, quin nonnihil hîc de ipsâ referamus; quemadmodum ex humilimâ sorte ad tantum gloriæ culmen adscenderit. Est in Syriâ vrbs Ascalon, à quâ non procul ingens & profundus

lacus,piſcium copiâ abundãs,& in viciniâ illuſtris deæ templum,quæ Derceto Syris vocatur;facie mulierem,& toto aliâs corpore piſcem referens; idque has ob cauſas, accolarum hic diſertiſſimi fabulantur, Venerem ab illâ offenſam, acrem iuuenis, in ſacrificantium turbâ non inelegantis,amorem deæ inieciſſe.ſuſceptâque è complexu Syri filiâ,cùm facinoris eam puderet,iuuenem necaſſe, puellulamq; in petricoſum quendam locum ac deſertum expoſuiſſe; ipſam verò pudore & mœrore compulſam in lacum ſe abieciſſe;in piſcem inde transformatam. Hinc factum,vt Syri,etiã nunc ab id genus animante abſtineant, deorumque ritu piſces colant. Cùm verò ad expoſitæ infantis locum magna columbarum vis nidularetur, miro quodam fato & nutricatio & ſalus ei contigit. Alarum enim complexu corpuſculum infantis fouere,& in vicinis attegiis, derelictum à bubulcis, aliisque paſtoribus lac obſeruare, roſtriſque exceptum mediis eius labris,vt alteræ nutrices, inſtillare. Cumque annum egreſſa firmiore indigeret nutrimento;de caſeis,quantum ſat eſſet,decerptum illi ſuggerebant. Paſtores autem reuerſi,cùm caſeos viderent circumroſos,primò rem inſolitam mirari: tùm obſeruatione adhibitâ cauſam deprehendere. virgunculam enim decore formæ inſignem reperêre. quam in magalia deportatam regiorum magiſtro iumentorum(cui Simmæ nomẽ) donarunt.Is liberis carens puellam vti filiam accuratiſſimè educauit,& Semiramidis nomẽ impoſuit;Syrorum linguâ à Columbis deriuatum;quas Syrorum exinde natio vt deas perpetuò veneratur. V. Hæc de Semiramidis ortu fabuloſè recitantur. quâ iam maturâ nuptiis,formæque pulcritudine longè virgines alias ſupereminente;præfectus quidam,nomine Menones, ad luſtrandum regis armenta mittitur. Erat is Senatus regii princeps, & Syriæ totius adminiſtrator; cumq; ad Simmã diuertiſſet, conſpectæ Semiramidis amore capitur. quam & precibus à Simmâ impetratam Ninum ſecum abducit,vbi inito matrimonio duos ex ea filios procreat,Hypaten & Hydaſpen. Et quia corporis venuſtati morum elegantiam conſentaneam habebat Semiramis;accidit,vt prorſus in eius poteſtate maritus eſſet,ac nihil abſq; vxoris conſilio ageret:quod & feliciter ceſſit in omnibus. Sub hoc igitur tempus,Rex Ninus cum vrbi ſui nominis Colophontem impoſuiſſet,expeditionem in

nem in Bactrianos adornabat. Exploratumq; habens, quātæ illis copiæ, quæ virtus militum, & quòd propter firmitatē terra multis in locis aditum negaret, ex omnibus imperii sui populis militum delectus egit. nam propter irritū superioris expeditionis conatum, longè maiori Bactrianam manu inuadere properabat. Coacto igitur vndiq; exercitu, recensita decies septies centena peditum & ducenta ac decem equitū, decemq; curruum falcatorum millia, cum paulò minus sexcentis. Ctesias in historiis tradit. Incredibilis sanè his, qui dehinc audiunt, copiarum numerus: sed nequaquam impossibilis videbitur illis, qui magnitudine Asiæ nationumque in eà multitudinem considerant. Si quis enim (omissa Darii in Scythas cum octingentis millibus expeditione, & Xerxis transitu in Græciam cum innumerabili hominum turba) res heri (vt aiunt) & nudius tertius in Europâ gestas intueatur, facilius iam dictis fidem adhibebit. In Sicilia equidem Dionysius ex vnâ Syracusiorum vrbe c & xx millia peditum, & xii millia equitū, ad bellum armauit, nauesq; longas cccc (quarum nonnullæ triremes erant & quinqueremes) ex vno portu eduxit. Et Romani paullò ante Annibalis tempora ciuium, sociorumq; bello idoneorum censu in Italiâ habito ad decies centena millia descripserunt. tametsi Italia tota ne cum vnâ quidem Asiæ natione numero hominum comparanda sit. Hæc in eos nobis dicta sunto, qui ex præsente vrbium solitudine priscam gentiū copiam expendunt. His ergò in Bactrianos mouens Ninus propter locorum angustias & difficultates agmen diuidere coactus est. Multæ quidem in Bactriana vrbes, eæque magnæ frequentantur, sed vna inter has est clarissima, Bactra nomine, in qua regum aula magnitudine arcisque firmitate longè omnibus antecellens. Regnabat tum illic Oxyartes. qui, quotquot armis gerendis maturi essent, ad militiam hanc conscripsit, ita vt millia quadringenta numerarentur. His copiis hosti ad fauces occurrens, partem de Nini exercitu intrare sinit: vbi sat hostium intrasse visum, in planicie aciem suam extendit, & prælio acriter commisso, Bactriani in fugam Assyrios vertunt, & ad proximos vsque montes persecuti, centum millia hostium occidunt. Sed post totius exercitus impressionem victi numero, in oppida, suæ quique patriæ subsidium laturi, dispergguntur. Et cætera quidem

castella facilè Ninus expugnabat, sed Bactra propter munitionem & apparatum vi capere non poterat. Obsidione igitur longius extractà, vir Semiramidis (nam & is in castris tum regis erat) amoris impatiens, vxorem accersit. Hæc ingenii perspicacitate, & animi promptitudine aliisque nobilitatis adiumentis instructa, exserendæ virtutis occasionem arripit, & vt multorum iter dierum tutius conficeret, stolam sibi applicat, quâ vir esset, an mulier, illud fartum, discerni haud posset. quaque natiuum contra æstum itineris colorem tutaretur, & vt agilitate iuuenili ad quoduis ex vsu negocium expedita foret: tantaque vestis gratia erat, vt Medi postea & Persæ Asiâ potiti Semiramidis stolam gestarent. Quæ quamprimùm in Bactrianam venit; obsidionis rationem speculata, campestria tantùm & loca irruptionibus obuia oppugnando tentari; sed arci, quæ naturâ & arte munita esset, neminem imminere; præsidiúmque excubiis intus posthabitis ab inferioribus tantùm munimentis periculum arcere; animaduertit. Assumtis ergò, qui per rupes tendere scirent, cum his per vallis ardua eluctata arcis partem occupauit, & suis in plano murum oppugnantibus signum dedit. Tum qui intra vrbem erant subitò ob arcem captam terrore perculsi, spe defensionis abiectâ muros deserebant. Hunc ad modum expugnata vrbe, Rex mulieris virtutem demiratus, muneribus illam præclaris afficit: mox pulcritudine in amorem illectus, marito, vt sponte sibi illam concedat, persuadere conatur, suam ei filiam Sosanam pro merito isto in matrimonium pollicitus. Hoc conditionem repudiante, oculos se homini, ni pareat, euulsurum minatur. Menones igitur regiæ interminationis metu & amoris impotentiâ ad rabidum furorem adactus, iniecto se laqueo suspēdit. Atque hac Semiramis occasione ad regium euecta est splendorem. Ninus autem thesauris in Bactriana (magna enim vis auri & argenti erat) potitus, rebus ibi constitutis, exercitum reduxit; susceptóque ex Semiramide Ninyâ, successionem in regno vxori è vita decedens relinquit. Huic Semiramis in regia sepulto, ingentem terræ aggerem altitudine IX. & latitudine X. stadiorum, vt Ctesias auctor est, construxit. Cúmque vrbs iuxta Euphratem in planicie iaceat, moles illa arcis se per multa inde stadia conspiciendam offerebat. Et adhuc Nino diruta, finitóque Assyriorum im-

VII.

perio per Medos, exstare dicitur. Naturâ Semiramis ad
res magnas rapiebatur, & gloriâ præcessores superare con-
tendebat, ideoque vrbi in Babyloniâ condendæ animum
adiecit; & architectis hinc illinc fabrisque delectis, ac neces-
sariis ad sumptus faciendos comparatis, ex toto regno ad o-
peris structuram vicies cētena hominum millia coëgit: tum
CCCLX stadiorum muro crebris intercepto turribus vrbem
ita circumdedit, vt mediam amnis interflueret, eratque tanta
operis magnificentia, vt mœnium latitudo sex iuxta curri-
bus vehendis sufficeret: altitudo verò omnium qui audirent
fidem (vt Ctesias scribit) excederet: vt verò Clitarchus, & qui
cum Alexandro in Asiam posteà traiecerunt, literis prodi-
derunt, ambitus CCCLXV stadiorum quod anni dies stadio-
rum numero æquare studuisset. Murum lateribus bitumine
conglutinatis coagmentauit, quinquaginta orgyas, teste
Ctesia, altum: vel vt alii referunt quinquaginta cubitos tan-
tùm; vt latitudo aliquantò plus, quàm duobus curribus satis
esset spacii obtineret. Turres etiam adiecit CCL. quarum
altitudo, latitudóque amplitudini operum muri responde-
ret. Nec verò mirandum est quod in tanto muri ambitu ita
paucas ædificauit turres. Cùm enim multis in locis vrbs pa-
ludibus sit circumfusa, non operæprecium ipsi visum, eâ par-
te turres construere, quo natura loci satis munita esset. In-
ter murum & domorum ædificia, via duûm plethrorum cir-
cumquaque relicta erat. Vt autem celerius opus con-
III. summaretur, cuilibet ex amicis stadium, cum impensis ad id
necessariis, attribuit, & anni spacio negocium peragere ius-
sit. Quo gnauiter, non absque reginæ approbatione, per-
fecto, pontem, quà fluuius angustissimus erat, quinque sta-
diorum longitudine construxit, columnis duodenûm pe-
dum interstitio, mirâ in profundum arte iactis. Lapides vt
firmius inter se connecterentur, vncis ferreis distrinxit; &
plumbo compages illiquato expleuit. Columnis verò, an-
tequàm latera fluuium exciperent, angulos, qui rotundum,
& paullatim vsque ad columnæ latitudinem refrenatum,
haberent aquarum decursum, præstruxit: quorum acies im-
petum refringeret & rotunditas sensim concedens vehe-
mentiam defluxus mitigaret. Pons itaque ille cedrinis &
cypressinis trabibus, palmarumque caudicibus & ramis præ-
grandibus obtectus, & XXX pedes latus, nulli Semiramidis

operum solertia concedebat. Tum ab vtroque fluminis latere crepidinem, mœnibus latitudine parem, ad stadia centum magnis sumptibus eduxit. Regias etiam duas ex vtraque pontis regione ad fluuium ædificauit: vnde in totam vrbem prospectum, & quasi claues ad loca eius opportunissima, habitura esset. Cumque mediam Euphrates Babylonẽ intersecet, ad meridiem festinans, castellorum aliud ad ortũ, aliud ad occasum vergebat. Magnis vtrumq; impendiis extructum. nam quod ad occidentem iacet primum ambitũ LX stadiorum altis & sumtuosis mœnibus, ex cocto latere constructum, habuit: alter intrinsecus in orbem ductus, in crudis adhuc lateribus omnis generis animantia, colorum artificio ad veritatis similitudinem efficta, continebat; Is, auctore Ctesia, XL stadia longus, lateres trecentos latus, & quinquaginta Orgyiarum altus erat. Turres ad LXX Orgyias surgebant. Tertius tandem murus & intimus arcem circumdedit, qui XXX stadia complexus, tum longitudine, tum latitudine intermedii structuram operis superabat. Turres & mœnia bestias omnis generis, coloribus & figuris ad viuum expressas, repræsentabant. Inprimis venatio illic erat variorum plena animantium, quæ magnitudine quatuor cubitos excedebant: & inter hæc Semiramis conspiciebatur ex equo pardalim iaculans, & propè vir eius Ninus, lanceâ cominus feriens leonem. Tres quoque portas erexerat: sub quibus cœnacula ex ære, quæ machinâ aperirentur. Hoc palatium, tùm magnitudine, tùm ornatu, alteri ex aduersa fluuii ripâ longè præcellebat: nam extimus illius murus, ex cocto latere factus, XXX tantum stadia obtinebat. Loco bestiarum arte effictarum, æneæ Nini & Semiramidis, præfectorumque & Iouis, quem Belum Babylonii nominant imagines; necnon instructæ acies & venationes multifariæ, ad variam spectantium voluptatem, propositæ erant. Post hos in humilimo Babyloniæ loco lacum quadrantem effodit: cuius vnumquodque latus, ex latere cocto & bitumine constans, CCC stadia longum, pedesque XXXV profundum erat. Huic flumine auerso è regiis vtrinque palatiis cuniculum duxit, cuius fornices asso latere constructos, bitumine decocto, ad quatuor cubitorum spissitudinem, vtrinque inunxit; parietes cuniculi lati-

IX.

li latitudinem xx laterum, xii pedum altitudinem, præter
forficem incuruatam, habebant. Latitudo autem erat pe-
dum xv. Tandem intra cc & lx dies opere consumma-
to, amnem in alueum pristinum reduxit: vt vnda supra cu-
niculum labente Semiramis ex vlterioris regiæ castello in
alterum, flumine non transito, commeare posset. Æneas
quoque portas ad vtramque fossæ partem statuit, quæ ad
Persarum[vsque regnum permansêre. In mediâ deinceps
vrbe Ioui (quem Belum, vt diximus, Babyloni vocitant)
templum ædificauit. De quo cùm & scriptores discrepent,
& opus vetustate collapsum sit, nihil est, quod certò assera-
tur. Summæ tamen altitudinis fuisse, & huius adiumento
Chaldæos, siderum illic contemplationi vacantes, ortus &
occasus exactè notâsse, constat. Totum opus ex lateribus
& bitumine, magno sumtu & ingenio, fabricatum erat. In
summo adscensu tres ex auro statuas malleo ductas, Iouis
videlicet, Iunonis & Rheæ, erexit. Iouis imago pedibus in-
sistenti ac veluti ambulanti similis erat, pedum xl longitu-
dine, & pondere CIↃ talentûm Babyloniorum. Rheæ effi-
gies eiusdem ponderis in aureo throno residens, leonesque
duos ad genua stantes ac prægrandes iuxtâ colubros ex ar-
gento talentûm trigenûm pondo, habebat. Illic etiam Iu-
nonis simulacrum, IↃCCC talenta pendens; quod dextrâ
serpentem capite prehensum, sinistra gemmatum sceptrum
tenebat. Mensa omnibus communis ex auro, malleis ela-
borata; pedes xl longa, & xvii lata; IↃ talentûm pondere,
apposita erat: in quâ carchesia duo talentûm xxx. Ade-
rant etiam thuribula numero quidem paria, sed pondere
trecentûm talentorum. Crateres insuper aurei tres, quo-
rum Ioui dicatus talenta Babylonia mille & ducenta pen-
debat: cæterorum vterque IↃC. Verùm ista Persarum reges
postea sacrilegio abstulerunt: regiasque & alias structuras
partim tempus omninò aboleuit, partim corrupit. Nam &
ipsius Babylonis exigua quædam portio nūc habitatur, ma-
ximaq; intra muros pars agrorum cultui est exposita. E-

X. rat etiam pensilis (vt vocatur) hortus iuxta arcem, non à
Semiramide, sed Syro quodam rege, posteris temporibus
in gratiam Pallacæ ædificatus: quæ cùm ex Persiâ (vt
perhibent) oriunda esset, in montibus prata requirens,

à rege, vt artificioſo quodam plantario Perſicæ naturam terræ imitaretur, contendit. Paradiſus ille vnumquodque latus ad quatuor plethra extendit. Aditum montanum aliáſque ex aliis ad formam theatri ſtructuras habebat. Sub gradibus autem fabrefactis vbi aſcenditur, fornices (*Syringes*) ædificati erant, totam viridarii molem ſuſtinentes, aliusque alium ſubinde in acceſſu modicum ſupereminebat. Supremus tandem fornix, quinquaginta cubitos altus, ſupremam paradiſi aream, pinnarum ambitui exæquatam, habebat. Tum parietes multis impendiis firmati, pedes XXII craſſi erant, & quilibet exitus XII latus. Concamerationes verò trabes lapideæ integebant, longitudinem XVI cum ſuperiniectis, & latitudinem IV pedum obtinentes. Tectum lapidibus incumbens, arundines primùm cum multo bitumine ſubſtratas habebat. Deinde later erat duplex, gypſo ferruminatus. Tertia porrò tegminis ſeries laminas plumbeas excipiebat: ne ex humo ingeſtâ humor ad fundum penetraret. Super hæc terra ad iuſtam profunditatem coaceruata erat: quæ maximarum arborum radicibus ſatis eſſet. Solum denique complanatum omnigenis arboribus plenum erat, quæ & magnitudine, & cæterâ amœnitate, ſpectantes oblectare poſſent. Fornices præterea, quod lumen per arcus inter ſe eminentes exciperent, multas variique generis diætas continebant regias. Sed vna erat, ex ſupremâ areâ diſſectiones, ſeu foramina, habens, & hauriendis aquis inſtrumenta, quibus aquarum copia ex amni, nemine foris quid fieret animaduertente, attrahebatur. Hic vero hortus poſterioribus, vt dixi, ſeculis exſtructus fuit. Cæterùm Semiramis alias etiã vrbes ad Euphratẽ & Tigrim condidit, vbi emporia illis conſtituit, qui merces è Mediâ & Parætacene, totaque viciniâ important: nam poſt Nilum & Gangen totius propè Aſiæ nobiliſſimi amnes ſunt Euphrates & Tigris, ac fontes ſuos habent ex Armeniæ montibus, diſtantque à ſe inuicem ſtadia CIↃ IↃ. ac per Mediam Parætacenamque delati, Meſopotamiam ingrediuntur: quam quia in medio includunt, regioni id nominis indiderunt. Hinc Babyloniam peruagati in rubrum (Perſicum) mare ſeſe exonerant. Cúmque magni ſint fluuii, & plurimas permeent regiones, multas mercaturæ deditis commoditates ſuppeditant. Quò fit, vt loca his fluuiis vicina, emporiis abundent

XI.

undent b atis(opulentis) & multum ad maiestatem Babyloniæ conferant. Semiramis etiam saxum è montibus Armeniis excidit, CXXXV pedes longum, XXV latum & spissum: hoc multis asinorum boumque iugis ad amnem deportatum rati imposuit, & secundo flumine Babyloniam deuectum iuxta viam nobilissimam, admirandum prætereuntibus spectaculum, erexit. Obeliscum à figurâ vocant, interque septem famigerata orbis opera numerant. Multa sanè Babylonia continet spectatu digna & admiranda: sed inter hæc non minimum admirationis meretur bituminis copia illic exsudantis: quæ tanta est, vt non modò tot & tantis ædificiis sufficiat, verumetiam profusè à populo collectum, pro lignis siccatum cremetur. Et licèt ab innumerabili hominum multitudine, vtpote ex fonte amplissimo, hauriatur, integra tamen eius manet vbertas. Prope fontem istum scaturigo est haud ita magna, sed mirè efficax: vaporem enim sulfureum & grauem emittit, quo quicquid animantium accedit, subitâ nec opinatâ morte correptum, exstinguitur: anhelitu enim diutius compresso, & respirandi facultate per vim exhalationis interclusâ, præfocatur. Et continuò turgescens cadauer inflammatur, locis circa pulmones maximè.

XI. Est & vltrà flumen palus rigidum (solidum) circa se locum habens; in quem quis imperitorum ingressus, perbreue tempus natat: vbi ad medium peruenerit, ceu violentiâ quadam attrahitur: opitulaturus verò sibi, & retrogredi cupiens, tàm violenter ab aliquo attineri videtur, vt frustra ad exitum contendat. Ac primum ei pedes, mox crura & tibiæ ad lumbos vsque exanimantur. Torpore denique per corpus totum subactus, in profundum defertur; & paulò pòst mortuus eructatur. Hæc itaque de mirandis Babyloniæ rebus dixisse hîc satis esto. At Semiramis, vbi finem operibus imposuerat, magnis in Mediam copiis mouens, ad montem, qui Bagistanus appellatur, tandem castra posuit: hortumque XII stadiorum ambitu illic instituit. Is in patenti campo situs, magnum habebat fontem, qui totum plantarum irrigaret. Bagistanus verò mons Ioui sacer est, & à Paradisi latere præruptas habet petras, quæ ad XVII. stadia in altum porriguntur.

Huius radicibus abrasis, suam insculpsit imaginem, & centum sibi stipatores adiunxit. Literis quoque Syris rupi inscripsit: *quod Semiramis per sarcinas iumentorum ipsam sequentium, ex campo ad ardua montis congestas, in iugum vsque euasisset.* Castris inde motis, cùm ad Chaonem Mediæ vrbem accessisset, in edito quodam campo stupendæ celsitatis & magnitudinis petram animaduertit. Hîc ergò alium prægrandem hortum, petram in medio complexum exstruxit: cui impendiosa ad voluptatem ædificia superimposuit, vnde & horti vireta & omnem in planicie castra metatum exercitum prospiceret. Hoc in loco omni deliciarum genere perfruens, non parum temporis absumsit: & quia verebatur, ne quando regnum amitteret, à legitimis sibi nuptiis temperauit: interim militum elegantissimos ad rem secum habendam delegit: quotquot tamen cum eâ coiuerant, è medio sustulit. Itinere deinde versus Ecbatana flexo, ad Zarcæum (vt vocant) montem peruenit. Is ad multa se extendens stadia, scopulisque præruptis ac vallibus abundans, longos habebat circuitus. Immortale igitur sui monimentum relinquere, & compendiosum efficere iter enitens, rupibus diffractis, cauisque locis ingestione terræ complanatis, sumtu magno breuē & expeditam reddidit viam; quæ ad hoc vsque tempus illius nomine insignis est. Hinc postquam Ecbatana vrbem in campestribus sitam deuenit, regiam magnis impendiis exstruxit: plus etiam alioqui curæ loco illi impendit. Cùm enim aquarum inopiâ, quod nusquam in vicinia fons esset, vrbs premeretur: aquis eò largissimis & optimis multâ cum molestiâ & impensâ deductis, totam irriguam effecit. Mons ab vrbe stadiis abest XII. nomine Orontes, asperitate & magnitudine in altum porrectâ excellens; vt qui arduum per stadia XXV. ad verticem vsque adscensum habet. In altera huius parte, cùm ingens esset lacus, in fluuium sese exonerans, ad radices montem perfodit. Fossæ latitudo erat pedum quindecim, altitudo quadraginta. Per hanc deriuato lacus amni, largas vrbi aquas suppeditauit. Et hæc sunt, quæ in Media peregit. XIV. Posthæc Persiam & cæteras prouincias omnes imperio eius subditas in Asia peragrauit; vbique autem montibus & rupibus diuulsis,

ſis, itinera magnis impendiis directa & plana fecit. In locis contrà planis aggeres educens, nunc ſepulcra ducibus exſtinctis conſtruxit, nunc vrbes in collibus illis condidit. In expeditionibus paruos aggeres erigere ſolebat, in quibus ſuo defixo tentorio caſtra tota deſpiceret. Multaque per Aſiam ab eâ concinnata ad hanc perdurant ætatem: quæ *Semiramidis opera* vocantur. Vniuerſam deinceps Ægyptum peruaſit; Libyâque magna ex parte in ditionem redactâ, Iouem Hammonem adiit, vitæ ſuæ finem ex deo ſciſcitatura. Redditum ei fuit oraculum; *Fore, vt ex hominum conſpectu abiret, & immortalem ab nonnullis Aſiæ gentibus honorem adipiſceretur, quando Ninyas ei filius inſidias ſtruxerit.* His perfuncta, dum plurima Æthiopiæ loca ſubigit, admiratione digna illic contemplatur. Lacum enim quadratum in eâ ferunt eſſe ambitu CLX pedum: cuius aqua cinnabaris colorem referat, odoremque ſuauiſſimum, annoſo vino non abſimilem, exſpiret, tam mirandæ efficacitatis, vt qui inde biberit in dementiam prolapſus, de peccatis iam pridem occultè commiſſis ſeipſum accuſet. At narrantibus iſta non facilè quis aſſenſum præbuerit. Sepulturas mortuorum peculiari Æthiopes ritu inſtituunt. Cadauer enim ſalitum, & multo vitro circumfuſum, in cippo ſtatuunt, vt per vitrum defuncti corpus videri queat; ſicut Herodotus ſcriptum reliquit. At Cteſias Cnidius, nugari eum confirmat, oſtendens, ſaliri quidem cadauer; ſed nudis corporibus vitrum nequaquam circumfundi. Nam ſic futurum, vt ambuſta & prorſus fœdata ſimilitudinem retinere nequeant. Ideò cauam ex auro ſtatuam conflari, circa quam cadauere incluſo, vitrum tandem liquetur, & hac edito poſitâ loco, ſpeciem mortuo ſimilem per vitrum exhiberi. Atque eo modo ditiorum funera curari tradit: tenuiores autem fortunæ hominibus argenteas poni ſtatuas, pauperibus fictiles: & abundè ſat vitri cunctis eſſe; quòd plurimum eius gignatur in Æthiopiâ, & paſſim incolis ſit obuium. Verùm de inſtitutis Æthiopum, terræque fructibus eximiis & memoratu dignis, paulò pòſt, cùm res priſcas & fabulas illorum exſequemur, prolixiùs dicetur. Semiramis autem conſtitutis Æthiopiæ,

XV.

XVI.

Ægyptique rebus, in Asiam cum exercitu Bactra se recepit. Et quia magnis instructa erat copiis, ac pace diuturnâ fruebatur, cupido eam præclari quippiam bello gerendi incessit. Audiens ergò Indorum gentem inter cæteras toto orbe maximam esse, & amplissimam, pulcerrimamque obtinere terram, bellum Indiæ inferre constituit. Stabrobates illa tempestate imperabat: cui militum copiæ innumerabiles, & Elephantes plurimi eximiè ornati, & ad terrorem in bello incutiendum apti. Nam India præ cæteris amœnitate excellit; & multis passim fluuiis rigatur; adeoque bis vnoquoque anno fructus producit. Ideò tantâ rerum ad vitam necessariarum copiâ exuberat, vt largissima perpetuò commoda incolis suppeditet. nec vnquam ibi annonæ caritatem aut calamitatem fructuum esse (tam benigna est loci temperies) memoratur. quò fit, vt incredibilis quoque Elephantorum ibi sit multitudo, qui virtute animorum ac robore corporis longè præstant Africanis. Similiter & magna ibidem vis auri, argenti, ferri, æris, lapidumque cuiuslibet generis preciosiorum, imò cæterorum ferè omnium, quæ ad delicias & diuitias pertinent. Quæ singula per famam cognita Semiramidem impulerunt, vt nullâ quamuis iniuriâ lacessita esset, bellum tamen Indicum susciperet. Magnis autem viribus sibi opus esse videns, nunciis ad omnia prouinciarum castra dimissis, præfectis demandauit, vt iuuenum optimos quosque conscriberent: numerum pro magnitudine cuiusque gentis assignans, nouasque armaturas vt apparарent omnes, etiam post triennium in Bactris magnificè instructi & exornati adessent, edixit. Tum accersitis nauium architectis è Phœniciâ, Syriâ, Cypro, aliisque maritimis locis negocium dedit, vt nauigia fluminibus apta quæ disiungi possent, coagmentarent. ad quod materiam præbebat satis copiosam. Indus enim fluuius, regnum eius terminans, illisque in locis longè maximus, nauibus ad transitum & repressionem Indorum multis egebat. Cùm verò iuxta flumen materia non esset, ex Bactriana pedestri itinere naues eo transuehi necessum erat. Dum verò se necessario Elephantum apparatu multò inferiorem Semiramis animaduertit: assimilem beluis formam ad terrendum Indos, extra Indiam nullos omninò

Elephan-

Elephantes esse opinantes, comminiscitur. Trecenta igi-
tur millia boum nigrorum delegit: quorum carnes cer-
donibus sutorio huic muneri destinatis, distribuit. E co-
riis autem concinnatis & stramine suffartis simulacrum
beluas Indicas repræsentans illis effingendum dedit ita, vt
vnumquodque intus hominem qui gubernaret, & Came-
lum, qui id gestaret includens, è longinquo veri Elephantis
imaginem videntibus ostentaret. Qui hæc administra-
bant opifices, rem strenuè & assiduè peragebant, intra
quoddam septum circumquaque muris probè clausum; cu-
ius ostia sub accuratâ erant custodiâ, vt nemo vel exire,
vel ingredi posset. Id eo factum consilio, ne quis foris a-
gentium opus illud videret; & ne fama de hoc ad Indos e-
manaret. Nauibus ergò & beluis intra biennium ap-
paratis, tertio anno copias vndique in Bactrianam co-
git. Peditum numerus, vt Ctesias recenset, tricies cente-
na millia, equitum millia quingenta; currus ad millia cen-
tum, totidem quoque viri Camelis vehebantur, gladios
quatuor cubitorum stringentes. Nauium resolutilium
numerus erat duo millia: quas, vt & Elephantorum simu-
lacra (vti dictum est) terrestri itinere Cameli deporta-
bant. His crebrâ milites adductione familiares equos ef-
ficiebant; ne ferociâ beluarum exsternarentur. Quod &
Perseus multis post seculis imitatus est, cum Romanis,
quibus Elephantes erant Libyci, acie dimicaturus. Ve-
rùm neque illi, neq; Semiramidi hoc studium, & commentũ
ad victoriam aliquid momenti attulit: vt ex narratione
inferius liquebit. Indorum rex, vbi de exercitus instructi
magnitudine, & de excellenti apparatu belli cognouisset,
in omnibus Semiramidem superare contendit. Et pri-
mùm ex arundinibus quatuor millia nauigiorum con-
struxit. Nam India circa fluuios & paludes magnam a-
rundinis copiam fert, cuius crassitiem homo non facilè
complectatur. ex hac naues materiâ concinnatas eximium
habere vsum dicitur, quod carie scilicet non infesten-
tur. In armorum quoque apparatum permultum studii
contulit, totamque obiens Indiam; exercitum longè ma-
iorem quàm Semiramis contraxit. Tum per agrestium
Elephantorum venationes armenta priora multiplicauit,

omnesque rebus ad terrorem belli accommodatis præclarè instruxit. Hinc euenit, vt propter multitudinem & loricarum apparatum, nullis hominum viribus impressio illorum tolerabilis videretur.

X Cunctis itaque his ad bellum præparatis, legatos ad Semiramidem, iam iter ingressam, mittit, per quos eam accusat, quod nullâ prius iniuriâ affecta, belli initium faciat. Multa insuper arcana in meretriciam eius vitam probra ingerit per literas, deumque obtestatus interminatur, se armis deuictam cruci affixurum. Lectâ Semiramis epistolâ ridens, quæ mea sit virtus, inquit, ex factis Indus periculum faciet. Cumque promotis ad Indum fluuium agminibus, venisset: classem hostium ad certamen paratam offendit. Mox igitur suam & ipsa classem disponit; & fortissimis ea classiariis stipata, certamen nauale committit: vt tamen terrestres interim copiæ, ripa obiectæ, prælium adiuuarent. Postquàm certamine ad longum tempus extracto acriter pugnatum esset vtrinque, victoria tandem penes Semiramidem stetit, quæ ad CIↃ naues submersit, nec exiguo captiuorum numero potita fuit. Successu hoc elata, insulas quoque & vrbes in fluuio subegit; nec minus quàm centum millia in seruitutem abduxit. Post hanc cladem, Indus fugam simulans, ad interiora exercitum à fluuio abduxit, vt hoc dolo ad traiiciendum hostes pelliceret. Semiramis igitur, cui ex sententiâ res successissent, pontem latissimum magnis sumptibus fluuio induxit, omnibusque traductis copiis; sexaginta millia præsidium custodiæ eius relinquens, reliquo exercitu Indos persequitur. In primo agmine simulacra constituerat, vt speculatores hostium de beluarum multitudine statim regi indicium facerent: nec in hoc spes eam fefellit. Cùm enim Indis significarent emissarii, quanta Elephantorum copia aduentaret, mox omnes dubiis inter se animis quærebant, vnde tantus Assyriis ferarum apparatus. At fucus ille diu latere non poterat. Nam è militibus Semiramidis nonnulli propter excubias noctu socorditer actas, in vincula compacti, supplicii metu ad hostes transfugerant, & falsam de Elephantis persuasionem illis eximunt. Per hoc animis Rex auctus famâ per exercitum briditâ, aciem in Assy-

in Assyrios conuertit: idem & Semiramis facit. Dum-
que alter in alterum ducit propius, Indorum Imperator e-
quites ac currus ante reliquum agmen hostibus immittit:
Quorum impressionem cùm Semiramis æquali interstitio
ante suam phalangem constitutis Elephantum laruis forti-
ter exciperet, insolita equos Indorum consternatio inuasit.
Quia enim simulacra procul speciem Elephantorum habe-
bant, equi Indorum adsueti intrepidi accedebant: At cùm
& odor insuetus & cætera omnia prorsus aliena & noua e-
quis offerrentur; magno terrore conturbabantur. Ideò
pars Indorum ad terram excutitur, pars in hostes, vtut casus
tulit, ab equis frena detrectantibus aufertur. Tum Semi-
ramis dextrè successu vtens, cum delectorum manu inuecta
Indos in fugam vertit. Quibus ad phalangem refugienti-
bus, Stabrobates quamuis perculsus, aciem tamen pedi-
tum Elephantis præmunitam in hostem promouit. Ipse
cornu dexterum tenens, & ex optimo Elephante pugnam
ciens, magno terrore in reginam ipsam fortè fortunâ illi op-
positam, tendebat. Id licèt factitii Elephantes etiam in ex-
ercitu Semiramidis facerent, verorum tamen impetum ad
exiguum tempus sustinuerunt. Cùm enim beluæ Indicæ &
animis pollerent, & robori suo confiderent, quemlibet ad-
uersantem facilè interimebant: idcircò ingens strages edi-
tur. Alios enim pedibus conculcant; alios dentibus dila-
cerant; alios proboscidibus in altum iactatos pessundant.
Cúmque ingens mortuorum strages coaceruata esset, &
horrendus periculi intuitus omnia terrore compleuisset:
nemo iam ordines seruare audebat amplius. Iamque vni-
uersa in fugam disiectâ multitudine, rex in ipsam infertur
Semiramidem: & primùm sagittâ brachium eius sauciat:
deinde obliquo pili ictu tergum eius perstringit. Vul-
nere igitur non lethali accepto; equo in fugam se conii-
cit, velocitati eius multum concedente ferâ, quæ inse-
quebatur. Sed enim cùm omnes ad ratem fugerent,
& tanta hominum colluuies in vnum, eumque angu-
stum coarctaretur locum; accidit, vt mutuo reginæ
milites conculcatu fœdè perirent, & promiscuè con-
trà quàm fieri solet, equites & pedites iacerent. In pon-
te denique, Indis tergo inhærentibus, tàm violenta erat ex

trepidatione compressio, vt plurimi ad vtrumque eius latus extrusi, in amnem præcipitarentur. Semiramis autem, cùm maior pars, quæ bello superfuerat trans flumen in tutum euasisset, retinacula pontis abscidit. Quibus solutis, ratis in quâ magnus Indorum persequentium numerus erat, in multas distracta partes, quo fluuii vis egit, multos Indorum submersit, & multum Semiramidi, intercluso hostibus transitu, securitatis præbuit. Tum rex Indorum prodigiis Iouis, & vatum responsis admonitus, ne fluuium transiret, bello supersedit. Semiramis autem permutatis captiuis in Bactra, vix tertiâ exercitus parte saluâ, remeauit.

XX

Tempore aliquanto post, insidiis filii per quendam Eunuchum appetita, pristinum Hammonis responsum in memoriam reuocat. ideò nihil acerbi in insidiatorem statuit, sed regno ipsi tradito, omnibusque, vt legitimo regi parere iussis, confestim ex hominum conspectu, vt ad deos, iuxta oraculi fidem migratura, se subduxit. Sunt qui in columbam conuersam fabulantur. compluribus enim auibus in palatium eius delapsis, vnâ cum illis auolasse creditur. & hinc factum, vt Assyrii dum Semiramidem diis immortalibus accensent, columbam pro dea honorent. Huiusmodi prout iam dictum est, Semiramis totius Asiæ, præter Indiam, regina, vitæ exitum habuit; cùm vixisset annos sexaginta duos, regnassetq; quadraginta duos. Et hæc quidem Ctesias ille Cnidius de Semiramide literis tradidit. Athenæus & quidam alii scriptores asserunt, Meretricem hanc fuisse elegantis formæ, & ob pulcritudinem ab Assyriorum rege adamatam. Ac primùm in mediocri regis gratiâ positam, mox etiam legitimæ vxoris nomen consecutam, persuasisse viro tradunt, vt per quinq; dies sibi regno cederet. Sceptro igitur & regiâ stolâ potitã, primâ die epulum instituisse & conuiuia magnifica, in quibus copiarum ductores & nobilissimum quemq; ad obsequendum sibi induxit. Postridiè cum iam vulgus & proceres illi, vt reginæ ad ministeria præstò essent, virum in carcerem compegisse: Et quia ingenio ad res magnas apto esset & cõfidens, facilè imperium occupasse, eóque ad senectutem vsque potitam, multorum & magnorum operum effectis claruisse. Et hæc sunt, quæ controuersa de Semiramide

narrant

XXI. narrant auctores. Ab eius obitu Ninyas, Nini & Se-
miramidis filius, regnum adeptus in pace id administrauit;
bellandi studio & periculorum audaciâ matrem nequaquam
imitatus. nam in regia omne vitæ tempus exegit, sic vt a ne-
mine, præterquàm concubinis & eunuchis, conspiceretur.
Deliciis enim ocióque ignauo apprimè deditus, molestias
» nullas, nullasque curas, admittebat, quippe in hoc positum
» beati regni finem existimans, si quis haud tectè omni volu-
ptatum genere perfruatur. Verùm vt firmius & securius re-
gnaret & maiori subditis terrori esset, quotannis certum vni-
cuilibet genti militis numerum & ducem imperauit; ma-
numque inde coactam in vrbe continens, nationi cuiq; Du-
cem sibi addictissimum præfecit. Anno circumacto, toti-
dem è prouinciis accersiuit; priores Sacramento absoluens,
& in patriam dimittens. Quo fiebat, vt subditi magnas per-
petuò copias sub dio castra metari, & perduellibus aut impe-
rata detrectantibus pœnas in parato esse videntes, metu in
officio continerentur. Annua verò copiarum mutatio ad
hoc excogitata erat, vt prius quàm Duces & milites exactam
inter se notitiam contraxissent, in suam quique patriam a-
» uellerentur. Temporis enim longinquitas peritiam rei bel-
» licæ & animos ducibus auget; vtque in Principes conspi-
» rent, & à fide desciscant, vt plurimum inuitat. Quod autem
» nemini se conspiciendum exhibebat, voluptatum eius ad o-
» mnes velamen erat: interim quasi deus foret, nemo vel ver-
bulo eum obtrectare audebat. Atque ita exercituum duces,
& prouinciarum prætores rerumque domesticarum cura-
tores, ac singularum gentium iudices constituens, aliaque ad
commoditatis suæ arbitrium disponens. Nini vitam transi-
egit. Ad eum propemodum & cæteri reges, ad XXX homi-
num ætates per successionem paternum imperium admini-
strârunt ad Sardanapalum vsque. cuius tempore Assyrio-
rum imperium, cùm annos CIↃ CCCLX (vt Ctesias Gni-
dius libro secundo tradit) durauisset, ad Medos deuolutum
est.

XXII. Nomina regum, quantoque regnârit quisq; tem-
pore, cum nil memorabile gesserint, referre non necessum
est. Auxilium duntaxat Troianis ab Assyriis missum du-
ctore Memnone, Tithoni filio, relationem promeruit. Teu-
tamo enim in Asiâ regnante, qui vigesimus est à Niniâ Se-
miramidis filio, Græcos Imperatore Agamemnone bello

Troiam impetiisse fertur: cùm plus mille annis Assyrii Imperium Asiæ iam tenuissent. Nam Priamus Troadis rex, quia sub imperii Assyriaci clientelâ erat, mole belli grauatus, per legatos subsidia à Teutamo petiuit. Hic decem millia Æthiopum, & totidem Susianos, cum CC curribus, illi misit. Præerat his Memnon Tithoni. hic enim tunc temporis Dux Persiæ erat, præ cæteris præfectis apud regẽ gratiâ pollens; & Memnon ætate florens, virili robore animiq; claritate præstabat, qui in arce Susanâ regiam exstruxit; quæ nomine Memnoniæ ad Persarum vsque principatum durauit; viam quoque publicam strauit, quæ nunc etiam nomen eius seruat. Verùm in dubium hoc vocant Æthiopes Ægypti accolæ, qui suæ Memnonem patriæ arrogant, & palatia, quæ hodieque *Memnonia* vocitentur, ostendunt. Vtut verò sit, constans fama est, Memnonem XX millia peditum, & CC bellicos currus adduxisse, & magnâ fortitudinis gloriâ multos in prælio Græcos neci tradidisse: donec ad extremum Thessalorum insidiis trucidatus, occubuit. Cadauer tamen Æthiopes ereptum combusserunt, ossaque reportârunt ad Tithonum. Hæc sanè de Memnone in regiis descripta commentariis haberi, Barbari asserunt.

XXI Sardanapalus ergò trigesimus à Nino Monarchiæ auctore, & postremus Assyriorum rex, omnes suos maiores luxuriâ atque ignauiâ supergressus fuit. Nam præterquàm quod à nemine extra familiam conspiciebatur, vitam quoque duxit muliebrem. inter concubinarum enim greges se volutans purpuram lanasque mollissimas tractare; stolâ muliebri indui: faciem & totum corpus fuco, aliisque scortorum lenociniis componere; quauis delicatâ muliere lasciuiu solebat. Fœmineam quoque vocem imitari; nec tantum cibo & potu ad voluptates titillandas accommodatissimo iugiter vti: sed ad Venereas oblectationes marium simul & fœminarum concubitus, appetere; vtroque sexu propudiosissimè abutens, & turpitudinem, fœdæ actionis comitem nec flocci pendens. Eoque tandem delitiarum & turpissimæ voluptatis ac intemperantiæ processit, vt carmen hoc funebre sibi ipse componeret, & successoribus sepulcro suo post mortem inscribendum mandârit. id autem è lingua Barbarica à Græco aliquo translatum ita se habet:

QVÆ MIHI GRATA DEDIT GVLA, A-
MOR, PETVLANTIA, VIVO,
MORTVVS HÆC HABEO, BONA CÆ-
TERA CVNCTA RELIQVI.

Cùm igitur tàm corruptis moribus esset, non tantùm ipse fœdum nactus est vitæ exitum: sed Assyriorum quoque Imperium, præ cæteris, quæ memorantur, diutissimè florens, funditus euertit. Arbaces enim quidam natione Medus, virtute, animique vigore pollens, & copiarum, quæ singulis annis ex Media Ninum missitabantur, præfectus erat. is à Babyloniorum Duce, cum quo in commilitio familiaritatem contraxerat, ad abrogandum Assyriis Imperium instigatur. Belesis erat viro nomen: inter Sacerdotes Babyloniorum, quos Chaldæos vocant, nobilissimo. Hic cùm Astrologiæ & diuinationis peritiâ excelleret: multis futuros euentus certò prædicendo, magnam sibi auctoritatem comparauerat. Ideò Medorum quoque Duci, amico suo vaticinatur, omninò futurum, vt totâ Sardanapali ditione ille potiatur. Arbaces laudato viri consilio, Babyloniæ præfecturam, si res felicem habuerit exitum, ei despondet. Et statim, ceu dei oraculo, in spem elatus, cum cæterarum quoque nationum ducibus familiaritatem iniit, conuiuiisque & colloquiis omnes prolixè demerendo, singulorum beneuolentiam & amorem sibi conciliauit. Operam quoque dedit, vt in conspectum regis veniret, totamque vitæ illius rationem contemplaretur. Auream igitur phialam cuidam eunuchorum donat, à quo ad regem introductus, & mollitiem hominis, & studia ad fœminarum imitationem conformata, penitùs & liquidò cognoscit. Despecto igitur illo, vt homine nullius pretii, multò magis ad spes à Chaldæo monstratas enitendum sibi ducit. Tandem cum Belesi ita coniurat, vt ipse Medos atque Persas ad defectionem solicitet, iste verò Babylonios ad huius rei societatem pertrahat. cum Arabum insuper rege, iam sibi amico, consilia totius negocii communicet. Et iam annuo militiæ tempore transacto, nouæ succedebant copiæ, prioribus in suas huc illuc patrias dimissis; Arbaces ergo Medis persuasit, vt regnum Assyriorum inuaderent. Persasque libertatis spe ad societatem allectauit. Sic Belesis quoque Babyloniis

IV.

in libertatem sese vindicandi auctor fuit. Et missis in Arabiam nunciis, terræ principem, quicum necessitudo ipsi & ius hospitii intercedebat, participem consiliorum fecit. Annuâ igitur vice circumactâ, hi omnes cum magnis militum copiis frequentes Ninum conuenêre, verbo tenus, vt vicarias pro more copias adducerent; re autem ipsa, vt Assyriis imperium adimerent. Totus autem numerus militum ex quatuor illis gentibus collectorum, erat cccc millium. Hi castris tunc adunatis, quid in rem esset, inter se consultabant.

XXI Sardanapalus quamprimùm defectionis nuncium accepit, cæterarum nationum copias in eos duxit. commissaque in campis pugnâ defectores succumbunt, & multis suorum amissis, ad montes LXX stadia à Nino sitos, compelluntur. Cumque denuò fortunam belli experturi in plana descendissent, acie contra illis instructâ, Sardanapalus per præcones edixit, ducenta auri talenta se daturum ei qui Arbacem Medum interfecerit: & duplum cum Mediæ principatu illi, qui viuum tradiderit. tantundem quoque pollicetur his, qui Belesin Babylonium vel peremissent, vel viuum cepissent. At cùm nemo his edictis afficeretur, prælio iterum conserto, multos rebellium cædit, reliquamq; turbam ad castra montana fugat. Tum Arbaces aduerso Marte infractus, coacto amicorum Senatu, quid deinceps agẽdum sit, proponit consultandum. Maior pars in hanc iuit sententiam in patriam reuertendum, & locis munitioribus occupatis, quæcunque ad bellum conducerent, pro viribus præparanda esse. At cùm Belesis ille Babylonius portentis deorum confirmaret, cum laboribus & ærumnis consilia eos ad finem perducturos; " aliaque, prout tum licuit, subiiceret; ad pericula etiam dein- " ceps perferenda omnes induxit. Collatis ergò denuò signis, tertiâ rex victoriâ vnà cum hostium castris potitur, & victos ad Babyloniæ vsque montes persequitur. Ipse quoque Arbaces egregiè dimicans, & multos Assyriorum perimens, vulnus accepit. Post tot & tam continuas rebellium clades, spe victoriæ abiectâ, Duces suam quique domum abire constituunt. At Belesis, qui noctem illam sub dio insomnem exegerat, siderũ obseruationi intentus, vltrò venturũ esse auxilium, & magnam rerum in contrarium mutationem fore; si quinque tantùm dies perseuerarent; hoc enim se videre, per astrorum scientiam, à diis ita portendi, asseuerabat. Ad

tot igi-

tot igitur dies vt maneant, & tum suæ artis, tum deorum be-
neuolentiæ periculum faciant, exhortatur. VI Reuocatis
ita cunctis, & definitum exspectantibus tempus, subitò ma-
gnas è Bactrianâ copias regi missas accelerare, iamque esse
in propinquo, nunciatur. Visum est igitur Arbaci, assum-
tis militum fortissimis & maximè expeditis, quamprimùm
ductoribus illis obuiam ire, vt, si verbis defectionem persua-
dere Bactrianis nō possent, armis illos ad eiusdem spei com-
munionem adigerent. Cúmque libertatis studio promtè
morem gererent, primùm Duces, deinde totus exercitus ca-
stra in eodem loco coniunxerunt. Inde factum, vt rex Assy-
riorum ignorans Bactrianorum defectionem, priorisq; for-
tunæ benignitate elatus, ad ocium sese ignauum conuerte-
ret: suisque ad festas instituendum epulas, magna victimá-
rum & vini, aliorumque ad hoc vtilium copiam subministra-
ret. Toto igitur exercitu conuiuiis indulgente, Arbaces per
transfugas de negligentiâ & ebrietate hostium edoctus, no-
ctu ex improuiso illos opprimit. & quoniam compositi in-
compositos, parati imparatos inuadebant, facilè & castra ex-
pugnant, & vastam hostium stragem edunt, & reliquos in vr-
bem compellunt. Exinde Rex Salæmeni vxoris fratri im-
perio castrensi tradito, vrbis defendendæ curam sibi delegat.
Sed rebelles collatâ primùm in campis, mox ante vrbem a-
cie, bis regios fundunt; & interfecto Salæmene, hostium
alios in fugâ concidunt; alios ab ingressu vrbis exclusos, in
Euphratem præcipites agunt; paucisque exceptis, totum in-
ternecione exercitum delent. Ac tantus tum erat occisorum
numerus, vt amnis cruore fœdatus, longinquo colorem spa-
cio immutatum retineret. Rege in vrbe circumsesso, mul-
tæ nationes (singulas amor libertatis instigabat) ad hostes
deficiunt. Sardanapalus ergò regnum in maximo versari
discrimine videns, tres filios, natasque duas magnâ cum ga-
zâ, in Paphlagoniam ad Cottam præfectum, inter omnes
subditos regi addictissimum, mittit; & tabellariis per omnes
regni prouincias dimissis, militum delectus agit, & ad tole-
randam obsidionem necessaria comparat. Atqui vatici-
nium à maioribus traditum habebat; A NVLLO CAPI
NINVM POSSE, NISI FLVVIVS VRBI PRIVS
HOSTIS EVADERET. Id nunquam ratus euentu-
rum, spem resistendi conceperat; ideoque obsidionem tole-

rare, dum auxiliares prouinciarum copiæ, quas exſpectabat, aduentarent, cogitabat. Hoſtes autem ſecundis prælijs animoſiores facti, obſidionem quidem vrgebant; ſed propter murorum firmitatem, nihil obſeſſis nocumenti adferre poterant. Nam baliſtæ (id eſt, machinæ eiaculandis lapidibus aptæ) aut teſtudines aggeſtioni foſſarum deſtinatæ, arietésve, muris demoliendis accommodi, nondum illis ætatibus inuenti erant; omnium præterea rerum copia prouidâ regis, hac quidem in parte, curâ oppidanis affatim ſuppetebat. Protractâ igitur obſidione per biennium nihil efficiunt, niſi quod mœnia oppugnant, & exitum obſeſſis prohibent. Tertio demum anno accidit, vt Euphrates, continuis imbrium, grauiſſimorum tempeſtatibus excreſcens, vrbis partem inundaret, & muris partem ad ſtadia XX deiiceret. Tum verò finem habere oraculum, amnemque manifeſtè vrbi hoſtem eſſe, rex iudicans, ſpem ſalutis abiecit. Itaque ne in hoſtium manus perueniret, rogum in regiâ ingentem exſtruxit; quo aurum & argentum omne, & quicquid erat regii veſtimenti, congeſſit. Tum concubinis & eunuchis in domunculam, quam in medio pyræ exſtruxerat, concluſis, ſe regiamque cum illis omnibus incendio abſumſit. Cuius interitum cum audiſſent, qui à rege defecerant, per collapſam muri partem ingreſſi, vrbem ceperunt, Arbacemque regiâ indutum trabeâ, omnium rerum poteſtate vni permiſſa, regem appellârunt. Is cùm ſociis certaminum pro cuiuſque dignitate præmia diſtribueret, & ſuos prouinciis Satrapas deſignaret, Babylonius quoque Beleſis acceſſit, qui imperium ei prędixerat, meritorumque regem admonens, Babyloniæ præfecturam ſibi ab eo promiſſam tradi poſtulauit. Votum quoque Belo à ſe factum, inter media belli pericula oſtendit, debellato Sardanapalo, regiâque incenſâ, è cineribus inde Babylonem trãſlatis prope templum illius dei aggerem educturum; qui nauigantibus per Euphratem, immortale de illo monimentum præberet, qui regnum Aſſyriorum deſtruxit. Hoc ideò petebat, quod ex Eunucho trãsfugâ, & apud ſe occultato, de auro & argento fuerat edoctus. Arbaces igitur rei ignarus, quod cæteri omnes cum rege concremati periiſſent, & cineres auferendos, & Babylonem citra penſionem tributi obtinendam ei conceſſit. Eueſtigiò Beleſis nauigiis adhibi-

XX

XXI

tis, vna cum cinere maximam auri, argentique partem Babylonem deuexit. Sed vbi furtum id manifestè deprehensum regi innotuerat, ducibus, quorum auxilio Sardanapalum debellârat, iudicium de hoc facinore committit. Hi reo
» peccatum confessò capitale supplicium irrogant. At rex vir
» magni animi, principatum ab humanitate & clementiâ au-
» spicari volens, non modò à periculo capitis Belesin absoluit,
» sed etiam quicquid auri & argenti transportatum erat, id
» omne habendum permisit. Nec traditam initio in Babylo-
» nios potestatem homini ademit, priora eius merita, erga se
» maiora esse dictitans, quàm iniurias subsecutas. Hac mo-
» derationis famâ statim peruulgatâ, cùm beneuolentiæ non
» exiguæ, tum gloriæ apud prouincias eximiæ fructum conse-
» cutus est, omnesque regno dignum esse, qui tam benignum
» delinquentibus sese exhiberet, censuerunt. Simili quoque le-
» nitate erga ciues vsus, quamuis in pagos eos distraheret; suas tamen singulis possessiones restituit, vrbem autem solo æquauit. Tum quicquid argenti aurique ex pyra restabat (multa certè talenta erant) in Ecbatana Medorum regiam transtulit. Hoc ergo modo Assyriorum Imperium, quod à Nino ad trigesimam vsque progeniem CIↃ CCCC plus annos steterat, à Medis euersum est.

XIX Hic non alienum nobis videtur de Chaldæis quos vocant Babylonii, horumque antiquitate, pauca quædam recensere, ne quid memoriâ dignum prætermittatur. Chaldæi ergò Babyloniorum vetustissimi, cum in Republicâ ordinem tenent, quem Ægypti Sacerdotes sibi vendicant. Deorum enim cultui addicti, per omne vitæ tempus philosophantur, & præcipuam ex Astrologiâ gloriam nanciscuntur. Interim diuinationis magnopere studiosi, res futuras prædicunt, & vel expiamentis, vel sacrificiis, vel incantationibus quibusdam auerruncationes malorum, bonorumque effectiones, producere conantur. Auguralis etiam diuinationis peritiam habent, somniaque & prodigia interpretantur. Nec insolerter haruspicinam factitantes, vera exactè prædicere existimantur. At horum omnium doctrinam non eo modo, quo Græci his studiis deditì percipiunt. Apud Chaldæos enim per generis seu familię traditionem hæc philosophia obtingit, filiusq; à patre illam accipit; ab aliis interim publicis muneribus omninò liber. &

quia parentibus vtuntur magiſtris, fit vt & affatim, & citra inuidiam omnia diſcant, & certiore fide præceptis attendant. & dum à pueris ſtatim diſciplinis innutriuntur, præclarum in philoſophiâ habitum ſibi comparant, tùm quòd ætas illa docilis eſt, tum quòd multo ſtudiis tempore inſudant. Apud Græcos verò plerique magnâ parte accedunt imparati; & Philoſophiam hanc ſerò attingunt; operâque aliquotenus huc impensâ, quærendi victus curâ diſtracti, abſcedunt. At licèt pauci quidam Philoſophiæ ſe palæſtræ totos mancipant; hi ipſi tamen quæſtus gratiâ diſciplinæ adhærent, nouasque de placitis maximis diſputationes mouent, nec fixum in maiorum veſtigiis pedem tenent. Quocirca Barbari iiſdem iugiter inhærendo, firmiter ſingula percipiunt. At Græci ex artificio lucrum captando, nouas condunt ſectas, & de maximis inter ſe theorematis opinionibus contrariis diſceptando, faciunt, vt diſcipuli ſententiis huc illuc ancipites fluctuent, animique ipſorum per omnem vitam ſuſpenſi, dubiique maneant, nec vlli rei certam tribuere aſſenſionem queant. Nam ſi quis maximè inſignes Philoſophorum Sectas examinet, plurimùm inter ſe diſcrepare, & in grauiſſimis ſententiis ſibi aduerſari, comperiet. XX Cæterùm Chaldæi mundi quidem naturam ſempiternam eſſe perhibent, quæ neque certum principii ortum habeat, neque corruptionem vllo deinceps tempore admittat: ſed ordinem hunc & ornatum vniuerſi à diuinâ quadam prouidentiâ exſiſtere; quæquæ nunc in cœlo fiunt ſingula, non caſu aut ſuâ quadam ſponte, ſed determinato & firmiter rato deûm iudicio perfici. Ex longâ igitur ſiderum obſeruatione, & exactâ motuum atque virium cuiusque cognitione, quâ vniuerſos præſtant mortales, multa hominibus euentura prædicunt. Maximam verò conſiderationem, & ſingularem motus efficacitatem eſſe in quinque ſtellis, quos alii *planetas*, ipſi *interpretes* nominant; præſertim qui Cronus (id eſt, Saturnus) Græcis nominatur. Solem vocant omnium clariſſimum, & qui plurima portendat, cæteros autem quatuor cum Aſtrologis noſtratibus Martem, Venerem, Mercurium & Iouem nuncupant. Interpretum nomen ideò eis tribuunt, quod cùm cæteræ non errantes ſtellæ fixè ordinatum habeant progreſſum, hi ſoli peculiari ſuo itinere futura oſtendunt, deûmque beneuolentiam hominibus interpretum

loco enuncient. quædam enim ortu, quædam occasu, nonnulla per colores (si quis animaduertere velit) portendi ab his, aiunt: dum aliàs quanta ventorum procella, aliàs quanta tempestas imbrium, aut quanta caloris vehementia sit ingruitura, prænuncient. Cometarum quoque exortus, Solisque & Lunæ defectiones cum terræ quassationibus, & cunctas denique varietates ab aere nos ambiente effectas, tàm bonas, quàm noxias, non solùm gentibus, verùm & regibus & priuatis quibuslibet, ab his denunciari. His stellas XXX substituunt, quos *deos* vocant *consiliarios*: quorum dimidium loca infra terram inspiciat; altera pars supra terrã res mortalium, & quæ in cœlo fiant, contempletur. Decemque interuallo dierum vnum à supernis ad infernos veluti stellarum nuncium ablegari: & ab inferioribus ad superiores vicissim vnum: Atque hunc eis motum æterni circuitus lege sic esse definitum. Deos principes numerant XII. singulis Mensem, & de XII Zodiaci signis vnum attribuunt. Per hæc Sol & Luna ipsis cursitant, cæterique Planetæ quinque; ita vt Sol anni, Luna Mensis spacio orbis sui iter emetiatur.

XXI

Planetarum vnicuique proprium assignant cursum, qui per disparia celeritatis momenta, temporumque spacia, exigatur. Has stellas plurimum tum boni, tum mali ad hominum generationes & ortus conferre. & ex naturæ illarum consideratione euentus humanos cognosci. Vaticinati sunt cùm aliis Regibus non paucis, tum etiam Alexandro, qui Darium bello fregit, eiusque successoribus Antigono & Seleuco Nicanori: & rectè coniectasse hæc omnia videntur, quæ tempore magis idoneo speciatim referemus. Priuatis etiam, quid euenturum sit, exponũt, tàm certò, vt experti pro miraculo humanum excedente modum istud reputent. Extra Zodiacum porrò XXIV definiunt stellas, quarum XII Borealem, XII Australem sibi regionem vendicent. Inter has, quæ apparent, viuentibus deputant, quæ latent, vità functis congregatas existimant: & has omnium rerum iudices appellant. Infrà hæc iam dicta omnia Lunam ferri dictitãt: quæ ob paruitatem terræ proxima exiguo tempore, non ob velocitatem cursus, sed circuli breuitatem, iter suum conficiat. Eò, quòd mutuatitio hanc lumine splendere, & deliquiũ pati, interueniente terræ vmbrâ, perhibent, cum Græcorum sententiâ conueniunt. De Solis autem defectionibus infir-

missimas afferunt demonstrationes, quas nec prædicere, nec ad certum redigere tempus, audent. De terrâ quoque peculiares omnino sententias proferunt, dum scaphæ simile, cauamque esse, affirmant; ad quod, vt & cætera ad mundi rationem spectantia, demonstrandum, multis & probabilibus argumentis abundant. Verùm de his singulatim referre, alienum ab historiæ nostræ instituto arbitramur. Hoc tamen iure quis affirmârit, rei Astrologicæ scientiâ Chaldæos mortalibus vniuersis præcellere, & maximam huic speculationi operam tribuisse. At numerum annorum, quibus mundi se consideratione vacâsse, collegium Chaldæorum asseuerat, haud facilè credideris. Nam ad expeditionem Alexandri in Asiam, quadringenta & septuaginta duo millia numerant, ex quo sidera obseruari cœptum sit. At ne longius à proposito deflectamus, hîc narrationis de Chaldæis modus esto. Iam ergò cùm de Assyriorum Imperio, eiusque ad Medos translatione à nobis dictum sit, eò vnde digressa fuit oratio, reuertemur. Cùm de amplissimo Medorum Principatu summi auctores inter se dissentiant, ab officio illorum qui verè res gestas commemorare volunt haud alienum ducimus, si historicorum discrepantias conferamus. Herodotus sanè, qui Xerxis tempore floruit, Assyrios cum quingentis annis Asiæ imperium anteà tenuissent, à Medis subactos esse, tradit. hinc per multas ætates nullum fuisse regem, qui summum imperium sibi vendicasset, ciuitatesque suô quamque loco populari sub administratione se continuisse. Tandem post multorum annorum decursum Cyaxares (ait) vir iustitia insignis, à Medis ad regnum euectus fuit. Et hic primus vicinos Medis populos suæ ditioni subiunxit, summoque imperio initium dedit. Cuius posteri subinde prolatatis in propinqua finibus regnum ampliarunt, ad vsq; Astyagem: quem Cyrus cũ Persis bello edomuit, quorum nunc summa tantùm capita perstriximus, singula deinceps, vbi ad competentia illis tempora deuentum est, stylo nostro diligentius euoluturi. Nam secundo decimæseptimæ Olympiadis anno, vt Herodotus tradit, Rex à Medis Cyaxares electus est. At Ctesias Cnidius, Herodoto recentior, sub expeditionem Cyri aduersus Artaxerxem fratrem, vixit. Captus enim tunc, & ob

artis

artis Medicæ scientiam, à rege in gratiam receptus, XVI annos cum honore apud illum exegit. Hic è regiis membranis (in quibus res antiquas Persæ, iussu legis cuiusdam, ordine descriptas habebant) studiosè indagauit singula, inque historicum ordinem redacta ad Græcos transtulit. Is post deiectos imperio Assyrios, Medos Asiæ præfuisse tradit, Imperatore Arbace, qui Sardanapalum armis superauit, vt dictum est supra. Et postquam duodeuiginti regnauit annos, filium eius Mandaucem successisse, quinquaginta annos Asiæ imperitantem. Post hunc annos triginta regnasse Sosarmum; quinquaginta Artiam; viginti duos Arbianen; quadraginta Arsæum. Huius tempore ingens bellum Medis cum Cadusiis conflatum memoratur; idque has ob causas. Parsodas quidam Persa in admiratione erat, ob fortitudinem & prudentiam, aliasque virtutes, & regi percharus, ac præ aliis in regio Senatu maximè pollebat. Is in iudicio quodã à rege offensus, cum tribus millibus peditum, & mille equitibus, ad Cadusios profugit. apud quos sororem cuidam nuptum collocarat, cuius magna illis in locis potestas. Nec ipse tantùm defecit, sed aliis etiam, vt in libertatem se vindicent, persuadet; & statim Dux belli ob fortitudinem creatur. Audiens verò ingentem aduersus se exercitum cogi, suas & ipse ex tota gente Cadusiorum copias non minus ducentis millibus armat; & ad exitus prouinciæ castra ponit. Etsi autem rex Artæus ƆƆCCC hominum millia in eum duceret, vicit tamen Parsodes, & supra quinquaginta millia cæcîdit, ac reliquias hostilis exercitus è finibus exegit. Hoc tantum admirationis ei consciuit, vt ab incolis Rex crearetur. Exinde perpetuis Mediam incursionibus vexare, & omnia passim loca vastare. Magnam igitur assecutus gloriam, cùm vitæ iam finis instaret, per diras imprecationes obtestatur successorem, ne vnquam inimicitias aduersus Medos deponant: & si pacis conditiones receperint, tota ipsorum progenies cum vniuersis Cadusiis radicitus malè pereat. Eam ob causam hostili in Medos animo Cadusii fuerunt perpetuò; nec vnquam regibus illorum paruêre; donec Cyrus imperium ad Persas traduxit.

XXII.

Medis autem poſt Artæum præfuit Artynes ad viginti duos annos, pòſt Artibarnas quadraginta; quo regnante, Parthi Medis parere recuſantes, & prouinciam & vrbem Sacis in poteſtatem tradunt. Hinc orto inter Sacas Medosque bello, ad complures annos prælijs non paucis diſceptatur, & magnis vtrinque ſtragibus editis, pax tandem his pactis initur, vt Parthis ad officium reductis, vtrique quæ tenuiſſent anteà, tenerent; & perpetuò inter ſe deinceps amici ſociique forent. Sacarum tunc regnum adminiſtrabat Zarina, mulier rerum bellicarũ ſtudioſa; & omnes Sacarũ fœminas audaciâ, & ad res gerẽdas induſtria longè ſuperãs Gẽs enim hæc in primis mulieres habet fortes, & ſociam viris operam in bellorum diſcrimine nauantes. Illam pulcritudine etiam præ omnibus eminuiſſe, conſiliorũq; ſolertiâ & actionum quarundam ſtrenuitate fuiſſe admirabilem, prædicant. Reges enim finitimos, qui arrogantiâ elati ſeruitutis iugo Sacas premebant, bello ſubegit; & magnam regionis partem ad mitiorem traduxit cultum, vrbesque non paucas exſtruxit; gentis denique ſuæ vitã multò beatiorem effecit. Ideoque ciues poſt obitum eius, vt gratiam pro beneficiis referrent, virtutumque memoriam conſeruarent, ſepulcrum ei cætera longè ſupereminens conſtruxêre. Pyramidem enim triquetram ex fundamento eduxerunt: cuius latera ad ternûm ſtadiûm longitudinem protenderentur, vertex in acutum mucronem deſinens ad ſtadii ſublimitatem aſſurgeret. Coloſſeâ quoque effigie ſuper buſtum erectâ Heroicos illi honores conſecrârunt; reliqua omnia longè magnificentius quàm maioribus eius impendentes. Hinc Aſtibara Medorum rege per ſenii infirmitatem exſtincto in Ecbatanis, filius eius Apandan (quem Aſtyagem Græci vocant) regnum accepit. Eo Cyri Perſæ armis oppreſſo, ad Perſas Imperium deuolutum eſt. De quibus ſuo loco ſeorſum à nobis perſcribetur. De Aſſyriorum ergò, Medorumque Imperio, & ſcriptorum inter ſe diſſenſione, ſatis dictum iam putamus. Nunc ad Indiam, & fabuloſas inibi res particulatim exponendas tranſimus.

INDIA figurâ quatuor laterum exiſtit; quorum vnum ad Orientem vergens, & alterum quod Meridiem reſpicit, ingens illud mare (Oceanus) circumdat. quod Arctos verſus tendit, Hæmodus mons à Scythia, quam Sacæ habitant,

tant, diuidit. quartum ad Occidentem Indus, post Nilum maximus omnium, disterminat. Totius Indiæ magnitudinem ab ortu versus occasum, duodetriginta millibus stadiorum; à Septentrionibus versus meridiem, XXXII millibus definiunt. Hæc tanta Indiæ magnitudo præ cæteris mundi partibus maximè Solstitii æstiui Tropicum complecti videtur. Et in multis remotioris Indiæ regionibus nullam (interdiu) à gnomonibus vmbram spargi, noctuque Arctos visum subterfugere, videre est: imò in extremo eius nec ipse Arcturus apparet. Hac ratione vmbras quoque ad Austrum cadere perhibent. Crebros India montes habet, omni genere arborum fœcundarum refertos; campis etiam frugiferis longè latéque abundat, qui & amœnitate soli præstant, & ab amnium multitudine intersecantur. Et quia passim irrigatur; fit, vt bis in anno fructibus exuberet, & varia bestiarum genera, tam volatilium, quàm terrestrium magnitudine ac robore insigni producat. Plurimos certè ac prægrandes elephantos, pascuis abundè suppeditatis, nutrit. Quod etiam facit, vt id genus beluæ istic locorum Africanas viribus multò præstent. Ideò cùm larga earum sit Indis venatio, ad certamina bellica institutæ multum ad obtinendum victorias momenti adferunt.

Frugum etiam copia, vt proceritate corporum & crassitie excellant homines efficit. vt artium scientiâ præstent, sors tulit; vtpote quibus purus aer attrahitur, & aqua subtilissima bibitur. Tellus mitiorum fructuum copiâ redundans, subterraneas nullius non generis metallorum venas habet. nam multum ibi argenti & auri, nec parum æris, ferrique & stanni nascitur. Cæteraque omnia quæ ad ornatum & vsum, necnon bellicos apparatus conducant, abundè suppetunt. Præter fruges Cereales, etiam Milium in Indiâ copiosum, à benignâ fluuiorum irrigatione prouenit; Magna leguminum ibi copia & varietas. adde oryzam, & quod vocant Bosporum, aliaque complura ad vitæ sustentationem commoda: adde cæteros esculentos fructus, animantibus nutriendis aptos: de quibus scribere nimis longum foret. Idcircò nunquam à fame, aut vllâ victus manguetioris inopiâ Indiam vexari perhibent. Cùm enim bis quolibet anno in Indiâ fruges maturescant, semel sub hyemem, quando tritici apud alios fit sementis, iterum circa

solstitium æstiuum, in quod oryzæ, bospori, sesami & milii satio incidit, ex vtraque messe vt plurimùm Indianis larga frugum copia redit. Quod si vna messis non perfectè omnia præstat, alterius certè frugibus non destituuntur. Quinetiam sponte procreati fructus, & in palustribus enatæ radices, dulcedine eximiâ largam sui copiam mortalibus præbent. omnes enim propè regionis illius campi dulci amnium, imbriumque (qui anniuersario per æstatem circuitu existere repentè solent) humore perfunduntur. Radices autem in paludibus, præsertim magnarum arundinum, æstus Solis percoquit. Ad id verò, ne fames apud Indos ingrauescat, plurimum etiam leges conferunt. Apud alios enim mortales populatione hostili terra inculta redditur: sed apud hos agricolæ sacri & indeprædabiles manent, ita vt nec proximi collatis aciebus & pugnis aliquid periculi sentiant. Nam belligerantium vtrinque acies in se quidem mutuâ inter pugnandum cæde grassantur: sed terræ culturæ deditos haudquaquam lædunt, vtpote qui communi omnes beneficio sibi deuinciant. Ideò neque incendiis, neque arborum excisionibus hostium terras multant. Amnes præterea multos habet India, magnosque & nauigiis aptos, qui in Borealibus orti montibus, per campestria decurrunt, multique inter se commixti in fluuium, Gangen Indis vocitatum, sese effundunt. Is triginta stadiûm latitudine ab Arcto defertur ad meridiem, & disterminata versus ortum Gandaridûm natione; quæ prægrandibus abundat elephantis; in Oceanum sese eructat. Necdum regum aduenarum quisquam terram illam subegit; cùm omnes alienigenæ numerum & robur beluarum reformident. Ipse etiam Alexander, redactâ sub iugum Asiâ totâ, solos Gandaridas bello intactos reliquit. Postquàm enim ad Gangen cum omni exercitu venisset, aliis retrò Indis iam deuictis, simul ac Gandaridas quater mille elephantes ad bellum egregiè instructos habere animaduertit, expeditionem in illos omittendam censuit. Affinis autem Gangæ fluuius, quem *Indum* vocant, & ipse è locis Septentrionalibus in Oceanum præcipitans, Indiam à cæterâ Asiâ separat, dumque per longè patentes campos delabitur, complures & quidem nauigabiles fluuios, inter

XXVII.

quos

quos Hypanis & Hydaspes Acesinesque spectatissimi, al-
ueo receptat. Præter hæc multa quoque alia diuersi gene-
ris flumina, Indiæ terras interlabentia, crebris hortis, omni-
genisque fructibus vberes reddunt. Quod autem India
tot amnibus, & tantâ aquarum copiâ redundet; philosophi
eius loci ac physici hanc afferunt causam. Adiacentes Scy-
tharum, Bactrianûmque & Arianûm terras editiorem ha-
bere situm autumant quàm Indiam. Hinc bonis rationi-
bus consequi, vt in subiectam vndique regionem humor ex-
sudans & deliquescens, paulatim loca irriget, amnesque
multos gignat. At præ cæteris Indiæ fluuiis peculiare quip-
piam accidit illi, quẽ Sillam vocitant, ex fonte eiusdem no-
minis profluenti. inter omnes enim fluuios hic solus nihil
iniectum supernatare sinit, sed cuncta in profundum de-
mersa mirabili sanè ratione absorbet. India porrò

XX-VII.

cùm sit longè amplissima, multis variisque gentibus incoli;
(quarum nulla peregrinam habeat originem, sed omnes in-
digenæ putentur:) nec vnquam vel ab exteris accepisse, vel
in aliam nationem emisisse colonias, perhibetur. Antiquis-
simos illic homines fructibus è terrâ spontè natis pro ci-
bis, & pellibus animalium (vt etiam apud Græcos) pro ve-
stibus vsos esse; ex fabulis antiquis referunt. Artes verò
„ & cætera ad vitam necessaria paulatim inuenta; cùm ipsa
„ necessitas animal, naturâ ingeniosum, & cui manus, lo-
„ quela, animi sagacitas adiumento sint, ea subiecerat. An-
tiquitatis autem historias Indorum doctissimi recensent;
de quibus pauca hîc recensere nostri muneris est. Remotis-
simis aiunt, temporibus, cùm mortales adhuc vicatim ha-
bitarent dispersi, Bacchus ex occiduis terræ partibus, cum
numeroso exercitu aduentans, Indiam, nullâ dum vrbe me-
morabili, quæ resistendo fuisset, instructam totam pera-
grauit. Cùm verò magnis vexati ardoribus milites peste
interirent, dux ille prudentiâ excellens, è campestribus in
montana copias deduxit: vbi frigidioris auræ adflatu, &
purioris aquæ, ad ipsas fontium scatebras promanantis,
haustu recreati, morbo liberantur. Locus ille, quo pe-
stem à copiis suis depulit, Merus (hoc est, *femur*) appella-
tur. Hinc etiam Græci Bacchum in femore nutritum, po-
steris tradiderunt. Is posthæc (aiunt) fructibus serendis ac
plantandis diligẽter incumbens, cum Indis eas cõmunicauit.

Inuentum etiam vini, aliorumque vitæ conducentium vsum illis tradidit. Vrbes quoque magnificas extruxit, pagis ad situs commodiores traductis. Tum Numinis colendi rationem monstrauit; legesque ac iudicia instituit. Tandem cùm multa Indos præclara edocuisset, inter deos recensitus, immortales obtinuit honores. Fœminarum quoque agmen in exercitu circumduxisse, & in acie tympanis cymbalisque, tubâ nondum repertâ, vsum memorant. Et postquam Indiæ totius regnum per quinquaginta duos annos tenuisset, extremâ senectâ decessisse; filiis regni administratione relictâ, qui suis deinceps posteris eam per successionem tradiderunt, donec multis post seculis abrogatâ potestate regiâ, popularè ciuitates regimen instituêre. Hæc de Baccho, eiusque progenie à montanis Indiæ habitatoribus referuntur. Adiiciunt & Herculem apud se degisse, & quomodo Græci, clauâ leoninâque illum instruunt. ac robore corporis, fortitudineq; animi cunctos exsuperâsse mortales: terramque & mare à monstris repurgâsse. Cúmque ex multarum vxorum coniugio filios quidem multos: sed vnam duntaxat filiam procreâsset: adultis his Indiam vniuersam in partes æquales diuisisse, ita vt suum cuique loco regem designaret, & filiæ simul à se nutritæ propriam regni portionem attribueret. Multas ab eo vrbes conditas, & inter has quæ maxima & clarissima Palibothra nuncupatur; in quâ regiâ magnis sumptibus conditâ, ingentem ciuium numerum collocârit, eamque fossis aquâ fluuiali repletis circummunierit. Ipsum denique mortalium consortio exemtum, diuûm honores promeruisse. Huius etiam posteros, continuato per multas ætates imperio, res egregias gessisse; nulla tamen extra limites regni expeditione factâ, nec coloniis in alias prouincias deductis. Et licèt post longum temporis interuallum ciuitates plæræque statum popularem fuerint amplexæ, regna tamen nonnulla ad Alexandri vsque aduentum floruisse. Etsi autem peculiares, & à cæteris alienas Indi leges habent; istam tamen ab antiquis eorum philosophis sancitam, præ cæteris admirandam quis censeat. Lege enim cautum est, ne quisquam omninò seruus inter ipsos sit: sed vt liber vnusquisque cum aliis æqualitatem colat. Qui enim nec superiores, nec inferiores aliis esse didicerint, hos vi-

XXXIX.

tam

„ tam ad omnes fortunæ casus optimè instructam habere.
„ Nam stultum esse, si quis leges cunctis æquas promulget,
„ & inæqualitatem facultatum interim statuat. Vni-
XL. uersus Indorum populus in tribus VII distributus est. Prima ex Philosophis constat, qui numero quidem cæteris sunt inferiores; nobilitate autem primas tenent. Ab omni enim ministerio publico immunes, neque dominantur ipsi, neque aliorum dominio subiecti sunt. A suis tamen ad rem diuinam & defunctorum exsequias adhibentur, vt qui diis eximiè sint cari, & rerum Plutonis maximè periti. Pro quo officio dona honoresque magnificos recipiunt. Inprimis autem magnas Reipublicæ Indorum vtilitates afferunt, quando solennibus noui anni comitiis adhibiti, siccitates & pluuias, ventosque ac morbos, & alia quæ conducant audientibus, prædicunt. Nam de futuris edocti cùm populus, tùm rex, defectus ingruituros subinde explent, & perpetuò aliquid vtilitatum præparant. At qui Philosophorum à veritate vaticinando aberrat, aliud pœnæ aut infamiæ genus non experitur, quàm quod mutus deinceps vitam exigit. Altera classis agricolarum est, hi multitudine cæteris longè præire videntur. Hi quoque à militia, publicisque operibus aliis exempti, omne studium & tempus agris colendis insumunt. Nullus eos hostis damno afficit: sed ob communis beneficii reuerentiam ab omni illorum iniuriâ abstinent. Ideoque terra, dum nihil populationis experitur vnquam, suâ fructuum exuberantia largam victus copiam mortalibus subministrat. In agris vitam agunt rustici cum vxoribus & liberis, & à commerciis vrbicis omninò absistunt. Vectigalia de fundis regi pensitant. Omnis enim India sub clientelâ regis est. Nec priuato agros possidere licet. Vltra tributum, quarta etiam pars fructuum regi cedit. Tertio ordine continentur armentarii & opiliones, adeoque omne genus pastorum, qui nec vrbes nec pagos habitant, sed tabernaculis pro domibus vtuntur. Hi venando simul terram à volucribus & feris tutam præstant. Et hoc exercitio atque labore mansuetam & pacatam faciunt Indiam, multis alioqui variisque bestiis & auibus, sementi infestis, refertam. Quar-
XLI. tum locum artifices obtinent; quorum pars armis, pars

instrumentis rusticis, aliisque vtensilibus fabricandis vacat. Hi non solùm immunitatem habent, sed certam quoque frumenti mensuram è regiis granariis accipiunt. Quintum populi genus est castrense, bellisque accommodatum, numero quidem secundum: idque pacis tempore ocio & ludo prolixè indulget. Quicquid autem est militum equorumque bellicorum ac elephantum, ex regiâ nutritur. Sexto loco sunt Ephori, qui magno studio omnia per Indiam rimantur & inspiciunt, explorataque regibus, aut vbi Respublica rege caret, principibus renunciant. Septimus ordo Senatorius est, eorum scilicet, quibus in consilio publico consessus est: hi numero quidem paucissimi, at nobilitate generis & prudentia maximè sunt conspicui. Ex his enim, qui consilio regibus adsint, & publica negocia administrent, & controuersias diiudicent, quique imperia in bellis, & magistratus passim obeant, deliguntur. Has propè in partes Indorum Respublica tributa est. Nec ex diuersa tribu vxorem ducere, aut alienum vitæ genus, artificiumque exercere, vtpote militem simul bellare & agrum colere, aut opificem philosophari, fas est. Habet India plurimos, maximosque elephantes; qui fortitudine etiam ac robore excellunt. Coit hoc animal, non vt quidam putant, modo peculiari & insolenti, sed vt equi, cæteraque quadrupedia: vterum gestant vt minimùm per sedecim menses, vt plurimum per octodecim. Pariunt, vt equi, vnicum plerunque, quod matres ad sex annos enutriunt. Maior pars hominis maximè longæui vitam assequitur: quorum senectus longissima, hi ad annos ducentos perueniunt. Constituti etiam sunt apud Indos aduenarum præfecti; qui ne quid iniuriæ patiantur, accuratè prouident. Si quis illorum ægrotat, medicos adhibent, aliamque curam impendunt, & mortuum sepulturæ tradunt. Quicquid ab eo relictum est peculii, propinquis restituunt: Iudices illorum summâ diligentiâ lites disceptant, & seuerè in noxios animaduertunt. Atqui de Indiâ, rebusque eius priscis, hæc breuiter repetita sufficiant.

XLII.

Nunc de Scythis, eorumque finitimis particulatim aliquid differemus. Hi olim angustam possidebant regionē, sed

XLIII.

ſed paullatim viribus ac ſtrenuitate ſuâ potentiores facti, lõ-
gè latéque propagatis finibus, ad magnam imperii ampli-
tudinem & gloriam nationem ſuam prouexerunt. Ad A-
raxem fluuium initio perpauci admodum, & propter igno-
bilitatem contempti, conſederant. Pòſt, vnum ex antiquis
regibus bellicoſum, & imperatoriis artibus egregium, ade-
pti, quicquid montanarum eſt ad Caucaſum, & campe-
ſtrium ad Oceanum, paludemque Mæoticam, & reliqua-
rum ad Tanaim vſque flumen terrarum, regioni ſuæ ad-
iecerunt. Exinde fabulantur Scythæ, virginem ex terrâ
apud ſe natam, cuius forma cingulo tenus fœminam, in-
ferius viperam repræſentaret: cum hac Iouem congreſſum,
Scythen genuiſſe. Is (inquiunt) cùm præ maioribus appri-
mè clarus euaderet, gentem ſuo nomine inſigniuit. Inter
poſteros huius regis duo exſtiterunt fratres virtutis exi-
miæ, quorum vni Palo, alteri Napæ nomen erat. Hi poſt
multas res præclarè geſtas, regnique partitionem, alios Pa-
los, alios Napos, de ſe denominârunt. Aliquanto poſt
tempore progenies horum, virtute & arte bellicâ præſtans,

XLI

terras vltra Tanaim multas ſubegit. Tum verſis in alte-
ram partem armis, ad Nilum vſque progreſſi, multis in
medio gentibus ſub iugum redactis, Scytharum impe-
rium, quà ad Oceanum orientalem, quà ad mare Caſ-
pium & Mæotim vſque, prolatarunt. Maiorem enim
in modum hæc natio creuit, regeſque habuit memora-
tu dignos; ex qua Sacæ & Maſſagetæ & Arimaſpi, alii-
que plures aliis nominibus indigetati originem ducunt.
A regibus illis cùm aliæ tum duæ maximæ coloniæ ex gen-
tibus bello ſubactis deductæ ſunt; quarum altera ab
Aſſyriis in agrum Paphlagoniæ & Ponto interiectum
tranſlata; altera ex Media ad Tanaim collocata fuit; cu-
ius populi Sauromatæ nominantur. Qui multis poſt
annis numero & viribus aucti, magnam Scythiæ par-
tem deuaſtârunt, & omnibus, quos debellauerant inter-
necione ſublatis, totam propè deſolauêre. Poſt hæc,

XLIV.

deficiente Scytharum principatu, fœminæ corporis & ani-
mi viribus præſtantes, regum vice funguntur. In his e-
nim gentibus ad belli munera fœminæ tanquam viri ex-
ercentur, fortitudine viris nihilo inferiores. Hinc multæ,

magnæque res ab illustribus fœminis peractæ sunt; non tantùm in Scythia,sed & regionibus illi conterminis. Cùm enim Cyrus Persarum rex, potẽtiâ omnes ætate suâ Reges supergressus; validissimas in Scythiam copias expediuisset, Regina Scytharum exercitu Persarum profligato & conciso, Cyrum in acie captum cruci affixit. Adeoque gens Amazonum(postquàm semel coaluit)virili robore & confidentiâ præstitit, vt non vicinas modò regiones incursaret, sed magnam Europæ Asiæque partem subiugaret. At quando in Amazonum incidimus mentionem, non inconueniens existimamus, si quæ propter narrationis insolentiam fabulis similia videntur, hic percurramus. Ad Thermodontem fluuium gens olim habitauit muliebri Imperio subiecta, in quâ mulieres non secus quàm viri res bellicas administrabant. Inter has vna (aiunt) regiâ potestate fungens, virtute ac robore pollebat. Hæc coacto mulierum exercitu, & pro militari disciplinâ exercitato, finitimorum nonnullos armis expugnat: & subinde virtute ac gloriâ augescens, in cæteras deinceps gentes vicinas duxit: cumque res secundæ animos inflarent, Martis se filiam dictitans, lanificium & domestica mulierum opera viris tractanda dedit. Leges etiam promulgauit; quibus fœminas ad certamina bellica promoueret: viros autem sub humili conditione,seruilique opere contineret. Maribus igitur quotquot nascebantur, crura & brachia debilitârunt, vt hoc pacto armis & bello inutiles redderentur. Puellis dexteram inurebant mammam, ne in pugnâ protuberans molestiæ & impedimento foret. Et hinc nomen illud *Ἀμαζόνων* genti prouenit. Denique cùm ingenio & rei militaris solertia valeret; amplam vrbem, nomine Themiscyram, ad ostia Thermodontis posuit: regiâque celebri exornauit. In bellis autem disciplinæ & boni ordinis perquàm studiosa erat. Et primùm omnes cis Tanaim finitimos armis ad sibi parendum coëgit. His rebus confectis, tandem in acie fortiter dimicans Heroicum vitæ exitum sortitur.

XLV. Quam in regno sequens filia, dum matris virtutem æmulatur,nonnullis eam factis superauit.

XLVI. Puellas enim à primâ ætate venatu exercuit, & quotidiè bellica tractare studia condocefecit. Tum solennes Marti & Dianæ,

Dianæ, quæ Tauropolos dicitur (id est, *inter Tauros ver-
sans*) sacrorum festiuitates instituit. Castris etiam vltra
Tanaim promotis, omnes ad Thraciam pertingentes po-
pulos suo imperio subiunxit. Inde cum ingenti prædâ
domum reuersa, diis supra nominatis magnificas erexit
ædes, & moderato benignoque in subditos Imperio ma-
ximam sibi beneuolentiam conciliauit. Tum expeditio-
ne in alteram fluminis regionem institutâ, magnam Asiæ
partem suæ ditioni adiunxit; armorumque robur ad Sy-
riam vsque extendit. Post cuius mortem perpetuò, gene-
re proximæ succedentes, imperium cum laude gesserunt,
& Amazonum gentem potentiâ & gloriâ amplificarunt.
Multis inde seculis famâ virtutis ipsarum toto terrarum
orbe diuulgatâ: Herculi Ioue & Alcmenâ genito cer-
taminis vice Hippolytæ Amazonis balteus iniungitur.
Quare illato Amazonibus bello, magno copias illarum
prælio fusas victasque concîdit, & captâ Hippolyte cum
balteo, vires gentis eneruauit. Barbari itaque finitimi,
despectâ illarum infirmitate, cladiumque illatarum me-
mores, continuis gentem bellis vsque adeò profligârunt,
vt ne nomen quidem Amazonum alicubi sit reliquum.
Paucis enim post Herculem annis, flagrante bello Tro-
iano, Penthesilea reliquiarum gentis Amazoniæ Impera-
trix, Martisque filia, ob piaculare facinus (cædem enim in-
ter suos commiserat) profugiens, Troianis, post interitum
Hectoris, auxilia adduxit. Et quanquam strenuè rem ge-
reret, multis Græcorum in acie cæsis: ab Achille tamen cæ-
sa occubuit, Heroicis vitam gestis ita terminans. Hanc
Amazonum postremam, egregiâ virtute præditam exsti-
tisse, gentisque reliquias viribus subinde magis demi-
nutis, tandem prorsus defecisse, memorant. Inde fit
vt recentior ætas fortia Amazonum gesta prædicari audi-
ens, pro meris fabularum commentis antiquitates illas
accipiat.

XLVII. Nunc postquàm Boreales Asiæ tractus descripsimus,
Hyperboreorum quoque res priscas annotare non incon-
ueniens arbitramur. Nam inter antiquitatum scriptores
Hecatæus, & nonnulli alii, tradunt contra Galliam in O-
ceano Insulam esse non minorem Siciliâ, Arctis subie-
ctam, quam Hyperborei incolant, sic vocitati, quod Boreâ

vento sint remotiores. Solum hîc optimum esse ac fructuosum, optiméque temperatum, ac propterea bis in anno messem fieri. Latonam hîc natam fabulantur; ideoque Apollini præ diis aliis cultum deferri; & quia deum hunc quotidie perpetua laudum decantatione celebrent, & summis prosequantur honoribus, homines illos, velut Sacerdotes Apollinis esse; perhibent: cuius lucus ibi magnificus, & templum insigne rotunda forma donariisque multis exornatum. Vrbs quoque deo huic sacra; ciuium plerique Citharistæ; qui citharas in fano pulsantes sacros deo hymnos canant, quibus gesta eius honorificè prædicentur. Lingua Hyperboreis propria. & singulari Græcis beneuolentia ex antiquis inde temporibus confirmata, addicti sunt. Inprimis Atheniensibus & Deliis. Quin Græcorum nonnullos ad Hyperboreos traiecisse, & donaria reliquisse Græcis literis inscripta, fabulantur. Sic & Abarin quondam in Græciam inde profectam, pristinæ cum Deliis amicitiæ & cognationis necessitudinem renouasse. Hoc insuper memorant; Lunam ex hac insula ita conspici, vt parum à terra distet, & terrestres quosdam tumulos in facie repræsentet. Deumque Apollinem vndeuigenis annis semel insulam adire, quo spacio astrorum in pristina loca reuolutiones perficiantur; ideoque XIX annorum circuitum *magnum* à Græcis *annum* vocari. In hac deum apparitione citharâ psallere noctu, & choreas agitare continuè, ab Æquinoctio Verno ad Pleiadum vsque exortum, suorum se laudibus successiuum oblectantem. Vrbis imperium & summa templi cura penes Boreadas, progeniem Boreæ, qui gentili successione principatum ineunt.

XLVI. His ita expositis oratio se nostra ad reliquas Asiæ partes nondum explicatas, Arabiamque potissimùm, conuertet. Hæc inter Syriam Ægyptumque sita, in multas, variasque gentes distinguitur. Ad ortum Solis Arabes, qui Nabatæi vocantur, regionem partim desertam, partim aquarum indigam, minimáque sui parte frugiferam; incolunt. Vita igitur his prædatoria est, & accolas longè latéque incursantes, latrociniis vexant, nec bello facilè domantur. In regione enim arida puteos opportunis locis depressos habent, extraneis ignotos, qui tutos ipsis in fuga receptus præbent. Cùm enim quo loco reconditæ sint aquæ sciant: facilè

cilè iis apertis largo potu fruuntur: at peregrini illos persequentes, cùm per fontium illorum ignorantiam, aquatione destituantur, potus defectu partim intereunt, partim multis defatigati ærumnis, ægrè domum reuertuntur. Idcircò Arabes, regionis huius incolæ, cùm bello expugnari nequeant, nunquam seruitutis iugum subeunt; Ducemque externum neutiquam admittunt: sed stabilem perpetuò libertatem tuentur: proptereà nec Assyrii olim, nec Medi, ac Persæ, imò nec Macedonum reges subigere illos potuêre; qui licèt magnis in eos copiis mouerint, nunquam tamen incepta ad finem perduxêre. Est in Nabatæorum regione saxum oppidò quàm munitum, vno tantùm adscensu; per quem paucis simul enitentibus ad deponendas in alto sarcinas, iter patet. Lacus præterea amplus, bitumen gignens; vnde non exiguum vectigal percipiunt. Longitudo eius 5O stadiorum, latitudo sexaginta. Aqua graue olens & peramara: vt nec pisces nec aliud familiare aquis animal ibi nutriri queat. Magni quidem in eum se amnes effundunt dulcedinis eximiæ: nihilominus tamen mephitis illa præualet. E medio eius quotannis bitumen ebullit, aliàs duûm, aliàs trium amplius magnitudine plethrorum. Maius accolæ *taurum*, minus *vitulum* familiari ipsis nomine, appellitant. Innatante sic aquis bitumine, superficies illa è longinquo speciem insulæ præ se fert. Egerendi bituminis signa per viginti dies ante hominibus apparent. Nam vndique circa stagnum ad multa stadia fœtor cum flatu quodam exhalat, & quicquid ibi locorum argenti, aurique & æris exsistit, naturalem immutat colorem: qui tamen in pristinum redit, postquam omne bitumen exspirauit. Cùm igitur locus in propinquo ignibus & odore tetro sit corruptus; hominum corpora morbis obnoxia reddit, ac perexiguam vitæ vsuram concedit. Palmetis tamen ea regio felix est; quantum eius à benignis amnibus, & fontibus irriguis intersulcatur. Ibi in conualle quadam Balsamum, quod vocant, gignitur: vnde luculentum ipsis vectigal accedit, propterea, quòd nusquam alibi in orbe terrarum hæc stirps inueniatur; quæ præclarum quoque ad pharmaca Medicis vsum præstat.

XLIX. Cætera deinceps regio, Arabiæ sterili & inaquosæ connexa, tantopere illam

præſtat, vt ob fructuum, aliorumque bonorum illic copiam *felicis Arabiæ* cognomentum obtinuerit. Calamum enim & Schinum, cæteramque aromaticæ naturæ materiam largè profert; fragrantias denique foliorum omnis generis exſpirat; variisque lacrymarum deſtillantium odoribus referta eſt. Myrrham certè, & diis gratiſſimum thus, quodque per totum inde orbem vehitur, extrema Arabiæ producunt. Coſti inſuper & Caſiæ & Cinamomi, & id genus aliorum gramina & virgulta tantâ profunditate & luxurie creſcunt, vt cùm apud alios rarò deûm altaribus imponantur, apud hos accendendis clibanis materiam largiantur; & cùm alibi exiguæ tantùm particulæ oſtendantur, hîc ſeruis inde lectos domi conſternant. Cinamomum ibi mirificâ vtilitate præſtans, reſinâque & therebinthus fragrantiſſima copiosè naſcitur. Montes non tantùm abietes & tædas, ſed etiam Cedros & iuniperos, & quod Agyræum (alias Gyraton & Boraton) vocant, affatim producunt. Multa etiam alia ſtirpium genera ſunt fructiferarum, quæ & ſuccum & odorem approximantibus iucundum exhibent. Naturales enim terræ genius vapores, ſuffit bus odoratis aptos, in ſe continet. Ideò nonnullis Arabiæ locis, cùm terra foditur, ſuaueolentes venæ reperiuntur, quarum perquiſitiò ingentes paſſim lapicidinas ſuppeditat. E ſaxis hinc erutis domos conſtruunt; in quæ cùm guttæ ex aëre deciderint, nonnihil humore liquefactum in coagmenta lapidum influit; & congelaſcens parietem arctiſſimè compaginat. Effoditur in Arabia aurum, quod Apyrum (*ignis expers*) nominatur: non enim ex ramentis per ignem excoquitur, vt alibi; ſed inter eruendum ſtatim purum putum inuenitur; par nucibus caſtaneis magnitudine, & colore tàm flammeo, vt ſi precioſiſſimi lapilli artificum operâ includantur, ornamenta pulcerrima efficiat. Pecorum in omni genere tàm fœcunda eſt Arabia, vt gentes complures vitam paſtoralem amplexi, hinc commodè, abſque frumenti vſu, nutriuntur. Quà Syriæ contermina eſt, magnam prægrandium ferarum vim alit: nam leones hic & pardales, numero ac magnitudine, viribusque Africanos longè vincunt: quibus tygres Babyloniæ adnumerentur. Fert & geminæ naturæ, mixtæque formæ beſtias: inter quas

Strutho-

Struthocameli, qui nominantur, confusum ex volatilibus & camelis formam habent, vt nomen sonat. Corporis enim magnitudine camelum recens natum æquant. caput minutis pilis obtectum; oculósque grandes, & nigri coloris habent; vt forma, sic & colore camelos referunt; collo sunt prælongo: sed rostro breuissimo & ad incuruum acumen reducto. Alas quoque pennis, sed mollibus & pilosis instructas habent, & duobus innituntur cruribus; vngulâ pedis bisulca: quo terrestre simul & volaticum hoc animal esse apparet. sed quia ob molem corporis se attollere ac volare nequit, humi velut in aëre veloces tendit progressus: & quando ponè ab equitibus vrgetur, subiectos pedibus lapides tam contentè, velut è fundâ, in prosequentes retorquet, vt validis sæpe ictibus succumbant. Cùm prope est vt capiatur, caput arbusto vel simili tegumento abscondit, non (vt aliqui opinantur) stultitiâ vel ignauiâ quadam animi; quasi scilicet ipse alios videre nolit, aut aliorum visum subterfugiturum se existimet; sed quia corporis eam partem habet infirmissimam, qualecunque salutis præsidium ita sibi
» parat. Natura enim optima cunctis animantibus, non ad
» sui tantùm, sed & sobolis conseruationem, dux est & magi-
» stra, insito viuendi amore ad perpetuum durationis orbem
I. » suæ propagationem speciei extendens. Camelopardales promiscuam ex vtrisque, nomine hoc comprehensis naturam sortiuntur. camelis quidem minores, & collo depressiore, sed capitis & oculorum habitu ad pardalis similitudinem conformatæ. dorsi gibbo camelis similes; colore, pilo, caudæ prolixitate, pardalis naturam imitantur. Quinetiam Tragelaphi & Bubali, pluráque duplicis formæ animalia, ex diuersissimis videlicet naturis contemperata, illic procreantur. quorum singularis descriptio longam sibi moram posceret. nam terris Meridiano approximantibus orbi plurimum à Sole viuificentissimæ facultatis inspirari, & multa propterea pulcræ varietatis animantia illic gigni, consentaneum est. Et ob has ipsas causas in Ægypto crocodili & fluuiales equi; in Æthiopiâ & Libyæ desertis magna elephantum serpentúmque varii generis, vt & aliarum bestiarum, & (inter cæteras) Draconum inusitatæ magnitudinis & ferociæ, copia existit. Eadem ratio est elephantorum in Indiâ, & corporis granditate, & numero & viribus excellen-

tium. At non variantes duntaxat specie bestiæ sed omnigenæ quoq; lapides, quos tùm coloris varietas, tùm nitoris pelluciditas commendat, illis in terris efficaci Solis operatione generantur. Chrystallum ex aquâ purissima in glaciem induratâ coalescere aiunt, non quidem à frigore, sed diuini ignis potentiâ: quæ facit, vt citra corruptionem perdurent, & variæ tincturæ formas ob spiritus exhalationē accipiant. Smaragdos enim & Beryllia quæ vocant in ærariis officinis elaborata, à sulphuris tincturâ & copulatione colorem assumere: & chrysolithos è fumidâ exhalatione, calore Solis natos, colorem istum nancisci. Ideóq; & pseudochrysos (quod aurum mentiantur ita dictos) fieri, quando vi ignis mortalis & ab hominibus excitati tinguntur chrystalli. In carbunculorum ortu, à vi lucis in concretione prout maior est aut minor, intrinsecus coacta, diuersitates illorū effici. Sic & auium formas colorem induere, vt aliæ per omnia purpureæ, aliæ ex parte variis distinctæ maculis appareant. Nā vel flammeam, vel croceam, vel smaragdinam, multas quoq; aurei coloris formam, pro suâ ad lucem inclinatione, obtinere. colores deniq; multiformes, & difficulter nominandos, hinc existere. quod in arcu cœlesti à solis luce quoque effici videamus. Vnde naturalis scientiæ magistri per ratiocinationem doceant: quod etiam superna excretionis in iam dictis varietas à calore natiuo tincturam sortiatur, viuificâ tamen Solis operatione singulorum formas adiuuante. Ab hoc planè auctore & opifice eam in floribus differentiam colorum, eámq; telluris varietatem prouenire. Cuius efficaciam naturalem artes mortalium naturæ, quippe discipulæ, imitantes singula tingant, variegentq;. Colores igitur à luce effici. Odores autem fructuum, saporum varietatem, magnitudines animantium, & habitum cuiusq; ; adhæc diuersas terræ proprietates; à calore Solis oriri; quæ & tellurem fructuosam, & aquam fœcundam suo fotu reddat, & cuiuslibet deniq; naturæ opifex exsistat. Quocirca nec marmor Parium, nec aliud mirabile saxum, cum lapidibus Arabicis comparari potest: quorū & candor nitidissimus, & pondus est grauissimum, læuor præterea cæteris ad excellentiam nihil facit reliquum. Eam in singulis proprietatem regioni huic (quod iam dixi) tribuit virtus solis. Caliditate enim suâ compingit, siccitate constipat, & splendore illuminat.

Hinc

LIII. Hinc & volucrum genus multi caloris particeps euasit; cui leuitas volatum, operatio Solis varietatem conciliat, præsertim in terris Soli directiùs subiectis. Babylonia enim multos educat pauones variis coloribus renidentes. extrema Syriæ ora psittacos, Porphyriones, Meliagrides, aliásq; peculiares bestiarum species, producit, suis quasq; coloribus & temperamentis variantes. Idem quoq; dicendum de cæteris orbis regionibus: vbi similis aëris temperies est; de India, inquam, & mari rubro, Æthiopiáq; & partibus quibusdam Africæ. Sed cùm pinguior sit plaga orientalis, nobiliora etiam & maiora gignit animalia. In cæteris quoq; terris, quæ nascuntur, pro ratione bonitatis ipsarum naturas comparatas habent. Sic inter arbores palmæ Africanæ squalidos & exiguos gerunt fructus. At in cauæ Syriæ tractu, quæ cariotæ appellantur, dulcore, magnitudine & succo excellunt. His longè maiores in Arabia videre est & Babyloniâ, magnitudine scilicet digitorum sex, colore partim melino, partim puniceo, vel etiam purpureo: quibus & visus delectatur, & gustatus demulcetur. Palmæ illic stipite sunt aërio, præcelsóq; ac tereti, & vndique vertice tenus glabro. Comas in altum non vno tamen modo attollunt. quædam enim ramos vndiq; circumfusos habent, & in medio ex cortice dirupto racemosum extrudit fructum. quædam comis sub vnam tantùm cacuminis partem inclinatis, ardentis formam lampadis ostentant, aliæ hinc & illinc circumflexæ, & duplici ramorum dispositu vtrinque capillatæ, intuitum picturatum exhibent. Arabiæ itaq; pars ad meridiem nutans felicis nomen habet.

LIV. Interiora Arabes (Scenitæ) tenent, qui pastores sunt, vitam in magalibus degendam amplexi. Hi magnos pecorũ greges alunt, & in vastissimis campis diuersantur. Quæ inter hos & felicem Arabiam interiacet regio, deserta est, & aquarum inops, vt suprà annotatum. Loca ad occasum versa campi arenosi immensæ vastitatis obtinent. quo fit, vt iter illac facientes, non secus ac in pelago ad vrsę cœlestis signa profectionem suam dirigant. Reliquus Arabię tractus, ad Syriam se dimittẽs, agricolis & variis mercatoribus est refertus. Hi opportunâ mercium commutatione, quæ vltrò citróque desunt commoda largè importanda & exportanda procurant. Pars Oceanum attingens suprà felicem Arabiam iacet, multorũ interlapsu amnium stagna

passim, magnoque ambitu lacus efficit. Et quia multos soli tractus riuis, & aquis pluuialibus per æstatem collectis rigant, fit, vt duplices etiam fructus metant. Locus ille fert elephantûm armenta, aliásque enormi magnitudine bestias terrestres, etiam biformes, specieque insolentes. Cicurum insuper animantium copia, maximè boum & ouium, quæ magnæ grassæque sunt caudæ, abundat. Sunt ibi multa, præq; aliis eximia Camelorum genera, tùm depilium, tùm villosarum, & quibus duplo maius tuberculum in tergo eminet: ac propterea dityli (id est, *duplici gibbo prædita*) vocantur. Harum aliæ lactis mulctu, & carnium esu, magnas hominibus vtilitates afferunt. Aliæ gestandis oneribus adsuefactæ, x. frumenti medimnos dorso perferunt, & homines quinos clitellis recubantes facilè portant. Quæ expeditioribus sunt membris & minùs distento corpore, ad cursus adhibentur, & longissimum viæ spacium emetiuntur, præsertim si per aridam & desertam regionem iter fiat. Harúmque in bellis etiam vsus est. nam ad pugnas binos ferunt sagittarios obuersis inter se tergis, quorum alter occursantes à fronte, alter insectantes à tergo propulsat. Hæc nostra de Arabia, rebúsq; in ea prouenientibus narratio, licèt prolixior fortè sit, multa tamen cognitu non indigna studioso lectori per illam exposuimus.

L V

Nunc de Insula in Oceano versùs meridiem reperta, & mirandis in ea rebus, causa priùs inuentionis diligenter explicata, breuiter quædam recensere constituimus. Iambulus quidam fuit, à pueritia, disciplinæ liberalis studiosus. is post obitum patris, qui mercator fuerat, mercaturæ se quoque addixit, cùm autem per Arabiam tenderet in regionem Aromatum feracem: in manus prædonum vnà cum comitibus deuenit. Ac primo cum vno captiuitatis socio pastor factus est. sed post à latrunculis Æthiopum iterum captus in maritima Æthiopiæ abducitur. Rapti autem fuerunt, vt his ipsis, quod alienigenæ essent, terra expiaretur. Ritus enim Æthiopum illic habitantium erat, à multis vsq; seculis traditus, deûmque oraculis per ætates viginti, hoc est annos D C. (ætate tricenos in se annos complectente,) stabilitus; vt per duos homines exteros lustratio perageretur. His ergò tùm nauicula, non quidem magna; sed quæ maris tempestates sustinere, & à duobus facilè agitari posset,

ador-

adornata fuerat. Ei viris duobus cum VI. mensium victu impositis mandabant, vt secundum oraculi monita rectà versùs meridiem cursum tenderent. in fortunatam enim Insulam venturos, & ad homines perquàm mites, cum quibus beatam acturi vitam essent. Proinde suam quoque gentem, si ipsi incolume & salui Insulam contigerint, IↃC annorum pace ac vita beatissimâ perfruituram: sin longitudine maris territi cursum retrouerterent, tanquam impios & perniciales toti nationi pœnas quàm grauissimas daturos esse, affirmabant. Et tunc magnæ solemnitatis festum in littore maris ab Æthiopibus celebratum memorant; qui post magnificas hostiarum immolationes, exploratores coronis redimitos, ad perficiendam expiationem gentis miserint. Hi (aiunt) magnum emensi pelagus, & cum fluctibus per IV. menses conflictati, quarto demum Mense ad Insulam designatam appellunt: quæ figura turbinata stadiorum circiter quinque CIↃ. ambitum complectitur.

VI. Iamque oræ propinquantibus Insularum nonnulli obuiam euntes scapham deducunt. Tum plures concursu ad hospites facto, aduentum illorum admirantur, humaniterque exceptos commodorum suorum participes reddunt. Sunt verò incolæ & habitu corporum, & vitæ ratione, nostri orbis hominibus longè dissimiles; eadem tamen inter se corporis formâ; & staturâ IV. cubitos excedunt. Ossa horum velut nerui aliquantum flectuntur, & in pristinum, vt neruosæ alioqui partes, redeunt. Corpora illorum tenerrima: sed longè firmioribus, quàm nostra sunt, neruis. nam quicquid manibus comprehenderint, nemo ex digitis extorquere valet. In toto nusquam corpore, præterquàm capite, superciliis, palpebris, & barba, pilus est. cæteræ corporis partes tam læues sunt, vt nec minima lanugo appareat. Forma illis decora, & concinna corporis circumscriptio. Aurium foramina nostris multò patentiora, quibusdam ceu lingulis adnatis, exstant. In linguâ ipsorum quiddam peculiare est, partim à naturâ datum, partim ingenii solertiâ adscitum. linguam enim quadamtenus habent geminam & intrinsecus diuisam, vt duplex ad radicem vsque existat. ideò maxima illis est varietas, & voce non tantùm quicquid humanæ & articulatæ est loquelæ imitantur: sed etiam diuersos auium garritus, adeoque omnia sonorum genera exprimunt.

Et quod præ cunctis admirandum, ad duos simul homines perfectè loqui, tùm respondendo, tùm appositè de subiectis rebus dissertando, possunt: ita vt vnâ linguæ plicaturâ cum vno, alterâ cum altero sermocinentur. Optima illic (sub æquinoctiali enim habitant) temperatura cœli exsistit. Et nec ab æstu nec à frigore molestantur. Fructus arborei per totum illic annũ maturi habentur, & vt poëta scribit;

Malum post malum, pyra post pyra nata senescunt:
Vuaq́; post vuam, post ficum mustea ficus.

Dies ibi perpetuò noctem æquat: nec in meridie ab vllâ re vmbra cadit: quia supra verticem Sol exsistit. Viuunt in cognationum tribus & societatum cœtus distributi, sic tamen vt vltra quadringenos in communionem non recipiant. vitam in pratis degunt; vbi tellus ad victum necessaria copiosè largitur. nam, quæ Insulæ virtus est & aëris benignitas, plus quàm satis est annonæ vltrò prouenit. Multum ibi calami; cuius fructus, Eruo albo non absimilis, affatim crescit. hunc comportatum aquâ macerant calidâ; dum oui columbini magnitudinem adæquet. tum ex contuso, & scienter manibus friato, panes compinsunt; inque furnis assatum comedunt dulcedine eximiâ præditum. Fontes illic aquarum largi; tàm calidarum; balneis & languoribus eximendis apti; quàm frigidarum; qui & dulcedine præstent, & magnam ad valetudinem conseruandum efficacitatem habent. Cùm omnis disciplinæ studiis, tùm astrologiæ maximè incumbunt. Literis vtuntur pro significandi potentiâ XXIIX. pro characterum formâ VII. quorum vnusquisque quatuor modis transformatur. Longissimæ sunt ætatis, vt qui ad CL. annos, absque omni, vt plurimùm morbo, vitam producunt. Mutilatum, aut quocunque corporis vitio adfectum, legis cuiusdam seueritate ex vitâ migrare cogunt. Versus scribendo non in transuersum extendunt, vt nos, sed à vertice ad inferiora lineâ rectâ deducunt. Lege statutum illis est, vt ad certum annorum numerum viuant; quo expleto, insolenti mortis genere sponte vitâ decedunt. Dum apud eos generũ herba crescit, cui, si quis indormit, latenter absq; molestiæ aut ægritudinis sensu, ceu suaui correptus somno, exstinguitur. Mulieres nuptum haud ducunt, sed promiscuè communes habent: & natos inde filios, vt omnium communes, pari complectuntur amore, nutriuntq́; A nutri-

LVII.

LVIII.

cribus pueri adhuc infantes ſæpe commutantur, vt nec ma-
tres ſuos agnoſcere queant. Quamobrem cùm nulla inter
eos ſit ambitio, citra ſeditionem ſummâ concordiæ obſer-
uantiâ vitam decurſitant Sunt illic beſtiæ in ſpeciem exiguæ,
ſed mirabili corporis naturâ & ſanguinis virtutis præditæ.
teres enim corpus & teſtudinibus aſſimile habent : quod
duabus in ſummo lineis decuſſatim interſectum eſt. In vna-
quaque extremitate oculum & os habent. ideo quatuor o-
culis tuentur, totidémq; oribus alimenta colligunt: quæ per
vnam deglutita gulam in communem deinde ventrem con-
fluunt. Eodem etiam modo viſcera & cætera intrinſecus o-
mnia ſingula habent Pedes in orbem illis ſunt complures,
quibus in quodcunq; velint latus progreſſum faciunt. In ſan-
guine beſtiolæ mirifica vis eſt. quicquid enim in viuo cor-
pore diſſectum eſt, illicò conglutinat; ac ſi vel manus, vel
quodcunq; aliud id genus membrum, (non vitali tamen lo-
co) detruncatum fuerit, id recenti adhuc plagâ per hunc coa-
leſcit. Singuli cœtus ſingulare genus auium grandiorum a-
lunt, per quas puerorum indolem explorant. Hos enim hu-
meris auium imponunt; quibus ſubuolantibus, quicunque
aëris fluxum tolerant, hos educant: at nauſeantes & exſter-
natos abiiciunt, vt qui nec ætatem ferre queant, nec gene-
roſam animi vim habeant. In quolibet ſodalitio natu ma-
ximus ceu rex, aliis imperat, eique reliqui omnes obedien-
tiam præſtant. Si primus ille CL. annis completis, pro legis
iuſſu vita ſe abdicauit, alius poſt illum ætatis prouectiſſimæ
in principatum ſuccedit. Mare inſulam circumdans vndoſum
eſt, magnóſq; affluxus & refluxus gignit; ſapore aquarũ dulci.
Vrſæ aliáq; multa noſtri cœli ſidera, prorſus nõ videntur. In-
ſulæ hæ ſunt ſeptem, magnitudine pares, & æquali diremtæ in-
LIX. teruallo, moribúſq; vtuntur iiſdem. Quanquam verò in-
colis harũ vniuerſis omnia ſponte nata ad redundantiã ſuppe-
tunt; non luxurioſè tamen illis fruuntur; ſed frugalitatem co-
lunt, & quantũ ſatis eſt, ingerunt. Carnes quidẽ & reliqua cũ-
cta, tùm aſſa, tùm lixa, ſibi apparant. At ſapores alios, coquo-
rum ſolertia excogitatos, variáſq; condiendi rationes, prorſus
inexploratas habent. pro diis colunt primò cœlum, quod o-
mnia continet. deinde Solem, & cuncta deniq; cœleſtia. Va-
rios marinorum omnis generis piſcatus, & larga volatilium
aucupia exercent. Ingens ibi fructiferarum arborum copia:

oleisq; & vitibus abundant; vnde oleum & vinum affatim exprimitur. Serpentes magnitudinis eximię, sed hominibus innocui, esculentas, & prædulci sapore carnes habent. Vestes conficiunt ex arundinibus quibusdã; in quarum medio splẽdida, mollisq; lanugo continetur. hanc collectam cũ ostreis marinis inter se conglutinatis permiscent; atq; purpurei coloris indumenta mirabili industriâ hinc sibi parant. Ab aliis diuersas, ac propter rei insolentiam incredibiles, animantium naturas producit. Tota victus ratio statutum eis ordinem seruat. non enim cuncti simul & eosdem cibos capiunt: sed certis diebus nunc piscibus nunc auibus quandoq; terrestribus, interdum oliuis & obsoniis quàm simplicissimis vescuntur; mutuásq; sibi operas vicissim tradunt: vt alii piscentur; alii artificia tractent; aliiq; alia Reipublicæ commoda procurent. nonnulli ad statam temporis reuolutionem munia publica administrent; præter senio iam prouectos in festis & supplicationibus sermone, cantúq; deorum suorum hymnos & laudes persequuntur, Solis potissimùm cui se, suásq; Insulas nuncupaut. Defunctos reciprocante mari humant arenis obruentes, vt per æstus inundationem tumulus illis aggeretur. Arundines illas, vnde cibus conficitur, coronæ orbem spissitudine æquantes, sub incrementa Lunæ augeri, & sub decrementa æquabili ratione minui, perhibent. Calidorum aqua fontium dulcis & salubris calorem semper retinet, nec vnquam nisi gelida aut vinum commisceatur, frigescit.

Cùm autem Iambulus cũ socio septem ibi annos substitisset, contra voluntatem suam, vt malefici & prauis imbuti moribus, eiecti fuere. Instauratâ igitur cymbâ commeatuq; imposito, emigrantes, cùm vltra quatuor mẽses nauigationẽ continuassent; in arenosas, vadosásq; Indiæ Syrtes tandẽ auferuntur: vbi, comite à fluctibus absorpto, Iambulus ad pagũ quendam eiectus, statim à loci accolis ad regem in vrbem Polybothram, multorum itinere dierum à mari distantem, perducitur. Rex ergò Græci nominis amans, & doctrinæ liberalis studiosus, magno eum fauore dignatur. Tandem cõmeatu à rege impetrato, primùm in Persiam transit, & postea in Græciam saluus reuertitur. Iambulus hæc literis mandauit, nec pauca de rebus Indicis exteris ignota conscripsit.

Nos verò, cùm promissa in exordio libri perfecerimus, hic finem illi imponemus.

HÆC

HÆC TERTIVS DIODORI LIBER CONTINET.

I. De Æthiopibus vltra Libyam sitis: & quæ antiqua illic memorentur.

II. De auro, quod in extremis Ægypti effoditur: & quibus illud modis preparetur.

III De gentibus, quæ sinum Arabicum, & totam Oceani oram ad Indiam vsque accolunt: vbi quæque singulatim nationes describuntur: hasúmque leges: causæ etiam explicantur illorum, quæ prorsus aliena, & propter insolentiam incredibilia, apud eos referuntur.

IV. De priscis Libyæ rebus; Gorgonumque & Amazonum; nec non Hammonis & Atlantis historia.

V. Quæ de Nysa fabulosè dicantur: vbi etiam de Titanibus & Dionyso seu Baccho, ac matre deûm tractatur.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE Liber III.

I. DVorum, qui hunc præcedunt, librorum alter, prisca regum Ægyptiorum gesta & fabulosam deorum Ægypti historiam; tùm ea, quæ de Nilo, de fructibus variisque bestiis, & situ illius terræ, nec non legibus & iudiciis incolarum recensentur, continet. Altero res Asiæ, & per Assyrios vetustis temporibus gesta, inter quæ Semiramidis natales & incrementa; vt Babylonem multasq; alias vrbes condiderit, & magnis copiis in Indos duxerit, complexi sumus:

de Chaldæis insuper, & astrorum penes illos, obseruatione, de Arabiâ porrò, rebusq; in eâ mirabilibus; & de Amazonibus; & ad extremum de Hyperboreis ac Taprobanâ dictum est. In hoc deinceps libro de Æthiopibus & Afris, deque Insulis quas Atlantides vocant, narrationem texemus.

II. Æthiopes vniuersorum mortalium primos exstitisse, ac manifestas huius rei demonstrationes esse, perhibent. nam indigenas esse, non aduenas, ideoque meritò *Autochthones* nominari, omnium consensu probatur. Quòd autem meridianam habitantes plagam credibile sit, primos à terrâ in vitales auras progenitos fuisse, cunctis est perspicuum. namque cùm Solis calor terram priùs humidam exsiccaret, eique in primo rerum ortu vitam impertiret, consentaneum esse dicunt, locum soli proximum primùm naturas animatas produxisse. Apud se omnium primos deûm cultus, sacrificiorum pompas & conuentus solennes, & alia, quæ Numinis honori impendunt mortales, inuenta tradunt. Hinc tàm celebrem apud omnes vbique homines ipsorum esse pietatem; Æthiopumque sacra omnium gratissima esse Numini, existimari. In testimonium huius rei adducunt omnium ferè antiquissimum, & in summa auctoritate habitum apud Græcos, poetam, qui in Iliade Iouem, reliquósque vnà deos in Æthiopiam ad sacrum anniuersarium & commune epulum, apud Æthiopes sibi adornatum; proficiscentes, introducit;

Iupiter Æthiopes hesternæ luce reuisit:
Accedens epulum, cunctique ex ordine diui.

Et manifesta pietatis illis præmia diuinitus retribui asserunt, eò quod nunquam externum fuerint experti dominatum: sed in perpetuæ libertatis possessione, mutuæque concordiæ nexu permanserint. licet multi, iique potentissimi in ipsos expeditiones fecerint, quorum nemini tamen conatus prosperè successerit.

III. Cambysem enim, validissimis eos copiis adortum & exercitum amisisse, & ipsum vitæ & salutis periculum incurrisse. Semiramidem, & consilii magnitudine & rerum gestarum famâ celebrem, ad exiguum Æthiopiæ tractum progressam, vniuersæ expugnandæ gentis spem confestim abiecisse. Herculem porrò & Bacchum, peragrato terrarum orbe toto, solos Æthiopes bello non inuasisse, tum pietate hominum illorum, tum conatuum difficul-

tate,

tate, absterritos. Ægyptios suam quoque coloniam esse affirmant, ab Osiride deductam. Imò Ægyptum, quæ nunc est, non continentis partem, sed mare à prima mundi constitutione fuisse: quæ à Nilo postmodum ex Æthiopiâ limum per inundationis tempus deferente, ita paullatim sit aggesta. Quòd verò fluminis aggestu exstiterit ea tellus, euidentissimis circa ostia signis deprehendi. nam vnoquoque semper anno, noui accumulatione cœni ad exitus fluuii mare excludi, & terra accrementum capere videtur. Adhæc plærasque Ægyptiorum leges Æthiopicas esse, quod coloniæ maiorum instituta adhuc seruent. Quod enim reges pro diis habeant, & multum sepulturis studii impendant, aliaque id genus ex more agant, id è disciplinâ Æthiopum traductum esse. à quibus etiam statuarum effigies & literarum formæ sint acceptæ. Cùm enim suæ Ægyptiis sint literæ, ab omnibus promiscuè disci quas vulgares appellitant: Sacras autem quas nominant à Sacerdotibus tantùm, secretâ parentum disciplinâ traditas, cognosci; quibus tamen omnes indiscriminatim Æthiopes vtantur. Sacerdotum quoque collegia eundem vtrobique ordinem habere. Quotquot enim cultui deorum consecrati sunt, eos puritati ac sanctimoniæ deditos esse, eodemque modo rasos & similibus amictos stolis; sceptri præterea formam aratri similitudinem referre. quod etiam reges ipsorum gestent, cum pileis oblongis; quorum apex vmbilicum habeat, & serpentium, quos Aspides vocant, spiras circumuolutas. Quibus insignibus indicari videtur, eos, qui regem insidiis appetunt, morsibus lethiferis obnoxios esse. Multa etiam alia de suâ vetustate & coloniâ in Ægyptum expeditâ olim repetunt, de quibus hîc scribere non necessum est.

IV. Atqui de literis Æthiopicis, & his quas Hieroglyphicas Ægyptii nominant, aliquid dicendum est; ne quid de priscis rebus omittatur. Primæ istarum variis bestiis & hominum membris instrumentisque fabrilibus potissimùm, assimiles sunt. nam ars apud eos literaria non compositione syllabarum, sed descriptarum imaginum significatu, & translatione per exercitationem memoriæ insculpta, subiectam orationem exprimit & absoluit. Iam enim accipitrem, crocodilum, serpentem; iam de corpore humano aliquid, puta oculum, manum, faciem, & id genus alia, scribunt. Accipiter illis cuncta quæ celeriter fiunt, significat: quod auis hæc

omnes ferè alias velocitate superet. Ratioque congruis Metaphoris (translationibus) ad omnia subita & his affinia, perinde ac si dicta forent, applicatur. Crocodilus, omnis malitiæ index est. Oculus, iustitiæ seruator, & custos corporis. Inter extrema corporis membra dextera expassis digitis victus suppeditationem; sinistrà contracta conseruationem facultatum & custodiam denotat. Eadem se ratio ad cæteras quoq; corporis & instrumentorum, adeoque omnium formas extendit. Dum enim in vnoquoque significationes abditas sequũtur, animosque diuturno studio & memoriæ cultu exercitatos intendunt, exactè singula figuris adumbrata legunt & intelligunt.

V. Legum Æthiopicarum pars non exigua ab extraneis plurimùm differt; in primis illa quæ de regis electione habetur. nam Sacerdotes ex ordine suo optimos quosque secernunt. Quemcunque igitur delectorum deus comessabundus pro more circũductus apprehenderit eum populus regem creat, statimque flexis genibus adorat tanquam deum, aliisq; honoribus vt cui diuinâ prouidentiâ magistratus sit commissus, demeretur. Sic electus ratione viuendi à legibus præscripta vtitur. & cùm cætera pro more patrio administrat tùm neq; præmio, neque pœnâ quenquam præter maiorum instituta a primordiis rata, adficit. Lege sancitum illis est, neminem è subditis morte plectere, si vel maximè dignus capitali supplicio reorum quispiam iudicetur: sed vnus ex lictoribus ad reũ mittitur, signum mortis præferens: quo ille viso, domum abiens sibi mortem cõsciscit. Fugere autem in terras vicinas, atque ita cum pœna capitis exsilium commutare, vt Græcis in more est, neutiquam licet. Ideò tradunt quendam, post lethale signum à rege missum fugam quidem adornâsse: sed cùm mater id præsentiens collum hominis zonâ strinxisset, nequaquam manibus reniti ausum ad mortem vsque strangulationem tolerâsse: ne propinquis maiorem ignominiæ labem post se relinqueret.

VI. Præ omnibus maximè insolens est, quod in morte regum accidit. Nam qui in Meroë deũm cultus & honores administrant Sacerdotes (Ordo autem, hic maximâ pollet auctoritate) quandocunque ipsis in mentem venerit misso ad regem nuncio, vitâ se illum abdicare iubent. Oraculis enim deũm hoc edici: nec fas esse ab vllo mortalium, quod dii immortales iusserint, contemni. A-

lias

lias quoque rationes adiiciunt, quas ingenium ſimplex, vete-
rique & perpetuo mori adſuefactum, nec iuſſis non neceſſa-
riis reſtragandi argumenta habens, facili credulitate admi-
ſerit. Et per ſuperiores quidem ætates non armis aut vi coa-
cti, ſed meræ ſuperſtitionis faſcino mentem capti, ita moré
geſſerunt: donec Ergamenes Æthiopum rex, Ptolemæo ſe-
cundo rerum potiente, Græcorum diſciplinæ & Philoſophiæ
particeps, mandata illa primus adſpernari auſus fuit. Nam
hic animo qui regem deceret, ſumto, cum militum manu in
locum inacceſſum, vbi aureum fuit templum Æthiopum,
profectus omnes illos ſacrificos iugulauit & abolito more
VII. priſtino, ſacra pro arbitrio ſuo inſtaurauit. Legem Re-
gis amicis præſcriptam, vtut mirabilem, ad hanc tamen vſq;
tempeſtatem durare perhibent. Mos Æthiopibus eſt, ſi regi
quacunque de cauſa membrum aliquod corporis mutilatum
ſit, vt omnes eius familiares idipſum ſponte ſibi decurtent.
Turpe enim ducunt ſi crus rex mancum habeat, integris eſſe
pedibus neceſſarios, nec omnes æquè claudos per vias eum
comitari. Abſurdum enim amicitiaque verá & conſtanti in-
dignum iudicant, in cæteris tàm aduerſæ quàm ſecundæ for-
tunæ communionem habere, pariq; luctu & mœrore affici;
corporis verò dolores & vitia non ſimul participare. Quini-
mò communem cum regibus mortem oppetere amicos, in
more poſitum; eumque interitum glorioſum, & ſinceræ a-
micitiæ teſtem eſſe prædicant. Ideò non facilè apud Æthio-
pes, Regis amicos inſidiis appeti; cum & rex & amici mutuâ
inter ſe prouidentiâ de communi incolumitate ſint ſoliciti.
Hæc ſtatuta ſunt Æthiopum, qui primariam eius terræ vr-
bem & Meroen inſulam, finitimamque Ægypto regionem
VIII. tenent. Sunt & aliæ gentes Æthiopum quàm pluri-
mæ, quorum hæ vtraſq; Nili ripas, inſulaſque in fluuio habi-
tant, illæ Arabiam attingunt. nonnullæ in mediterraneis
Africæ ſedes habent. Plerique omnes & maximè fluminis
accolæ, nigro ſunt colore; facie ſimâ; criſpis capillis; animis
perquàm ſæuis; moreſque beluinos præ ſe ferunt; licèt non
tàm ingeniis, quàm ſtudiis efferati. Squalidi enim toto cor-
pore, vngues longè prominentes habent vti feræ; & ab hu-
manitate mutua plurimùm recedunt. vocem emittunt acu-
tam; & quia nihil omninò ſtudiorum, quæ ad manſuetioris
vitæ cultum ab aliis exercentur, illi habent; plurimùm à no-

ſtris

ſtris moribus differunt. Arma ferunt alii clypeos è crudo boum corio,& frameas,ſeu haſtas exiles. alii mucronibus aduncis iacula. quandoque ligneis vtuntur arcubus, quibus admoto pede ſagittas intorquent, iisq; abſumptis, ſudibus decertāt. Armant & fœminas, certo ætatis termino illis præſtituto; quarum pleriſque vſitatum eſt æneum labris annulum circūferre. Veſtibus quidam prorſus non vtuntur, per omnem vitam nudi,& Solis dumtaxat ardores præſidiis vndecunque oblatis auertunt. Nonnulli reſectis ouium caudis, ceu pudoris velamento, femora cingunt. Sunt etiam, qui iumentorum coria ad hoc vſurpant. Alii ſubligaculis tegunt clunes, è capillitio contextis: cùm ob naturam loci oues vellera non ferant. Cibus illis eſt fructus quidam aquaticus, ſponte ſuâ circum ſtagna & paludes proueniēs. Aliqui tenerioris ſyluæ ramuſculos decerpunt, & horum vmbrâ ab æſtu meridiano corpus refrigerant. Quidam ſeſami ac loti ſementem faciunt. Nonnulli teneriuſculis arundinum radicibus victitant. Nec pauci arte ſagittariâ exercitati, magnam volatilium copiam aucupando, naturalem penuriam explent. Sed maxima pars carnibus & lacte pecudum caſeóque toto ſe vitæ tempore, ſuſtentant. De diis, qui ſupra Meroen habitant, bifariam ſentiunt. Aliorum enim naturam æternam eſſe & corruptionis expertem; quo loco Solem & Lunam, totumque mundum ponunt; Alios mortalis quidem naturæ participes, ſed ob virtutem & in homines benefacta honores immortales conſecutos eſſe; opinantur. Iſidem enim ac Pana, cumque his Herculem & Iouem; à quibus maximis genus humanum beneficiis cumulatum exiſtimant, apprimè colunt. pauci tamen Æthiopum nullos omninò deos eſſe ſtatuunt. & hi Solem exorientem vt infeſtiſſimum hoſtem, exſecrantes, ad paludes fugiunt. Secus etiam, quam aliæ gentes defunctis apud ſe iuſta faciunt. Alii enim in flumen eos abiiciunt, hunc optimum ſepeliendi modum rati. Alii circumfuſo illos vitro domi conſeruant. quia mortuorum facies non ignotas eſſe cognatis, nec gentilium propinquorum vt obliuiſcantur, decere, cenſent. Nonnulli ſandapilis teſtaceis conditos circum templa defodiunt: & præſtitum ſuper his iuramentum longè ſanctiſſimum habetur. Regna tribuunt alii formoſiſſimis, vt qui vtrumque & Monarchiam (id eſt, poteſtatem regiam) & formæ elegantiam, fortunæ donum exiſtimant. alii

IX.

peco-

pecorum curatoribus maximè industriis; vt qui soli curam subditorum optimè gesturi sint, regni clauum tradunt. alii honorem istum deferunt opulentissimis, quos solos de paratâ facultatum copiâ plebis inopiam subleuare posse arbitrantur. Sunt etiam, qui fortitudine probatissimos regno præficiunt: quòd in bello valentes plurimùm cæteris omnibus præferendos esse, iudicent.

X. Regionis Nilo adiacentis in Libyâ portio quædam amœnitate excellit, variæque alimoniæ copiam subministrat. Ad euitandum verò nimios Solis æstus, commodissima paludes refugia præbent. Ideò de loco inter se pugnant Æthiopes & Afri, & perpetuis mutuò se bellis vexant. Elephantum quoque armenta, è superiori Libyâ, vt nonnulli scribunt, ob pastus abundantiam & voluptatem illam frequentant. Mirificæ enim paludes, & omnis generis pabulo refertæ; ripis fluuii obtendũtur, quarum iuncis & arundinibus degustatis, suauitate cibi attinentur, & corrupto hominum victu, in loca illa refugiendi causam eis præbent. Pastores sunt & commoditate patriam determinantes; armenta de quibus dictum, pascuorum inopiâ mediterraneis excedunt, quod citò terræ fœtus illic exarescant. Ob immodicos enim ardores, fontanæque & fluuiatilis aquæ defectum, horridi & rari illic pastus exsistunt. Et quomodo nonnulli referunt, in efferâ, quam vocant, regione, stupendæ magnitudinis & frequentiæ serpentes gignuntur. Hi elephantes circa aquarum confluges magna vi adorti, crura ipsorum spiris suis circumplicata, tamdiu firmis nexibus coarctant, dum mole tandem fatiscentes prolixâ cum spumâ procumbant. Tum carnes prolapsorum confertim illi deuorant, ob impeditum beluæ motum facilè victores. Quando conatus non succedit, quâdam de causâ ad oras fluminis iam dictas, præ familiaris escæ studio, elephantos non insequuntur. Angues enim hos immanes à campestribus refugere, & circa montium radices in longis conuallibus & altis speluncis versari, perhibent. Et hinc fieri, vt apta & consueta sibi loca non deserant. Naturâ sic suadente, quæ sponte suâ, quid iuuet, quid noceat animalia quæque edocet. Et tantum de Æthiopibus, horumque terra memorandum habemus.

XI. Nunc de scriptoribus aliquid definiendum est. Multi enim de Ægypto & Æthiopia nar-

rationes contexuêre, quibus, quòd vel mendaci famæ crediderint, vel ex ingenio ſuo, voluptatis causâ multa finxerint, meritò fides deroganda eſt. Agatharchides autem Gnidius libro ſecundo rerum Aſiaticarum; & Artemidorus Epheſius Geographiarum auctor libro octauo: & quidem alii de Ægypti incolis, qui hiſtorias de rebus à nobis ſuprà recenſitis ediderunt, veritatem propè in omnibus aſſequuntur. nam & nos ſub peregrinationis noſtræ in Ægypto tempus, multos Sacerdotum conuenimus, nec cum paucis ex Æthiopiâ legatis ſermones contulimus. vnde ſingulis accuratè perueſtigatis, & examinatis hiſtoricorum relationibus ad ea, quibus inter ſe conueniunt, noſtram hanc ſcriptionem attemperauimus. Hæc ergò de Æthiopibus occidenti expoſitis annotata ſufficiant. De cæteris autem plagæ auſtrali & rubro mari obuerſis, in parte nunc etiam dicemus. Sed congruum eſſe videtur, vt de auri confectione his in locis aliquid præmittamus.

XII. In confiniis Ægypti vicinæque Arabiæ & Æthiopiæ, locus quidam magnis aurifodinis abundat, quod ingenti multorum hominum moleſtia & impensâ congeritur. Solum ibi naturâ ſuâ nigrum meatus & venas habet candido marmore inſignes, & ſplendidiſſimas quaſque res nitore ſuperantes: in quibus metallicis ergaſtulis præfecti magno operantium numero, aurum elaborant. Reges enim Ægypti damnatos ob maleficia; belloque captos; & iniuſtis calumniis circumuentos; aut ex ira cuſtodiæ traditos, interdum ipſos duntaxat, interdum cognationem ſimul omnem; in fodinas illas compingunt: tùm vt pœnas de reis ſumant, tùm vt horum operâ magnos ſibi quæſtus faciant. Detruſi eo numero infiniti, omneſque compedibus alligati, continenter in opere perſeuerant, nec per dies, nec per noctes totas vllâ conceſsâ quiete, omnique aufugiendi copia ſtrictè intercluſâ. Barbarorum enim militum variis vtentium linguis excubiæ illis imminent, ita vt nemini per ſermonis commercia, aut familiaris congreſſus blandimenta, quenquam excubitorum corrumpendi ſit facultas. Terram auro grauidam, vbi duriſſima eſt, igni ſubactam emolliunt, & tum demum manuum opus adhibent. Petram ita laxatam quæ iam mediocri cedere labori didicit, aliquot hominum profligatæ ſortis myriades (*decem millia*) ferro lapicidario diffringũt. Toti autem negocio artifex præeſt; qui & ſaxum diiudicat, & viam operantibus

tibus ostendit. Qui inter ærumnoso huic labori deputatos vi corporis prævalent, acutis è ferro malleis petram marmore splendentem, non arte sed vi diffindunt; cuniculosq; agunt, nō ad lineam rectam: sed quò rupis venæ interlucentis ducunt. Hi ergò cùm propter obliquos fodinarum mæandros & anfractus in caligine versentur, lychnos frontibus adaptatos circumgestant. & multifariam, pro naturâ petræ, corporum habitu transmutato, decisa lapidum frusta in pauimentum abiiciunt. Idque sine intermissione, ad seuerum præfecti nutum & verbera, peragunt. Impuberes autem pueri per cuniculos in excauatos petræ sinus ingressi, proiecta minutim frusta laboriosè egerunt, & sub dio extra ostium deponunt. Trigesimum excedentes annum, certam lapidis eruti mensuram, ab illis acceptam, in mortariis saxeis, ferreis pilis contū-dunt, donec ad erui magnitudinem sit redacta. Ab his deinceps fœminæ, virique grandiores lapillos excipiunt, & in molas, quarum longa illic series, congerunt, binique aut terni vni adsistentes particulæ, eo vsque molunt, dum traditam sibi mensuram ad similæ modum contriuerint. Et quia nulli corpus curare licet, adeò vt nec quod pudenda velet religaculum adsit: nemo est, qui misellos intuens, extremas horum calamitates non commiseretur. Nulla enim venia, nulla omnino remissio, neque ægroto, neque mutilato, tribuitur. At neque senilis ætas, neque muliebris infirmitas quicquam excusat. omnes inflictu plagarum ad vrgendum opus adiguntur. quoad ærumnarum mole subacti, laboribus immoriuntur. Infelicissimi ergò homines futura semper formidolosiora præsentibus ducunt; mortemque vitâ optabiliorem (tàm immanis supplicii grauitas!) assiduè exspectant.

Ad postremum magistri acceptum à commolitione lapideos pulueres ad consummationem perducunt. In latâ enim tabulâ paullùmque deuexâ marmor confectum affusis aquis deterunt. Tum quicquid in eo terrenum est, humore eliquatum per assamenti deuexitatem defluit, aurum verò grauitate sua subsidens, in tabulâ remanet. Id subinde iterātes, primùm leuiter manibus fricant, pòst spongiis rarissimis molliter appressis materiam inanem & terrestrem attollunt, quoad defæcatum auri ramentum euaserit. Id tandem opifices alii certo modo & pondere congestum ad se recipiunt, receptum in fictiles vrnas condunt, proq; conditi ratione, plumbi massam,

ſalis grana,pauxillum ſtanni,furfuremq; hordeaceum adiici-
unt. Tum apto obſtructum operculo, & limo diligenter cir-
cumlitum, continue per quinq; dies & noctes in fornace co-
quunt. Hinc poſt iuſtum refrigerationis interuallum, cæte-
ræ quidem materiæ in vaſis nihil reperitur, ſed purum putũ-
que aurum exiguo ſanè defectu ex illis redit. Hæc eſt illa au-
ri circa extremam Ægypti oram præparatio. Tot adeò tan-
tiſque laborum vexamentis illa conſumatur. Ipſa,reor natu-
ra manifeſtum prodit argumentum,quòd aurum & laborio-
sè comparetur;& difficulter aſſeruetur;& ſtudium vbiq; ma-
ximum requirat; vſum denique in medio voluptatis & ægri-
tudinis poſitum habeat. Horum tamen metallorum inuen-
tio perantiqua eſt,vt quæ priſcos olim reges habuerit aucto-
res. Nunc de gentibus his,quæ per Arabici ſinus oram,& per
Troglodyticam, Æthiopiamque ad Auſtrum, ſunt diffuſæ,
narrationi ſtudium impendemus.

X

Ac primum de Ichthyophagis(Æthiopibus, qui piſcibus
nutriuntur)dicemus,quibus maritima habitatur regio, à Car
mania & Gedroſia,ad extremum vſque receſſum,quem ſinus
Arabicus excipit;qui in mediterranea, incredibili prope ſpa-
cio excurrens, ad oſtium à duabus continentibus, hinc Ara-
bia felice,illinc Troglodytarum ſolo,includitur. De barbaris
his quidam prorſus nudi vitam agũt, quibus vxorum & libe-
rorum non ſecus,ac gregum armentorumq; communio,vo-
luptatis & laboris vſus nullus præter naturalem: nec vlla tur-
pis & honeſti notio. Habitant nõ procul à mari per littorum
crepidines,vbi non ſolùm profundæ ſunt cauitates; ſed hiatus
etiam inæquales, & valles peranguſtæ, in tortuoſos à naturâ
anfractus diſpertitæ. quæ cùm ſponte incolarum vſibus ſeſe
accommodent.limina atq; exitus magnorum aggeſtu lapidũ
obſtruunt,hiſq; tantùm retibus piſces venantur. Quando e-
nim pelagi exæſtuatio continentis oram inundat (vt bis ſolet
quotidiè,circa tertiam & nonam plerunque horam) tota cre-
pido,(littoralis regio) maris alluuie obtegitur, & vnà cũ flu-
ctu increbreſcẽte, magnam vim piſcium omnis generis ſecũ
defert in terram:qui in vicinia primũ maris ſe continent;mox
paſtionis gratia circa receptus illos cauos diuagantur. At cùm
ſub refluxus vicem, aqua paullatim per lapidũ ſtruẽ & hiatus
defluit,piſces in lacunis deſtituuntur. Per hanc occaſionẽ bar-
bari cũ liberis & vxoribus,velut vno celeumate exciti,eò con-

fluunt;

fluunt; In cohortes tamen diuisi, ad sua quiq; loca immani cũ vociferatu, ac si repentina eis in venatione præda oblata sit, decurrunt. Tũ fœminæ cum pueris, minores & vicinos cõtinenti pisciculos, quomodocunq; collectos, in terrã abiiciunt. Adulti verò & corpore validiores grandibus & difficulter subigendis manus adferunt. Prægrandes enim non modò Scorpios, muræнas & canes verùm & phocas, & multa eiusmodi, tum adspectu, tũ nomine peregrina pelagus eiectat. Has aũt
„ beluas expugnant non armis arte fabricatis; sed præacutis ca-
„ prarũ cornibus transfigunt, & saxis præruptis incidunt. Ad o-
„ mnia enim necessitas, naturã instruit/quæ vt præsens tempus exigit, ad id, quod ex vsu fore sperat, se facilè accõmodat.

VI. Posteaquam variorũ piscium copia ipsis accumulata est, prædam transferunt, & quicquid ceperunt in petris ad meridiẽ versis assant. quæ cùm ingenti Solis æstu, velut igne, exardescũt post exiguum interuallum eos vertunt; dehinc apprehensis caudis totam quassant molem. carnes igitur calore permollitæ, decidunt. at spinæ in vnum proiectę locum magnã efficiunt struẽ; & ad certum (vt paullò inferius dicetur) vsum reseruãtur. Post id carnes in leui quadam petrâ depositas, ad iustum tẽpus diligenter, admixto paliuri semine, calcãt. Hac infectura totũ illud in vnius coloris massam cõglutinatur: idq; condimẽti ipsis loco esse videtur. Postremò id quod probè calcatũ est in lateres oblongos conformãt, & ad Solẽ exponunt. quibus modicè arefactis, discũbentes hilaris simul animis epulãtur, comeduntq; non ad mensurã aut pondus, sed ad suũ quisq; arbitriũ; vt qui naturali appetitu determinatũ fruendi modum habẽt: ex hac enim penu semper parata eis depromendi copia est. ac si Neptunus Cereris officiũ participet. Quandoq; tamen tam vasti in terrã fluctus se voluunt, & multis diebus crepidines illas submersas tenẽt, adeò, vt nemo illuc approximare ausit. Ideò cùm penuriâ victus interim laborãt, primò conchas legũt tantæ magnitudinis, vt nonnullæ quatuor minarũ pondo inueniantur. Crustis enim grandium iniectu lapidum contusis, carnes sub his etiam crudas deuorãt, sapore ostreis affines. Si igitur cõtinuis ventorum procellis diutius exundat Oceanus, & tempestas aeris capturam piscium excludit, primò vt dictum est ad conchas se conuertũt. Quod si etiam ex his cibus deficit, ad spinarum aceruos confugiunt. Inde quas recentes & succi plenas selegerunt, articulatim diuidunt, & alias sta-

tim dentibus conficiũt, alias duriores lapidum priùs impactu comminutas bestiarum in speluncis latentium more, depascuntur. Et sicci quidem alimenti copiā ita sibi parant. Humidi autem mirabilis illis vsus est, ac fidem prorsus excedens: nam piscationi per dies IV. continuè immorantur, cateruatim tamen cum hilaritate interim conuiuantes, & absonis nihilq; certi significantibus cantilenis oblectantes se mutuò. Cum fœminis etiam, quascunq; sors offert, sobolis causâ generandæ, commiscentur; omni prorsus negocio & cura propter facilem & paratam nutrimenti copiam, exsoluti. At die quinto gregatim ad tractus montibus subiectos, vbi dulcis aquæ scaturigines, potus desiderio festinant, quò etiam Nomades (Æthiopes vitam pastoralem agentes) greges potum agunt. Nec à boum armentis hoc itinere differunt omnes enim vocem inconditam emittunt, quæ præter sonum nihil refert. Pueros adhuc tenellos & lactentes matres in vlnis continuè gestant; ablactatos verò patres. At quintum annum egressi cum parentibus lusitabundi, gaudioque pleni, vt ad suauissimam per gentes recreationem, antecedunt. Natura enim illorum non peruersa summi loco boni habet, explere quæ desunt, nihilq; aduentitiæ voluptatis quærit. Cùm ad pastorum aquaria peruentum est, ventres potu replent adeò, vt reuertentes præ grauamine vix incedant. Et illo quidem die nihil gustant: sed vnusquisq; oppidò quā distentus, & difficulter anhelans, ebrioque per omnia similis, iacet. Postridiè denuò ad piscarium se cibum referunt. Et has victitandi vices, per omne vitæ tēpus, velut in orbem redeuntes, continuant. Atq; hi maris accolæ, intra littorum angustias ita viuentes, propter alimoniæ simplicitatem rarò quidem in morbos incidunt. sed longè breuioris sunt, quàm nostrates, vitæ.

X. Aliis deinceps, extra sinum degentibus longè insolentior vitæ ratio est: quippe quorum natura nec sitim patitur, nec vllis affectionibus obnoxia est. Nam à locis habitationi aptis in deserta fatali quadam sorte relegati, è venatione quidem piscium abundè victitant; sed de nutrimento liquidiore non sunt solliciti. Cùm enim piscem adhuc succulentum, & parùm à crudo differentem comedant; tantùm abest, vt potum requirant, vt etiam nec minimam eius notitiam habeant. Cōtenti sunt itaq; victu à fortunâ sibi attributo; hoc ipso beatos se arbitrantes, quod molesto penuriȩ eius sensu carēt. Et quod

omnium maximè admirationem parit, in tantum perturba-
tionum immunitate superant vniuersos mortales, vt difficul-
ter narrationi huic fides habeatur. Atqui non pauci ex Ægy-
pto mercatores per Erythræum mare ad terras Ichthyopha-
gûm appulsi nobis adstipulantur, quod videlicet homines isti
nullâ se re moueri sinant. Quid? quod & Ptolemæus tertius,
qui venationi Elephantum istic loci studium impendit, Si-
miam, ex familiaribus vnum, regionem illam speculatum mi-
sit. Hic idoneo instructus commeatu, diligenter (vt Agathar-
chides quidem è Gnido historicus refert) maritimas illas gen-
tes explorauit, inter cætera ait, Æthiopes illic perturbationũ
expertes nullo omninò potu vti, nec ad hunc appetendum na-
turâ affectos esse: idq; ob causas supra dictas. Affirmat præ-
tereà nullo cum exteris colloquio eos coniungi, nec peregri-
no aduenarum conspectu moueri; sed defixo in eos obtutu
immotos citra vllam affectionem sensus, ac si nemo adsit re-
tinere; imò nec strictis (ait) impediti gladiis subterfugiebant,
nec iniuriæ aut vulneris perpessione irritabantur. Nec vulgus
malè tractatorum vicem indignabatur: sed sæpe liberis & v-
xoribus ante oculos mactatis, ceu nullo malo affecti, sensibus
immotis persistebant, nullum iræ aut misericordiæ indicium
præferentes. Deniq; si vel atrocissimis implicarentur malis,
quieti permanebant, rigidis tantùm oculis intuentes, quæ a-
gerentur, nutuq; capitum singula persequentes. Ideò nec lo-
quela eos vti, sed manuum gesticulatione, quæ vsus postulat,
indicare perhibent. Et quod in summâ quis admiratione po-
nat; phocæ his familiares iuxtà ac homines piscium capturas
per se administrant. Ita summam quoq; fidem in cubilium &
sobolis tutelâ genera hæc diuersa inter se præstant. Mutuũ e-
nim vitæ consortium pacificè, & cum omni verecundiâ citra
vllam iniuriam, animalia genere disparata inter sese agunt. Et
hæc vitæ societas quantumuis mirabilis, à priscis inde seculis,
vel ex adsuefactione diuturnâ, vel necessarii vsus instigatione,
ipsis conseruatur.

XIX. Habitant hæ gentes non perinde vt Ichthyophagi, sed va-
riis prout circumstantiarum ratio postulat, modis. Quidam
specus subeunt, Aquiloni vt plurimùm obiectis, in quibus ad
refrigerationem & vmbræ profunditas, & circumspirantes
auræ ipsis commodant. Nam quæ ad meridiem inclinant, for-
nacum instar æstuant, & ob nimium feruorem accessus ho-

minibus negant. Nõnulli à ſpeluncis Borealibus excluſi, coſtas balenarũ (quas frequente ibi copia pelagus eiectat) curuo vtrinque in ſe flexu connectũt, algâque intexunt recenti. Sub his, ceu fornice vmbroſo, per grauiſſimos Solis ardores conquieſcunt. quam artem per ſe naturæ illos neceſſitas edocet. Tertius inde tabernacula parandi modus apud Ichthyophages hic eſt. Multum ibi naſcitur abietum, quæ circa radices à mari alluũtur, & denſas gerunt frondes. fructus autem caſtaneæ nuci aſſimilis eſt. His inter ſe connexis, denſam ſibi vmbram faciunt. & ſub hoc nouo vmbraculorum genere vitam degunt, in terrâ ſimul & mari, iucundâ cum oblectatione verſantes; dum ramorum vmbris ſolem deuitant; & naturalem loci æſtum continuâ fluctus marini affuſione mitigant; opportunis etiam ventorum auris corpora ſua recreant. De quarto etiam tabernaculorum modo eſt dicendum. Ex omni æuo ingens (illic) muſci marini vis, inſtar montis accumulata eſt. Hunc perpetuus Solis feruor ita conſpiſſauit, vt naturam rigidiſſimam, & cum arenâ connexam induerit. In his ergò tumulis ad viri altitudinem cuniculos agunt. Quæ ſupra verticem ſunt, pro tecto relinquunt: ſed infernè ſpecus oblongos, & perforatos inuicem effodiunt. Hic ſeſe ab æſtu recreantes abſque moleſtiâ commorantur, & ſub maris affluxum proſilientes, venationi piſcium incumbunt. Reciprocante autem fluctu, de captâ prædâ ſuauiter conuiuati, in ſpeluncas illas refugiunt. Defunctos tantùm refluxus tempore ita ſepeliunt; cadauera inhumata proiiciunt; redeunte autem maris æſtu, fluctibus auferenda tradunt. Hunc peculiarem vitæ morem vt ſuâ piſcibus ſepulturâ eſcam offerant, per totum æui circũuertentis decurſum obtinent.

XX

Cæterùm vna Ichthyophagûm natio ſic habitat, vt magnam talia ſcrutantibus perplexitatem res adferat. In præruptis enim vallibus nonnulli conſident, quo nullus ab initio acceſſus patére hominibus potuit. Deſuper enim præcelſus & vndique confragoſus imminet ſcopulus: è tranſuerſo autem inuiis præcipitiis omnis præciditur aditus. Reliquum latus mare terminat: quod vt pedibus tranſiri nequit; ita ratium, aut nauigiorum, nullus omninò ipſis, quomodo nobis ſuppetit, vſus eſt, notitia nulla. Quæ cùm ita dubia ſint & intricata, reſtat vt aborigines hos eſſe, qui abſque certo generationis principio, per omne ſemper æuum hic exſtiterint, affirmemus. Quanquam naturæ ſcrutatores quidam, de cunctis rebus

naturalibus asseuerare non dubitant. Verùm cùm huiusmodi rerum cognitio intellectus nostri vires excedat, quid impedit, quin plurima adstruentes, ne minimam quidem partem assequantur? quod verborum probabilitas aures quidem capiat; sed veritatem nequaquam inueniat. Referēdum quoque de Chelonophagis (id est, Æthiopibus *qui conchis victitant*) aliquid, vt per totam viuendi rationem sese gerant. Sunt in Oceano Insulæ continenti approximantes; quarum numerus ingens est; sed magnitudo exigua, humilisque situs; & fructus tam agrestis, quàm culti nihil. Hinc propter arctam inter se cohærentiam nulla fluctuum est tempestas. Alluuies enim ad promontoria infringitur, propterea ingens testudinum marinarum copia tractus illos frequentat, vndique ad hoc tranquillitatis tegumentū perfugiens. Hæ noctu in profundo commorantur, suo vacantes pastui. Interdiu mare insulis cinctum introgressæ, testis ad Solem erectis sublimes dormiunt, nauiculis adspectu similes euersis. enormis enim harum magnitudo est, exiguis piscatorum lembis haud minor. Insulam ergò Barbari per occasionem illam adnatant: & vtrinque imminentes hinc deprimunt, illinc sursum leuāt, quoad bestiam resupinent. Tum vtrinque totam molem ceu clauo nautico dirigunt, ne conuersa naturalis ope natatus aufugiat in profundum. Vnus verò ex illis funem prolixum tenens ad littus prænatat, animalque in continentem pertrahit, comitantibus à tergo illis, qui prædæ huius inuadendæ socii venerunt. Illius ergo in littus traducti carnes, non ita diu assatas, conuiuio hilari absumunt. Testæ autem scaphæ formâ concauæ, commodum eis vsum præbent; tum vt in continētis oras aquandi gratiâ enauigent, tum cauitates pronas editis in locis pro gurgustiis vsurpent. Ita naturam vnum sanè beneficium multis ipsorum commoditatibus, cibo, vasi, domui, naui, videtur accommodâsse. Non longo ab his interuallo pelagus accolunt Barbari, dispari vitæ sustentandæ conditione. nam victus ipsis est à cetis fortè eiectis. Quandoque largos propter vastitatem beluarum cibos habent quandoque, cessante harum prædâ, ægrè se ab egestate expediunt. tū enim exoletorum ossium cartilagines, & quod extremum in costis exstat, conficere famis stimulo coguntur. Tot Æthiopum nationes sunt qui de piscibus victitant; Hic vitæ illis cultus, vt summatim hoc concludatur. Ora Babyloniæ obiacens

cultam & plantis consitam attingit regionẽ. Vbi tanta pisciũ vbertas, vt plus suppetat, quã incolæ absumere queant. Ad littora enim arundines statuunt densas, interq; se consertas, vt speciem retis iuxta mare expansi referant. In vnoquoq; opere crebræ exsistunt portulæ, quarum contextus cratitius est, & facilis in vtramq; partem cõuersionis motus. Has fluctus, inũdante mari, in terram expulsus aperit, eoq; abscedente reuocatus iterũ claudit. Hinc fit, vt quotidie cum maris effluxu pisces aduecti per ostia irrumpant, eoq; reuertente, dum vnà cũ aquis per arundines contextas elabi nequeunt, detineantur. Idcircò iuxta Oceanum nonnunquã palpitantium aceruos piscium videre est, quos huic negocio præfecti colligunt. indeq; & larga victus copia, & vectigal non exiguum redit. Quidam recessus illius accolæ, cùm littus sit campestre, ac depressum latus à mari ad tuguria sua fossas deducunt; ad quarum extremitates ostia è viminibus contexta statuunt: quæ ascendente maris æstu pandunt, retrolabente claudunt. Tum per ostiorum raritates effluente vndâ pisces viuariis interceptos asseruant, & quantum libet quocunq; tẽpore in suos inde vsus depromunt. Percursis nunc gentibus quæ à Babyloniâ Arabicum vsque sinum maritima tenent, ad cæteras deinceps gentes narrationem conuertemus. Nam in Æthiopiâ supra Ægyptum ad fluuium, quem Asam vocant, Rhizophagûm (*radiculis vescentium*) natio considet. hi radices arundinum, è paludibus vicinis effossas, accuratè primùm lauant, hinc probè mundatas lapidibus, dum læuis & viscosa reddatur massa, contundunt, tum pugillos ad manus capacitatem inde formatos ad solem assant; & hoc per omnem vitam edulio fruuntur. Tametsi autem nutrimenti copiâ abundant, & pacem inter se colunt, à leonum tamen frequentia hostilem ad modum infestantur. Cum enim aer illis circumfusus velut igne ferueat, tum ad vmbras capessendas, tum ad minores interim bestias venandum, leones illuc excurrunt. Quò fit, vt Æthiopes de paludibus egressi à beluis istis dilanientur. armorum enim præsidio destituti, vim leonum sustinere nequeunt. Horumque natio ad internecionem tandem redigeretur, nisi suopte natura motu remedium peperisset. nam sub caniculæ exortum mirabiliter, cùm nulla ventorum tranquillitas est, tanta culicum, qui notos alioqui & vulgares viribus superant, agmina congregantur, vt homines qui-

XX.

dem fugâ in paludes arrepta nocumenta declinent; leones
autem vniuersi, quâ inediâ afflicti, quâ culicum stridore at-
toniti, longissimè inde se proripiant. XXIV. His Hylophagi
(quos vocant) & spermatophagi,(ab arborum seminúmq;
victu sic appellati) succedunt: quorum hi per æstatem fructus
ex arboribus delapsos vbertim colligunt, & citra laborem
inde nutriuntur. Reliquo tempore ex herbæ cuiusdam mul-
tifidæ genere, quæ in conuallibus vmbrosis nascitur, dulcis-
simam quamque comedunt. Cùm enim naturâ sit soli-
dior, & caulam habeat ad buniadum (napi genus est)
formam, necessarii victus penuriæ satisfacit. At Hylophagi
cum liberis & vxoribus pastum egressi, conscensis arbori-
bus ramos teneriusculos depascuntur. Et continuo exerci-
tationis studio, tam expedito ad summa ramorum adscensu
omnes attolluntur, vt incredibile hoc videatur. Ab arbore
enim in arborem, volucrum more, transiliunt & super te-
nuissimis ramorum virgultis absque periculo gradiuntur.
Cùm enim corpore sint admodum gracili ac leui, pedibus
frustratis, manuum prensatione nituntur. imò ex alto dela-
psi, incolumes ob leuitatem abeunt. Quemuis autem ter-
mitem succiplenum dentibus commolere, ac ventriculo
concoquere, ipsis est perfacile. Viuunt corpore semper
nudato, & promiscuè vxoribus vtuntur, & hinc natos li-
beros æquè communes esse censent. De loco nonnunquam
inter se belligerantur. Arma sunt fustes: quibus se contra
hostes tuentur, & subactos discerpunt. Plerique horum fa-
me emoriuntur; cùm glaucomate correptis oculis, neces-
sariâ sensus huius facultate corpus destituitur. XXV. Regio-
nem illis proximam Æthiopes Hylogoni (*Syluigenæ*) ve-
natores dicti, obtinent, quorum numerus quidem modicus,
sed peculiaris vitæ ratio est, ac nomini respondens. Cũ enim
feris terra sit infesta, horridáque prorsus; & paucis scaturi-
ginum aquis humectetur, arboribus bestiarum metu per
noctem incubantes, somnum capiunt. Manè cum armis ad
confluxus aquarum proficiscuntur. Hic inter frondes abditi,
ex arboribus interim speculantur. Inualescente autem So-
lis æstu, boues agrestes & pardales, aliæque feræ magno nu-
mero potum festinant: & propter æstus ac sitis vehementiâ
eo vsque liquore se ingurgitant, dum satietate distendantur.
Grauatas itaque & ægrè se mouentes Æthiopum manus, ex

arboribus desultans, præustis sudibus, lapidibusq; & sagittis inuadit, nec magno negocio profligat. Hanc venationem in cœtus distributi peragunt, & de carnium præda epulantur. Perrarò fit, vt à bestiis etiam validissimis interficiantur ipsi: siquidem dolo quantumuis magnas vires subigunt. Quod si venatus ferarum deficit; exuuias pridem captarum madefactas structo igni imponunt, pilisque sub cinere ambustis, coria inter se dispertiti, coacto famem cibo sedant. Impuberes adhuc pueros directè iaculari docent, nec nisi scopum tangentibus quicquam edulii suppeditant. hinc esuriei stimulis edocti, in sagittarios miræ certitudinis euadunt. Ab his longè ad occasum remoti venatores Elephantomachi (id est, Æthiopum natio cùm Elephantis depugnans) habitant. Saltuosas & densis consitas arboribus syluas incolunt. Hic ingressus elephantum & diuerticula è celsissimis arborum speculis obseruant. At integra quidem armenta non aggrediuntur (nulla enim hic rei bene gerendæ spes foret) sed singulatim accedentibus miro planè ausu manus afferunt. Cùm enim dextro arboris lateri, vbi speculator sese abscondit, belua propinquat, in ipsò transitu caudâ manibus prehensâ, pedibus sinistro femini innititur: tùm præacutam securim (quam humeris iam annexam, & ad vnius manus ictus habilem gerit) dextra corripiens, dextræ suffraginis neruos crebris vulneribus incidit: læuâ interim corpus suum gubernans. Mira autem huic operi celeritas adhibetur, non secus ac si de vitâ vniuscuiusque certamen sit propositum. Quid enim restat, (cum alium res euentum non admittat) quàm vt vel belua dometur, vel homo mortem oppetat? Animal igitur sic eneruatum, cùm se obuertere (quæ ipsius in motu tarditas est) nequeat, interdum ad affectum locum inclinans procumbit, Æthiopem vnà secum pessundans: interdum ad arborem saxúmve hominem allidens; mole suâ tamdiu premit, dum enecârit. Elephantes nonnulli vulnerum cruciatibus victi, vltione insidiatoris omissâ, tamdiu in planis fugæ indulgent, donec qui à tergo cedit, continenti securis plagâ in eundem locum delatâ, succisis beluam neruis prorsus infirmârit. quâ prostratâ, cateruatim homines concurrunt, & carnes adhuc viuenti exectas hilari conuiuio absumunt. Quidam finitimi absq; vitæ discrimine elephantes capiunt, vim arte

XXV

XXVII

arte superantes. Solet enim hoc animal, cùm saturum à pastu redit, alio quàm cętera quadrupedia modo, dormitum se cōponere. totam enim corporis molem curuatis genibus terræ applicare nequit; sed ad arborem sese acclinans, somni quietem capit ideoq; arbor illa frequenti beluæ adhæsione deteritur & sordescit. Adhæc in circuitu eius multa sunt vestigia & signa, quibus indagatores huius prædæ decubitum Elephantorum deprehendunt. Quando igitur in arborem huiusmodi incidunt, serrâ paulò supra humum eousq; incîdunt, dum paullùm ad ruinam momēti restet. tum deletis accessus sui indiciis, abscedunt, priusquàm fera illuc appropinquet. Ea sub vesperam ad satietatem pasta, cubile adsuetum repetit; quamprimùm verò tota mole incumbit, vnà cum arboris ruinâ ad terram deuoluitur. & supina per noctem ibi iacet: quia natura eius ad surgendum prorsus inepta est. At cū primâ luce incisores arboris occurrunt, & beluâ citra periculū occisâ, tabernacula ibidem exstruunt, quibus ad consumtionem vsq; prædæ immorantur.

XXVII. His gentibus ad plagas occiduas adiecti sunt Æthiopes, quos Simos appellitant. Australes verò partes Struthophagorum (quorum cibus Struthiones) natio inhabitat. Est enim apud illos auis genus, naturam cum terrestri animanti commistam habens, vnde nomen etiam compositum accepit. Magnitudinē ceruæ maximæ haud cedit. longam ei ceruicem, lateraq; rotunda & alata fabricauit natura. at caput infirmum habet & paruum. fœmoribus tamen & cruribus præualet; vngula illi bisulca. Grauitas autem facit, ne in sublime euolare possit sed interim velocissimè omnium currit, vix pedum summitate humum stringens. maximeque secundo ventorum flatu alas tollens ceu nauis extentis concitata velis, procurrit. Contra vim insequentem iactu lapidū se defendit, quos pugni crassitudine è pedibus, tanquam è fundâ, intorquet. At cùm silente vento infestatur, alis subitò defessis, pręsidio illo naturæ vti nequit, sed cursu facilè superatus capitur. Ingens harum auium est multitudo: & quia varias contra eas venandi technas excogitant Barbari, facilè plurimas capiunt, captarūq; carnibus ad victum, exuuiis ad vestitum & lectorum stragula, vtuntur. Sed cū à Simis (vt vocant) Æthiopibus bello impetantur Orygum cornibus in conflictu pro armis, quibus vim hostium repellant, vtuntur. Cùm enim grandia sint & ad punctim feriendum apta: & passim ob bestiarum his præ-

ditarum multitudinem inueniantur, eximium incolis vſum præbent. Paulùm ab his diſtant Acridophagi (*locuſtiuori*) deſertæ regioni contermini, homines aliis breuiores, corpore macilento, & ſupra modum nigro. Veris enim illic tempore Fauonii & Africi ingraueſcentes infinitum locuſtarum è deſerto, numerum, inuſitatâ magnitudine, & alarum colore turpi ac ſqualido, expellunt. Hinc copioſum eis per totum vitæ tempus alimentum eſt. Peculiari autem ratione illas aucupantur. Etenim regioni ipſorum ad multa ſanè ſtadia vallis oppido profunda & lata obtenditur, hanc agreſti materie, vbique illic obuiâ complent. Quando igitur ventorum flatibus propulſa locuſtarum nubes eò defertur; diſpertitis inter ſe locis fœnum in cauitatem illam proiectum ſuccendunt. Hinc magnus, acerbuſque vapor excitatus ſuperuolantes locuſtas acerbitate fumi præfocat, vt non multùm progreſſæ ad terram prolabantur. Hac ad plurimos dies internecione continuatâ, magnæ exſurgunt ſtruices. Cúmq; tractus ille ſalſugine abundet: confertis hanc aceruis ſuper affundunt, debitaque maceratione efficiunt, vt & ſapor accommodus ſit, & citra putrefactionem ad bene longum tempus hoc ſalſamentum duret. Facilis ergò victus etiam reliquo ipſis tempore ab inſectis hiſce exſiſtit. Nec enim pecuariæ, nec piſcatoriæ rei (vtpote longius à pelago ſummoti) dant operam, nec aliud vitæ ſubſidium habent. Corpore ſunt leui; & pedibus celerrimis; ſed vitâ admodum breui: longæuiſſimi enim apud eos XL. non egrediuntur annos. Mirabilis etiam vitæ exitus eſt, omniúmque miſerrimus. Ingruente enim ſenio, pediculi corporibus ipſorum alati naſcuntur, non ſolùm genere diuerſi, ſed etiam ſpecie horridi & inſigniter deformes. peſtis hæc à ventre & præcordiis exorſa, perexiguo tempore corpus totum exedit. Morbo hoc adflictus, primùm velut ſcabiei prurigine irritatus leni mordicatione titillatur; oblectamento ſcilicet cum dolore permixto. Verùm poſteaquam beſtiolæ intercutes ſubinde magis ad ſuperficiem enituntur, magna tenuis ſaniei vis, cum intolerabili doloris acerbitate, ſimul erumpit. Idcircò violentiore vnguium fodicatu ſeſe lacerans ægrotus, gemitus miſerabiles effundit. In manuum verò exhulceratione tanta vis vermium expullulat, vt aliis poſt alios tanquam è multifariam perfo-

XXIX

perforato dolio scaturientibus omnis ablegentium opera
ludatur. Hi ergò per eiusmodi corporis resolutionem infe-
lici vitam exitu claudunt; à naturáne cibi, an temperie aë-
ris, euentus iste proficiscatur ambiguum est. XX. Attingit
hanc gentem terra quædam magnitudine prolixa, & pa-
scuorum varietate præstans: sed deserta & nullos præbens
accessus. non quod ab initio caruerit hominibus, sed quod
ab intempestiuo postmodùm imbre magnam phalangio-
rum & Scorpionum vim procreârit. Adeo enim bestias il-
las increbuisse scribunt, vt tota primùm gens communibus
hostem natura infestũ armis interimeret. at cum inuictum
esset malum (morsus enim subitam ictis mortem afferebat)
desperato patriæ loco & victu alio profugere compulsos. Nec
quæ hîc referuntur adeò mira aut incredibilia nobis esse de-
bent, cùm his longè insolentiora per orbem terrarum ac-
cidisse, ex veris historiis compertum habeamus. Nam in
Italiâ agrestium vis murium, fœcundâ luxurie in agris na-
torum, è patriâ quosdam expulit. In Mediâ passerum sata
vastantium cateruæ, homines aliò migrare coëgerunt. Qui
Autariatæ nominantur, hos ranæ in nubibus cretæ, & pro
vsitatis delapsæ guttis, patriam deserere, & in locum, vbi
nunc sedes habent, profugere compulerunt. Et quis ex an-
tiquitatum commentariis non didicit, inter Herculis cer-
tamina, propter immortalitatem confecta, vnum quoque
numerari, quo de palude Stymphalide inualescentes illic
volucres abegit? Propter irruptionem leonum è desertis,
vrbes quædam Libyæ ciuibus viduatæ. Hæc in fidem hi-
storiis derogantes propter inusitatum rei modum, dicta no-
bis sunto. nunc ad superiorem relationis contextum redi-
mus. XXXI. Margo Australis incolitur ab hominibus quos
Cynamynos (Cynamolgos i. *canimulgos*) Græci Barbari
propinqui Agrestes patrio sermone vocant. Hi prælongas
gerunt barbas, & ad victus commoda ferocium greges ca-
num nutriunt. Nam ab æstiui solstitii initio ad medium hye-
mis, boum Indicorum innumerabilis multitudo terras ho-
rum ingreditur; causa rei latet. nemo enim compertum ha-
bet, an bestias sanguinolentas, à quibus cateruatim inua-
duntur, fugiant; an pabuli inopiâ, aliôve casu quem natura
mirabilium rerum parens efficit, mens autem humana in-
telligere nequit; pristinis emigrare locis cogantur. Hos cum

suis in potestatem viribus (numero scilicet præualentes) redigere nequeant: canes in eos emittunt, & venaticâ horũ operâ quamplurimos capiunt, captosque partim recentes comedunt, partim sale conditos reseruant. Multa etiam alia strenuo molossorum auxilio venantur: atque ita carnium esu vitam sustentant. Postremæ ergò ad meridiem reiectæ nationes, sub hominum forma vitam ferarum more degũt. Sed restat vt de duabus adhuc gentibus dicatur. Æthiopibus nimirum & Troglodytis. Verum de Æthiopibus alibi mentio facta est. Nunc ergo de Troglodytis scribemus:

XXXII. Hos Græci Nomades appellant. nam ex re pecuariâ ritu pastorum viuunt: sed à tyrannis in certas tribus diuisi reguntur. cumque liberis vxores habent communes, præter vnam Tyranni. cum hac tamen, qui consueuerit, certo ouium numero à principe mulctatur. Sub flatum Etesiarum, cùm magnæ apud eos pluuiæ decidunt, sanguine & lacte inter se commixtis & parumper coctis, nutriuntur. Posthæc exarescentibus solis æstu pascuis, ad paludes confugiunt, vbi de locis pasturæ accommodis pastores inter se deprælian-tur. pecudes senio vel morbo affectas in cibi vsum mactant: Et hinc per omne vitæ tempus victitant. ideoq; mortalium nemini, sed tauro & vaccæ nec non arieti & oui, parentum nomen attribuunt. hi illis patres, hæ matres, quod ab his non à parentibus quotidiana ipsis vitæ nutrimenta suppetant: Potus communis priuatis est, liquor è paliuro expressus. sed magnatibus è flore quodam succus, vilissimo apud nos musto similis, conficitur.] Et quia pecora sectantur, subinde solum solo mutant; ac ne diu in iisdem locis subsistant, sedulò cauent. Totum eis corpus nudum est, præter clunes, quos pellibus incingunt. Genitalia, ritu Ægyptiorum, vniuersi Troglodytæ circumcidunt, demptis his, quos à casu mutilos appellant. his enim solis omnium fauces illas seu angustias incolentium, id totum quod aliis circumciditur, nouacula in primâ infantiâ amputatur.

XXXIII. Inter Troglodytas Megabarei nominati pro armaturâ clypeos è crudis boum coriis rotundos, & clauas quarum tubercula ferro obducta sunt, vsurpant. cæteri arcus & hastas gerunt. Ritus funerandi peculiaris his est, & insolens. mortui enim cadauer paliuri viminibus ita constringunt, vt collum cruribus annectatur. tum in collem quendam collocatũ ma-

nuariis lapidibus cum risu tantisper impetunt, quoad cõgestu lapidum obruatur. capre tandem cornu imposito, nullâ commiseratione adfecti, discedunt. Belligerantur inter se, non vt Græci, irâ vel aliis causis incitati, sed de pascuis subinde reuirescentibus. In conflictu primùm mutuis se lapidum iactibus incessunt, dum vulneratis aliquibus ad certamẽ arcuũ procedant. Exiguo temporis momento ingens cadit turba. ex longo quippe vsu certos intendunt iactus; & his corpora, nulla armorum munitione tecta, ad ictus patent. Pugnas tandem mulieres ætate prouectiores per intercessionem dirimunt; quas & reuerentiâ dignantur. nam nullo has pacto ferire lege cautum est. ideò quamprimùm in conspectum prodeunt, à sagittarum iactu cessatur. Qui per senium non possunt greges assequi, gutture bouis caudæ illigato, incunctanter sibi vitam præcludunt. quod si quis mortem differt, hunc veluti ex beneuolentiâ quadam prius admonitum, innexo laqueo, quicunq; velit; priuandi vitâ potestatem habet. Sic & mẽbro aliquo captos, aut incurabili morbo correptos, è vitâ summo-
„ uere, lege statutum est. Malorum enim hoc maximum arbi-
„ trantur, si quis amore vitæ teneatur, qui nihil vitâ dignum a-
„ gere potest. Ideò Troglodytas omnes videre licet corporib. integris, & ætate validâ, vt quorum nemo LX. annos excedat. Verùm hic de Troglodytis dicendi modus esto. Quod si quis lectorũ ob nouitatẽ rerum, aut mirabilem eorum, qui hîc describuntur vitam, historię forsan nostræ fidem abrogabit, is Scythicũ aëra cum Troglodytico comparans, si quantũ inter se differat animo pensitabit, narrationi assentietur.

XXXV. Tanta enim nostri aëris & illorũ (de quibus historiã teximus) diuersitas est, vt discrimẽ, si per partes euoluatur, fide maius existat. Nã alicubi propter intensã vim frigoris amnes maximi congelascunt adeò, vt glacies exercituum transitus, curruũq; vectationes sufferat. vinum quoq; & alii liquores ita concrescunt, vt cultris abscindantur. &, quę maiorẽ quàm hęc admirationẽ secum afferunt, extremi hominũ artus vestiũ attritu defluunt, oculiq; offuscãtur. & nec ignis teporãdi vim habet: æreę quoq; statuę dirũpũtur. quãdoq; nubiũ spissitudo facit, vt nec fulgur, nec tonitru illic locorũ existat. Plura insuper alia ignaris quidem incredibilia: sed expertis intolerabilia ibidem contingunt. In Ægypti autem & Troglodytarum finibus (tam immanis Solis ardor in meridie existit) nec põtueri

se inuicem adstantes ob aëris condensati crassitiem possunt. Nemini absque calceis progredi tutum est. alioqui plantæ statim pustulis exhulcerantur. Nisi parato sitim potu homines restinguant, confestim exanimantur. calore scilicet naturalem corporis humorem illicò absumente. Præterea, si quis in vase æneo esculenti quippiam cum aquâ Soli exponit, citra ligna & ignem extemplò coquitur. Sed tamen vtriusque partis incolæ hæc summa vitæ incommoda, non tantùm non effugere volunt, sed etiam vltrò vitam profundunt, ne aliam vitæ rationem experiri cogantur. Sic « omnis adsueta tellus naturalem sui habet amorem, & vsus à « teneris cepti annis longinquitas aëris incommoditates su- « perat. Tantam vtrobique differentiam non prolixa locorum intercapedo disiungit. A lacu enim Mæotico, quem Scythæ quidam inter gelu & frigus immensum accolunt, multi nauibus onerariis secundo cursu vecti, decimo die Rhodum appellunt. inde quatriduò pòst Alexandriam delati, ex hac aduerso Nili alueo, decimo vt plurimùm die, Æthiopiam contingunt. A frigidissimis igitur orbis plagis ad calidissimam continuæ nauigationis cursus XXIV. dies non excedit. Quamobrem cùm in tam exiguo interuallo tàm ingens sit aëris diuersitas, non mirum est, victum quoque & mores & corpora à nostratibus plurimùm differre.

XXX Iam verò populis & moribus prout insolens aliquid habere videbantur, per capita quædam recensitis: de bestiis etiam regionum istarum particulatim aliquid commemorandum est. Est ibi animal, quod à re ipsa Rhinocerotem (id est, *naso cornutum*) vocant, fortitudine ac robore cum elephante comparandum, sed minùs procerum. tergus ei durissimum, colórque buxeus, in summitate narium cornu gestat, formâ repandum & duritie ferrum adæquans. Quandoquidem æterna ei cum elephante concertatio est de pascuis; ad saxum aliquod maius cornu exacuit, & conflictu inito, ventri succedens carnes non secus ac gladio dissecat, & hoc pugnæ genere hostem exsanguem reddit, multósque hoc pacto necat. At si elephas conatum subeuntis anteuertens, proboscide rhinocerotem comprehenderit, cùm dentium ictu & vi corporis præpolleat, facilè superior euadit. Sphinges circa Troglodyticam & Æthiopiam

piam

piam exsistunt, formâ his non absimiles, quæ arte picto-
rum exhibentur. nisi quod hirsutie tantummodò differunt.
Placidi illis sunt animi & versuti, artisque, quæ compendio
tradi potest, admodum capaces. Qui Cynocephali (à canino
capite) dicuntur, corporis adspectum hominum deformium
instar habent, quorum vocem mussitatione tantùm expri-
munt. Apprimè ferox est hoc animal, nec vllo cicurationem
pacto admittit, & vultum à superciliis austeriorem præfert.
singulare quiddam fœmellis accidit; quòd vuluam perpe-
tuò extra corpus proiectam habent. Cepus, id est, *Hortus*
(quem vocant) à totius corporis decore & staturæ venu-
state nomen accepit. faciè leonem imitatur, & reliquo pan-
theram: præter magnitudinem, quâ Dorcadi par est. Inter
iam recensita animalia Taurus Carniuorus feritate excel-
lit; qui nulla vi domatur. corpore domesticis tauris maior
est: velocitate equis non concedens; & os ad oculos vsque
diductum habet; colore insigniter rufo; oculi leoninis ma-
gis cæsii, & noctu fulgurantes. cornua peculiarem sibi na-
turam vendicant. aliâs enim non minus quàm aures ea mo-
uet, sed pugnæ tempore immota & fixa tenet. pili, contrà
quàm cæteris bestiis, illi exstant. Ferocitas & vis illi imma-
nis, vt vel omnium validissimis animantibus se inferre non
vereatur. ideoque de carnibus interfectorum victitat. Gre-
ges etiam incolarum vastat, & horrendum in modum cum
totis pastorum cateruis, canumque agminibus, decertat.
pellis quoq; vulneribus non patere dicitur. propterea licet
multi id subigere tentârint, nemo tamen quisquam eualuit.
In foueam delapsus, aut alio captus dolo, iræ impatientiâ se
præfocat. nec aliquam cicurationis humanitatem cum liber-
tate permutat. Quapropter non abs re hanc feram Tro-
glodytæ omnium validissimam esse iudicant; cui videlicet
natura leonis fortitudinem, pernicitatem equi, & tauri ro-
bur dederit, & quæ nec à ferro, re tamen omnium potentis-
simâ, vinci nôrit. Est Æthiopibus animal, quod Crocu-
tam vocant; mixtâ canis ac lupi naturâ; ferociâ vtrisque ter-
ribilius; dentium morsu cunctis antepollens. sint quanta-
cunque sint, ossa comminuit, & deglutita in ventrem mirâ
facultate concoquit. Hanc beluam quidam, portenta histo-
riarum venditantes, eò quòd hominum loquelam imitari
asserunt, fidem nobis haud faciunt. Varia quoque nec

credendæ magnitudinis ſerpentum genera conſpici deſertæ & à feris occupatæ regionis, accolæ teſtantur. nam qui ad centum altitudinem cubitorum ſe nonnullos vidiſſe prædicant, non nobis modò, ſed cunctis etiam aliis, mendacii alligantor. Narrationi tamen fidei deſperatæ aliam ſubdunt longè abſurdiorem. In campeſtri illic (aiunt) planitie, cum vaſtiſſimæ hæ beluæ in ſpiras ſeſe colligunt, mutuo voluminum in orbem extuberãtium auctu collis ſpeciem procul videntibus oſtentant. Sed quis tàm monſtroſæ vaſtitatis beluas eſſe facilè aſſentiatur? De maximis tamen ſerpentini generis beluis, quæ accommodatis ad hunc vſum receptaculis Alexandriã deportatæ in conſpectum venerunt, hîc aliquid ſcribemus. vt ſuo ſpeciatim loco ſingulorum venatio intexatur. Ptolemæus enim ordine ſecundus, cùm impensè Elephantũ venationi ſtuderet, ideóq; multis venatores muneribus demereret, multis in hanc voluptatẽ ſumtibus profuſis, magnã Elephantum bellatorum vim ſibi comparauit: vtq; aliæ priùs non viſæ & inſolentes beſtiarum ſpecies in notitiam Græcorum peruenirent, effecit. Ob id venatores quidam, cùm regis in muneribus largiendis intuerentur magnificentiã, mediocri conſociati numero, cum vitæ ſuæ diſcrimine vel vnum de ſerpentibus illis ſtupendis viuum Alexandriam ad regẽ tranſportare decreuerunt. Res inceptu ardua, & effectu difficilis erat: ſed fortuna conatus adiuuit, & cœpta ad felicem exitum promouit. Per ſpeculationem indagârunt ſerpentem xxx. cubitorũ in ſtagnis demorantem, qui cęteroqui ſpiris iacebat immotis, q̃ primùm verò beſtiæ ad ſitim leuandã illic accedere videbantur, ſubitò exiliens, corpora illarum quà rictu oris correpta, quâ ſpiris implexa tã arctè conſtringebat vt nulla occurrens malũ euadendi eſſet facultas. Cùm igitur ob prolixitatem corporis & naturæ ſegnitiem ſpes laqueis & catenis potiundi ſubeſſet; confidenti primùm animo incurrunt, cunctis ad prǫſentem vſum præparatis. At quo propius accedũt, eò plus terroris inuadit, cùm oculos igni quaſi ardentes, & exſertæ linguæ vibratum, ſtrepitumq; immanem, aſperitate ſquamarum, & virgulta proſternente inceſſu excitatum, & enormium dentium magnitudinem, aſpectumq; oris truculentum, & præaltum ſpiræ orbem, collis inſtar deprehendũt. Per totã igitur faciem conſternatione pallidi timidè laqueũ caudæ iniiciunt. qui ſimulac corpus attigit, cum ſibilo ſe mõ-

ſtrum horrendo retorquens: primum, ſuper caput eius ſeſe arrigens, rictu ſuo arreptat, viuiq; adhuc carnes dilaniat. ſecundum procul ex ipsâ fugâ ſpiræ innexu attrahit, & circumuoluens ſe medio conſtrictum ventre firmiter tenet. Reliqui metu perculſi fugâ ſaluti conſulunt. Nec tamen ideò capiendæ beluæ curam abiiciunt. Regiæ enim munificentiæ ſpes, periculorum iam ſpectatorum metum euincit. Ergò quod vi expugnare nequiuerant, arte doloque edomare nituntur; huiuſmodi ad eam rem commento vſi. Opus vitile ex conferto iunco contexunt, formâ naſſis aſſimile, tantæque magnitudinis & capacitatis, vt totam intra ſe beluam complecteretur. Obſeruato igitur latibulo eius, & tempore exitus ad paſtum, ac reditus, quamprimùm ad conſuetam diuerſi generis beſtiarum venationem perrexit, priſtinum ſpeluncæ oſtium prægrandibus ſaxis terrâque obſtruunt, & in vicino eius loco cuniculum agunt, in quem iunceum illud rete obuerſo eius oſtio collocant, vt paratus in hoc beluæ ingreſſus pateat. Hanc è paſcuis reuertentem continuè ſagittarii & funditores, equitesq; non pauci, cum buccinatoribus alioq; apparatu excipiunt. Quæ propior facta, ceruicẽ ſuprà equites longè extollit. At venatorum agmen nequaquã cominus occurrere (prius enim infortunium cautos fecerat) audet: ſed procul multis manibus ad vnum eumq; grandem, ſcopum iaculantes equitum conſpectu & canum præualidorum multitudine, tubarumq; ſtrepitu, beluã perterrefaciunt, dumq; ad notum ſe cubile ſenſim recipit, eatenus inſectantur, ne nimiâ ꝓuocatione magis irritetur. Iãq; pręſtructo cauernę oſtio approximat; tũ demum ingenti arma ſtrepitu complodunt, & oſtentata hominum multitudine tubarumq; clangore exſternatam, perturbant. Ingreſſum igitur nõ inueniens & venatorũ tamen impreſſionẽ reformidans, ad apertũ in propinquo oſtiũ ꝓfugit. Interea dũ reſolutione ſpirarũ textũ illud iunceum impletur, quidã eueſtigiò adequitant, qui orificiũ oblongũ & ad hunc celeritatis vſum ſolerter comparatum, antequam ad exitum ſe belua reflectat vinculis obſtringunt. Mox naſſam illã prægrandẽ, phalangibus ſuppoſitis leuatã, extrahunt. Tũ coarctata intus beſtia, immanes præter naturam ſibilos edit. dentibuſq; iuncum diſcerpens, & hinc inde ſe iactans, iamiam exſilientis ſpeciem præfert. Id extimeſcentes terræ ſerpentem appli-

cant: crebraque caudæ punctione ad partium dolore affectarum sensum, morsus dentium abstrahunt. Illum denique Alexandriam deportatum regi donant; insolens profectò, & audientibus incredibile monstrum. Ad miraculum huius rei accessit cicuratio, planè admiranda. Alimenti enim penuriâ ferociam eius subegerunt, vt sensim mitigaretur. Ptolemæus autem cùm dignis venatores præmiis affecisset, serpentem ita mansuefactum nutriuit, ingens hospitibus in regnum eius profectis, & plenum admirationis spectaculum. Cùm igitur anguis tàm enormis palam in conspectum venerit, non adeò fides deneganda est Æthiopibus, aut statim pro fabulâ accipiendum, quod ab illis dictitatur. Memorant enim tàm vastos apud se angues conspectos esse, vt non solùm vaccas & tauros, aliasque tantæ molis bestias deglutierint, sed cum Elephantis quoque conflictârint. Spirarum enim nexu crura illorum tàm arctè implicare, vt mouere se nequeant, arrectoque sub proboscidem collo, caput suum Elephanti oculis obuertere, igneisque visus radiis, tanquam fulgetris excœcatos ad terram profligare, profligatosque dilaniare.

XXVII. Postquàm ergò narratione perspicuâ Æthiopiam cum Troglodyticâ & conterminis ad inhabitabilem æstus plagam regionibus, rubri quoque maris & pelagi Atlantici oras & climata ad meridiem, quantum satis esse videtur, persecuti sumus: nunc reliquæ partis, Arabici sinus, inquam, descriptionem subiungemus: quàm partim ex regiis Alexandriæ commentariis, partim auditu ex his, qui viderunt accepimus. Hæc enim habitati orbis portio, vt & Insulæ Britannicæ, & loca Arctis (*vrsis cœlestibus*) subiecta, omniũ minimè in communem hominum notitiam peruenêre. Sed Arctoi orbis plagę, quæ inhabitabilem ob frigus zonam attingunt, & Britannicæ Insulæ tum percensebuntur, cùm Caii Cæsaris gesta explicabimus. Hic enim finibus Imperii Romani longissimè promotis, effecit, vt totus ille tractus, anteà incognitus, in historiæ partem veniret. Arabici igitur (quem vocant) sinus ostia in Oceanum australem sese prolatant. Longitudo ad complura excurrit stadia; intimus recessus Arabiæ & Troglodyticæ terminis continetur. Latitudo, tàm in recessu quàm ostiis, ad XVI. stadia prouehitur. A Panormo verò portu ad oppositam continentem,

con-

concitatâ vnius diei nauigatione extenditur. Maxima distan-
tia est circa Tyrcæum montem & Macariam, alto tempe-
stuosoque pelago expositam; vbi continentes inuicem non
conspiciuntur. Exinde latitudo subinde fit angustior, seque
ad ostium vsque contrahit. In freto eius magnæ passim in-
sulæ habentur; inter quas strictus nauium cursus, & immo-
dicus ac vehemens maris fluxus. Hic summatim sinus illius
situs est, à cuius extremitatibus nos exorsi, vtriusque con-
tinentis oras, & quid singulis insit proprii, ceu præterlegen-
do, recensebimus; ac initio dextram eius oram, quæ Tro-
glodytarum est, nobis desumemus. hanc Troglodytarum
gentes, ad vastas vsque solitudines habitant. Ab vr-
be igitur Arsinoë dextræ continentis littora legentibus, cre-
bri plurimis in locis amnes è petris in mare præcipitantes,
amaro salsilaginis sapore, occurrunt. Prætercursis horum
fontibus mons vasto imminens campo, & rubricosi coloris
offertur; cuius intentiori contuitu oculi videntium offen-
duntur. Extremis eius radicibus lacus tortuosi ingressus, &
Veneris cognomento insignis, adiacet. Supra eum sunt tres
insulæ, quarum duæ ficubus & oleis refertæ sunt. Sed ter-
tia hoc quidem prouentu destituitur; Meleagridum tamen
(quas vocant) magnam habet copiam. Inde sinus est im-
mensus, qui *immundus* nominatur, & iuxta eum profunda
admodum peninsula, per angustam quasi ceruicem nauigia
in aduersum mare transportans. Prætermeanti hæc loca In-
sula iacet, alto circumfusa pelago, ad LXXX. stadiorum lon-
gitudinem: cui Serpentariæ nomen est. id inde manauit,
quod variis olim & formidolosis anguibus scateret. Sed in-
secutis deinde temporibus, Regum Alexandriæ studio, ita
ad cultum redacta est, vt nec vestigia bestiarum inibi conspi-
ciantur. Nec causa prætermittenda est, ob quam insula tan-
tis impendiis repurgata fuit. Reperitur in ea Topazium. la-
pis est pellucidus, & adspectu iucundus, vitro similis, auri-
que colore, non sine admiratione renidens. Aditu igitur
cunctis interdictum; & si quis adnauigat, illicò supplicio ca-
pitis ab Insulæ custodibus multaturu. Pauci hi sunt, æru-
mnosamq; exigunt vitam. ne enim lapidis quid furtim ex-
portetur, nullum omninò illic nauigium relinquitur. si qui
fortè tractus illos nauigant, regis metu à longinquo præter-
uehuntur. Alimenta, quæ importantur, citò deficiunt. nec

aliud quicquã de terræ fructibus ſuppetit. Ideò cùm pauca dũ cibaria ſuperſunt, omnes pagi incolæ ad littus ſedentes, aduẽtum illorum, qui commeatum importent, auidè præſtolãtur. Quibus moram nectentibus in extremum ſpes ipſorum diſcrimen coguntur. Lapis ille in petris naſcitur; per diẽ ſplendore Solis veluti ſuffocatus, non videtur; ſed noctu per tenebras effulget, ſuiq; locum ſitus etiam à longinquo prodit. Excubitores inſulæ, ſorte diſpertitis inter ſe locis, indagationi dant operam: & vbicunq; apparet, vas tantæ magnitudinis ſigni cauſa imponunt, quantum refulgens lapis ſpacii cõplecti videtur; ſignatum porrò locũ ſaxi per diem obeuntes circumcîdunt, exciſumq; tradunt illis, qui lapillos aptè læuigãdi artificium tenent.

[X] Si vlterius excurris, multæ ſe Ichthyophagûm gentes per oram ſparſæ offerunt, multi etiam Troglodytæ paſtores: & cum his varii montes ad Soterem (*ſoſpitalem*) vſq; portum à Græcis ita cognominatum, qui ſoſpites eo primi appuliſſent. Inde coarctari, & ad Arabiam cõuerti ſinus incipit: & natura locorum, tum maris, tum regionis diuerſitatẽ quandam efficit. Continens enim humilis apparet, nec collibus aſſurgens, & mare paluſtre ac cœnoſum, non altius tribus orgyiis, & totum viride eſſe deprehenditur. Cauſam viroris non aquarum illic naturæ, ſed muſci algæq; per aquas tranſparentis copiæ adſcribunt. Nauibus igitur remigio inſtructis locus ille opportunus eſt, quod ex lõginquo fluctus non aduoluat; vberemque piſcium capturã exhibeat. At quæ Elephantes tranſportant, tum profunditate carinæ, tum ſtructuræ grauitate, magnis & atrocibus nautas periculis inuoluunt. Non rarò enim intenſis concitatæ velis, & ventorum impetu ſub noctem eo compulſæ, nunc ad ſcopulos naufragia faciunt, nunc in Iſthmos limoſos deferuntur. Nec exſcendendi facultas datur nautis: quòd vadũ homine altius ſit: nec contis nauem impellendo quicquã efficiunt. Etſi autẽ cunctorum præter cibos iacturam faciunt: tamen etiam ſuppetente adhuc victu, ad ſummas rediguntur anguſtias. nec enim Inſulam, nec promontorium, nec aliam nauẽ videre eſt: cùm planè inhoſpita ſit hæc regio, & rarò à nautis traiiciatur. Ad cętera incommoda etiam hoc accedit. in momento tantũ alueo nauis arenarum repentini fluctus accumulant, vt circumcirca magni exiſtant aggeres, & ceu datâ opera continẽti alicui impacta, nauis inhæreſcat. In hanc demerſi calamita-

tem

tem modicis primùm querelis surdæ licèt solitudini infor-
tunium suum occinunt, nondum tamen omni ad extremum
salute desperatâ. nam sæpe æstuantis pelagi fluctus altè nauē
eleuans, extremè periclitantes, ceu deus ex machinâ opitulās,
conseruat. Si verò hoc dei auxilium non succurrit, deficiente
tandem cibo infirmissimum quenq; potentiores in mare de-
turbant, vt paucioribus, quod residuum est victus ad plures
dies suppetat. Sed tandem exstinctâ spe omni, lōgè misera-
biliorē, quàm priùs defuncti, mortem oppetunt. Hi enim
breui, quem natura dederat spiritum, illi reddidêre: isti ve-
rò mortem in multas ærumnas quasi partiendo, suasq; mise-
rias longiùs protrahendo, difficulter animam exhalant. Na-
ues autem miserum in modum vectoribus orbatæ, tan-
quā inania quædam sepulcra ad longū tempus durant; & are-
narum cumulis vndiq; circūfusæ, malosq; & antennas subli-
mè ostentantes ad commiserationem & gemitum super ex-
stinctis procul intuentes adducunt. Regis enim edicto cautū
est, vt monimenta casus illius intacta sinantur, quibus exitio-
sa nauigantibus loca significentur. Apud Ichthyophagos,
breuium illorum accolas, ex famâ, per multas proauorū æta-
tes conseruatâ, traditur, quòd tota Sinus regio virorem ocu-
lis offerens, ingenti quondam refluxu desiccata sit, mari in
opposita tum littora refuso. iamq; terrâ vsq; ad ipsum maris
fundū detectâ, per grauem denuo æstum pristino vndā alueo
restitutā esse. LI. Nauigatio à Ptolemaide ad Tauros pro-
montoriū iam à nobis explicata est; cùm de Ptolemæi circa
Elephantorum venationem studio dicebatur. A Tauris ma-
ritima se ad orientē vertunt. Heîc sub æstiui Solstitii circulo
vmbræ ad meridiem, contrà quàm apud nos fit, vsq; ad alterū
vertentis anni tempus, proiiciuntur. Hæc terra fluuiis, è Pse-
bæis (vt vocant) montibus effusis rigatur, & in longè patētes
campos distributa, insolitæ magnitudinis maluas, cardamū,
& palmas, variosq; insuper fructus, sapore hebetes & nobis
ignotos, producit. Quâ se versus mediterranea protēdit, Ele-
phantib. tauris agrestibus, leonibus, aliisq; bestiis efferis ple-
na est. Traiectum intercipiunt Insulę: quæ nihil quidem mi-
tioris fructus gignunt, sed noui generis aues exhibent, spe-
cie admirandas. Mare inde profundissimum est, & varia
cete magnitudinis stupendæ gerit; quæ tamen hominibus
non sunt molesta, nisi quis inuitus fortassis in arrectas dorsi

pinnas incurrat. Persequendo enim non sunt; ad maris quippe superficiem euectis claritate Solis oculi hebetantur. Hæc Troglodyticæ extrema promontoriis (quas *psebaras* vocant) circumscripta, in notitiam nostram cadunt.

Nunc alteram ex aduerso oram, quæ ad Arabiam inclinat, perlustrabimus; à freto iterum exorsi. Id Neptunium appellatur, quod Ariston ad explorandum Arabiæ littoralis terras ad Oceanum vsque à Ptolemæo missus, aram Neptuno illic consecrauit. Ad sinum deinceps locus est maritimus, quem propter vtilitatem apprimè honorant accolæ, *palmeti* nomine insignem. plurimis enim palmis consitus est, quæ summâ vbertate fructus, tàm ad voluptatem, quàm ad victum conducentes, proferunt. Sed totus in propinquo ager aquis fluuialibus destitutus est, & quia ad meridiem vergit, maximos solis ardores sustinet. propterea locum ita fertilem inque remotissimis ab hominum cultu terris tàm largum nutrimenti, non immeritò Barbari consecrârunt. Nã aquarum fontes non exigui, & riui frigiditate aquarum niui haud cedentes ibidem promanant: quibus ad vtrumque terræ latus virescunt omnia, & dulci amœnitate perfunduntur. Ara etiam illic è duro saxo vetustissima est, obsoletis & incognitis literarum notis inscripta. Huic vir & mulier, continenti per vitam Sacerdotio, præsunt. Proceri sunt, qui ibi morantur, & propter bestiarũ metum cubilibus suis arbores occupant. Palmetũ hoc prętereuectus in continentis promõtorio Insulam offendit, quæ à beluis inibi stabulantibus *Phocarũ* nomen habet. His enim adeò redundat, vt in summã videntes admirationẽ deueniant. Prætentum huic Insulæ promontorium petrã Arabiæ & Palęstinã respicit. In hanc thus, aliasq; odoriferas merces (vt fertur) ex Arabiâ superiori Gerrhęi & Minęi conuehũt. Orã quę sequitur Maránei & post hos Garyndánei inter se vicini, antiquitus colebant; hoc occupatã modo. In palmeto ante memorato ad quinquennem festi celebritatẽ vndiq; finitimi conueniebant; tum vt saginatorum Hecatombas camelorum diis luci præsidibus immolarent, tùm vt de aquis inde scaturientibus aliquid in patriam referrent; quarum potu sanitatem conciliari traditum esset. Hanc ob causam Maranitis ad solenne sacrum profectis Garyndanei domi relictos trucidant, & à festo quoque reuersos per insidias cædunt. Atque ita terrâ incolis

XL

XLI

colis viduatâ, campos illos frugiferos, & paſcua gregibus & armentis nutriendis apta, ſorte inter ſe diuidunt. Raros tamen hæc ora portus habet, propter crebros vaſtorum montium intercurſus; vnde varia colorum emolumenta depromuntur, ideóque mirificum præternauigantibus ſpectaculum præbent. Vlterius progreſſos ſinus Alainites excipit, multis Arabum pagis frequentatus, quos Nabatæos vocant. Hi multum ad mare, multum etiam in mediterraneis loci obtinent. populoſa enim eſt, & ſupra modum pecoroſa regio. Olim iuſtè exigebant vitam, alimentis ex re pecuariâ contenti. ſed poſtquam Alexandrini reges nauigabilem mercatoribus ſinum reddidiſſent, non modò naufragis vim intulêre, verùm prædatoriis myoparonibus, de aliis etiam nautis prædas egêre; Tauros Ponti accolas feritate ſcelerumque auſu nefario imitantes. Sed tandem triremibus in alto pelago expugnati meritas dedêre pœnas. Poſthæc irrigua quædam planicies ſequitur, quæ propter fontium vbertatem Agroſtin & Medicam, lotumque viri longitudine copioſè producit. tum ob paſcuorum frequentiam ac bonitatem, non tantùm infinita pecorum omnis generis agmina, verùm Camelos quoque agreſtes, ceruoſque & dorcadas. Quorum abundantia ex deſertis inuitat leones, lupos & pardales, cum quibus pro tutelâ armentorum paſtores dies ac noctes decertare coguntur. Sic regionis felicitas mali cauſam præbet. Natura enim plerunque cum bonis noxia ſimul hominibus largitur.

LIV. Hos in tranſcurſu campos ſinus excipit, mirabilis equidem naturæ. In regionis enim interiora deuergens ad 10. ſtadia porrigitur, vaſtiſque circum rupib. incluſus perplexum habet oſtium & tranſitu difficile. Marinus enim ſcopulus aditum interſepiens nec ingreſſum nauigantibus nec egreſſum concedit. Inter crebras autem fluctus alliſiones & ventorum vices vndarum æſtus crepidini incumbens immane ſtridet, & vndique circa ſaxum exaſperatur. Accolæ, quos Byzomeneos nuncupant, de carnibus ferarum venatu capta rum victitant. Fanum inibi ſacratiſſimum, in ſummâ vniuerſis Arabibus religione habetur. Terræ iam dictæ tres littorales Inſulæ adiacent, quæ plures exhibent portus. Primam, quæ deſerta eſt, Iſidi conſecratam ferunt. De antiquis ibi domiciliis fundamenta reſtant ſaxea & columnæ barbaricis literis inſculptæ. Cæteræ non minus deſolatæ ſunt: oliuis ta-

men à noſtratibus diuerſis paſſim inumbrantur. Vltra has inſulas littus abruptum & tranſitu arduum, ad CIↃ. ſe ſtadia prolatat: nec enim portus; nec ſtatio in mari iaciendis ancoris idonea; nec ſylua; quæ nautis, rerum omnium egenis & perplexis, neceſſarium præbeat receptum. Mons illi adhæret, qui confragoſas in vortice petras habet, & ipsâ celſitate horrendas. Radices crebris & acutis in mare ſaxis deſcendunt, & ponè cauitates exeſæ & anfractuoſæ. quæ cùm mutuo inter ſe attritu hient, & alta ibi ſit maris profunditas, procella nunc impingens, nunc reſultans, magni inſtar fremitus ſonum emittit. Fluctus autem pars grandibus illis ſcopulis illiſa, in altum ſe criſpat, & mirandam ſpumæ vim gignit. Pars intra vortices abſorpta, voraginem & diuulſionem aquarum terribilem efficit; adeò vt præter voluntatem his locis appulſi, metu tantùm non priùs exanimentur. Oram hanc tenent Arabes Thamudeni. Contigua vaſtus quidam ſinus alluit multas ſparſim Inſulas complexus, Echinadibus non abſimiles. Oram hanc, quàm longa eſt, & quàm lata, aërii (quidam) arenæ nigro colore cumuli excipiunt. Inde peninſula ſe dat in conſpectum, portum habens omnium, quos hiſtorici deſcribunt, elegantiſſimum, nomine *charmutam*. nam crepidini eius prolixæ, quâ ad Zephyrum inclinat, ſinus non tantùm formâ admirandus, ſed commoditate etiam longè vincens alios, ſubiectus eſt. Syluoſus in eum mons prominet, ad centum ſtadia vndique circumfuſus, duûm plethrorum oſtio, bis mille naues excipit; tranquillum à fluctibus portum exhibens. Quin aquis etiam optimis redundat, magno ſe fluuio in eam exonerante. In medio Inſulam complectitur irriguã, hortorum culturæ aptam. Denique per omnia ſimilis eſt portui Carthaginenſium, qui *Cothon* nuncupatur, de cuius opportunitate ſuo dicetur loco ſingulatim. Magna vis piſcium ex Oceano, propter tranquillitatem, & aquarum affluentium dulcorem, in eum congregatur.

XLV. Præteruehenti hæc loca quinque per interuallum montes in altum ſeſe erigunt: quorum vertices pyramidum Ægyptiarum ſpecie in vnam quaſi papillam coëunt. Sinus inde rotundus magnis circumuallatus promontoriis exſiſtit. in quorum diametri medio collis menſæ in modum exſurgit, in quo tria mirandæ celſitatis fana deorum, Græciæ quidem incogni-

incognitorum, ſed quos accolæ ſummo venerationis cultu proſequuntur, exſtructa ſunt. Poſthæc littus fontibus ſcatens, & dulcis aquæ riuis interceptum, procurrit. In hoc Chabinus mons eſt, variis opacus ſaltibus. terra montanis ſubiecta, ab Arabibus, quos Debas vocant, inhabitatur. Camelorum armentis hi paſcendis vacant: quorum vſus ad maxima vitæ negocia illis paratus eſt. ex his contra hoſtem pugnant. horum tergis onera vectant, & expeditè cuncta peragunt. horum lac bibunt, hi nutrimenta eis præſtant. Dromedariis quoque camelis totam regionem percurſitant. Per medium fertur amnis, auri ſecum ramenta tantâ vbertate deuoluens, vt limus circa oſtia eiectus rutilare videatur. Auri tamen operatio accolis prorſus incognita eſt. Hoſpitales ſunt, non erga quoſuis aduenas, ſed Bœotos & Peloponneſios tantùm, propter antiquam ſcilicet ab Hercule inde cum gente hac neceſſitudinem: quam fabuloſè à maioribus ad ſe deriuatam aſſerunt. Adhærens illi regio ab Alilæis & Gaſandis Arabum populis, habitatur; quæ non igneo Solis æſtu torretur, vt propinquæ, ſed mollibus & ſpiſſis ſæpe nubibus obtegitur: vnde niues ac pluuiæ commodæ & opportunæ exſiſtunt, quæ æſtatem quoq; bene temperant. Ad quoduis ibi tellus ferendum eſt idonea, & benignitate excellit: ſed per inſcitiam hominum, piſcationis duntaxat peritorum, non iuſto afficitur cultu. Magna vis auri è cuniculis à naturâ factis eruitur; non è ramentis colliquefactum, ſed ſponte ſuâ natum; quod ab euentu apyrū (id eſt *ignis expers*) nominatur. Minimum eius fruſtum nucleo modico par eſt, maximum à nuce regiâ non multùm exceditur. Circa baſim manuum & colla idipſum geſtant pellucidis inuicem lapillis traiectum. Vt autem hoc metalli genere abundant, ſic æris & ferri penuriâ laborant. Propterea æquali hæc auri pondere cū mercatoribus permutant.

LVI. Hos ſequuntur, quos Carbos vocant; & deinde Sabæi præ aliis Arabiæ gentibus populoſi. Arabiam enim illam felicem tenent, rerum quæ apud nos magni æſtimantur, oppido diuitem, & pecorum omnis generis longè fœcundiſſimam. Totam enim naturalis quædā fragrantia obtinet, eò quòd pleraq; omnia, vnde pręſtātiſſimi odores exſpirant, citra defectionem ibi naſcuntur. In maritimis balſamum creſcit, & caſia, aliaque peculiaris genii herbæ

quæ recenti adhuc vigore ſuauiſſimam oculis voluptatem affert.inueterata ſubitò flacceſcit. In mediterraneis ſaltus opaci exſiſtunt,inque his celſæ thuris,myrrhæ,palmæ, calami,cinamomi, & aliorum ita ſuaueolentium arbores, exſurgunt. Quis ſingulorum proprietates & naturas, in tantâ multitudine & odorum è cunctis prodeuntium excellentiâ, percenſeat? fragrantia enim illa, quorumcunque ſenſus exhalatione ſuâ percellens,omninò res diuina eſt, & oratione maior, quæ & longè continentem hanc præternauigantes voluptatis ſuæ non immunes eſſe patitur. Veris enim tempore excitatus à terrâ ventus, è myrrhiferis & id genus cæteris arbuſtis exhalantes odorum auras in vicinas maris partes tranſmittit. Non enim abiectam & quaſi exoleſcentem, vt apud nos, aromata naturam habent, ſed virtutem adhuc nouam & in flore vigentem, ad intimos vſque ſenſus ſubtiliter transfundunt. Dum enim euaporantes fragrantiſſimorum germinum ſpiritus auræ tranſportant,fit,vt iucunda & copioſa, necnon ſanitati conducens, & inuſitata ex optimis rebus miſtura, ad oram illam legentes deferatur. Non enim ex fructu inciſo, & cuius vigor iam exſpirauit, aut qui in diuerſi generis vaſa ſit reconditus,ſed à recenti maturitate, & diuinâ ſinceræ ſtirpis naturâ, odoratus ille promanat; adeò, vt qui participes huius boni fiunt,ambroſiâ fabulis decantatâ ſibi frui videantur:cùm ſumma odorum ſuauitas dignius ſe nomen haud inueniat. Nec tamen integram, nullâque inuidiâ permixtam hanc felicitatem ſors hominibus affudit, ſed tantis dotibus nocumentum quoddam adiunxit; quò per continuam bonorum affluentiam deos contemnere ſoliti meliora doceantur. Saltus enim fragrantiſſimi ſerpentibus abundant,colore puniceo, longitudine ſpithamæ & morſu planè immedicabili. Aſſultu quodam feriunt, & concitato in altum impetu corpus cruentant. Singulare quid incolis longo debilitatis morbo accidit. nam quia immoderata penetrandi vis corpus perflat,& concretionem partium ad laxitatem redigit:vix, curabilis tãdem exſolutio conſequitur. idcirco bitumine,hircique barbâ ſuffitum ægris faciunt,vt nimias fragrantiæ vires contrarii odoris naturâ expugnent Bonũ enim iuſtâ menſurâ & conuenienti ordine adhibitum, iuuat & delectat homines: à debito autem proportionis & temporis modo exorbitans,infructuoſam ſui largitionem habet. Gentis huius

XLV

“ “ “

tis huius

tis huius vrbs, quam Sabas vocant, caput est, monti incumbens. Reges successione gentili imperant: quibus honores bonis malisque permixtos vulgus defert. Beatam quidem vitam agere videntur: quòd cunctis iura dantes ipsi nullum gestorum à se rationem reddere coguntur. at infelix horum conditio est, quatenus nunquam è regiâ exire illis licet. Si contrà egerint, plebs lapidum coniectu (sic enim vetus iubet oraculum) eos obruit. Natio hæc non finitimos tantùm Barbaros, sed cæteros etiam mortales diuitiis, & quauis rerum preciosarum copiâ antecellit. nam in commerciis quando aliquid distrahunt, pro exigui ponderis merce plurimum auferunt precii præ omnibus, qui argentum rebus suis commutant. Ideò cum per omnium memoriam propter longinquitatem situs in nullius vnquam potestatem venerint, aurique & argenti copiâ quasi circumfluant, maximè Sabis vbi regia illis sedes; toreumata omnis generis, & ex argento, auroque pocula, lectos etiam & tripodes argenteis fulcris, aliamque supellectilem, magis quàm credas sumtuosam, possident. Porticus domuum & templorum partim deauratæ sunt, partim argenteas in capitellis effigies sustinent. Laquearia & portæ crebras ex auro & preciosis lapillis phialas ostentant. Siquidem in totam ædium substructionem mirificos impendunt sumtus; nunc argento & auro; nunc ebore & lapillis exquisitis, aliisque apud homines magnæ æstimationis rebus; illas exornantes. Per multas enim ætates illabefactatam retinuere felicitatem, quod longissimè remoti sunt ab illis, qui per auaritiam suam in aliorum opibus lucrum ponunt. Mare illic candidum refert colorem; vt quis simul inusitatum rei modum & causam meritò demiretur. Fortunatæ propè Insulæ exstãt, munitis frequentatæ oppidis. vbi greges & armẽta in vniuersum niuei sunt coloris: nec vllum fœmineo sexui cornu agnascitur. Ad has vndique mercatores commeant; in primis à Potanâ, quam Alexander ad Indum fluuium condidit: vt commodam in illa Oceani ora nauium stationem haberet. Atqui de regione hac, eiusque incolis, iam sat dictum esse arbitramur.

LVI. Nunc quæ mira istic in cœlo videntur non prætermittenda sunt. Omnium verò maximam incurrit admirationẽ, nec mediocrem nauigantibus dubitationem mouet, quòd de vrsa cœlesti commemoratur. A mense enim quem Mæ-

macterionem Athenienses (Romani *Decembrem*) vocant; nulla septentrionum circa vrsam ad primam vsque vigiliam; Posideone (qui *Ianuarius* est Romanis) vsque ad secundam; in sequentibus etiam parum de his à nauigantibus conspici, perhibetur: nec quas erraticas vocant, conspectui illorum exhiberi. De reliquis, alias maiores sub exortum esse quàm nobis videntur: alias non consimili modo adscendere ac descendere. Nec solem, vt apud nos, modicum ortui suo iubar præmittere; sed intempestâ adhuc nocte insolenti apparitione subitò effulgere. Ideò nunquam illic priùs diescere, quàm Sol totus conspiciatur. Ex medio (vt aiunt) pelago emergit, candenti assimilis carboni, & scintillas de se ingentes proiicit. nec rotundâ, aut disci, vt nobis videtur, figurâ apparet, sed columnæ speciem refert, cuius caput aliquantò crassius appareat. Præterea neque splendorem, neque radios ad primam vsque horam fundit: sed vt ignis absque luce in tenebris emicat. Ineunte secundâ, clypei formam induit; subitumque ac supra modum feruens lumen dispergit. Sub occasum verò contraria in ipso eueniunt. nam suis adhuc radiis non minus quàm per duas, vel vt Agatharchides scribit per tres horas illustrare mundum intuentibus videtur. quod tempus incolis omnium est iucundissimum, deminuto iam per occasum Solis æstu. Ex ventis, Fauonii & Africi, nec non Argestæ & Euri, vt alibi terrarum, spirant. sed Austri per Æthiopiam neque flant, neque in vllam venêre cognitionem. In Troglodyticâ tamen & Arabiâ feruorem supra modum intendunt, ita vt syluas quoque incendant, & quàmuis sub tuguria homines refugiant, toto tamen corpore elanguescunt. Ideò Boreas meritò ventorum optimus iudicetur, qui totum peruadens orbem perpetuam refrigerandi vim conseruat. His ita explanatis Afros etiam Ægypto propinquos, & contermina illis loca, percurrere, non alienum fuerit. Namque Cyrenen & Syrteis, per interiores portò terras diffusa, accolunt quatuor Afrorum genera. Nasamones qui vocantur, partes Austro expositas tenent. Anchisæ versus occidentem habitant. Marmaridæ longos inter Cyrenen & Ægyptum tractus ad maris vsque littora frequentant. Macæ, omnium cognatarum gentium populosissimi, ad Syrtes sunt reiecti. Ex his Afrorum gentibus ruricolæ sunt, quibus solum frugibus vbertim producendis aptum contigit.

git. Nomades alii, quicunque rei pecuariæ dant operam, & victum inde acquirunt. Vtrunque genus suo paret regi, vitamque non prorsus ferinam, aut ab humanitatis cultu remotam, agit. Tertium verò nec vni regi subditum, nec iusti & æqui rationem notitiamque habens, perpetuis indulget latrociniis. Eruptionibus subitò è solitudine factis, quæuis obuia diripiunt & statim ad consueta se lustra subducunt. Omnes hi Libyes, sub dio commorantes beluino more viuunt, studiisq; efferati sunt. nec enim victu, nec vestitu cultiore afficiuntur: sed caprarum pellibus corpora integunt. Magnatibus horum nullæ omninò sunt vrbes, sed turres fluentis proximæ, vbi penum, quæ superflua est, recondunt. Subditos quotannis fidei sacramento ad parendum adstringunt. Obtemperantes, vt socios, tuentur. qui imperium respuunt, capitis anquisitos, vt latrones bello persequuntur. Armatura cum patriâ & studiis conuenit. cùm enim agili sint corpore, & terras vt plurimùm campestres inhabitent; tribus hastilibus, & lapidibus aliquot in marsupio reconditis, ad prælia contendunt. & nec gladium, nec galeam, nec quicquam præterea armorum gestant; in hoc tantùm intenti, vt in persequendo & retrocedendo agilitate præpolleant. Ideò
„ ad cursus & lapidum eiaculationes sunt aptissimi, curâ & ad-
„ suefactione continuâ naturæ habilitatem excolentes. Nullum omninò ius; nullam quocunque pacto fidem erga peregrinos seruant.

L. Regio Cyrenen attingens glebosa est, multosque gignit fructus. non enim frumentorum modò, sed & vitium, & olearum, arborumque & herbarum copiâ, nec non fluminum commoditate præstat. At quæ vltra Australes se partes regio extendit (vbi * crescit) sementem non admittit, & fluuialibus aquis defecta, similem pelago adspectum præbet: vbi nulla varietas. sed omnia circumquaque inculta & deserta, quorum vlteriora inexplicabilem transitus finem habent. ideò nec auis, nec quadrupes illic, præter dorcadem & bouem, sub adspectum venit. imò nec planta ibi, nec aliud quippiam, quo visus hominis demulceatur. terra quippe interius recedens, per tractum longissimum arenarum cumulis est oppleta. Quo minus verò necessaria vitæ sufficit, eò magis variæ magnitudinis & formæ serpentibus luxuriat, maximè his, quos Cerastas vocant. lethales hi morsus inferunt, eiusdemq; sunt cum arenâ coloris.

ideò cùm à ſubſtrato ſolo ob coloris ſimilitudinem à paucis diſcernantur, euenit, vt plurimi calcantes illos ex errore, improuiſum mortis periculum incurrant. Hos, fama eſt, impreſſione, quondam in Ægyptum factâ, magnam terræ partem habitatoribus deſtituiſſe. Mirabile etiam quiddam huic terræ vt & vaſtæ interius regioni, & quæ Syrti eſt obiecta, contingit. Quandoque enim, & vt plurimùm ventis quietis, concreta quædam corpora in aere videntur, variorum animantium formas exhibentia, quarum alia quietè ſe continent, alia mouentur. interdum quoque fugiunt, interdum inſectantur: cúmque monſtroſam præferant magnitudinem, ſtuporem ac metum ignaris adferunt. quæ homines perſequuntur, corporibus apprehenſorum cum frigore & palpitatione circumfunduntur. Itaque hoſpites non adſueti, metu tantùm non emoriuntur. ſed indigenæ rem vſu non rarò cognitam adſpernantur. Inſolens hoc, & fabuloſo commento non abſimile, phyſici nonnulli ad rationem huiuſmodi reuocare nituntur. Aut nullis (aiunt) regio illa ventis perflatur, aut ſi qui flant, admodum leues ſunt & infirmi. Aer quoque ſæpenumerò mirandum in modum quietus eſt, & planè immobilis, cùm nulla in propinquo ſint nemora, nullæ conuallium vmbræ, nulli extuberent colles: nihil quoque amnium maiorum decurrat, nihil denique in propinquo frugum creſcat. & ob id nulla euaporatio contingat: è quibus cunctis initia & concrementa flatus ventorum accipiant. Quandoquidem ergo aer ita ſuffocatus aridum iſtud ſolum ambit, idem circa Libyam accidit, quod pluuiis diebus in nubibus variarum impreſſione formarum, contingere videmus: quod aer videlicet concretus in multas ſeſe ſpecies conformet, qui à debilibus & tenuiſſimis auris elatus, crebroque huc illuc vibratu & colliſu aliis id genus concrementis adhæreſcens circumuectatur. Tranquillo tandem vento ad terram grauitate ſuâ ſubſidit, qualitercunque informatus, vt caſus tulit: Et dum nihil eſt à quo diffundatur in quodcunque incidit animal, ei ſeſe applicat Motus autem ille (vt cenſent) in vtramque partem, nullam voluntarii in ſe appetitus vim habet. fieri enim non poteſt, vt inanimatis vel fugiendi vel perſequendi voluntas inſit. ipſa, quibus adhærent, animalia occultè motus & eleuationis cauſam præbent. Acceſſu enim ſuo aerem euidenter impellunt; ideoque ſimulacrum in eo concretum ſenſim cedit, &

LI.

dit, & fugientis speciem repræsentat. retrocedentes ratione contraria insectari videtur: quia corporibus suis inane illud ac rarum attrahunt. nam reciproco attractionis impetu confertim in anteriora deuergit. Fugientes autem siue se auertant, siue resistant, ab insequentis mole spectri occupari, idque in solido receptum corpore attenuari, & circumfusione sui frigus afferre, non præter rationem est.

II. His ordine expositis conueniens huic loco fuerit, quæ de Amazonibus Libyæ vetustis prodita sunt, referre. multi enim hac persuasione decepti sunt, nullas quondam fuisse alias, quàm Thermodontis ad Pontum accolas. Veri autem se ratio aliter habet: quod videlicet Africanæ & temporum longinquitate & rerum gestarum magnitudine alias longè antecesserint. Nec præterit nos, lectorum vulgo narrationem de his inauditam & prorsus alienam videri. Cùm enim Amazonum harum genus multis ante Troica seculis exstinctum sit; at quæ circa Thermodontem habitarunt, non ita diu ante hæc tempora viguerint; quid miri est, si posteriores ob recentiorem notitiam prioribus in gloriæ hæreditatem successerint, vtpote, quas maximæ hominum parti obscuras & ignotas faciat temporum vetustas? Idcirco nos, quibus multi de poetis & historicis offeruntur antiquis, nec pauci ætati nostræ viciniores, qui mentionem illarum faciũt: capitibus quibusdam res earundem includere studebimus: quomodo à Dionysio, qui Argonautarum & Bacchi historias, aliaque multa, priscis temporibus gesta, conscripsit, factitatum est. In Africa ergo non vnum fœminarum genus, quæ fortitudine ac bellis claruerunt, exstitit. Gorgonum enim gentem, contra quam Perseus belligerauit, fortitudine præstitisse, accepimus. Quanta equidem harum fuerit excellentia & potestas, inde coniecturam ceperis, quod Iouis ille filius, Græcorum omnium suæ ætatis præstantissimus, expeditionem illam maximi loco certaminis instituit. Et Amazonum, de quibus nunc historia texetur, virtus longè eminentissima est, si cum mulierum indole nostratium comparentur.

III. In occiduis Libyæ oris, ad habitabilis terræ fines, natio quædam muliebris dominii patiens, & rationem vitæ nostræ prorsus disparem amplexa, quondam habitauit. Huius ita morem describunt. Fœminæ res bellicas administrant, &

ſtatuto tempore militiam, ſaluâ tamen virginitate, obeunt. Peractis autem militiæ annis, ad viros quidem ſobolis causâ ſe applicant: ſed magiſtratus & publica munera omninò ſibi vendicant. Viri autem (perinde vt apud nos matronæ) rei familiaris curam gerunt, miniſteria ſua vxorum negociis ſubmittentes: nec vllam in partem vel militiæ vel imperii, vel cuiuſcunq; auctoritatis publicæ, quâ contra muliebre iugum animos ſumerent, admittuntur. Quamprimùm ſoboles in lucem edita eſt, viris traditur, vt lacte aliiſque decoctis, quæ ætati illi conueniunt; nutriatur. Si femellam partus exhibuit, mammas illi adurunt; ne maturâ ætate protuberent. non enim leue militiæ impedimentum eſſe exſtantes mammillas arbitrantur. & ab harum priuatione *Amazonibus* Græci nomen indidêre. Inſulã eos inhabitâſſe fabulantur, quæ quòd ad veſperam, iuxta Tritonidem ſcilicet paludem, ſita ſit, Heſperiæ nomen reportârit. Paludem hanc Oceano, qui terram ambit, vicinam eſſe; à fluuio quodam Tritone, qui in illam ſeſe infundat, nuncupatam, & Æthiopiæ adiacentem, ſub monte omnium iſtis in locis maximo, inque Oceanum prominente, qui à Græcis Atlas nominatur. Inſula hæc (aiunt) ſpacioſa eſt & fructuoſis arboribus referta multifariam; vnde victus Inſulanis redit. Accedit huc copia armentorum, caprarumque & ouium greges; quarum lacte ac carnibus ſe ſuoſque poſſeſſores nutricantur. Sed nullus frumentorum genti vſus, quòd is tum nondum fuerit monſtratus. Hæ igitur Amazones, cum fortitudine præſtarent belli cupidine excitatæ, Inſulæ primùm vrbes ſuæ poteſtatis fecerunt, præter vnam (Menam vocitârunt) pro ſacrâ habitam, quam Æthiopes Ichthyophagi colunt; magnis ignium exhalationibus æſtuantem, lapidumque precioſorum, quos Græci Anthraces (id eſt, *Carbunculos*,) Sardeiſque & Smaragdos vocant, diuitem. Poſt hæc compluribus in viciniâ Afrorum & Numidarum debellatis, in ipſo Tritonis lacu vrbem condiderunt: cui à figurâ Cherſoneſi nomen impoſitum. Inde res magnas aggreſſæ, animi impetu ſic exſtimulante, multas orbis partes inuasêre. initiumque belli factum in Atlanteos, homines (vt illic quidem locorum) perquàm mites, terramque fortunatam cum vrbibus non exiguis ſortitos. Apud quos primum diis ortum contigiſſe, in vicinis ſcilicet Oceani locis, perinde vt Græci fabulãtur, de quibus particulatim infrà mentio fiet.

LI

tio fiet. Cùm ergò Myrina Amazonibus imperitaret, exercitum tricies mille peditum, & bis mille equitum (nam accuratius rei equestri studium, propter vsum in bellis, adhibebant) confecit. Arma, quibus se protegerent, erant serpentum magnorum exuuiæ: feris enim hisce magnitudine incredibili Africa redundat. Quibus autem vim hostilem propulsarent, gladii & lanceæ, arcusque. his non solùm aduersos impetere, sed in fugam persequentes etiam certo ictu ferire nouerant. Tum Atlantidum terras bello adortæ, eos qui Cercenen incolunt, acie superârunt; & cum promiscuâ fugientium turbâ mœnibus illapsæ vrbem occupârunt. Vt autem vicinis incuterent terrorem, atrocius in expugnatos sæuitum est. mares enim pubertatem egressos trucidarunt, & fœminas cum liberis, destructâ vrbe, in captiuitatem abduxerunt. Famâ de Cercenæorum clade per eandem gentem ditâ Atlantei cæteri formidine perculsi cum pacto imperata faciendi, vrbium deditionem fecerunt. Cum his ergò clementer egit Myrina; amicitiâque cum eis pactâ, pro exciso aliud sui nominis oppidum exstruxit, in quod captiuos & quicunque popularium sese aggregare vellet collocauit. Sub hæc, cùm magnificis Atlantei muneribus reginam cumularent, & eximios illi publicè honores sciscerent: humanitatem istam non modò acceptam habuit, sed etiam bene se de gente ipsorum merituram; promisit. Cùm itaque sæpenumero à Gorgonum (vt vocantur) gente vicinâ & æmulâ infestarentur; Myrina precibus Atlanteorum gratificans, armatâ Gorgonum terras manu inuadit: collatisque signis asperum initur prælium; in quo superiores factæ Amazones, plurimas hostium occidunt; nec tribus millibus pauciores capiunt. Cúmque reliquæ in saltuosa refugissent loca, Myrina funditus exstirpare gentem properans, syluam incendere conatur. Quod cùm non succederet, ad confinia regni sui copias reducit.

LV. Ibi cum ob res bene gestas negligentiùs excubiæ agerentur, captiuæ extractis dormientium gladiis multas trucidant: sed à multitudine vndique circumfusâ tandem strenuè pugnantes ad internecionem cæduntur. Tum Myrina interfectas belli socias tribus pyris funerat, totidemque busta, magnis excitatis aggeribus, educit, qui hodieque Amazonum tumuli vocantur. Gorgonum tamen etiam post magna fuit potentia;

donec imperante Medusâ Perseus iterum eas debellauit. Ad extremum, & ipsæ & gens Amazonum internecione deletæ sunt ab Hercule; quo tempore ad occiduas profectus plagas, columnam illam in Africâ excitauit. Nec enim patiendum videbatur ei, qui de tota mortalium gente bene mereri studeret, diutius superesse nationes muliebri imperio subiectas. Tritonidem quoque paludem, dehiscente versus Oceanum tractu, per terræmotum abolitam esse dicunt. Myrina porrò maximam Africæ partem obiuit, & in Ægyptum profecta, cum Horo Isidis filio, tum rerum potiente, amicitiam iniuit. Bello etiam Arabibus illato multos interemit. subactâque iam Syriâ, Cilices cum muneribus ei occurrunt, ad iussa faciendum parati: quos quia sponte se fidei ipsius permitterent, liberos esse iussit: eamque ob causam etiamnum *Eleutherocilices* appellantur. Hinc perdomitis ad Taurum nationibus, robore corporis & animi valentibus, per Phrygiam ad magnum vsque mare descendit. subiunctâque regione maritimâ, Caicum amnem militiæ finem statuit. De terris autem bello acquisitis opportunas habitationi deligens, cõplures ibi vrbes vnamque suo nomine celebrem, ædificauit. Cæteras à præcipuis copiarum ducibus, quippe Cymen, Pitanen Prienen, denominauit. has quidem ad mare, alias verò plures in mediterraneis exstruxit. Occupauit etiam insularum nonnullas, imprimis Lesbum; in quâ germanæ suæ cõmilitantis nomine Mitylenen condidit. Interim dum alias quoque Insulas subiungit, tempestate affligitur. Ibi votis matri deûm pro salute nuncupatis, desertæ cuidam appellitur. hanc per somnium admonita, deæ quam diximus, consecrat, structisque illic aris, sacra magnifica peragit. Samothrace Insulæ nomen est; quod *insulam sacram*, Græce translatum, sonat. Sunt tamen inter historicos qui scribunt, Samen antea vocitatam à Thracibus incolis Samothraces nomen accepisse. Postea tamen Amazonibus in continentem reuersis, deûm matrem Insula hac oblectatam, cùm alios, tum filios suos, quos Corybantes vocant, in eam collocasse, fabulantur. Quo verò hi sint patre, in arcanis mysteriorum sacris traditur: quorum ritus illa ipsa docuit, & lucum ibi augustum & inuiolabilem (*Asylum* Græci vocant) instituit. Sub hæc (aiunt) tempora Mopsus quidam Thrax, à Lycurgo Thracum rege in exsilium actus, cum exercitu Amazonum fines inuasit. Co-

ſit Comes expeditionis erat Sipylus,& ipſe è vicinâ Thraciæ Scythiâ expulſus. Prælio conſerto, Sipylani & Mopſani vincunt,& Myrina Amazonum imperatrix cum aliis compluribus cadit. Progreſſu temporis cùm frequentibus Thraces præliis euaderent ſuperiores,quod gentis Amazoniæ ibi reliquum erat,in Libyam remeauit Et hunc expeditionis Amazonum ex Africâ finem eſſe,memoratur.

I. Iam poſtquam de Atlantiis mentio facta eſt, non alienum ducimus adiungere, quæ de ortu deorum fabuloſè narrant,cùm à Græcorum fabulis non multùm diſſonent. Atlãtii ergò Oceani accolæ,& felicis terræ poſſeſſores: hoſpitalitate omnes finitimos anteire exiſtimantur. & hi deos apud ſe natos eſſe gloriantur. atque huic ſuæ aſſertioni illuſtriſſimum Græcorum poetam adſtipulari dicunt, vbi Iunonem ſic interloquentem fingat:

Longinquos abeo fines inuiſere terræ,
Oceanum, Thetymque patrem, matremque deorum.

Primum ſibi regem fuiſſe Vranum(id eſt, *Cœlum*) perhibent; qui homines ſparſim habitantes intra vrbis pomeria coegit,& ab exlege beluinoque viuendi more cohibitos, mites terræ & arborum fructus deponere ac vſurpare docuit, aliaque non pauca vitæ præſidia inuenit. Is & maximam orbis partem,in primis verò quæ ad occaſum & Septemtriones ſpectant, in poteſtate habuit. Cúmque ſiderum obſeruationi impensè deditus eſſet, multa in mundo ſuperiori euentura prædixit, & ex motu Solis anni rationem vulgo patefecit: menſes quoque ex curſu Lunæ,& certas ſingulis annis horas, definiuit. Ideò cùm plebs,de perpetuò aſtrorum ordine nõdum edocta, prædictorum euentuum certitudinem admiraretur; opinio inoleuit,vatem illum naturæ diuinæ conſortem eſſe; rebuſque humanis exempto, ob merita & aſtrorum ſcientiam diuinos honores impenderunt. Nomen autem eius ad mundum (*Cœlum*) tranſtulit, tum vt ortus, occaſuſque ſiderum, & alia in ætherio mundo contingentia familiariter nouiſſe putaretur; tùm vt per omne ſeculum vniuerſi regem eum appellitantes,honorum magnitudine merita eius exſuperarent.

VII. E pluribus Vrano(ſeu *Cœlo*)vxoribus natos ferunt liberos XLV. horumque XIIX. ex Titæa quorum cuique proprium quidem nomen erat:ſed commune omnes cognomen Titanum à matre vſurpabant. Titæa autem, quod

& prudentiâ & meritis erga alios excelleret, post fata inter deos, ab his, quos beneficiis sibi obligârat, recensita fuit, & *Telluris* nomen accepit. Filias etiam susceperunt, quarum duę natu maximæ præ cæteris inclaruerunt, Basilea (*Regina* Latinis) & Rhea, Pandora nonnullis dicta. Basilea cùm ætate, tùm castimoniâ & prudentiâ cæteris præstantior, maternâ fratres beneuolentiâ complexa, omnes enutriuit; & ob id *magnæ matris* nomen est adepta. Hæc post patris ad deos ab hominibus transitum, populi fratrumque suffragiis regiam potestatem accepit; quod & virgo adhuc esset, nec præ eximiæ castitatis studio cuiquam vellet nubere. Sed tamen postmodum ex se genitos regni hæredes relinquere cupiens, ab Hyperione fratrum vno, quem apprimè diligebat, domum ducta fuit. E quo cùm duos suscepisset liberos Helion & Selenen; qui formæ splendore, castique pudoris decore in admirationem sui cunctos rapiebant; fratres eius partim inuidiâ ob sobolis felicitatem, partim metu, ne regnum ad se pertraheret Hyperion, nefarium peregerunt facinus. Nam coniuratione initâ Hyperionem obtruncât, Heliumque adhuc puerum, in Eridano demersum suffocant. quâ calamitate patefactâ, Selene impensè fratrem amans, de tecto se dat præcipitem: & mater dum in amnis ripâ filium inuestigat, animi deliquio affecta, in somnis Helium videt adstantem cum hac consolatione; ne ob interitum liberorum nimio se luctu affligeret. meritum enim Titanes supplicium expensuros. Se verò & germanam in naturas immortales prouidentia diuinâ transformatum iri, vt, qui priùs sacer in cœlo ignis vocatus sit, nunc Helius (*Sol*) appelletur, & quæ antehac Mene fuerit, nunc Selenes (*Luna*) nomine veniat. Experrecta cùm & somnium & infortunium suis exposuisset, contendit ab illis, vt deûm cultu defunctos venerentur; suum verò corpus nemo posthac contingat. Mox œstro furoris icta, arreptis filiæ crepundiis, susque deque sparsis crinibus diuagabatur, & cum tympanorum cymbalorumque strepitu lymphantis more discursitans, magnum videntibus horrorem incutiebat. dumque omnes miseratio tam acerbi casus incessit, & nonnulli corpori manus admouent; ecce ingens subitò imbrium, fulminumque procella oritur. Et tum Basilea postremum in terris visa fuit. Populus autem prodigium hoc admiratus, Helium & Selenen (id est, *Solem & Lunam*) cùm nomine, tum honore inter cœli sidera re-

sa refert; matrique, iam deam esse persuasi altaria exstruxerunt, tympanorumque ictu; & cymbalorum tinnitu; nec non aliorum, quæ circa ipsam euenerant imitatione; sacra & honores eius peregerunt. Natales tamen deæ huius Phrygiæ adscribuntur. in Phrygiâ enim quondam & Lydiâ Meonem regnasse memorant; qui acceptâ in matrimonium Dindymâ fœminei sexus prolem ex eâ genuit, quam cum alere nollet in Cybelo monte exposuit. Ibi numinis dispensatione quadam, pardales & quædam aliæ ferocissimarum bestiarum vberibus infantem admotis nutricauêre. Mulieres autem quædam illic pascentes, cùm quid fieret animaduertissent, insolentem rei modum demiratæ, infantem tollunt, & Cybelen à loco nominant. Puella viribus & annis aucta, pulcritudine & continentiâ, ingeniique vigore mirificè excelluit. Nam fistulam multis contextam calamis, cymbalaque & tympana, ad lusum, choreasque princeps inuenit. adhæc pecorum & infantium morbos purgationibus abigere docuit. Ob singularem igitur diligentiam & beneuolæ mentis affectionem erga pueros, quos per incantationes sanitati redderet, & crebrò in vlnis foueret, *Montana mater* appellata fuit. Frequens circa illam Phryx ille Marsyas, primusque inter necessarios erat. Mira in homine isto solertia & castitas. De solertiâ inde coniecturam faciunt; quod fistulæ multis instructæ calamis sonos imitatus, totam ad tibias harmoniam traduxit. Pro castitatis argumento habent, quod ad vitæ vsque finem à re Venerea se integrum conseruauit. Cybele autem pubertatis iam annos ingressa, quendam ex indigenis adolescentem priùs Attin, deinde Papam vocitatum, amauit: cum quo clam rem habuit, inde prægnans facta, sub idipsum tempus à parentibus agnoscitur.

LIX. Hanc itaque in regiam ad se perductam initio pro virgine pater acceptat. Sed postmodùm de stupro certior factus, nutrices & Attim è medio tollit, & cadauera insepulta abiicit. Tum Cybele, per amoris erga iuuenem impatientiam, & mœrorem ob nutrices, furore correpta in agros excurrit: vbi sola diffusis capillis vlulatu & tympani strepitu vniuersam impleuit regionem. Marsyas autem calamitatis eius misertus, pristinæ amicitiæ studio, quocunque oberrat, assectatur. Cúmque ad Bacchum in Nysa se contulissent, Apollinem istic inuenerunt magnâ existimatione prædi-

tum, quòd citharam à Mercurio inuentam, primus dextrè vsurpare nôsset. Tum Marsyas cum Apolline de artis præstantiâ in certamen descendit. Nysæi autem iudices erant. Ac primus quidem Apollo simplex citharâ carmen personat. At Marsyas quamprimùm tibias inflauit, quòd cantus nouitate aures percelleret, modulationis suauitate æmulum longè anteire visus est. Tum conuentione factâ, vt de nouo solertiæ specimina, inter se comparanda, iudicibus exhiberent, Apollo iterum exorsus, citharæ sonis congruam ipse vocem applicat, eoque modo priorem tibiæ applausum longè vincit. Quod indignè ferens Marsyas, præter omne ius sibi primas negari, auditores docet, non enim vocis sed artis comparationem institui debere, & iuxta hanc harmoniam & carmen citharæ ac tibiæ examinandum esse. Iniquum præterea esse, duas artes cum vnâ conferri. Ad hoc respondisse fertur Apollo, Nihil sibi plus esse. Marsyam enim idem facere quod ipsum dum tibias inspirat. concedendam igitur vtrique eandem iudicii potestatem; vt vel neuter oris adminiculo vtatur, vel manibus duntaxat artis suæ præstantiam ostendat. Visus tum auditoribus fuit Apollo æquiora postulare. ideò commisso tertiùm certamine, Marsyas vincitur. Ibi victor, contentione nimiùm exacerbatus, viuo pellem detrahit. mox tamen pœnitentiâ ductus & ægrè, quod commiserat, ferens, ruptis citharæ neruis inuentam ab se harmoniam aboleuit. Mesen (id est, *Mediam*) tamen Musæ, Lichanon Linus, Orpheus & Thamyris Hypaten & Parhypaten deinde inuenerunt. Exinde Apollo citharâ tibiisque in antro Bachi dedicatis, amore Cybeles inflammatus ad Hyperboreos vsque cum eâ oberrâsse fertur. Cùm autem homines in Phrygiâ morbus inuaderet, & terra sterilitate premeretur: consultum de remedio mali oraculum, Attidis corpus sepeliri, & Cybelen pro deâ coli iussit. Phryges ergò cum nihil de cadauere vetustas reliquum fecisset, imaginem adolescentis fecerunt, quam lamentis & planctu, honoribusque aliis, ad funus eius accommodatis persequentes; piaculi à se comissi Furias mitigârunt. quod ad nostram vsque ætatem constanter peragunt Cybelen etiam, quòd iam olim diis aras posuisset, anniuersariis sacrificiis honorant. cui in Pesinunte, Phrygiæ vrbe, postmodò magnificũ exstruxerunt fanum; solennesq; immolationes ac cultus instituêre; diligenter hanc rẽ adiuuante

rege

rege Midâ. Simulacro deæ pardales admouerunt & leones; quod ab his enutrita putaretur. Et hæc sunt, quæ de matre deûm Phryges & Atlantii, Oceani accolæ, ex antiquitate repetunt. Cæterùm post Hyperionem è medio sublatum, Cœlo geniti regnum inter se diuiserunt. inter quos clarissimi, Atlas & Saturnus. Atlanti regiones Oceano conterminæ sorte obuenerunt; qui populos illic Atlantios, & maximum terræ montem Atlantem de nomine suo appellauit. Exactam Astrologiæ cognitionem habuisse perhibent: qui & Sphæræ rationem primus manifestârit. ex quo mundum vniuersum humeris eius incumbere, nata est opinio, cùm inuentam ab eo Sphæ[illegible] & descriptam, hac fabulâ adumbret. Inter plures eius filios pietate, iustitiâ & humanitate erga subditos, eminuit Hesperus. Is cùm ad explorandos syderum motus Atlantis verticem conscendisset, nimbo subito abreptus euanuit. Eiusque casum plebs commiserata, vt immortali eum honore adficeret; pulcerrimum in cœlo sidus eius nomine insigniuit. Fuerunt quoque filiæ VII. Atlanti, quas communi patris nomine Atlantides vocant. propria autem nomina hæc sunt: Maia, Electra, Taygeta, Asterope, Merope, Halcyone, & postrema Celæno. Hæ cum generosissimæ indolis heroibus & diis ipsis commixtæ, plurimis hominum gentibus primordia dederunt, filios enixæ; qui ob virtutem heroes, & dii nominantur. Sic Maia natu maxima è Iouis complexu Mercurium, multarum artium repertorem, edidit. Eodem modo cæteræ quoque Atlantides natos illustres susceperunt; quorum alii nationes, alii ciuitates condiderunt. Ideò non modò inter barbaros quosdam, sed etiam Græcos plurimi vetustorum heroum generis sui incunabula ad has referunt. Insigni etiam vitæ integritate ac prudentiâ fuerunt. quod effecit, vt immortalem defunctis honorem mortales impertirent; & in cœlum euectis pleiadum sydus assignarent. Atlantidum nomen etiam Nymphis attributum fuit, quod mulieres illic communi vocabulo Nymphæ appellentur.

LXI. De Saturno Atlantis fratre memorant, quod enormis eius fuerit impietas & auarities, acceptâque in thorum coniugalem Rheâ sorore, Iouem, Olympii postmodum cognomento, procreârit. Fuisse tamen & alterum Iouem, fratrem Cœli, & Cretæ regem, sed gloriâ postero

longè inferiorē. Hunc enim totū ſub imperio mundum habuiſſe: priſcum verò illū Inſulæ, quam nominauimus, principē, decem filios genuiſſe, quos Curetes appellant, Inſulæq; Ideæ vxoris nomen indidiſſe: in quâ etiam vitâ functus ſepulcrū acceperit, cuius veſtigia noſtrâ quoq; tempeſtate viſantur. Cretenſes tamen ab his diuerſa memorant; de quibus ſeorsū in illorum hiſtoriâ perſcribemus. Saturnus porrò in Siciliâ & Africâ, nec non Italiâ, (vt perhibent) regnauit, imperium deniq; in occiduis orbis partibus conſtituit, & vbiq; præſidiis per arces & munitiones diſpoſitis ſubditos in officio continuit: Quo factum, vt per occidentales Siciliæ partes etiamnum editiora paſſim loca Cronia (id eſt, *Saturnia* caſtella) nominentur.

Saturni (vt aiunt) filius erat Iupiter; qui contrà quàm parens vitæ rationem inſtituens, omnibus ſeſe æquum & humanum præbuit; ob quod patris quoq; nomine à ſuis affectus eſt. Is regnum vel ſponte à patre conceſſum, vel à ſubditis, odio patris traditum, accepit. Quamuis autem Saturnus Titanum auxilio bellum ei mouerit, prælio tamen victor, & rerum Dominus euaſit Iupiter; & totum dehinc orbem peragrans, bene de natione mortalium promeritus eſt. Et quia robore corporis, & omni virtutis genere excellebat, facilè totum ſibi mundum ſubiugauit In hoc inprimis dabat operam, vt impios & ſceleratos pœnis, & beneficiis populum afficeret. Ideoq; exemptum rebus humanis ZENA à viuendo (quod *zen* Græcè dicitur) nominârunt, eò quòd bene viuendi auctor hominibus fuiſſet. Quiq; meritis ab eo cumulati fuerant, hunc ei honorem rependerunt, vt in ſuperno collocatum mundo deum, & perpetuum totius vniuerſi dominum, propenſis omnes ſtudiis appellarent. De diis itaq; apud Atlântios memoratorum, certis incluſa capitibus, hæc ſumma eſt.

Nunc, quia ſupra in Ægyptiacis Bacchi (quem Græci Dionyſum vocant) ortum & res geſtas in hiſtoriæ gentilis ſerie attigimus: coueniens huic loco arbitramur, ſubiicere etiam illa, quæ Græci de hoc deo memoriæ prodiderunt. At cùm priſci fabulatores & poëtæ diſſentanea inter ſe de Baccho ſcripſerint, multa quaſi monſtra narrationum enixi; difficile ſanè eſt generationem eius ac geſta diſertè explicare. Nam alii vnum, alii tres Dionyſos ſeu Bacchos ſtatuunt. LXII.

ſunt qui nunquam hominis eum formâ natum, ſed donum vini pro Baccho accipiendum eſſe contendunt. Nos igitur, quæ à ſingulis dicuntur, capitibus quibuſdam comprehenſa, ſuccinctè percurremus. Qui phyſicè de hoc deo loquuntur, & fructum vitis Bacchum nuncupant, terram ſponte ſuâ, inter cæteras plantas, vitem quoque protuliſſe, à nullo primitùs inuentore conſitam, affirmant. cuius rei argumentum præbeant incultæ vites, quæ multis in locis hodieque vltrò natæ fructum parturiunt, non ſecus, quàm humanæ ſolertiæ curâ elaboratæ. Bimatrem quoque à priſcis vocari Bacchum: quòd vna & quidem prima generatio cenſenda ſit, cum planta in terram depoſita incrementa accipit, altera verò, quando gemmas, & hinc fructum protrudit, racemoſque ad maturitatem perducit. Sic vnam dei natiuitatem è terra, alteram è vite, æſtimandam eſſe. Fabularum auctores tertium præterea ortum Baccho adfingunt: quo ex Ioue & Cerere ſit prognatus; quem poſteà à terrigenis diſcerptum & elixatum, concinnatis denuò membris, Ceres regenerârit. Quod figmentum ad rationes phyſicas reducunt. Iouis enim & Cereris filium dici, quod vitis à terrâ & imbre augmentum nacta, vini è botris exprimendi liquorem producat. Quòd à terrigenis iuuenis dilaniatur, ſignificare fructum hunc à terræ cultoribus vindemiari Terram enim homines Cererem putant. Fabuloſa membrorum elixatio morem innuit, quo plurimi vinum decoquunt, vt fragrantiam eius & naturam præſtabiliorem efficiant. Membra à terrigenis diuulſa, & aptà compoſitione in priſtinam reſtituta naturam, nihil aliud denotant, quàm quòd tellus vitem poſt vindemiam & putationem ad priſtinum fertilitatis vigorem reducat. nam certum eſt, à poëtis antiquis & fabulatoribus Cereris nomine terram matrem deſignari. Et conſentanea his ſunt, quæ Orphicis carminibus indicantur: & quæ myſteriorum ceremoniis exhibentur, quæ ſingulatim à profanis referri, nefas eſt. Pari modo etiã Semeles partum naturalibus principiis acceptum referunt. Terræ enim Thyones nomen à priſcis impoſitum ferunt. Semelenq; ideò vocari, quòd Semne, id eſt, *auguſta* eius ſit cura & veneratio. Thyonen verò à frequentatis illi ſacrificiis (quæ thyſias & thyelas Græci vocant) nomen retuliſſe. Bis è Ioue natus fingitur, quòd in Deucalionis diluuio,

cum aliis fructibus etiam hic periisse existimatus, denuò pòst regerminârit: ibi cùm secunda quasi natiuitate deus hic in conspectum hominum venisset, è Iouis fœmore procreatum fabulantur. Hæc sanè illorum sententia est qui Bacchum de vsu & facultate vini reperti interpretantur. At fabulatores qui humanâ deum hunc specie introducunt, inuentionem vitis & plantationem totumque adeò vini negocium vnanimi consensu Baccho attribuunt. Sed an plures fuerint Bacchi, inter eos ambigitur. Quidam vnum duntaxat fuisse asseuerant, & quidem hunc ipsum, qui vinum potare, fructusque è ligno prognatos colligere docuerit, & cum exercitu totum obierit orbem, mysteriaque & initiorum ritus ac Bacchanalia instituerit. Nonnulli, quod supra indicaui, tres diuersis exstitisse temporibus asserunt, & sua cuique facinora tribuunt. inter quos omnium vetustissimus natione Indus sit; Hic (aiunt) quòd sponte ob benignam aëris & soli temperiem regio illa vitium fertilis est, primus racemos torcularibus pressit, & emolumenta vini obseruauit. Pari studio ficus etiam aliasque maiorum fructuum arbores coluit, & culturæ modum cum aliis communicauit: quicquid denique ad huiusmodi fructuum vindemiam pertinet, solerter excogitauit. hinc Lenęus (id est *Torcularius*) cognominatur, & Catapogon (id est *barbatus*) quòd ad vitæ vsque finem studiosè barbas nutrire Indis mos sit. Hic ille Bacchus (aiunt) qui arma per vniuersum orbem circumtulit, & vineas conserendi, botrosque torcularibus exprimendi (vnde cognomentum ei datum) rationem edocuit, omnesque inuentorum à se participes fecit. Quibus beneficiis adeò sibi homines deuinxit, vt persoluto naturæ debito, diuinos honores consequeretur. Indi locum adhuc monstrant, vbi in lucem hic sit editus, multæq; ciuitates nomen ipsius in linguâ populari retinent. Multa insuper alia Bacchum apud Indos natum, hodiéque attestantur; de quibus perscribere longum foret. Alterum deinde Bacchum è Ioue & Proserpinâ, seu, vt quibusdam videtur, Cerere natum, tradunt. Is primus, vt tradunt, sub aratri iugum boues duxit, cùm manibus hominum prius terra exerceretur; multaq; alia ad ruriculationem commoda artificiosè commentus est; vt à nimiis rustici molestiis liberarentur. His tàm ingentibus beneficiis tantum sibi fauoris conciliauit,

LX

LXIV

uit, vt propensis omnium studiis immortalitati consecratus, tanquam deus, & cultus eximios, & victimarum solennitates reciperet. Imaginibus vel pictis vel sculptis cornua adiecerunt, tum vt ad naturam huius secundi Bacchi alluderent, tum vt, quanta per aratri inuentionem commoditas agricolis accessisset, indicaretur. Tertium deinde Bacchum Thebis Bæotiis ex Ioue & Semele Cadmi natum; memorant. Huius enim amore cùm ob formæ splendorem Iupiter flagraret, sæpius in complexum venisse dicitur. Iuno igitur zelotypiæ affectu impulsa, vindictam de puella sumere animum induxit. Vnam ergò ex familiaribus se esse simulans, dolo Semelen circumuenit. nam æquum esse, vt quâ Iupiter specie cum Iunone congrediatur, eadem quoque Semelen amplectatur, incautæ persuadet. Cùm ergò Semele precibus à Ioue extorsisset, vt pari se, atque Iunonem honore dignaretur, tonitru & fulmine armatus ille accessit; quorum vim cùm puella sufferre non posset, exanimata abortum fecit. Infantem verò Iupiter confestim exceptum femori insuit; eúmque ad iusti incrementi tempus enixus Nysam Arabiæ deportauit; vbi à Nymphis educatus, à patre simul & loco Dionysi (quod *Nysium Iouis filium* sonat) nomen adeptus est. Cúmque specie apprimè decorus esset, primam quidem ætatem choreis ac thiasis fœminarum, omnisque generis voluptatibus ac ludis insumsit. Posteà verò coacto mulierum exercitu, quibus pro hastâ thyrsus esset, in totum orbem terrarum expeditionem fecit. Ritus quoque initiorum edocuit, suáq; mysteria cum piis tantùm, & iustam degentibus vitam, communicauit. Quin etiam vbiq; Panegyres (id est, celebres hominum conuentus) & ludos Musicos instituit. Lites gentium & ciuitatum diremit & pro seditionibus ac bellis concordiam & securam pacem sanciuit & confirmauit.

XV. Cùm ergò fama de aduentu dei vbiq; gentium percrebuisset, & quod omnibus mitem sese exhibens, plurimum ad vitæ socialis culturam conferret: cateruatim occurrentes magnâ ipsum lætitiâ exceperunt. Pauci tamen qui superbiâ quadam & impietate illum repudiârunt; libidinis causâ Bacchas circumduci & ritus initiorum ac mysteria ob mulierum exoticarum stupra doceri ab illo, dictitantes; extemplò pœnas incurrerunt. Quandoq; enim, naturæ suæ præpotentiâ in vltionem impiorum vsus, nunc furorem

iniecit, nunc fœminarum manibus eos dilaniauit. quandoque imperatoriâ quadam solertiâ repentinam aduersariis necem attulit. Bacchis enim pro thyrsis lanceas mucronibus hederâ obuolutis dabat, quibus reges doli ignaros, & ob sexus contemtum imparatos, subitò inuaderent ac transuerberarent. Inter punitos ab eo nobilissimi sunt, Pentheus Græcus; & Indorum rex Myrrhanus; & Lycurgus apud Thraces. Nam Bacchus ex Asiâ copias in Europam traiecturus, amicitiam iniit cum Lycurgo Thraciæ, quæ Hellesponto alluitur, tyranno. Ibi cùm primùm Bacchas in amicam (vt putabat) regionem transportâsset, Lycurgus noctu Mænadas inuadere, omnesque vnà cum Baccho interimere milites iussit. quod Baccho, ab indigena quodam, cui Tharops nomen, de insidiis edocto pauorem non mediocrem iniecit: quòd paucis tantùm amicis in transitu ipsũ comitatis, robur exercitus in aduerso littore adhuc consideret. ideò clam illis ad exercitum ipse transfretat. At Lycurgus oppressas interim Mænades quotquot erant, in loco qui Nysium appellatur, interemit. Bacchus verò quamprimùm copias suas transuexit, pugnâ Thraces vicit, & Lycurgum sub manus redactum, effossis primùm oculis; mox omni cruciatus ac contumeliæ genere excarnificatum cruci adfixit. Posthæc Tharopi, vt gratiam pro beneficio reponeret, Thraciæ regnum tradidit, eumque initiationum ritus (Orgia Liberi patris vocant) edocuit. A Tharope Oeagrus filius regnum, vnà cum mysteriorũ ceremoniis (initiis) traditum suscepit. Has porrò à patre didicit Orpheus, qui cum omnes ingenio & eruditione anteueniret, multa in Orgiis immutauit. Hinc euenit, vt ritus, à Libero patre instituti, Orphici nominentur. Poëtarum tamen nonnulli, in quorũ numero Antimachus est, Lycurgũ non Thraciæ, sed Arabiæ fuisse regem; & in Nysâ Arabicâ Baccho Bacchisq; insidias posuisse, scribunt. Liberum porrò memorant, impiis vbiq; grauiter multatis, & benignè habitis cæteris hominibus, ex Indiâ in Elephanto sublimem Thebas rediisse. Et quia totũ expeditionis interuallum trienne fuerat, Græcos propterea Trieteridas celebrare asserunt. Primum quoq; omnium spoliis tantæ expeditionis onustum, cũ triũpho in patriam esse inuectũ. Hæ igitur Bacchi generationes cõmuni veterum consensu statnuntur. At de loco natiuitatis ciuitates

LXVI.

uitates Græcorum non paucæ litigant. nam & Elei & Naxii, & qui Eleutheras incolunt; Teii quoq;, & plures alii sibi natales eius vendicant. Et quidem Teii pro assertionis argumẽto hoc afferunt, quod adhuc fons, per se scaturiens, in vrbe suâ fragrantissimum è terrâ vinum stato tempore effundat. De cæteris, hi terram Baccho sacram esse gloriantur: illi ex vetustissimâ inde memoriâ fana & lucos ei solenniter dicatos ostentant. Verumenimuerò, cùm multis orbis partibus benignitatis & præsentiæ suæ vestigia hic deus impressa reliquerit, non mirum est, si suam quisq; terram & vrbem Libero patri caram fuisse, autumet. Suffragatur nobis testimonio suo poëta in hymnis, vbi de ambigentibus super huius ortu verba facit, inque Nysâ Arabiæ hunc natum introducit, ad hunc modum:

Sunt tibi qui Dracanum patriam, quiq; Icaron altam;
Dant alii Naxum, Diuûm genus Eiraphiota:
Et sunt Alphei qui te sinuantis ad amnem,
Nugantur, Thebis alii, venisse sub auras.
Non ita. Te pater ipse deumq; virumq; seorsim
Edidit: haud videre homines, haud candida Iuno;
Monte super Nysæ, syluis qui floret amœnis:
Flumen ad Ægypti, procul à Phœnicibus agris.

Nec me fugit, quòd Afri quoq; Oceani accolæ, dei huius incunabula sibi arrogent, & quæ de ipso prædicantur, apud se accidisse contendant, multa, quæ nostrâ etiamnum ætate exstant, monimenta ostendentes. Adhęc ꝙ multi inter priscos Græciæ fabulatores & poëtas, & bona pars recentiorũ scriptorũ, narrationi horum adstipulentur. proptereà ne quid de Bacchi historiâ prætereamus, in capita quædam colligemus, quæ & ab Aphris recitantur; & à scriptoribus Gręcis qui cõsona illis dicũt; & à Dionysio tandẽ, qui priscis de fabulis opus coagmentauit. Is enim Bacchi & Amazonum historiã, & Argonautarum expeditionẽ, resq; ad Ilium gestas, ac multa id genus alia, veterum Mythologorũ & poëtarum carminibus adiunctis, contexuit.

XVII. Hic ergò testatur, ꝙ Linus omnium primus Græcorũ Rhythmos & Melodiã inuenerit: & ꝙ Cadmus literas, è Phœniciâ allatas, primus ad Græcorũ enunciationem transtulerit, suum cuiq; nomen attribuens, & characterem effingens. Hinc literas vocabulo communi *Phœnicias* (quòd videlicet ex Phœnicia traductæ essent) denomi-

natas. quæ tamen *Pelaſgica* deinceps ſint dictæ, quòd primùs translatarum vſus Pelaſgis innotuiſſet. Linus ille (ait) poëſi & melodiâ excellens, diſcipulos habuit multos, inter quos maximè tres inclaruêre; Hercules, Thamyris, Orpheus. Hercules autem citharæ ſtudium amplexus eſt. quòd ingenium eius tardius aliam diſciplinam non caperet, plagiſque aliquando incuſſis, iratus citharæ inflictu magiſtrum interfecit. Thamyris præſtanti vir ingenio in Muſicâ ſe exercitauit, & quod in melodiis excelleret, Muſis ſe ſuauius cantare iactitabat. ob quod irâ deæ percitæ, & Muſices & oculorum illi vſum ademerunt. vt Homerus quoque his verſibus atteſtatur:

---Hic vbi Muſæ
Aduerſæ Thamyrin priuârunt carmine Thracem.

Et rurſus:

Exarsêre deæ: viſumq; & carminis artem
Diuini huic adimunt; citharaq; obliuia reddunt.

De Orpheo (qui diſcipulorum tertius) ſingulatim dicetur vbi ad res eius peruentum fuerit. Linus ergo literis Pelaſgicis res Bacchi illius primi deſcripſit, aliaſque in commentariis fabulas poſt ſe reliquit. Eodem literarum genere Orpheus quoque vſus eſt: & Pronapides Homeri præceptor, ſolertis ingenii medicus; Thymœtes inſuper natus Thymœta Laomedontis, qui Orphei ætate vixit, & multa orbis loca peruagatus, occiduas quoque Libyæ partes ad Oceanũ vſque acceſſit. Quin & Nyſam, in quâ priſcis illis incolis Bacchus eſt nutritus, perluſtrauit: & de ſingulis dei geſtis Nyſæorum operâ edoctus, poeſin, quæ *Phrygia* nominatur, tam lingua, quàm literaturâ vetuſtatem ſapiens confecit. Inter cætera ait, Amonem in parte quadam Libyæ regnantẽ, Rheam Cœli filiam, Saturni, aliorumque Titanum ſororẽ matrimonio ſibi iunxiſſe. qui cùm regnum obiret, ad Ceraunios (vt nominantur) montes, virginẽ cui Amaltheæ nomen, formâ lõge pulcherrimã, offendit: cumq; eâ amoris impulſu congreſſus, filiũ genuit tam robore, quàm ſpecie inſignẽ. poſthæc Amaltheam cum imperio vicinæ regioni præfecit. quæ cùm figurâ ſuâ bouis cornu referat, Heſperium propterea cornu indigetatur. & quæ ſoli hic eſt vbertas, vitibus aliiſq; arborib. quæ eſculẽtos fructus geſtant, redundat. Mulier rerum illic potita de ſe Amaltheæ cornu locũ nuncupa-

LXVIII.

cupauit. Et hac de causâ posteri solum aliquod geniale, & fructibus omnigenis refertum, Amaltheæ cornu pari modo appellant. Ammon verò à Rheæ zelotypiâ sibi metuens cōmissum à se facinus occultat, & clam infanté inde longè remotum in vrbem Nysam transfert. Iacet illa in confragosâ quadam insulâ, quam Triton amnis circumdat, vnoq; duntaxat loco per angustas fauces, quas Nysæas portas vocitāt, ingressus in eā patet. Beata illic fertilitate suâ tellus est, mollibus pratis & hortis feracissimis; qui lætis vndique riuis humectantur; abundans. Arbores passim omnis generis fructuosæ, vitesq; sponte natæ, & vt plurimùm arbustiuæ. Totus hic locus miti aurarum flatu permulcetur: ad sanitatem maximè conducens. Ideo qui illic degunt homines multò longius quàm finitimi, æuum producunt. Primus insulæ aditus vallis oblongæ speciem habet, quem altæ confertim arbores inumbrāt: quo nec Solis radii ob spissitudinem penetrent: sed lux tantum obscura transmittatur.

LXIX. Crebri in transitu fontes dulcissimos expromunt latices; adeò vt ibi cōmorari volentibus nihil iucundius esse possit. Inde antrum sese amœnissimum rotundæ figuræ, & capacitatis eximiæ, offert. Circumquaq; enim præruptus incumbit vertex, celsitatis immensæ; cuius rupes variis coloribus renident. Nam per vices aliæ marinæ purpuræ, aliæ cyani, aliæ aliis coloribus, resplendent: nullumq; coloris genus vsquam exstat, quod ibi non cernatur. Ante introitum arbores mirificæ exsistunt; quædam fructiferæ, quædā perpetuo virore, ad visus solummodò voluptatem, à naturâ creatæ. Ibi omne genus auium nidulatur: quarum & color & concentus suauissimam præbet oblectationem: ideoque totus ille tractus non adspectu tantum verumetiam sonitu diuinum quendam decoré habet, naturali vocis dulcedine harmonicam artis modulationem multum exsuperante. Ostium hoc emensis patulū sese antrum profert, luce Solis vndique perfusum. Varii hic nascuntur flores, inprimis casia, & cætera, quæ perennes tueantur odores. Hic complures Nympharum thoros, variis floribus consitos, nec manu factos, sed ipsius naturę ingenio ita productos, vt etiam diis sint apti, videre est. Inque toto huius orbis complexu nec flos marcidus, nec folium defluum occurrit: quare non contuitus modò spectantes oblectat, sed

LXX. fragrantia quoque mirificâ eos voluptate perfundit. In

hoc ergò antrum puer ab Ammone delatus Nysæ, vni de filiis Aristæi, nutriendus commendatur. Aristæum verò magistrum illius institutioni præficit. Vir hic erat ingenio, mẽtisque integritate & omni eruditione præcellens. Vt verò puer ab insidiis nouercæ eò tutior foret, custos adhibetur Minerua, quam paullò ante hæc tempora fluuius Triton ediderat: vnde Tritonidis ei cognomentum obuenit. Deam hanc perpetuæ se virginitati deuouisse memorant: & quia præter castitatem ingenio quoque præ cæteris valebat artes inuenisse plurimas. cumq; animi & corporis robore præstaret, rebus etiam bellicis operam nauâsse. Inter alia eius acta hoc etiam est, quod Ægidem, quam vocant, terribile & prorsus indomabile monstrum, necauit. Terræ fœtus erat, horrendam è rictu flammarum vim exspirans. Ac primùm in Phrygia digrassans totam illã regionem exussit, quæ hodieque *exusta* inde *Phrygia* nominatur. Pòst ad Tauri montes impetum conuertit saltusque illos ad Indiam vsque continentibus incendiis desolauit. Exinde ad mare se reflectens Libani syluas in Phœnicia incendit, Ægyptumque peruagata, Libyam ad occiduas vsque plagas euastauit, donec ad vltimum in Ceraunios se montes fulminis instar concitauit. Inflammatâ igitur terrâ vndique, hominibusque partim æstu absumtis, partim metu procul è patriâ exterminatis; Minerua (vt in fabulis est) tùm prudentiâ, tum virtute animi atque corporis superior facta, beluã confecit; coriumque eius pectori suo obduxit: tùm vt tegumentum corpori & præsidium ad cætera deinceps pericula; tùm vt virtutis gloriæque promeritæ monimentum ipsi foret. Mater verò monstri Tellus, iræ impatiens, acerrimos diis hostes Gigantes quos vocant, gremio suo effudit. qui postmodum à Ioue, Minerua & Baccho, diisque cæteris adiuuantibus, sunt deleti. Atqui Dionysus in Nysa educatus, studiisque optimis excultus, non tantùm formâ & virtute corporis, sed & solertiâ excellens, & comminiscendi quæ in vsum forent industrius euasit. Nam puer adhuc, vini naturam & vsum perscrutatus est, dum racemos vitis sponte natæ exprimi, vuasque maturas exsiccari, & ad futuros vsus reponi posse, animaduertit. Paullatim quoque commodum vnicuique plantationis locum adinuenit; & spe duraturi ad immortalitatem honoris hoc inuentorum à se beneficium cum genere hu-

XI. mano communicare, decreuit. Hæc virtutũ ipsius gloria cùm increbuisset, Rhea Ammoni succensens Dionysum capere intendit. verùm conatu hoc frustrata, nuncium Ammoni remisit; & ad Titanes germanos reuersa, cum fratre Saturno coniugium iniuit. Is Rheæ impulsu cum illis Ammoni bellum facit; initóque conflictu, victoriâ Saturnus potitur. Ammon verò rei frumentariæ inopiâ coactus in Cretam fugit, & cuiusdam ex familiâ Curetum filiâ (Cretæ illi nomen) ductâ, insulæ dominium cum eâ accepit; quã Idæam priùs nuncupatam, vxoris nomine Cretam indigetauit. Saturnus inde occupato Ammonis regno, acerbius imperitauit: & in Nysam contra Dionysum cum exercitu perrexit. Hic ergò & clade patris, & concursu aduersus se Titanũ cognito, militem ex Nysâ conscribit, quorum ducenti cũ ipso educati virtute & beneuolentiâ in eum excellebant. E propinquo etiam Afros & Amazones (quæ vt fortitudine præstare visæ sint, & ingentes extra fines copias miserint, multasque orbis partes armis in ditionem suam redegerint, supra dictum est) ad belli societatem exciuit. Has autem maximè allexit eiusdem cultrix studii Minerua; quòd virtutis bellicæ & virginitatis studium Amazones quoq; amplectãtur. Diuisis igitur copiis sic vt Dionysus viris, Minerua fœminis præesset, validâ Titanes impressione adoriũtur. Cúmque summâ vi decertaretur, & multi vtrinq; caderent, vulnerato Saturno victoriã obtinuit Dionysus: cuius in hoc prælio virtus præ aliis maximè enituit. Et tum fuga dilapsis in ea loca Titanibus quæ prius Ammon tenuerat, Dionysus Nysam se recepit. Hic cùm armatâ captiuos manu circũdedisset, accusatione contra Titanes instituta, suspicionẽ hanc iniecit, quasi omnes bello captos cõcisurus esset. At statim omni exsolutis crimine liberum permisit vtrum militare secum, an verò abscedere mallent: tùm omnes belli societatẽ amplexi, ob repentinam salutis gratiam, vti deum omnes adorarunt. Mox omnes singulatim adductos, vino ad libandum porrecto, iureiurando sibi cunctos obstrinxit, absque dolo militiã gesturos, & ad finem strenuam in pugnis operam nauaturos esse. Quod per hunc ergò libationis ritũ illi fidem acceperunt dederuntq; primi, factũ imitati posteri, inducias inde Spondas (id est, *libationes*) nominarunt.

XXII. Cùm autẽ post Dionysus, suscepto in Saturnũ bello, copias Nysa educeret:

Ariſtæus pueritiæ illius magiſter, ſolenni apparatu ſacrorũ, primus vti deo ipſi immolauit. In ſocietate huius belli fuerunt & Sileni; namque primus omnium in hac Inſulâ (aiunt) regnauit Silenus: qui vnde genus ducat, ob nimiam vetuſtatem ab omnibus ignoratur. Is cùm in lumbis caudam habuiſſet, tota quoque poſteritas, eiuſdem ſcilicet naturæ communione, ſignum hoc geſtauit. Dionyſus igitur cum exercitu progreſſus, cùm multas aquarum inopiâ laborantes, nec paucas omninò deſertas & beluis infeſtas peragrâſſet terras, ad vrbem tandẽ Libyæ, Zabirnam caſtra poſuit. Heîc monſtrum è terrâ cretum (Campen vocitabãt) multisque exitioſum mortalibus è medio ſuſtulit, & magnã fortitudinis laudẽ apud incolas promeruit. Ingentem quoque tumulum beluę à ſe interfectæ ſuperingeſſit, vt immortale virtutis ſuæ monimentũ ad poſteros relinqueret: id quod ad proximã adhuc memoriã durauit. Poſtea in Titanes mouit, modeſtè vbique cum agmine incedens, comemq; ac benignũ ſe cunctis præbens; & hoc vnum præ ſe ferens, expeditionem hanc ob nihil aliud inſtitutã eſſe, quã vt in impios animaduerteret, & in totũ genus hominũ beneficia conferret. Ideò Libyes moderationẽ eius, animiq; magnitudinẽ admirati, cõmeatum exercitui affatim largiuntur, & militiæ eius cupidè ſeſe adiungũt. Iamq; imminentibus Ammoniorum vrbi copiis, Saturnus aciem ſuam extra mœnia opponẽs denuò ſuccumbit: paternam igitur Dionyſi regiam penitus euertere properans, noctu vrbem incendit, ipſeq; cum Rheâ vxore, & nonnullis periculorum ſociis, clam inde profugit. At nequaquam ſimilis affectio Dionyſum tenebat. Is enim Saturnum, Rheamque captos non ſolùm à culpâ, quod cognati eſſent, abſoluit: ſed etiam rogauit, vt parentum loco ipſum deinceps amare, & inter amiciſſimos viuere ſecum vellent. Rhea igitur quamdiu vixit, eum non ſecus ac filium dilexit. At ſubdola fuit Saturni beneuolentia. Sub id tempus filius eis naſcitur Iupiter nominatus. Hic magnis à Dionyſo honoribus affectus, ob virtutem, rex omnium poſteà creatur.

LXXIII.

Ante pugnam Libyes Dionyſo indicârant, quo tempore Ammon regno excidit, prędixiſſe, euenturũ vt poſt certum aliquod temporis interuallum filius ſuus Dionyſus regnum paternum recuperaret, & ditione ſuâ per totum orbẽ propagatâ, diuinos honores conſequeretur. Verum id vaticinium

cinium esse cùm iudicaret: fatidicum patri templum & vrbē vnà condidit; honoribusque tanquam Deo sancitis, antistites oraculo præfecit. Ammon ille arietis caput effigiatum habebat: quod hoc signo galeam in bellis ornatam gestâsset. Non desunt tamen, qui re verà & naturali quodā modo cornua è temporibus eius prominuisse, fabulantur; & hinc factum, vt filius quoq; eius Dionysus simili facie ostentetur, & posteri cornutum fuisse hunc deum pro certo tradant. Extructâ igitur vrbe, & oraculo constituto, primus nouum deum de expeditionibus suis Dionysus consuluit; & à patre responsum accepit, quòd benefaciēdo hominibus in possessionem immortalitatis sit venturus. Hinc animo erectus, primò Ægyptum inuasit, Iouemque Saturno & Rhea natū, licèt puerum adhuc, regem prouinciæ imposuit: sed magistrum ei adiunxit Olympum: à quo eruditus Iupiter, & ad summum virtutis gradum euectus, Olympii cognomētum retulit. Hinc plantationem & vsum vitis, rationemq; poma & alios quosdam fructus in penum recondendi, Ægyptios docuisse Bacchus fertur. Tam secundus rumor de eo cùm vbiq; locorum percrebuisset, nemo cōtra eum arma sumsit, verùm vltrò imperata facientes, laudibus eum ac sacrificiis prosecuti sunt. Eodem modo per totum progressus orbem plantis terras excoluit, hominesque meritis ad immortales sibi honores ac gratias obligauit. Ideóque vniuersi mortales cùm de cæteris diis non idem sentiant, de solius propè Liberi patris immortalitate testimoniis conueniunt. Neque enim Græcorum, neque Barbarorum quisquam munificentię huius & gratiæ expers est. Imò qui etiam intractabiles habent fundos & à culturâ vitis prorsus alienos, ex hordeo potum, saporis bonitate vino paullò inferiorem, conficere didicerūt. Dionysum porrò aiunt, cōcitatis ex Indiâ itineribus ad mare (mediterraneum) regressum, Titanes cum magnis inuenisse copiis, iam ad oppugnandum Ammonem in Cretam traiicientes. Cumque Ioue interim Ammoni suppetias ferente, magnum in Insulâ bellum esset excitatum, sine morâ Dionysus cum Mineruâ & cæteris deorum loco censis, auxilia in Cretâ laborantibus adducit. Ingens mox oritur conflictus: sed vincunt Dionysani, & Titanes ad internecionē cædunt. Pòst Ammonę & Libero ex hominum societate ad immortalitatem translatis, Iupiter, cùm excisis iam Titanibus ne-

mo de regno litem ei mouere per impietatem auderet, totius mundi imperium occupauit. Hæc omnia Dionysus ille primus, ex Ammone & Amaltheâ progenit⁹ (vt quidem Libyes recensent) designauit. De altero, ex Io seu Ione Inachi Ioui prognato referunt quod in Ægypto regnârit: ritusque initiationum ostenderit. Tertium Ioue ac Semele cretum in Græciâ exstitisse, æmulum superiorum. qui cùm ad imitationem vtriusque animum applicâsset, & ipse cùm instructo exercitu orbem permeauit, & columnas non paucas ad termi nos expeditionum fixas reliquit, terras quoque plantationibus reddidit cultiores. Quemadmodum verò Bacchus ille Amazones priscas, ita etiam ipse fœminas in commilitium adsciuit. Multum præterea operis in Orgia, & initia cōtulit, quæ partim correxit, partim de nouo est commentus. Longinquitas verò temporis in causâ est, vt priorū memoriâ inuentorum in animis hominum obliteratâ, solus hic tanquam hæres illorum industriæ & gloriæ possessionē sibi vendicârit. Id quod non ipsi tantùm, sed pòst etiā Herculi euenit. Cùm enim duo quondam eiusdem nominis Hercules exstiterint: vnus, & quidem antiquior apud Ægyptios claruisse dicitur; qui magnâ orbis parte subactâ, columnam in Africâ excitârit. Alter ex Creta oriundus, inter Ideos Dactyles censetur. præstigiator is fuit: sed imperatoriâ scientiâ clarus ludosque Olympicos instituit. Postremus paullò ante bellum Troianum ex Alcmenâ & Ioue natus, ad exsequendum Eurysthei imperia, multas orbis regiones pererrauit; felicésque per omnia certamina successus expertus, columnam in Europâ statuit. Nominis verò & studiorum similitudo effecit, vt post obitum antiquorum, res gestas huic soli, ac si vnus per omne æuum Hercules tantùm exstitisset, posteritas adscriberet. Inter alias demonstrationes, quòd plures fuerint Dionysi seu Bacchi etiam hac ex Titanum pugnâ nituntur. Cùm enim in confesso apud omnes habeatur, quod Dionysus in Titanum bello Ioui adfuerit, Titanum ætatem in Semeles tempora reiici, & Cadmum Agenore satum diis cœlestibus antiquiorem dici, indecorum & absurdum esse dicunt. Et hæc sunt, quæ de Baccho Libyes recensent Nos igitur postquàm ab initio promissis satisfactum est, tertium hic librum circumscribemus.

LXIV.

SVMMA

SVMMA RERVM QVARTO DIODORI LIBRO COMPREhensarum.

DIODORI SICVLI BIBLIOthecæ historicæ Liber IV.

I. NOn ignari sumus antiquitatum scriptoribus vsu venire vt multa narratio ipsorum non assequatur: nam & rerum memoriæ prodendarum vetustas, cùm difficulter eruatur, magnam scribenti perplexitatem affert: & temporum notatio cùm exacta supputationis argumenta non admittat, in causâ est vt historiam lector aspernetur. Difficultatem narrationis hoc etiam auget quòd quorũ genus explicandum est heroum & Semideûm aliorumque

virorum ingens sit varietas & multitudo. Et quod maximum tandem est, omniumque absurdissimum, qui res gestas veterum atque fabulas in literarum monumenta retulerunt, plurimùm inter se discordant. Ideò qui inter historicos recentiores præcipui sunt nominis, omissâ rerum priscarum tractatione, proximarum ætatum rebus describendis animum appulerunt. Namque Ephorus ille Cumæus, Isocratis discipulus, cùm historiam de rebus passim gestis instituerit, prioribus omissis, ab Heraclidarum reditu exordiũ scribendi fecit. Ad hunc modum Callisthenes quoque & Theopompus, qui eodem seculo vixerunt, à priscorum relatione abstinuerunt. Nos contrà quàm illi rem æstimantes, vt suscepto scribendi labore ritè defungamur, omni venustatem studio sumus complexi: plurimæ enim res, eæq; maximæ ab Heroibus ac Semideis, aliisq; viris illustribus perpetratæ sunt: quorum alios diuino, alios heroico sacrificiorum cultu, posteri (quòd de omnibus præclarè meriti sint) affecerunt. Sed meritæ cunctorum laudes per omnem seculorum decursum historiæ præconio decantantur. In tribus igitur libris hunc præcedentibus illa, quæ de aliarum gentium actis, diisque memorantur; in singulis etiam terris locorum situs; bestiasque, tum cicures, tum feras; & quęcunque tandem memoriâ digna sunt & mirabilia dictu; exposuimus. In hoc autem libro antiquitates Græcorum, ab vltima repetitas memoriâ, de Heroibus ac Semideis, & quibusvis aliis, qui vel rebus bello confectis inclaruerint; vel in pace aliquid vitæ humanæ inuenerint; aut leges sanciuerint; euoluemus: initiumque sumetur à Dionyso seu Baccho, proptereа quod & hic peruetustus est, & maximis hominũ genus beneficiis obligauit. Superioribus autem libris à nobis dictum est, Barbarorum nonnullos ortum huius dei sibi vendicare: nam Ægyptii eum, quem ipsi Osirim nominant, eundem esse, qui Græcis Dionysus appellatur; & hunc totũ peruasisse orbem; vinique à se reperti vsum, & vitium plantandarum rationem homines docuisse; & ob hoc beneficiũ omnium consensu immortalitatem adeptum esse; contendunt. Nec minus Indi hunc apud se natum; ostensâque vitis culturâ, vsum vini cum hominibus communicâsse; ferunt. Quæ cùm seorsum à nobis indicata sint, nunc, quæ Græci de deo hoc referunt, disseremus.

Cadmus

Cadmus (aiunt) Agenore satus à patre Phœniciæ rege ad Europam inuestigandam ire iussus, mandatum acceperat, vt vel reduceret puellam, vel nunquam in Phœniciam rediret. post longam ergò per multas regiones erratio-nem, cùm nullibi amissam reperiret; spe reditus abiectâ in Bœotiam profectus, oraculi iussu Thebas condit. Positoque ibi domicilio, Harmoniam ducit Veneris filiam; ex eaq; Semelen, Inonem, Autonoën, Agauen & Polydorum tollit. Cum Semele, forma scilicet captus, Iupiter concumbit. at cùm quietus in amplexus veniret, illa se despicatui haberi existimans, rogare Iouem institit, vt quomodo cum Iunone coiret, etiam in suum complexum veniret. Is igitur in maiestate diuinâ cum tonitruis & fulgetris ingressus, clarissima in luce cum eâ consueuit. Semele igitur vterum gestans cùm flammę circum se vim perferre nequiret, abortum fecit. ipsaque incendio absumpta periit. Tum fœtum Iupiter sublatum Mercurio tradidit, cum mandato, vt in Nysæ antrum, quod inter Phœniciam & Nilum iacet, trãsportatum, Nymphis solicitâ educandum operâ commendaret. Hinc factum, vt à Ioue (quem *Dia* Græci vocant) & Nysa (quod in hac nutritus sit) Dionysus vocaretur. quod Homerus in hymnis hoc quoque disticho testatur:

Nysa iacet quædam, mons syluis floridus altis,
Phœnice procul, Ægypti stagnantis ad vndas.

Educatus à Nymphis, vini repertor, vitisque serendæ doctor, hominibus exstitit. peruagatusque totum ferè orbem, regiones plerasque ad mitiorem reduxit cultum: vnde summus apud omnes ei honos est delatus. Quin & potum ex hordeo conficiendum adinuenit; zythum aliqui vocant, sapore ac fragrantiâ non multò inferiorem vino: cuius rationem edocuit eos, quorum tellus vitium plantandarum non est capax. Exercitum quoque non virorum tantummodò, sed & fœminarum, quorum operâ sceleratos atque impios ad pœnas vocaret, circumduxit. In Bœotiâ sanè, vt patriæ gratiam referret, cunctas in libertatem vindicauit vrbes, & liberæ iurisdictionis nomine oppidum Eleutheras condidit.

III. Cùm in expeditione Indianâ triennium consumsisset, in Bœotiam cum multis opimisque spoliis est regressus, & primus omnium super Elephante Indico triumphũ egit. Bœoti igitur, cæterique Græci & Thraces, ad tuendam In-

dicæ expeditionis memoriam, Trieterica, (id est, *triennia*) Bacchi sacra instituerunt: quo quidem tempore deum hunc inter homines diuersari opinantur. Ideò in multis Græciæ oppidis per vnumquodque triennium, Bacchanalia à mulierum cœtu peraguntur, virginesque solenni ritu thyrsos ferunt; & lymphatico furore actæ, ouant; deumque venerantur. Matronæ autem cateruatim sacrificia obeunt, ac bacchantur, numen id, non secus ac si præsens sit, festis carminibus prosequentes ad imitationem Mænadum, quas Baccho olim adhæsisse referunt. Pœnam intulit cum multis aliis, qui impie se gerere videbantur, tum præcipuè Pentheo ac Lycurgo. Quod verò inuentum & donum vini maiorem in modum hominibus gratum & acceptum esset, tum ob iucunditatem potus, tum quia corpora bibentium firmiora reddit, mos inoleuit, vt inter cœnam, quando meracum omnibus porrigitur, boni genii nomẽ accinatur; Cùm peractâ verò cœnâ lymphâ contemperatur, Iouis seruatoris appellatio fiat. A meraci enim potu (nimio) affectiones " insanæ oriuntur. at Iouiali admixto liquore, iucunda qui- " dem lætitiæ voluptas remanet, sed insaniæ ac dissolutionis " nocumentum amouetur. Inter deos tandem fabulantur ho- " nores promeruisse maximos apud homines, Liberum patrem atque Cererem, qui bonorum inuentione maxima in eos beneficia collocârint. Ille enim suauissimum inuenit potum: hæc quod inter sicca nutrimenta maxime pollet, generi hominum perfruendum dedit. Fertur & alius fuisse Dionysius istũ longo antecedens interuallo: qui Ioue ac Proserpinâ natus, à quibusdã Sabazius nominatur. cuius ortum sacrificia & cultum noctu & secretò (sic enim fœdi coitus assecla suadet pudor) introducunt. Ingenii hic acumine præstitisse, bobusque sub iugum ductis princeps sementem fecisse dicitur. vnde cornuta ipsi facies. Semeles porrò natum, illius tempora insecutum, tenero ac planè delicato fuisse corpore affirmant; formæque venustate aliis insigniorem: & venereas ad voluptates egregiè propensum. in cuius exercitu frequens erat mulierum agmen hastis, thyrso inuolutis instructum. Musas quoque peregrinationis comites illi addunt, virgines apprimè eruditas; quæ carminibus melicis ac tripudiis, aliisque artium bonarum Veneribus deûm oblectârint. Pædagogus illi (porrò aiunt)

IV.

ac nutri-

ac nutritor, bellorumque socius erat Silenus, optimorum auctor ac magister studiorum: qui multum Baccho ad virtutem & gloriam commodauit. In pugnâ, armis bellicis & Pantherarum exuuiis instructus erat. in pace, conuentus solemnes & dies festos celebrans, florulentum & delicatæ mollitudinis vestitum gerebat. Ad retundendum capitis ex nimio vini potu dolores, mitrâ caput obuelauit, mitriferi hinc cognomentum adeptus. quæ & diadematis postmodum gestandi exemplum regibus subministrauit. Bimater appellatur, quod vnius quidem patris ambo sint Dionysi, sed matribus diuersis. Iunior autem in maioris res gestas successit. ideoque posteri veritatis ignorantiâ decepti, ex vno nomine, vnum quoque Dionysum fuisse, ratiocinati sunt. Ferulam his de causis Baccho attribuunt. cùm vinum initio repertum nondum aquâ dilueretur; meracæ potionis vsus erat. In sodalitiis ergo, festisque conuiuiis sæpè accidit, vt à nimia meri ingurgitatione homines furore perciti ligneis (quos tunc gestabant) baculis se mutuò verberarent. ideò cum alii sauciarentur, alii lethaliter icti occumberent, Dionysus his casibus offensus, meri quidem vini potionem ob eximiam huius suauitatem, non omninò interdixit; sed pro ligneis scipionibus ferularum vsum introduxit.

V. Cognomenta illi homines multa indidêre, à studiis eius desumpta. Bacchéus enim à Baccharum comitatu nominatur. Lenæus à calcandis ad torcular (quod *Lænos* Græcis est) vuis. Bromius ab excitato circa natiuitatem, tonitrus fragore. quâ de causâ Ignigena quoque appellatur. Triambi etiam nomen gerit, quod primum ex omnibus (qui quidem memoriæ sunt proditi) triumphum egerit, ab Indiana in patriam expeditione multis cum spoliis reuersus. Ad hunc modum alia insuper nomina adiectiua sortitus est; quæ recensere & longum, & ab historiæ instituto alienum foret. Biformem ideò putant esse, quòd duo exstiterint Dionysi, priscus nimirum ille barbatus, omnes enim prisci barbas alere solebant; & iunior iste, elegans delicatusque adolescens, vt ante indicatum est. Nonnulli propter duas ebriorum affectiones, quod vel iracundiâ vel hilaritate perfundantur, geminam ei formam assignari dicunt. Satyros præterea illi adiungunt; qui in saltationibus & ludis

Tragicis risus, iocique oblectamenta deo cieant. Denique vt Musæ liberalis disciplinæ bonis illum iuuant & demulcent: ita Satyri ludicris, & ad risum compositis gestibus & actionibus, vitam Dionyso beatam, Gratiisque delibutam, reddunt. Quin Thimelicos etiam ludos hic inuenit, theatra exhibuit, & Musicorum acroamatum scholas instituit. Ad hæc à publicis etiam muneribus illos absoluit, qui in expeditionibus bellicis aliquid Musicæ artis tractarent. vnde Musicos conuentus posteri instituerunt, & studiis hisce deditos immunes esse iusserunt. Verùm vt modus à nobis seruetur, hâc de Baccho eiusque priscis factis, narrationem finiemus.

VI.

Nunc quæ de Priapo antiquitus traduntur: cùm Bacchi historiæ illa congrua esse videamus: hoc loco percurremus. Vetus igitur fabula est Priapum Bacchi & Veneris filium esse; probabilique ortum ratione explicant, quod vino repleti naturâ ad Venerem concitentur. Alii fabulatores priscos; cum virile membrum nominare vellent, priapum id vocâsse arbitrantur. Sunt, qui genitalia idcircò quod generationis causa sint, & perpetuæ generis humani propagationi inseruiant, diuinum obtinuisse cultum asseuerant. Ægyptii hanc de Priapo fabulam recitant, quòd Titanes olim per insidias Osirim trucidârint: dissectoque in æquales partes corpore suam quisque furtim ex aulâ asportârint, solis interim pudendis, cùm nemo tollere dignaretur, in fluuium abiectis. Isis verò (aiunt) post accuratam de cæde viri inquisitionem, sumptumque de Titanibus supplicium, corporis segmenta iterum ad humani corporis effigiem conformata; sacerdotibus ad sepulturam tradidit. Osirimque pro deo coli iussit. tum penem, qui solus non erat repertus, diuino afficiendum cultu, in templo arrectum consecrauit. Et hæc sunt, quæ de ortu Priapi & cultu veteres Ægyptii fabulantur, quem deum nonnulli Ithyphallum, alii Typhonem, nuncupant. Nec solùm in templis vrbium cultus huic deo exhibetur, sed etiam in agris & villis: vbi vinearum, hortorumque custodiæ est præfectus. Eos insuper, qui quid boni fascinant, ab hoc plecti autumant. Nec in Bacchi tantùm initiis, sed vniuersis quoque sacris cæteris, suus huic deo honos præstatur: vbi cum ioco & lusu ridiculo effigies eius repræsentatur. Similem habuisse ortum fabulantur & Hermaphroditum. qui ex Herme & Aphrodita, id est, Mercurio

& Vene-

& Venere, editus, coalitum ex vtroque parente nomen ac-
cepit. Hunc alii deum esse dicunt, qui certis se tempori-
bus hominum conspectui offerens, ita nascatur, vt naturam
ex viro & fœmina commixtam habeat, & formæ quidem
nitore ac mollitie corporis fœminam referat: virili autem
facie ac strenuitate virum imitetur. Alii naturas eiusmodi
pro monstris habent; quæ rarissimè in lucem orta, interdum
mala, interdum bona portendant. Sed & de his nunc satis.

II. De Musis porrò (quarum in Bacchi historiâ mentio
interiecta fuit) nos summatim dicere locus admonet. Has
plerique antiquitatum scriptores, in primis, quorum maxi-
mè probata est auctoritas, Iouis & Mnemosynes (*Memoriæ*)
natas faciunt. Pauci de poëtis (inter quos est Alcman) cœ-
lo & terrâ progenitas, asserunt. Ita de numero quoque dis-
sidetur: dum alii tres, alii nouem recensent. nouenarius ta-
men clarissimorum auctorum, Homeri, inquam, & Hesio-
di, & id genus aliorum testimoniis confirmatus, inualuit. Ita
enim Homerus:

Pulcra voce nouem permutant carmina Musæ.

Hesiodus etiam nomina illarum recenset, his versibus:

Clioque, Euterpeque, Thaliaque, Melpomeneque
Terpsichoreque, Eratoque, Polymniaque, Vranieque,
Calliopeque; hæc vna alias supereminet omnes.

Cuilibet proprium studii Musici habitum adiungunt. Ver-
bi gratiâ, modulationem poëticam, saltationes & choreas,
Astrologiam, & cætera exercitamenta. Virgines à plerisque
perhibentur; quòd honestæ disciplinæ virtutes incorruptæ
videantur esse. Nomen à μυεῖν deriuant, quod est, *docere ho-
nesta vtiliaque*, & quæ indoctorum cognitionem fugiunt.
Congruam etiam singulis nominibus rationem apponunt.
Clio (aiunt) inde nominatur, quòd qui poëtarum encomiis
celebrantur, magnâ inter homines gloriâ cluant. Euterpe;
quòd auditores honestæ eruditionis fructu delectet. Thalia,
quòd doctrinæ gloria longum ad tempus efflorescat. Mel-
pomene dicitur à melodiâ; quæ cum voluptate in mentes se
auditorum insinuat. Terpsichore, quòd bonis ab eruditione
profectis discipulos oblectet. Erato; quia doctis apud omnes
amorem & desiderium concilict. Polymnia; quòd immor-
tali per carmina gloriæ transcripti, multa hymnorum de-
cantatione illustres reddantur. Vrania; quia præclarè insti-

tuti & docti ad cœlum vsque efferantur. Gloriâ enim & sublimi spiritu ad ipsum cœli verticem animi euehuntur. Calliope tandem; quod pulcrum vocis sonum emittat, hoc est, eloquii & carminis prestantiâ honorificam auditorum comprobationem mereatur. His quantum satis est hactenus cõmemoratis, ad res ab Hercule gestas orationem transferemus. Non autem ignoro, multas his occursare difficultates, qui veterum, & potissimùm Herculis acta narratione historicâ exponunt. Omnium enim res gestas, quascunque per omnes mundi ætates memoria hominum complexa est, hic vnus amplitudine sua longè excessisse prædicatur. Arduum igitur est ac difficilè, quæ vir ille peregit pro dignitate edisserere, & magnitudinem operum, (quorum immortalitas præmium fuit) grauitate orationis adæquare. Cùm.n. ob vetustatem & rerum insolentiam, fabulæ apud complures fidem nõ inueniant, necesse est, vt vel maximis facinoribus silentio præteritis, existimatio dei minuatur, aut omnibus recensitis, historiæ fides eleuetur. Lectorum enim non nemo est, qui cùm, iniquo sanè iudicio, exactam in narrationibus antiquis veritatem, non secus ac in rebus nostro tẽpore gestis, requirat, deque factis quæ magnitudo in dubiũ vocat, pro suæ ætatis ratione coniecturã faciat: Herculis quoque vires pro hominum nunc viuentium imbecillitate, æstimat. Historicæ igitur relationi, ob immẽsam rerum amplitudinem, fides hoc pacto derogatur. Atqui in fabulosis narrationibus veritas non tetricè ad amussim examinanda est. Nam & in theatris tametsi neque Semicaballos, ex diuersis scilicet naturis conflatos Centauros, neque Geryonem tricorporem exstitisse pro certo credamus: cum fauore tamen fabulas hasce excipimus; & applausu nostro honorem dei amplificamus. Etenim queî non fuerit absurdum, Herculem inter mortales adhuc versantem, suis orbem terrarum laboribus pacatum reddidisse: homines verò beneficentiæ omnibus præstitæ oblitos, laudes pulcerrimis eius meritis debitas calumniari, maioresque nostros coniunctis ei suffragiis ob eminentiam virtutis honores impendisse immortales: nos verò ne acceptam quidem ab illis pietatem erga deum hunc tueri ac conseruare [?] Verùm his nos omissis res per eum gestas, prout poëtæ & fabulatores antiquissimi hasce recitant, ab initio repetemus. Ex Acrisii filiâ Danaë &

VII

IX.

naë & Ioue natum ferunt Perseum. huic Andromeda Cephei nata ex matrimoniali complexu Electryonem peperit. ex quo Lysidice Pelopis porrò Alcmenen suscepit. Cum hac per fallaciam Iupiter congressus Herculem procreauit. atque ita totam generis radicem, quod vtrumque parentem attinet, ad maximum retulisse deorum perhibetur. Virtus eius non tantùm è facinoribus spectatur, verumetiam priusquàm gigneretur argumenta sui prodidit. Nam dum Iupiter cum Alcmenâ concumbit, trigeminam facit noctem, & temporis in procreationem insumpti spacio portēdit, quantâ procreatus roboris amplitudine sit futurus. Coitum verò istum nequaquam ab amatoriâ profectum cupiditate aiunt, vt alias circa mulieres accidit: sed gignendæ vt plurimùm sobolis causa. Ideò cùm legitimum hunc amplexū esse vellet, à violentâ sibi compressione temperans, nec persuasione se aliquid effecturum, ob singularem fœminæ castitatem, sperans, dolo Alcmenen aggreditur & deludit; dum per omnia similitudinem Amphitryonis ementitur. Iamque tempus à naturâ grauidis constitutum aderat; cum Iupiter Herculis natiuitati mentem aduertens, in omnium deorum præsentiâ enunciauit, se illo die natum Persidarum regem esse creaturum. Iuno igitur zelotypia flagrans, Ilithyiâ in societatem adsumptâ, partum Alcmenæ suspendit; Eurysthæaque nondum maturum in lucem produxit. Etsi autem Iupiter astu Iunonis circumuentus erat; nihilo tamen minus, vt promissi fidem expleret, prouidam claritatis Herculanæ curam suscepit. Ideò Iunoni illum persuasisse ferunt, vt quod ipse promiserat, permissis Eurysthæo regni gubernaculis Hercules ei subiectus, peractis duodecim quæ imperasset Eurysthæus, certaminibus, deûm immortalium consortio potiretur. Alcmena vbi peperit, inuidiam Iunonis metuens, in campum, qui Herculeus inde appellatur, infantem exponit. Quo tempore Minerua cum Iunone egressa cùm puellum non sine admiratione contemplaretur, auctor fit Iunoni vt mammam ei applicet quâ supra ætatem illam compressius vellicatâ, doloris Iuno impatiens alumnum abiecit; quem tollens Minerua domum reportat, matrique nutricandum, commēdat. Heic meritò aliquis mirabilem fortunæ casum admiretur. nam

mater, quæ naturalem ex se nato amorem debebat, perdi-
tum hunc iuit. at quæ nouercali in eum odio flagrabat, na-
turâ aliàs inimicum ex ignorantia seruat. Posthæc duos
Iuno dracones emisit infantem deglutituros: at ille collis eo-
rum vtraque manu constrictis, ambos suffocauit. Eam ob
causam Argiui, de hoc euentu certiores facti, Herculis no-
men (quod *Iunonis gloriam* significat) puero indidêrunt:
quòd nimirum per Iunonem gloria ei contigerit. nam Al-
cæi antehac nomen gesserat. Aliis sanè parentes nomina im-
ponunt: huic verò soli virtus nomen conciliauit. Accidit
posthæc, vt è Tirynthe expulsus Amphytruo Thebas se cō-
ferret. hîc educatur Hercules; hîc instituitur, & in gymna-
siis maximè exercitatur hinc viribus corporis præ omnibus
excellens, & præclarâ mentis indole percelebris, euasit. Iam-
que annos pubertatis attingens, initio Thebis in libertatem
assertis, dignam patriæ gratiã exsoluit. Ergino enim Minya-
rum regi tum Thebani parebant; qui quotannis non sine
contumeliâ tributum sibi pactum exigebat. Hercules igi-
tur magnitudine seruilis imperii nequaquàm absterritus, fa-
cinus laude dignum aggreditur. Missos enim qui stipendia
efflagitarent, cùm petulanter illud agerent, truncatis ex vrbe
membris expellit. Mox Ergino auctorem ad supplicium
exposcente, Creon, Thebanorum princeps, (dum aduersa-
riæ molem potentiæ reformidat) ad dedendum reum iam
paratus erat. At Hercules ad recuperandam patriæ liberta-
tem, iuuenes exhortatus arma templis affixa, quæ de spoliis
hostium maiores diis consecrârant, detrahit. Nihil enim vs-
quam priuatæ armaturæ inueniebatur: ita ciuitatem Minyæ
exarmauerant: vt nec cogitatio defectionis Thebanis es-
set reliqua. Audito igitur Erginum cum exercitu aduentare,
in angusto quodam transitu, vbi nullus magni agminis vsus,
hosti occursat. Erginumque ipsum prælio victum occidit: &
vniuersas ferè copias eius delet. Subitò Orchomeniorum
quoque vrbem inuadit; & per portas illapsus, regiam Mi-
nyarum incendit, oppidumque solo æquat. Famâ rei per to-
tam mox Græciam diuulgatâ, dum omnes tàm inopinati fa-
cinoris admiratione capti tenentur: ipse etiam Creon, iu-
uenis virtutem suspiciens, filiam ei Megaram coniugio so-
ciat, vrbisque curam, ceu filio genuino permittit. Eurystheus
autem cuius in potestate regnum Argiuorum erat, incre-

menta

menta Herculis suspecta habens, ad perficienda illum certamina arcessiuit. quod cùm abnueret; Iupiter mandato suo illum ad imperata faciendum, excitauit. Hercules igitur Delphos profectus, deumque super hoc sciscitatus, oraculũ accepit; quod certior fiebat, visum ita diis, vt Eurysthei iussu certamina XII perageret, iisque confectis, præmium immortalitatis obtineret.

I. His confectis, in mœstitiam haud vulgarem Hercules incidit. nam & inferiori ad nutum seruire, virtute suâ indignum iudicabat, & rursus Ioui patri non obtemperare, tum inutile, tum impossibile ducebat. Dum in hac perplexus anxietate hæret; Iuno rabiem viro iniicit. Is igitur ex nimiâ animi ægritudine insaniâ correptus, & ingrauescente malo prorsus amens factus, Iolao necem afferre intendit, eoque fugâ elapso, proprios ex Megarâ liberos, cùm in propinquo fortè essent, tanquam hostes iaculis configit. Vix tandem ab hoc furore liberatus, vbi errorem suum intellexit, eam calamitatis molem (quam omnes commiseratione prosequebantur) ægerrimè tulit; diuque se domi extra hominum cõsortium & occursum declinans quietè continuit. Tempore verò tandem dolorem mitigante, cum periculis iniunctis sese obiectare constituisset, Eurystheum conuenit. Is primùm Leonis in Nemeâ interficiendi negotium illi imponit. vastus hic supra modum erat: & quia nec ferro, aut ære, nec lapidibus vulnerari poterat, id tantummodò restabat, vt vi manuum domaretur. Grassabatur autem frequentissimè inter Mycenas & Nemeam, circa montem qui ab euentu Tretus, id est, *perforatus*, dicitur. Ad radices enim fossam habebat continentem, in quâ stabulari monstrum solebat. Illic Hercules ei occurrens manus infert, fugamque arripienti ad lustrum fortiter instat, & altero de ostiis præstructo, cominùs adortus, brachiis constrictum suffocat. Exuuias autem (quæ tam grandes erant vt totum ambirent corpus) sibi circumdatas, pro munimento aduersus pericula deinceps vsurpauit. Secundus ei labor in occidenda Excetra, seu Hydrâ Lernæâ, fuit. huic centum ex vno corpore ceruices, ac totidem anguina capita exstabant, vnoque horum desecto, duplum eius loco prodibat. ideoque pro inuicto id monstrum habebatur. nec ab re sanè. nam pars subacta, geminum ex se præsidium reddebat. Contra difficultatem illam hanc

artem commentus eſt: partem abſciſſam face inurere Iolaum iubet: vt ſanguinis ita fluxus ſiſteretur. Et hoc pactò belua ſubacta, felli eius ſpicula intinxit, vt immedicabiles mucronibus ſuis ictus inferret. Tertium inde mandatum accepit, vt aprum Erymanthium, qui in Arcadiæ cãpis morabatur, viuum afferret. Hoc verò cum magna difficultate coniunctum videbatur. tantâ enim cum hac belua decertantem facultate præditum eſſe oportebat, vt accuratam in conflictu oppurtunitatis rationem haberet. Nam ſi valentem adhuc dimitteret, à dentibus periculum imminebat: ſi plus æquo domitum conficeret, imperfectum illo necatò, certamen erat. Nihilominus tamen tam accuratè pugnam moderatus eſt, vt viuentem adhuc ſuem regi ſiſteret. Quem cùm humeris eius adportari vidit Euryſtheus, ita expauit, vt in æneum ſe dolium abſconderet. Interea Centauros quoque debellauit Hercules, has nimirum ob cauſas. Pholus quidam inter Centauros erat, à quo mons vicinus Pholoë nomen ſortitus eſt. is hoſpitio ſuſcipiens Herculem, vini cadum iam olim defoſſum releuit. hunc enim fabulantur apud Centaurum quendam depoſitum eſſe à Baccho; qui tunc demum aperiri illum iuſſerit, cùm Hercules aduenisset. qui cùm quartâ ætate poſt illuc diuerteret: Pholus mandatum Bacchi animo recolens, vas illud aperiebat. Mox fragrantia (quòd & vetuſtum eſſet vinum, & ſingulari virtute præditum) propinquis allapſa Centauris, omnes ceu œſtro quodam percuſſit. Cateruatim igitur magno Pholi ædes tumultu ac terrore aggreſſi, prædæ inhiabant. Pholus quidem præ metu latibulum quærit. At Hercules cùm vim intentantibus manus conſerit, idque inopinatò. namque cum hoſtibus dimicandum erat, quibus à matre deorum natura, velocitas equorum, ferarum bicorporum vires, hominumque intellectus, & ſolertia ineſſet. Et horum alii piceis radicitus euulſis, alii grandibus petris, nonnulli ſuccenſis facibus, aliqui magnis ſecuribus arreptis, in prælium ruebant. Cum quibus tamen, intrepido animo exceptis, dignum priſtinâ factorum gloriâ ille certamẽ inſtituit. Et quamquam mater illis Nephele (id eſt, *Nubes*) vehementi imbris effuſione, quâ nihil incommodi afferetur quadrupedibus, vt duobus tantùm cruribus inſiſtẽti lubricus redderetur greſſus, opitulabatur. nihilominus tamen Hercules tot, tantisque præſi-

XII

diis se instructiores mira virtute debellauit, interfectis plurimis, reliquisque in fugam dissipatis. De cæsis maximè celebres sunt Daphnis, Argeus, Amphion, Hippotion, Oreus, Isoples, Melanchætas, Thereus, Dupo, Phryxus. Fugâ verò elapsi meritas singuli pœnas dederũt. nam Homadus, quòd in Arcadia Eurysthei sorori Halcyonæ vim intulisset, capite luit. Quâ in re magnopere virtutem Herculis admirati sunt, nam licet priuatò inimicum odio persequeretur: mulierem tamen contumeliis affectam commiserari, eximiæ humanitatis esse ducebat. Singulare etiam quippiam accidit Pholo Herculis amico. hic enim dum ob gentilitatem cæsos in pugnâ Centauros sepelit, sagittæ quam cuidam exemerat, casu ictus, è lethali hoc vulnere extremum diem obiit. Eum magnificè Hercules tumulauit sub monte; qui cippo aliquo illustri multò ipsi fuit præstabilior. Nam Pholoë nuncupatus, non quidem inscriptione aliqua, sed ipsa nominis similitudine, humati illic memoriam cõseruat. Pari modo Chironem, ob artem medicam in precio habitum, sagittæ iactu inuitus interemit. De Centauris verò iã hæc memorata sufficiant.

II. Posthæc in mandatis accepit, vt aureis ceruam cornibus apprimè velocem, regi captam adduceret. Ad hoc perficiendum, non minus ingenium, quàm corporis robur ei profuit. Alii enim retibus captam, alii per indaginem, cùm quiesceret, deprehensam, alii continenti insectationis cursu victam, in manus venisse affirmant. quicquid sit, absque vi & periculo, mentis tantum solertiâ certamen hoc peregit. Ex Stymphalide hinc palude aues exturbare iussus, arte & ingenio hoc etiam non difficulter perfectum dedit. Innumera enim multitudo auiũ illic inualuerat, passim in viciniâ fruges depopulantes. nec vllâ vi (tam ingenti copiâ luxuriabant) aboleri poterant. Artificioso igitur ad hoc commento, cùm opus esset, æneum Hercules crepitaculum excogitat, & per hoc ingentem excitans tinnitum, pauore volucres percellit, iisque continenti tandem strepitu fugatis, ne infesta palus esset amplius, effecit. Finito etiam hoc labore, Augeæ stabulum (in quo immensæ per multos annos fimi sordes collectæ fuerant) nemine adiuuante, expurgare per contumeliam Eurystheus iubet. Hercules igitur, vt ignominiam ex hoc contemptu euitet, humeris quidem stercora egestare dedignatur, sed Peneo illuc

deriuato, (sic amnis in propinquo vocitatur) vno die citra infamiam caulæ sordes eluit. vbi iure ingenium herois admireris: qui superbum heri mandatum ita exsequitur; vt nihil interim turpe, ac immortali suo honore indignum, committat. Tum Tauri (in quem Pasiphaen exarsisse fama est) ex Creta abducendi negocium ei incumbit. in insulã ergò traiicit: regisque Minois auxilio beluam, propter quam tantum Pelagus fuerat emensus, in Peloponnesum transportat.

XI

Hoc etiam certamine absoluto, ludos instituit Olympicos, & pulcerrimum pro conuentus illius maiestate locum ad id delegit; campos nimirum iuxta Alphæi flumen exporrectos. In his ergò solennes Ioui patrio ludos consecrauit. præmium victoribus Coronam proposuit: quia & ipse nullam aucupatus mercedem, beneficiis genus mortalium cumulâsset. In omni certaminum genere citra pugnam (nemine propter eximiam herois virtutem congredi auso) ipse victor exstitit: tametsi contraria hæc sibi inuicem essent. Stadii enim cursorem à pugile seu Pancratiaste superari, difficile est; arduumque rursus eos, qui in leui certamine primas ferunt, palmam eripere illis qui in grauiore excellunt. Inter omnes igitur ludos hic meritò honoratissimus euasit; ab optimo quippe viro principatum adeptus. Nec præterire nos decet munera à diis ipsis propter virtutem illi exhibita. Postquam enim à bellis ad ocium & nundinas, festaque & ludos se conuerterat, vnusquisque deorum suis eum donis honorauit. Minerua sanè peplum; Vulcanus clauam & thoracem obtulit. artisque inter hos duos contentio erat: dum ille quod ad vsum & voluptatem pacis, hic quod ad pericula in bellis auertenda faceret, largitur. Neptunus porrò equos donat; Mercurius ensem; Apollo arcum; qui & sagittandi artem illum edocuit. Ceres autem, ad expiandum Centaurorum cædem, in honorem eius parua mysteria instituit. At enim verò circa ortum huius dei singulare quiddam euenit. nam prima fœminarum in terrã, quas Iupiter compressit, Niobe Phoronei nata fuit: postrema verò Alcmena: quam in decimam & sextam à Niobe ætatem fabularum scriptores collocant. Ex huius itaque maioribus generare homines cœpit, & in hac ipsâ tandem desiit: nec cum vllâ deinceps mortali rem habere, sobolemque procreare voluit, ne præstantiori-

XV. stantioribus scilicet deteriora substitueret. Posthæc cùm ad Pallenen Gigantes diis immortalibus bellum facerent: Hercules diis suppetias tulit; & post magnam terrigenûm stragem à se editam, summos promeruit fauores. Ex diis enim hos tantùm Olympios Iupiter vocauit, qui in bello sibi adfuissent; vt hoc cognominis honore strenuus ab ignauo internosceretur. quam appellationem Baccho etiam & Herculi (quamuis mortales haberent matres) concessit. non eò tantùm, quòd Iouis essent progenies, sed etiam quòd Iouis affectionem imitati, maxima in vitam hominum merita contulissent. cæterùm Prometheus, quòd ignem hominibus tradidisset, vinculis à Ioue constrictus erat, & aquila, iecur depascens, illi adhærebat. Hercules autem videns ob benefactum erga homines misellum ita plecti, volucrem sagittâ transfixit, iráque Iouis placatâ, bene de omnibus merito restituit salutem. Exinde Diomedis equas è Thraciâ abducendi negocium illi datur. Ænea his erant præsepia: ferreisque catenis propter ferociam & robur alligabantur. pabulum illis, non quæ terra producit, sed ex interitu miserorum hominum, carnes aduenarum frustulatim concidentes, victitabant. His vt potiretur Hercules, proprium eis dominum (Diomedes is erat) obiecit, & fame bestiarum carnibus viri, qui nefarium carnis esum illas docuerat, expletâ, obsequentes deinde habuit. Perductas ad se Eurystheus Iunoni dedicauit: & prosapia harum ad Alexandri vsque dominatum permansit. Hoc etiam labore perfunctus, cum Iasone in Colchos ad aureum vellus armis vindicandum nauigauit. verùm de his in Argonautarum expeditione pro sua parte dicetur.

XVI. Mandatum ei tum fuit, vt Amazonis Hippolytæ zonam asportaret. Militiâ igitur contra Amazonas institutâ, in Pontum, qui ab ipso Euxinus denominatur, vela facit. & Thermodontis fluuii ostiis inuectus, prope Themiscyram vrbem, in quâ regia Amazonum erat, castra ponit. Ac primò cingulum sibi dari petit. id cum recusarent, signa cum illis confert. Ibi cætera quidem acies in vulgus militum Græcorum directa, Amazonum verò nobilissimæ Herculi oppositæ, prælium committunt acerrimum. Prima, quæ manus cum eo consereret, Aëlla fuit, à velocitate id nominis sortita: sed velociorem se aduersarium inuenit. Secunda Philippis, in primo statim congressu lethali vulne-

te incusso, occubuit. Prothoë inde pugnam iniuit; quam septies ex prouocatione hostem deuicisse ferunt. quâ etiam prostratâ, quartam inde subegit, cui nomen Eribœa. hæc ob bellicæ strenuitatis fiduciam iactitabat, nullius sibi in pugnis auxilio opus esse. sed cùm in fortiorem incidisset, falsam hanc esse gloriationem deprehendit. Post eas Celæno & Eurybia, Phobéque, Dianæ in venatibus sociæ, & nunquam in iaculorum missione aberrantes; vnum tamen scopum non tangunt; sed vtut se mutuò protegerent, omnes conciduntur. Tum Deianiram, Asteriam, Marpen, Tecmessam & Alcippen deuicit. hæc vltima perpetuam virginitatem iurauerat: & iusiurandum quidem seruauit: sed vitam seruare non potuit. Melanippe quoque Amazonum Imperatrix, cui maximam fortitudo admirationem conciliabat, principatum tunc amisit. Amazonum ergò nobilitate sic exstinctâ, reliquum etiam vulgus in fugam compulit. & plerisque trucidatis, gentem illam penitus attriuit. De captiuis Antiopen Theseo donauit, sed Menalippen, baltheo se redimentem, liberam dimisit.

XV Tum decimum illi certamen ab Eurystheo mandatur, vt Geryonis boues, in locis Iberiæ ad Oceanum conuersis pascentes abigat. Hunc ergo laborem sine multis ærumnis, magnoque apparatu exantlari non posse videns, classem egregiam adornat, militumque copias tanta expeditione dignas conscribit. Diuulgata enim per totum orbem fama erat, Chrysaorem, ab auri opulentia nomen adeptum, per vniuersam regnare Iberiam, eique præstò esse tres filios; & viribus corporum, & facinoribus bellicis, præstantes; quorum vnusquisque magnas circum se copias, pugnacibus viris constantes, habeat. quam etiam ob causam hoc eum certamine onerauit Eurystheus: quòd viribus eius maiorem hanc expeditionem iudicaret. At Hercules non minore hoc discrimen fiduciâ, quàm superiores difficultates suscepit. militemque in Cretâ conuenire iussit. hinc enim (cùm situs Insulæ ad expeditiones in totum orbem sit peropportunus) egredi constituerat. Antequàm vela daret, magnifici ab Insulanis honores ipsi deferebantur: pro quibus vt gratiam referret, à bestiis insulam ita purgauit, vt nihil deinceps ferarum, vti sunt vrsi, lupi, serpentes, & id genus aliæ, maneret reliquum. hâc Cretæ reuerentiam exhibere volebat, quòd Iupiter

piter in eâ natus, educatusque prædicaretur. inde cùm soluis-
set, ad Libyam appulit. Hic primo Antæum robore corporis
& luctandi peritia famosum, qui aduenas palæstrâ victos in-
terimebat, ad certamen prouocatum, consertâ manu, occi-
dit. Tum Africam bestiis immanibus refertam, multis per
deserta interfectis, ita pacatã & cultam reddidit, vt semẽti &
plantationi frugiferæ passim idonea fieret, vineisq; ac oliue-
tis vbiq; consereretur. Breuiter; Libyam, quã ferarum mul-
titudo priùs inhabitabilem fecerat, ita excultam dedit, vt nul-
li orbis regioni felicitate cederet. Simili modo sceleratis ho-
minibus, & insolentibus tyrannis, è medio sublatis, vt beato
ciuitates statu essent, effecit. Fama est, idcircò odiis bellisque
eum omne ferarum atrociũ & improborum hominũ genus
persecutum esse; quòd draconum insidiis in cunis adhuc va-
giens appetitus esset; & in virili posteà ætate superbi & in-
IIX. iusti monarchæ imperio vexaretur. Post Antæi cædẽ in
Ægyptum digressus, Busiridi tyrãno necẽ intulit: qui hospi-
tũ eò delatorũ sanguine manus polluebat. Dũq; arida Libyę
transit, solũ offendit riguũ & fertile: in quo eximiæ magni-
tudinis vrbem condit, à portarũ numero Hecatompylon (id
est, *centum portarum*) nominatam. cuius felicitas ad citerio-
res etiam ætates perdurauit. cum maximis eam copiis qui-
bus egregii duces præerant, Carthaginenses adorti, suæ po-
testatis fecerunt. Hercules porrò magnã Africæ partem e-
mensus, ad Gaditanum Oceanum peruenit, & columnas in
vtriusque continentis ora excitauit. Inde classe præternaui-
gãte in Iberiam transgressus, Chrysaoris filios magnis cum
exercitibus in terna diuisos castra offendit. hos ad singulare
certamen prouocatos superat, cæsisque Iberiam in potesta-
tem accipit, & famigeratas inde boues abigit. Interea dũ per
Iberiam iter facit, à loci cuiusdã regulo (erat autẽ vir pietate
& iustitiâ excellens) impensè honoratus, boum illi partem
dono reliquit. Is quotquot acceperat Herculi consecrat: &
quotannis pulcerrimum inde taurum eidem immolãdum,
dedicat. bouesque accuratè habitæ ad nostrum vsq; seculũ in
Iberia permanserunt. Iam quia columnarũ Herculis mẽtio
illata est, nõnulla de his referre, congruũ huic loco existima-
mus. Hercules enim cùm extremas vtriusq; continentis,
(Africę vtiq; & Europę) oras in Oceanũ porrectas attigisset,
expeditionis suæ monimentũ colũnas haice ponere decreuit.

Vt æternã igitur operi memoriam conciliaret, promontoria vtrobiq; aggeribus per bene longũ spaciũ ampliauit. Ideò cùm priùs longinquo inter se freto distarēt, hoc ita in arctum coëgit, vt Cete per fauces illas angustas ex Oceano in Mediterraneum mare amplius irrumpere vetarentur: & simul vt tanti substructoris gloriâ per omnem hominum memoriam conseruaretur. Sunt tamen qui contrarium asseuerant, nempe coniunctas olim inter se continentes ab eo per fossas fretoque aperto Oceanum cum mari nostro permixtum fuisse. Sed hęc pro suo cuique arbitrio contemplari integrum erit. Simile ab eo in Græcia prius factitatum. Cùm enim campestris circa Tempe (vt vocantur) regio longè latéque stagnaret, fossa per subiectos montes ducta, lacustres illic aquas excepit, harumque deriuatione amœnissimos Thessaliæ campos ad Peneum fluuium detexit. Contra verò in Bœotia effecit, vt fluuius Minyarum terras perlabens, inundatione suâ totam vastaret regionem. Verùm illud in Thessalia bene de Græcis merendi studio peregit: hoc in Bœotiâ Minyacæ regionis incolas multauit: quòd Thebanos seruitutis iugo pressissent.

XIX Cæterùm Hercules Iberiæ regno viris inter populares optimis tradito, cum exercitu in Celticam perrexit, totamque peragrans vsitatam morum improbitatem & aduenarum mactationes abrogauit. Cúmque ingens hominum multitudo ex omni gente sponte ad militiam eius se aggregâsset, præclaræ vrbem magnitudinis exstruxit: quam à militiæ suæ errore Alesiam nuncupauit. Quia verò multi è vicinis locis barbari, ciuibus admixti erãt: accidit vt & cæteri vrbis incolæ, qui numero superabantur mores barbaros induerent. Hæc vrbs nunc quoque in præcipuo Celtis est honore: quippe primaria totius Galliæ sedes, vrbiumque mater. & per omnes ab Hercule ætates libertatem defendit, nec vnquam capta est ad hoc vsque tempus; vbi tandem à Cæsare, qui ob rerum gestarum magnitudinem, Diuus appellatur, vi expugnatâ, in Romanorum cum aliis Gallis, potestatem venit. Hercules porrò è Galliâ in Italiam contendens, dum per alpium montes iter facit, asperas, transituque difficiles vias strauit & aperuit, vt militaribus copiis cum impedimentis transitus per illos pateret. Barbari, qui montana hæc insederant, exercitus fortè transeuntes occidere,

ac la-

ac latrociniis infestare in locorum angustiis & asperis solebant. verùm his subactis, ducibusque scelerate factorum supplicio affectis, tutum illàc iter posteris effecit. Iamque Alpes egressus, per Galliam (vt nunc vocatur) itinere continuato, in Liguriam peruenit. Ligures autem solum asperum & planè ieiunum colunt; quod tamen laborum & molestiarum assiduitate ac pertinacià veluti coactum fruges, easque raras, producit. ideoque adstrictis & macilentis sunt corporibus, sed per continuas exercitationes bene compactis & neruosis. procul enim à luxu & ocio summoti vitam agunt. & propterea expeditâ sunt mobilitate, congressibusque bellicis egregiè fortes. Quia denique perpetuis hæc vicinia laboribus (agro multum operis flagitante) exercetur; fœminas etiam in laborum communionem adsciscere illis mos est. cúmque mercede inuicem tàm mulieres, quàm viri operam elocent: res quædam mira & nostratibus insolens, fœminæ cuidam euenit. Prægnans illa dum opus inter viros mercenarium facit, partus interim doloribus coacta, in virgultum quoddam absque strepitu secedit, ibique enixa infantem foliis obuolutum inter arbusta abscondit, & operariis denuò immixta, citra partus indicium, eundem cum ipsis laborem continuat. At licet ob vagitum infantis res diutius latere non posset, operum tamen præfectus nullà puerperam ratione, vt ab infelici labore desisteret, inducere potuit: donec conductor eius misertus, persolutâ mercede, vacationem ab opere concessit.

XI. Cæterùm Hercules post Liguriam Tusciam quoque emensus, cùm ad Tiberim deuenisset, castris locum cœpit, vbi nunc Roma est; multis post ætatibus à Romulo Martis filio condita. Tunc verò Aborigines exiguum quoddam oppidulum in colle qui nunc Palatium vocatur, incolebant. Heic inter nobilissimos Potitius & Pinarius Herculem ædibus suis receptum omni hospitalitatis cultu, muneribusq; exquisitis, prosequebantur: quorum monimenta virorum etiamnum Romæ supersunt. nam generosissima hodie familia, quæ Pinariorum vocatur, & vetustate omnes excellit, adhuc ad Romanos durat. Potitii per scalas lapideas descensus est in Palatio, Potitii nomen retinens; antiquæ eius domui vicina. Hercules igitur, cui beneuolentia Palatinorum grata esset, fore prædixit, vt quicunque, post suum ad deos

abitum, decimam bonorum Herculi vouisset, maiorem vitę felicitatem experirentur. Id perpetuò ad nostram huc ætatem vsu confirmatum est. Multi enim Romanorum nō solùm mediocri censu, verùm & prædiuites à decimationis voto Herculi facto, ingētibus diuitiis cumulati, facultates suas, quatuor millibus talentûm existimatas; decimauerunt. Lucullus enim Romanorum suâ ætatę fermè opulentissimus æstimatis facultatibus suis, decimas omnium Herculi consecrauit, & continentes inde epulas sumptibus profusis instituit. Deo huic posteà Romani ad Tiberim magnificum exstruxêre templum; in quo sacrificia ex decimis peragi sanciuerunt. Motis inde castris, Hercules maritimos Italiæ (vt nunc quidem vocatur) tractus percurrens, in Cumæam descendit planitiem: vbi homines roboris immanitate & violentiâ facinorum infames, quos Gigantes nominant, egisse fabulantur. Phlegræus quoque campus is locus appellatur; à colle nimirum, qui Ætnæ instar Siculæ magnam vim ignis eructabat; nunc Vesuuius nominatur, multa inflammationis pristinæ vestigia reseruās. Gigantes illi, cognito Herculis aduentu, coniunctis viribus cum instructâ illi acie obuiam procedunt, & commissâ pro viribus & ferociâ Gigantū pugnâ vehementi, Hercules deorum societate adiutus victoriam obtinuit, & plerisque trucidatis, regionem illam pacauit. Ob stupendam verò corporum proceritatem Gigantes hi Terrigenę dicebantur. De Gigantū igitur ad Phlegrā interneccione nōnulli, quos & Timæus sequitur, ista fabulātur.

XXI. Relictis tùm Phlegræ campis, Hercules ad mare digressus, opera nonnulla circa Auernum, quem nominant, lacum (qui Proserpinæ sacer habetur) peregit. Hic inter Misenum & Dicearcheos, iuxta calidas aquas, quinque stadiorum circuitu, & profunditate incredibili, situs est. Lympha illi purissima, cui ingens voraginis altitudo cæruleum induit colorem. Manium ibi quondam oraculum, quod ætas postera aboleuerit, exstitisse fabulantur. Cùm autem lacus ille in mare se expanderet, humo congesta effluxum ita obstruxisse dicitur Hercules, vt viā iuxta mare, quæ Heracléa nunc vocatur, sterneret. Et hæc quidem ibi locorum effecit. Hinc aliò progressus ad petram quandam in Posidoniatarū terrā peruenit: vbi insigne miraculū accidisse fertur. Venator quidam, facinorum strenuitate clarus, superiori tempore capta &

ta & pedes ferarum Dianæ consecrata arboribus affigere consueuerat, sed tunc cùm grandem cepisset aprum, se caput tantùm beluæ, non absque deæ contemptu, dedicaturum iactauit, idque statim vti dixerat, ex arbore suspendit. Æstus tum fortè erat. sub meridiem ergo somnum illo capessente, soluto caput vinculo sponte in hominem delapsum exitium ei attulit. Nec est, quod casum hunc demireris, cum multa huiusmodi contigisse memorentur, quibus pœnam de impiis dea sumserit. At contrà Herculi ob pietatem euenisse dicitur. Cùm enim fines agri Rhegini & Locridos attigisset, & ex itinere defatigatus interquiesceret, cicadarum strepitu interpellatus, deos rogauit, vt molestiam sibi creantes è medio facesserent. Ratas dii preces habuerunt. non enim in præsens modò cicadæ tempus euanuerunt, sed omne deinceps tempus nullam ibi conspici patiuntur. Ad fretum tandē, qua arctissimum est mare, delatus boues quidem ante se in Siciliam transmisit, ipse apprehenso tauri cornu simul enatauit, per interuallū (vt Timæus ait) XIII stadiorū.

XIII. Post id totam circuire insulam cupiens, à Peloriade ad Erycē iter intendit. littúsque peragrante ipso calidas à Nymphis balneas, ferunt, apertas esse: quibus contractam ex itinere lassitudinem alleuaret. istas Hemeræas, has Egestanas (binæ enim existunt) à locis nominarunt. Postquàm Hercules subiectos Eryci agros contigit, Eryx, Venere ac Butà loci regulo natus, ad luctæ certamen Heroem prouocat. Deposito vtrinque contentionis pignore, ab Eryce quidē agris, ab Hercule verò bobus; primo quidem indignatur Eryx, quòd iniqua boum cum regione comparatio fiat: sed cum Hercules contrà se deperditis his immortalitatis iacturā simul facturū sponderet; acceptà tandē conditione in certamē descendit: sed victus regionis possessione exuitur. quam Hercules interim, vt depositum, incolis ad vsumfructum concedit; dum ex se natorum aliquis eam repetat. id quod postmodum euenit. Post multas enim ætates Dorieus Lacedæmonius in Siciliam profectus, recuperatâ ditione auita, Heracleam ibi exstruxit. quæ subitis incrementis amplificata, inuidiam Carthaginensibus iniecit & metum, ne quando supra Carthaginem inualescens, principatum Pœnis adimeret. Ideò magnis eam copiis aggressi, vi tandem captam funditus diruērunt. de quibus tamen, suo separatim tempore scribemus.

Hercules ergò Siciliâ in orbem hoc modò perlustratâ, vrbem, quæ nunc est, Syracusiorum ingressus, vbi de raptu Proserpinæ cognouit: solennia deabus sacra obtulit, & præstantissimo in Cyane immolato tauro, anniuersarium sacrificii ritum, festâ iuxta Cyanen solennitate peragendi, incolas docuit. Tum per mediterranea cum bobus iter habens, Sicanos, magnis se copiis obiicientes, insigni prælio fundit, plurimosque cædit. Inter quos spectatæ virtutis duces; quibus heroicus adhuc cultus defertur; nempe, Leucaspis, Pediacrates, Buphonas, Cauchates, Cygæus & Crytidas, fuisse perhibentur. Inde per Leontinum pergens agrum, pulcritudinem eius admiratur; & ob exhibitos sibi honores, singulari homines fauore complexus, æterna suæ illic præsentiæ monimenta reliquit. Peculiare autem quippiam illi apud Agyrinæos obuenit. hi pariter atque deos cœlestes magnificis eum festis atque sacris demerebant. qui tametsi nullum prius sacrificium admisisset, tunc primum tamen id probatum, ratumq; habuit: cùm à numine ipso diuinitas iam ei portenderetur. Non procul enim ab vrbe, in petricosâ quadam viâ, non secus quàm in cerâ vestigia boum expressa cernebantur. Idipsum cùm Herculi quoque accideret, iam decimo certamine perfecto, immortalitatis partem sibi tribui existimās; annuum sacrificii honorem ab incolis sibi institutum non repudiauit. Vt igitur gratiam pro honoribus sibi tributis referret, lacum ante vrbem quatuor stadiorum ambitu, nomine suo celebrem effodit. Notas etiam boum vngulis expressas de se appellauit. & tunc lucum Geryoni iuxta ac Heroi consecratum dedit: quem nunc quoque religiosè indigenæ colunt. Quin & Iolao expeditionis socio celebre illic fanum exstruxit, & annuo sacrorum cultu, qui hodieque obseruatur, eum venerandi auctor fuit. Quicunque enim hanc vrbem incolunt, sacras Iolao à primo ortu comas nutriunt, quoad magnificâ eas litatione offerant. Tanta est huius templi sanctimonia! tanta maiestas! vt qui recepta sacra non obeunt, vocem amittant, & exanimatis similes fiāt: & quamprimùm quis dato pignore sacrum debitum vouerit, ægri continuò sanitati pristinæ restituantur. Quamobrem ciues portam, vbi rem diuinam faciunt, Heracleam indigetarunt. Gymnicos etiam ludos & equestres vnoquoq; anno enixis studiis edunt. Quò cùm ex omni certatim populo, inge-

lo, ingenui & serui iuxta confluant, priuatum dei cultũ ver-
nas edocuerunt, vt solennes nimirum thiasos celebrent, epu-
lasque ac sacrorum ritus seorsum cõgressi peragant. Tũ

XXV. Hercules bobus iterum in Italiam traiectis, dum per mari-
tima iter facit, Lacinium boum nonnullos suffurantẽ, mor-
te affecit: Crotonemque ex imprudentiâ forte cæsum, fune-
re ac monimento splendido honestauit; & clarum exinde
oppidum defuncti nomine futurum accolis prædixit. Tan-
dem Adriâ circumito, oras sinus pedestri viâ emensus, per
Epirum in Peloponnesum transiit. Post decimum ergò la-
borem confectum, nouum ab Eurystheo mandatum acce-
pit, vt Cerberum ab Orco ad superos educeret. Operæ igi-
tur precium facturus, Athenas se contulit, vt mysteriis Eleu-
siniæ matris initiaretur, quorum Musæus Orphei filius an-
tistes erat. Quoniam verò in Orphei mentionem incidi-
mus pauca de illo referre, non alienum esse arbitramur. Is
Oeagri filius, & patriâ Thrax fuit, eruditione ac melodiæ,
artisque poëticæ scientiâ omnes post hominum memoriam
antecellens. Poëma enim mirificum & concinnitate mo-
dorum excellens composuit. & vsque adeò gloria eius excre-
uit, vt modulatissimis carminum sonis feras & arbores deli-
nire putaretur. Cùm verò doctrinæ studiis addictus, non
vulgarem in Theologiâ veterum scientiam comparâsset: in
Ægyptum profectus multa insuper didicit, ita vt inter Græ-
cos omnes tùm initiationum & Theologiæ peritiâ, tũ poë-
matum & melodiarum artificio præstantissimus haberetur.
Argonautarum quoque expeditioni se adiunxit, & vxoris
amore stimulatus ad inferos, miro quodam ausu penetrauit:
vbi Persephonen suauitate cantus illectam permouit, vt de-
siderio eius morem gerens, coniugem nuper defunctam ab
inferis reducendam concederet. quomodo Bacchus olim
matrem ab vmbris Semelen excitasse, & immortalitate do-
natam Thyonen nominâsse fertur. His itaque per digres-
sionem de Orpheo insertis, ad Herculem denuò nostra se

XXVI. referet oratio. Hunc, vt in fabulis proditum est, Ditis
aulam ingressum, benignè Proserpina, siquidem frater erat,
excepit, Theseumque è vinculis eximendi cum Pirithoo illi
potestatem fecit. Et tandem præter omnium opinionem
canem vinculis annexum in hominum inde conspectum
protraxit. Postremo denique certamine indicto, vt aurea

Hesperidum mala asportaret: in Africam denuò traiecit. De his non idem scriptores fabularum tradunt. Alii reuerá in hortis quibusdam Hesperidum aurea fuisse mala, quæ terribilis Draco perpetua custodia asseruauerit, affirmant. Alii de gregibus Hesperidum eximiæ pulcritudinis interpretantur, aureósque poëticè vocari; vti Venus idem à formæ splēdore cognomentum accepit. Nonnulli singularem in ouibus colorem, auróque persimilem rutilasse volunt. Et Draconem de gregum curatore intelligunt, qui magno corporis, animique robore illos custodierit, & prædones, vim inferre ausos, obtruncârit. De hoc tamen, vt quisque sibi persuadet, ita sentiat licebit. Hercules autem custode interempto, seu mala, seu oues ad Eurystheum transportauit, iā consummatis certaminibus immortalitatis se præmio remuneratum iri (iuxta Apollinis oraculum) confidens.

XXI

Non omittenda tamen interim quę de Atlante & Hesperidum genere fabulosè memorantur. In terra, quam Hesperitim vocant, duo inclyti nominis fratres vixerunt, Hesperus & Atlas. His oues erant mirum in modum elegantes, rubicundo, aureique adspectus colore: quā de causa poëtæ sua illis phrasi aurea mala (nam *mêlon* Græcis & *ouis* & *malum* dicitur) appellitant. Hespero nata Hesperis Atlanti nuptum datur: vnde regioni nomen obuenit. Ex hac Atlas septem filias procreauit; quæ à patre Atlantides, à matre Hesperides denominantur. His, quod insigni essent forma & prudentiā rex Ægyptiorum Busiris potiri cupiens, piratas cum mandatis emisit, qui raptas ad se puellas asportarent. Sub idem verò tempus Hercules, vltimo occupatus certamine, Antæum, qui palæstra secum hospites certare cogebat, interemit; & Busirim, in Ægypto aduenarum cæde Ioui litantem merito supplicio adfecit. Posthæc aduerso Nili flumine in Æthiopiam subuectus, regem Æthiopum Emathionem, qui bello ipsum lacessebat, neci tradidit. Et tum ad præscriptum denuò laborem se conuertit. Plagiarii interim, puellis ex horto quodam, vbi lusitabant, abreptis, celeri ad naues fugâ euaserant. quos cùm genio indulgentes in littore quodam deprehendisset Hercules, de plagio à virginibus certior factus, illos sanè interfecit, Atlanti verò natas vindicauit. Pro quo ille meritò gratiam rependens, non modò pertinentia ad hoc certamen beneuolè impertiuit: verùm

rùm Astrologię quoque scientiam non grauatim ipsum do-
cuit. Singularem vir ille Astrologorum disciplinæ curam
& operam impenderat: & quia Sphæram siderum artificio-
sè elaboratam habebat, totum humeris suis mundum ge-
stare putabatur. Eodem modo Hercules etiam, cùm doctri-
nam sphæricam ad Græcos transtulisset, præclaram obti-
nuit existimationem, vt qui mundi onus ab Atlante exce-
pisset: cùm obscurè, quid tum accidisset, significaretur.

IIX Intereà dùm his districtus est Hercules, Amazonum reli-
quiæ ex totâ gente ad Thermodontem congregatæ, Græ-
cos, ob damna per Herculem illata, vlcisci properant. Sin-
gulari autem in Athenienses odio exarserant; quod Antio-
pen (vel vt alii scribunt) Hippolytē, Amazonum reginam
Theseus in seruitutem abduxisset. Adscitis ergò Scytharum
auxiliis, ingens exercitus conuenit, cum quo ductrices Ama-
zonum, traiecto Bosphoro Cimmerio, per Thraciam pro-
fectæ, magnam Europæ partē incursabant, & in Attica tan-
dem, (vbi nunc Amazonéum ab illis nuncupatum) castra
posuēre. Theseus aduentu harum cognito, exercitum ex op-
pidanis contractum, Antiopen, ex quà Hippolytum iam su-
sceperat, comitem habens, in illas educit. Conserto dein prę-
lio, quod Atheniensium virtus emineret, Theséi vincunt, &
Amazonas partim in acie cædunt, partim in fugam conie-
ctas Atticâ expellunt. Tum simul Antiope, cùm præclarè in
pugnâ, defensando viri partes, se gessisset, heroicum vitæ exi-
tum sortitur. Quæ ex prælio Amazones superfuerant, de pa-
triâ desperantes, in Scythiam, cum Scythis (belli sociis) com-
munes occupatum sedes remigrârunt. Verùm cùm sat de
his iam dictum sit, ad Herculem reuertamur.

XIX. Certami-
nibus iā absolutis, dei oraculo ex re fore admonitus, vt prius-
quàm ad deos emigraret, missā in Sardiniā coloniā ex Thes-
piadum cōplexu sibi natos Insulæ præficeret: Iolaum nepotē
cum adolescentibus, quod immaturæ adhuc ætatis essent, il-
luc misit. Heic verò de procreatione illorum quædā præmit-
tenda esse ducimus: vt narrationem de colonia liquidiùs ex-
ponere queamus. Thespis nobilissima Athenis gēte, Erech-
theo scilicet patre, ortus, & denominatæ à se regionis prin-
ceps, è multis vxoribus quinquaginta filias genuit. Is cùm
ex Hercule adhuc quidem adolescentulo, sed corporis ta-
men viribus supra visitatum naturæ modum pollente, filias

ſobolem tollere percuperet: ad epulas quaſdam ſacras inuitato lautéque tractato, ſingulatim puellas ſubmiſit. quibus omnibus ille congreſſus quinquaginta mulierum vir iuxta, & quinquaginta filiorum inde parens factus eſt. Hos communi Theſpiadum nomine appellatos, cùm adoleuiſſent, coloniæ in Sardiniam, reſponſo diuino morem gerens, deſtinauit. Quia verò claſſis totius præfectus, & omnium ferè expeditionum ſocius fuerat Iolaus, coloniam ei Theſpiadarum commendauit. De quinquaginta igitur duo Thebis ſubſtiterunt, quorum poſteros in hunc quoque diem in honore illic eſſe, dictitant: ſeptem prætereà in Theſpiarum vrbe, quos Demuchos (*præſides populi*) vocant: quorum poſteri ad recentem vſque memoriam vrbis principes fuerint. Cæteris omnibus, & quicunque præter eos coloniæ participes eſſe vellent, aſſumptis, Iolaus in Sardiniam velificauit, indigenisque pugnâ deuictis pulcerrimum Inſulæ tractum & maximè campeſtrem (qui etiamnum Iolaéi nomen tenet) ſorte diuiſit. Ab hoc itaque tellus ita exculta & fructiferis arboribus conſita fuit, vt certatim deinceps Inſula appeteretur. Nam vbertate frugum vſque adeò celebris euaſit, vt Carthaginenſes opibus poſtmodùm aucti, multa potiundæ eius deſiderio certamina ſuſceperint, de quibus ſuo deinceps loco mentio fiet. Poſt conſtitutam inde coloniam, Iolaus arceſſito ex Siciliâ Dædalo, multis magnificæ ſubſtructionis operibus animum intendit, quæ hodiéque ætatem ferunt, & de architecti nomine Dædaléa vocitantur. Gymnaſia enim magna ſumptibus non modicis exſtruxit, & tribunalia, cum multis aliis, quæ ad felicitatem vitæ conducerent, inſtituit. Quin & ciues de nomine ſuo Iolaos permiſſu Theſpiadarum, qui tanquam patri hunc ei honorem tribuebant, appellauit. Illi enim ob egregium bene de ipſis merendi ſtudium tantâ eum beneuolentiâ complexi ſunt, vt genitoris eum nomine dignarentur. Inde factum, vt qui poſteris temporibus rem diuinam huic deo faciunt, Iolaum patrem eum nuncupent. quod Cyro à Perſis quoque præſtari ſolet. Poſthæc Iolaus reditu in Græciam inſtituto, cùm Siciliæ appuliſſet non parum diu ſubſtitit. Sub id tempus nonnulli peregrinationis comites amœnitate Inſulæ capti, poſitis illic laribus remanſêre: ac Sicanis permixti, magno ab Inſulanis honore ſunt affecti. præcipuus verò honos Iolao

XXI.

lao habitus;cui ob merita plurimis exhibita, luci, cultusque Heroici paſſim in vrbibus inſtituti ſunt. Peculiari autẽ hæc colonia euentu inſignis eſt. Oraculo enim dei ſignificatum illis fuit,omnes huius coloniæ municipes, eorumque poſteros libertatem perpetuam conſeruaturos eſſe. quod effectu non irrito ad hoc vſque tempus comprobatur. Cùm enim Barbari complures coloniæ immixti eſſent, longinquitate temporis factum eſt, vt populus ille totus in Barbarorum mores tranſiret,& ſedibus in montana tranſlatis,ardua quædam loca & acceſſu difficilia inhabitaret; vbi lactis & carnium nutrimentis adſueti, ſiquidem ex re pecuariâ vitam ſuſtentant, frumentorum vſu non indigent. Cumque ſub terrâ habitantes ætatem ſuam in effoſſis humo ſpeluncis degant,bellorum diſcrimina facilè deuitârunt. Idcircò quãuis & Carthaginenſes & Romani ſæpe armis eos appetiuerint, nihil quicquam tamen effecêre. Sed iam de Iolao & Theſpiadis, horumq; in Sardiniam colonia dictorum,modus nobis eſto. Quæ porrò de Hercule ſuprà recitatis cohærent,ea nunc attexentur.

XI. Conſummatis hic certaminibus, ſobolis ex Megarâ procreationem, propter illam liberorum calamitatem ſuſpectam habens,Iolao vxorem hanc concedit,ſibique aliam ad propagationem generis minùs ominoſam quærit. idcircò Iolen,cuius parens Eurytus (Oechaliæ is dominabatur) in matrimonium expetit. At ille infelicem Megaræ caſum veritus,ſuper hoc deliberaturum reſpondet. Hercules igitur vti repulſam paſſus, ad vindicandam hanc ignominiam Euryti equos abigit. Iphitus autem Euryti filius, id quod erat ſuſpicatus,inueſtigandi causâ Tirynthem venit. hunc, in excelſam Hercules turrim perductum, ſpeculari iubet, an vſpiam paſcentes equas videat. cùm nihil animaduertere poſſet,Hercules falsò ſe furti argui cauſatus, ex alto hominem culmine deturbat. Ob cuius necem morbo correptus, Neleum Pyli conueniens, vt hanc ſibi cædis noxam expiet, orat. Is inito cum filiis conſilio,omnium præterquàm Neſtoris natu minimi ſuffragia tulit, expiationem minimè accipiendam eſſe. Tunc Hercules ad Deiphobum Hippolyti profectus,vt mundaretur,illi perſuaſit. At cùm necdum morbi remedium inueniret, de ſanatione Apollinem conſuluit. Is faciliùs à morbo liberatum iri, reſpondit, ſi iuſto

venditus precio, Iphiti liberis multam eam solueret. Quapropter, vt morem oraculo gereret, pertinaciâ morbi coactus, in Asiam cum amicis quibusdam traiecit, & vni ex necessariis sponte vendendum se permisit: in seruitutem verò traditus est Omphalæ, Mæonum (ita qui nunc Lydi sunt olim vocabantur) reginæ, Iardano prognatæ; preciumque venditor Iphiti natis oraculi iussu expendit. Tum Hercules, sanitate recuperatâ, strenuum Omphales seruum agens, latrociniis terram infestantes castigauit. Nam Cercopes qui vocantur (prædones hi famosi erant, & multa scelerate agebant) partim occîdit, partim vinctos reginæ statuit. Et Syleum, qui hospites illàc iter facientes comprehendens, vineas pastinare cogebat, ligone percussum interemit. Itonibus etiam, qui magnam regni partem populationibus infestam reddebant; prædas extorsit; vrbemque, vnde excursiones faciebant, expugnatam diruit; & homines sub iugum misit. Omphale autem fortia viri facta & virtutem admirata, vbi quis esset, & quibus genitus, cognouit, in libertatem vindicatum, thori consortem fecit, & Lamon ex eo suscepit. Natus etiam ante ex conseruâ Herculi fuerat Cleolaus.

Deinde in Peloponnesum regressus, in Laomedontem Ilii regem, propter iniurias quasdam exercitum duxit. nam is Herculi, quando cum Iasone vellus aureum armis vindicaturus iuerat, pactos ob cædem balænæ equos, denegârat. de quo non ita multò post in Argonautarum historia seorsim disseremus. Expeditionem, igitur, tunc Iasonis militiâ impeditam, per occasionem postea aduersus Troiam suscepit, nauibus, vt quidam tradunt, longis XVIII. vel vt Homerus scribit sex in vniuersum: qui Tlepolemum his verbis vtentem introducit: XX

Quale ferunt quondam patris mihi nobile robur
Herculis, exsuperans ausu & virtute Leones.
Nauigiis cum sex, raroq; huc milite venit;
Laomedontis equos pacti dum lege reposcit;
Captamq; Iliadum viduauit ciuibus vrbem.

Hercules igitur cùm ad Troaden appulisset, ipse cum fortissimis ad vrbem contendit: Oicleum verò Amphiarao genitum, classi præfectum, in subsidiis reliquit. Interim Laomedon subito hostis aduentu exclusus, dum iustum exercitum

tum

tum nequit, quas per angustiam temporis potest copias tu-
multuariè colligit, easq; aduersus classem educit: hac incensâ
subitum se bello finem impositurum sperans. Huic Oicleus
Imperator cum suis occurrens in primâ acie cadit: & reliqui
in naues compulsi, longiùs à terrâ abscedunt. Laomedon er-
gò reuersus, commisso cum Herculanis prælio, tum ipse oc-
cumbit, tum militum plerique. Mox Hercules vrbe, vi expu-
gnatâ, cùm multos collatis manibus trucidâsset, Priamum
ob iustitiam in regnum paternum collocauit. hic enim Lao-
medontis filiorum solus patri aduersans, consilii auctor fue-
rat, vt Herculi ex pacto equi traderentur. At Telamoni, ceu
singulari virtutem eius præmio coronans, Hesionen Lao-
medontis filiam concessit. nam primus in oppugnatione vi
sibi viam in vrbem fecerat: quà validissimum arcis murum
Hercules impetebat.

X- Post reditū in Peloponnesum, Augeæ, quòd promissâ
mercede fraudaretur, bellum mouet; pugnamque cum Eli-
ensibus committens, tunc quidem re infectâ discedit, Ole-
numque regressus à N. quodam hospitio excipitur. nata eius
Hippolyte tum Axani nuptum dabatur. Huic vim in ipsis
nuptiis, quibus fortè intererat ab Eurytione intentari videns,
Centaurum obtruncat. Tirynthem inde reuersum, Eury-
stheus, nescio quid insidiarum regno structarum causatus, i-
psum cum matre Alcmena Iphicle & Iolao solum vertere
iussit. In exilium ergò pulsus, Pheneum Arcadiæ concessit.
Inde cùm ex Elide solenni ad Isthmum pompâ sacrum, duce
Euryto Augeæ filio, mitti inaudisset, subitâ agmen impres-
sione aggressus, propè Cleonas, vbi Herculis nūc fanum est,
Eurytum occidit. Post Elidem armatâ manu iterum inuadens,
ipsum quoq; regem Augeam è vitâ tollit, & vrbem vi captâ,
reuocato in patriam Phyleo, vnà cum regno, tradidit. Eie-
ctus enim fuerat à patre, quando arbiter controuersiæ inter
patrem & Herculem adoptatus, mercedem Herculi soluen-
dam censuisset. Post id tempus accidit, vt ab Hippocoonte
fratre Tyndarus è Spartâ extorris ageretur: & Hyionum
Licymnii filium Herculis amicum, Hippocoontis nati
interimerent. Hos prælio magno profligatos maximo nu-
mero cecidit; & Spartâ vi subactâ, Tyndarum Dioscu-
rorum parentem, in regnum reduxit, quod, vt hastâ par-
tum, hac conditione fidei eius depositi loco, permisit; vt

Herculis illud liberis sartum tectumq; conseruaret. Ceciderunt in eâ pugnâ de Herculanis perpauci, inter quos viri nobiles, Iphiclus & Cephei filii XVII. nam de XX tres tantùm sospites abiêre. de hostili verò exercitu Hippocoon ipse cum filiis X. & magnâ Spartanorum turbâ. Ab hoc bello Arcadiam repetens, cùm ad regem Aleon diuertisset, Augen eius filiam, furtim comprimens, grauidã facit: atque inde Stymphalum se confert. Aleos rei ignatus, tumore vteri stuprum indicante, de auctore inquirit: puella ab Hercule se violatam affirmat. At ille verbis eius fidem non habens, Nauplio, de necessariis vni, puellam cum hoc edicto tradit, vt mari submersam pessundet. Auge igitur, dum in Naupliam abducitur, circa Parthenium montem, dolore partus grauata, in syluam propinquam, ad necessarium quasi naturæ opus, diuertit. Ibi masculum enixa infantem, sub virgultis occultatum reliquit: & cum Nauplio digressa, in Naupliam, Argolidis portum, tandem peruenit. vbi salus ei inopinatò cõtingit. Nauplius enim puellam ex mandato submergendã esse nequaquam censuit: sed peregrinis quibusdam Caribus, iam in Asiam soluentibus, eam donat. Hi abductam regi Mysiæ Teuthranti Augem vẽdunt. Intereà relictus in monte Parthenio infans, à Corythi regis pastoribus ceruæ vbera sugẽs inuenitur; quem herus ad se delatum cupidè accipit, & tanquam filium educat, Telephi nomine à nutrice ipsi indito. Is ætate iam adultâ matris inuestigandæ studio Delphos profectus, ex oraculo discit, ad Teuthrantem Mysiæ regem eundum esse. Repertâ igitur matre, cognitóque cuius esset patris, in magno habetur precio: adeò vt Teuthras, cui hæres masculus non erat, Argiopem ei filiam nuptum daret, & successorem in regno sibi adoptaret. Interea Hercules, quinto post migrationem in Pheneum anno, Hyionum Licymnii, fratremq; Iphiclum tàm indignè cæsos, molestè ferens, ex Arcadiâ, totâque adeò Peloponneso sponte emigrat: ac multis Arcadum comitatus, Calydonem Ætoliæ vrbem cõcessit. Cùm verò nec liberi, nec vxor legitimi essent, Deianiram Oenei filiam, Meleagro iam exstincto, sibi thoro iunxit. Hoc lóco nõ alienum videtur, per digressionem paucis, quid Meleagro acciderit, explicare. Oeneus enim cùm vberrimè frumentum ipsi prouenisset, dum alios quidem deos suis remuneratur sacris, solam interim Dianam neglexerat.

XXIV.

xerat. Eam ob causam dea succensens, aprum Calydonium tantoperè celebratum, & magnitudine stupendum, excitauit, qui vicinam regionem vastans, magnam prædiis cladem inferebat. Ideò Meleagrus, Oenei filius, iam ætate maximè florens, & robore, fortitudinéque nulli secundus, optimatum non paucos ad venationem eduxit. Cumq; ipse primus venabulo beluam confixisset, meritò etiam victoriæ illius præmium, quod corium suis erat, consensu omnium reportauit. Inter venationis autem socios Atalanta, Schæneo nata, simul erat. huic exuuias, ipsamq; rei præclarè gestæ laudem (puellam enim deperibat) Meleager concessit. Thestii verò nati, venationis consortes, peregrinam mulierem sibi, non habitâ consanguinitatis ratione, prælatam, indignè ferebant. Antiquatâ igitur Meleagri donatione, insidias Atalantæ ponunt. dumque per Arcadiam domum redit, impetu in eam facto, pellem eripiunt. Hinc Meleager amore virginis & ignominiæ suæ dolore inflammatus, patrocinium Atalantæ suscipit; vtque præmium puellæ restituant, initio raptores hortatur. vbi nihil æqui impetrat, necem illis infert. erant autem Althææ fratres. Quorum interitum immoderatiùs illa dolens, funestis natum diris deuouit, eique dii, precibus exauditis, vitæ finem attulerunt. Quidam fabulantur, sub Meleagri ortum Parcas Althææ in somniis adstantes prædixisse, tùm exiturum è vitâ Meleagrum, si quando torris (quem monstrabant) igne absumptus foret. Mater ergò in torris asseruatione salutem filii positam credens, solicitè eum custodiuit. Pòst cæde fratrum irritata, titione combusto, mortem filio accelerauit. cúmque subinde magis pœnitentiâ factorum sese afflictaret, laqueo tandem animam interclusit.

.XV Dum hæc geruntur Hipponous in Oleno filiam Peribæam, quod ex Marte grauidam se diceret, iratus, in Ætoliam Oeneo transmisit, vt quamprimùm necaretur. At hic filio & coniuge recèns amissis, capitale quid in puellam statuere noluit, sed inito cum ea matrimonio, Tydeum procreauit. Hæc igitur de Meleagro & Althæâ, nec non Oeneo per excursum dicta sunto. Cæterùm Hercules à Calydoniis gratiam inire volens, Acheolum fluuium in alium, quem ipse fecerat, alueum diuertit, & magnum fertilis agri spacium amni rigandum, hoc pacto vindicauit. quæ res poëtarum fabulæ materiam dedit. Fin-

gunt enim Herculem cum Acheloo, in Tauri formam conuerso, pugnâ decertâsse, & in conflictu alterum ei cornu detruncatum Ætolis dono dedisse. id *Amalthææ cornu* vocant, quòd omni autumnalis fructus copiâ, vti racemis, pomis, & id genus aliis sit referum. Cornu illis cursum Acheloi per fossam aliò deflexum, obscurè significat. Pomis inde, malisque punicis & racemis tellus frugifera, quæ flumine humectatur, & feracium plantarum copia, denotantur. Amalthias deniq; vocabulo strenuitatem effossoris mollitiei expertem (quam *amalakistian* Græci dixerint) indicari autumant.

XXVI. Calydoniis posthæc auxilium ferens Hercules, in bello cum Thesprotis Ephyram vi cepit: Phileumque regem interfecit; Et cum filiâ eius captiuâ congressus, Tlepolemũ inde suscepit. Iam tertius à Deianiræ nuptiis annus erat, cum Oenei conuiuam agens Eurynomum; Architeli filium (puer is adhuc erat) pugnâ validius pulsatum, quòd errorem in ministrando commisisset, haud sponte interemit. Ob hoc infortunium magno perculsus mœrore cum Deianirâ & Hyllo admodum paruulo ex illâ nato in voluntarium è Calydone exsilium discessit. In hoc itinere ad Eueni fluminis ripas veniens, Nessum Centaurum, qui mercede transuectionis operam elocaret, offendit. Is Deianiræ, quam primam acceperat transportandam, amore ob pulcritudinem captus, vim facere intendit. eâque implorante viri opem, sagittâ Centaurum ille traiecit. Hic ergò statim in ipso opere, plagæ vehementiâ deficiens, philtrum velut amoris irritamen se Deianiræ relicturum dixit; cuius vi nulli se posthæc alteri fœminæ Hercules applicet. Profusam verò ex ipso genitur[a]m, & destillantem à sagittâ cruorem cum oleo permiscere, illisque subuculam Herculis inungere iussit. & post monita hæc confestim exspirauit. Illa mandatis obsequens, semen Nessi collectum, & cum teli guttis permixtum, clam viro in vasculo conseruat. Is verò amne traiecto ad Ceycem Trachiniæ regem, vt inquilinus ei fieret, se recepit; Arcades ad perpetuam militiæ societatem, secum habens.

XXVII. Posthæc cùm rex Dryopum Phylas in fanum Delphorum quiddam impiè commisisse argueretur, Miliensium auxiliis tum regem interfecit, tum Dryopes ex antiquis sedibus eiecit, agrumque Meliensibus assignauit.

Tum

Tum ex compressâ Phylantis natâ (quam captiuam sors belli fecerat) Antiochum progenuit. Nati sunt ei post Hyllum alii quoque liberi ex Deianirâ, Gynæus vel Gleneus & Hodites. Dryopum exsules partim in Eubœam digressi, Carystum vrbem condiderunt: partim in Cyprum auecti, nouis sedibus occupatis, cum Insulanis coaluerunt. reliqui ad Eurystheum profugerunt, & odio Herculis in tutelam ab eo recepti, tres in Peloponneso vrbes, Asinen, Hermionen, & Eionem, illius auxilio condiderunt. Emotis auito solo Dryopibus, bellum oritur inter Dorienses, qui Hestiæotim regnante tunc Ægimio possidebant: & inter Lapithas, Olympi montis accolas, quibus Coronus, Phoroneo cretus, imperabat. Cùm verò Lapithæ à copiis longè instructiores essent, Dorienses ad Herculis subsidium confugiunt, tertiâque agrorum & regni parte oblatâ, ad armorum societatem eum inuitant & persuadent. Coniunctis ergò viribus hostes inuadunt; eosque Hercules Arcadum (quos in perpetuo secum commilitio habebat) virtute fundit: regemque ipsum obtruncat; & magnâ strage editâ, Lapithas regione, de quâ certamen fuerat, excedere cogit. His ita confectis, tertiam, quæ sibi ex pacto debebatur, partem Ægimio vt depositum familiæ Herculeæ restituendum, tradit. Dum Trachinem regreditur, Cygnum Martis filium qui solitario eum certamine prouocabat, victum occidit. Itono profectus cum in Pelasgiotidis transitu Hormenio regi occurrisset, Astydamiam eius filiam in matrimonium petit. sed hic propter legitimum cum Deianira coniugium abnuit. Bello igitur contra eum suscepto, & vrbem cepit, & regem ipsum capite multat. Et sic Astydamia per vim bellicam potitus, Ctesippum ex ea sustulit. Quibus peractis, in Oechaliam, contra Euryti natos ob denegatam sibi Iolen, expeditionem denuò fecit. Arcadumque confirmatus auxiliis, vrbem in potestatem redigit, & Euryti filios Toxeum, Molionem & Pytium occidit, captaque Iole, ad promontorium Eubœæ quod Cenæum nuncupant, iter instituit. XXXIX. Heic solenne adornans sacrum, Licham ministrum cum mandatis Trachinem legauit, vt indusium & tunicam, quibus in sacris vestiri consueuerat, inde afferret. Ex hoc Deianira de amo-

re Ioles certior facta, vt præ illâ à marito amaretur, philtro Centauri ad perniciem comparato, interulam perunxit. hanc Lichas rerum ignarus ad sacrificium deportat. Sed quamprimùm Hercules eam induit, tabificam medicamento vim paullatim exserente, in calamitatem ineluctabilem incidit. vipereum enim sagittæ virus in subuculam transfusum ardore suo carnes toto mox corpore depascitur. vnde tristissimis Hercules cruciatibus districtus, exitialis rei ministrum continuò trucidat, exercituque dimisso, Trachinem redit. Sed valetudine magis ac magis ingrauescente, Licymnion & Iolaum Delphos mittit, qui, vt morbo occurrendum foret, ex Apolline sciscitarentur. Deianiram verò, magnitudine calamitatis exsternatam, eò peccati conscientia adigit, vt guttur laqueo sibi frangeret. Responsum à deo rediit, vt cum apparatu bellico Herculem in Oetam deportarent, ibique grandem ei pyram construerent: cætera Ioui curæ fore. Iolaus ergò mandata exsequutus, in propinquo cum suis, quorsum res euasura sit, præstolatur. Tum omni spe Hercules abiectâ, pyram conscendit, & vnumquenque accedentium ad succendendum rogum inuitat & exhortatur. id nemine facere auso, solus tandem Philoctetes morem gerit, & pro ministerio arcu, sagittisque remuneratus, pyræ ignem subiicit: quæ mox etiam fulminibus de cœlo tacta exarsit, inque cineres tota consedit. Hinc cum Iolaus ossa conquisiturus, nihil omninò inueniret, persuasio orta est, Herculem, prout oraculo proditum fuerat, ex mortalium consortio ad deos emigrasse. Consecrationis ergo ritibus vt Heroi peractis, & tumulo ingenti excitato, Trachinem redierunt. Horum exemplum secutus Menœtius Actore genitus, cui amicitia cum Hercule intercesserat, Tauro, apro, hirco, tanquam Heroi, immolatis, Heroicos ei cultus quotannis in Opuntiorum ciuitate obeundos instituit. Id imitatis etiam Thebanis, primi inter omnes Athenienses sacrificia vt deo, fecerunt Herculi, & suo pietatis in Herculem exemplo primùm Græcos vniuersos, deinde cæteros orbis populos, vt pro deo Herculem venerarentur, induxêre. Adiiciendum & hoc, quòd post euectionem ad deos, Iuno, Iouis suasu, filium sibi Herculem adoptauit, & omne deinceps tempus maternâ

X L.

ipsum

ipſum beneuolentiâ complexa fuerit. Illam adoptionem hoc modo factam perhibent, Iuno lectum ingreſſa, Herculem corpori ſuo admotum, vt verũ imitaretur partum, ſubter veſtes ad terram demiſit. Quem in hoc vſque tempus adoptionis ritum Barbari obſeruant. Heben dein Herculi nuptum dediſſe, fabulantur. Et in mortuorum hiſtoriâ poëta manes eius his verbis introducit:

Ipſe deos inter conuiuia læta frequentat,
Cœlicolas, pulcræ gaudens complexibus Hebes.

Atqui Herculem ferunt, cum in XII deorum collegium à Ioue allegaretur, honorem illum non accepiſſe, propterea quòd nullum cooptatio locum haberet, cùm nullus dum Se- ” natu illo motus eſſet. honorem ergò cum dehoneſtatione ” alterius dei accipere planè abſurdum fore. Etſi verò longius ” de Hercule narratio excurrit: interim tamen nihil eorum, quæ de ipſo memorantur à nobis prætermiſſum eſt.

XI. Nunc de Argonautis (horum enim expeditioni Hercules interfuit) vt diſſeramus, tempeſtiuum fuerit. Iaſon (dicunt) Æſonis filius, & Peliæ, Theſſalorum regis, ex fratre nepos fuit. is cùm viribus corporis & præclara mentis indole æquales ſuperaret, dignum memoriâ aliquid deſignare cupiebat. Perſeum enim progenitorem ſuum & quoſdam alios factis in longinquas regiones expeditionibus, & mirandis certaminibus ſempiternam conſecutos gloriam videns, conſilia & facta illorum imitari conſtituit. Communicato igitur cum rege conſilio, facilè aſſenſum impetrauit; non quòd tantopere gloriam adoleſcentis illuſtratam cuperet: ſed quòd inter tot expeditionis diſcrimina occubiturum ſperaret. Cùm enim virilis ei ſexus natura filios negâſſet, ne frater aliquando adiuuante nato, regnum inuaderet, ſubmetuebat. Suſpicionem tamen interim occultans, & neceſſarios ad expeditionem ſumptus offerens, ad hoc illum certamen excitauit: vt claſſe inſtructâ in Colchidem profectus, aureum arietis vellus, toto celebratum orbe, inde auferret. Pontus eâ tempeſtate à barbaris & ferociſſimis gentibus, quæ aduenarum cædibus infames erant, accolebatur, axenos (id eſt, *inhoſpitalis*) idcircò nominatus. Iaſon itaque gloriæ cupidus, quamuis difficultate certaminis nonnihil moueretur, cùm tamen non prorſus inexſuperabile id duceret; ſed tantò ſe clariorem inde fore ſperaret, neceſſa-

ria ad institutum comparabat. Ac primùm sub Pelio XL monte nauem, mole cæteroque apparatu longè maiorem, quàm consuetudo tunc ferret, ædificauit. quia ratibus illa tempestate, & acatiis, (hoc est, *paruis actuariis*) vndas sulcabant. Cùm opus ergò illud videntibus admirationem iniiceret, & fama de certamine, nauisq; structurà per Græciam dideretur; nō paucos ex summa nobilitate iuuenes ad communionem huius militiæ sese adiungendi cupido incessit. Tum naui Iason deductâ, cunctisque ad vsum necessariis mirificè adornata, ex omni illorum numero, quibus vnà proficisci animus erat spectatissimum quenque delegit, ad quatuor omninò & L. inter quos clarissimi erant Castor & Pollux, Hercules & Telamon, Orpheus & Atalanta Schœneo nata, Thespii quoque filii, & ipse tandem auctor & Dux nauigationis in Colchos. Nauem Argo nuncupauit, (vt fabularum scriptores nonnulli tradunt) ab Argo illius architecto, qui vt labefactatas eius partes reficeret, vnà cum aliis exiuit. vt alii verò dicūt, à celeritate insigni, quod *argon* antiquis subitum sit & velox. Proceres tandem congressi, Herculem ob virtutis prærogatiuam, imperatorem creant. Post- XLI eaquam verò ex Iolco soluissent; Athon & Samothracen præteruecti, obortâ tempestate, ad Sigeum Troadis promontorium iactantur; vbi in terrā egressi, virginem littori alligatam inueniunt, ob hanc (vti ferunt) causam: Neptunus, ob decantatam fabulis muri Troiani constructionem, Laomedonti Troianorum regi iratus, immanem è pelago cetum in regionem concitauit; qui in littore obuersantes, & maritimos agricolas, ad præsens exitium abriperet. Peste etiam plebem, & agros omnium calamitate frugum infestabat. Omnes ergò magnitudine malorum perculsi ad cōcionem facto concursu, de remedio infelicitatis consultabant. Tum Rex, missis qui Apollinem super hac re consulerent, responsum accepit, irâ Neptuni id fieri; tunc modum finemque habiturā, cùm de liberis, quicquid sors notâsset, balænæ obiicerent vorandum. Vniuersis igitur sortis iudicio subiectis, regiæ filiæ nomen Hesiones exiuit. Laomedon igitur necessitate coactus, virginem populo tradit, eamque vinculis constrictam in littore reliquit. Et tunc forte fortunâ Hercules exscensu cum Argonautis facto, de hoc casu à puella edoctus, vincula disrumpit; vrbemque ingressus, beluam se con-

se confecturum pollicetur. Exoptata Laomedonti venit hæc oratio, qui cùm inuictos, præmii loco equos repromisisset, balenam Hercules trucidat. Tum liberâ virgini potestate factâ, vt vel cum liberatore suo abiret, vel domi apud parentes remaneret, cum hospite vitam agere maluit, non tantum generis necessitudini beneficii gratiam præferens, sed etiam, ne iterum ingruente monstro ad simile à ciuibus supplicium exponeretur, reformidans. Hercules igitur honorificis (vt tantum hospitem decebat) muneribus affectus, & Hesionen & equos, vt depositum Laomedonti commendauit; post reditum è Colchide restitutionem horum pactus. Tunc verò ad susceptum cum Argonautis certamen perrexit.

XLIV. Inde cùm graui rursus tempestate vexati de salute proceres desperarent, Orpheus, initiorum solus inter nauigationes eius socios particeps, diis in Samothracia votum fecit. Tum ventis confestim pacatis, duæ stellæ Dioscurorum capitibus, non sine videntium stupore illapsæ, fidem periculi, deorum prouidentiâ iam depulsi, fecerunt. Hinc per traditionem mos apud posteros inualuit, vt quos procellæ maris agitant, deos Samothraces in vota vocent, & si quando stellæ apparent, Castoris & Pollucis has præsentiæ adscribant. At postquàm remisit tempestas, in Thraciæ regionem quandam, Phinei imperio subiectam expositis, duo adolescentes, è finibus illis eiecti, crebrisque verberibus lancinati sese illis offerunt. Erant hi Phineo è Cleopatrâ (quam Orithya Boreæ peperisse dicitur) prognati: sed audaciâ nouercæ, falsisque criminationibus effectum erat, vt his iniustè modis à patre multarentur. Phineus enim Ideâ Dardani Scytharum regis filiâ superductâ ex amoris impotentiâ, per omnia libidini mulieris obsecũdabat. Ideo tum quoque calumniis priuignos accusantis, quasi gratiã apud matrem initúri contumeliosè nouercæ vim intentâssent, fidẽ habuerat. Hercule itaque cum suis illuc appulso adolescentes in discrimine constituti, non aliter quàm deos optimates inuocant, & causâ, quare parens ita in eos sæuiret, indicatâ, vt ex iniqua

XLV. hac sorte eximerentur, obsecrarunt. Phineus autem non sine acerbitate hospitibus occurrens, ne rerum alienarum satagerent, interdixit. » Nullum enim patrẽ esse, qui » seuerioris pœnæ exemplum in filios statuat, nisi delictorum » magnitudine naturalem erga liberos amorem superarint.

Erant autem in commilitio Herculis etiam Boreadæ (quos vocant) Cleopatræ germani. Hi primi ſumtis armis opem adoleſcentibus, propter cognationem afferunt; & confractis ipſorum vinculis, quicquid Barbarorum reſiſtebat, morti tradunt. Cùm verò concurſu Thracum facto, etiam Phineus in aciem procederet, Hercules fortiſſimè dimicando & regem iuxtà, aliorumque non paucos interemit. Regiâ inſuper potitus, Cleopatram è carcere exſoluit, & paternum natis Phinei regnum vindicauit. His, cùm ignominioſum de nouerca ſupplicium ſumere decreuiſſent, auctor erat, vt ab hoc ſibi temperarent; ſed miſſis potius in Scythiam nunciis ad patrem, liberum vindictæ iudicium ipſi permitterēt. Quo facto, Scytha filiæ capitis pœnam irrogat. Cleopatræ autem nati laudem modeſtiæ & æquitatis apud Thraces conſequuntur. Nec ignoro, quod fabularum commentatores nonnulli Phineidas à patre excæcatos, ſenemque eodem calamitatis genere affectum à Boreâ tradant. itemque Herculem aquandi cauſsâ digreſſum ab Argonautis in Aſiâ relictum fuiſſe, perhibent. In priſcis enim fabulis nulla o- „ mninò ſimplex & per omnia ſibi conſentiens eſt hiſtoria. „ Haud ergò mirandum eſt, ſi in antiquitatibus illis recenſen- „ dis cum poëtis & ſcriptoribus aliis non vbique nobis conueniat. Pheneidas tamen ferunt, regno matri conceſſo, cum heroibus militatum abiiſſe. Qui ex Thraciâ in Pontum ſubuecti Tauricæ Cherſoneſo nauem applicuerunt, de feritate incolarum nihil habentes compertum. Mos ibi Barbaris erat, aduectos eo loci hoſpites Dianæ Tauricæ immolare. apud quos Iphigenia poſtmodum, deæ ſacerdos, quoſcunque cepiſſet, ad aram mactâſſe fertur. Heîc cum hiſtoriæ id ratio poſtulet, cauſas tàm nefariæ aduenarum cædis explicare nos oportet; præſertim cùm rebus Argonautarum geſtis digreſſio hæc competere videatur. Solem duos procreaſſe filios memorant, Æeten videlicet & Perſen, quorum ille Colchidis, hic Tauricæ regnum tenuit. inſignis in vtroque crudelitas. Ex Perſa Hecate genita eſt, audaciâ & immanitate patrem anteueniens. Venationi enim dedita, ſi nihil prædæ caperet, pro beſtiis homines iaculis configebat. In mortiferis quoque pharmacis ſolerter componendis exercitata, Aconitum (quod vocant:) inuenit. ac de cuiuſque naturâ & efficacitate ita experimentum ce-

XLVI.

pit, ſi

pit, ſi cibis hoſpitum illud permiſceret. Hinc magnam con-
ſecuta peritiam, primò patrem veneno exſtinxit, ſibi que re-
gnum vſurpauit. Deinde fanum Dianæ exſtruxit, ad quod
hoſpites nauibus appulſos pro victimis deæ ſacrificari inſti-
tuit; crudelitatis nomine vbique celebris. Æetæ poſtea nu-
pta, duas ei natas Circen & Medeam, filiumque Ægialeum
peperit. Circe ad medicamentorum omnis generis ſoler-
tiam conuerſa, mirabiles variarum radicum & herbarum
naturas & vires incredibiles adinuenit. Non pauca enim ex
matris diſciplinâ hauſerat, ſed multa ſuo ingenio, ſtudioque
eruit; ita vt nihil cuiquam ad excellentiam artis medica-
mentariæ faceret reliquum. Hæc Sarmatarum, quos Scy-
thas nonnulli vocant regi in matrimonium locata fuit. ſed
& maritum veneno ſuſtulit, & occupato regno multa cru-
delitatis & violentiæ in ſubditos exempla edidit. Ideò re-
gno, (ſecundum Scriptores nonnullos) eiecta, fugam ad
Oceanum intendit, & deſertam occupãs; Inſulam cum mu-
lieribus fugæ ſociis ibi conſedit. Vt alii verò hiſtorici pro-
dunt, relicto Ponto, in promontorio quodam Italiæ, quod
nunc quoque ætatis Circæum inde appellatur, habitandi lo-
cum accepit.

LVII. Medeam porrò tradunt de vniuerſa qui-
dem pharmacorum facultate à matre atque ſorore edoctam
eſſe: ſed planè contrariam vſus rationem inſtituiſſe. nam
perpetuò in hoc operam dedit, vt appulſos illuc hoſpites è
vitæ periculo eximeret; & quandoque precibus ac gratiâ
damnatorum ſalutem à parente impetraret; quandoque ſuâ
prudentiâ dimiſſis è carcere captiuis incolumitatem præſta-
re. Nam Æetes tum ab ingenii ferociâ impulſus, tum He-
catæ vxoris perſuaſu inductus, mactandi hoſpites morem
ritumque approbatum habebat. At cùm Medea indies ma-
gis magiſque parentum voluntati ac ſtudiis aduerſaretur, de
inſidiis ſuſpectam liberæ filiam cuſtodiæ Æetes tradit: ex quâ
tamen fugâ in quoddam Solis templum, ad littus maris ſi-
tum, elapſa eſt. Sub idem tempus Tauricam præteruecti
Argonautæ noctu Colchidem, quo loci fanum illud erat, at-
tingunt. Ibi Medeæ circa littus erranti obuiam facti, de ne-
fario hoſpitum iugulandorum ritu cognoſcunt: amplexi-
que virginis humanitatem, de ſuis eam conſiliis & cœptis e-
rudiunt; & quanta ipſi pericula ob pietatem erga hoſpites à
patre iam immineant, contrà certiores fiunt. cùm igitur

quid ex æquo vtrisque commodum esset, appareret: Medea se fidelem ad præsens certamen operam, vsque dum absoluerint, collaturam esse promisit: Iason fide per iusiurandum data, Medeam per omne vitæ tempus thalami consortem sibi futuram, spopondit. Tum Argonautæ relicto nauium præsidio, noctu cum Medeâ vellus aureum inuadunt. de quo explicatiùs hîc scribendi locus est, ne quid ad præsentis historiæ cognitionem pertinens, à nobis omittatur.

XLI Phryxum Athamantis filium ad declinandum nouercæ insidias, è Græcia cũ Helle germanâ sorore profugisse, memorant. Dumque non sine deorum monitu per aurei velleris arietem ex Europâ in Asiam transuehuntur, accidit vt puella in Pontum, cui Helles ab eo nomẽ inditum, fortè delaberetur. Phryxus autem saluus in Colchidem deportatus, arietem iussu oraculi sacrificat, & mactati vellus in sacrario Martis dedicatum suspendit. Posthæc oraculo Rex docetur, mortem tunc obiturum cùm nauigio illuc profecti, auricomum ipsi vellus abstulissent. Hæc ergò causa, præter insitam aliàs crudelitatem, hominem mouit, vt hospitum cædibus litaret: ne, tanta scilicet atrocitatis fama per omnes vbique terras diuulgata, peregrinorum quisquam pedem regioni inferre auderet. Muro quoque templum circumsepsit, validumq; militis Taurici præsidium ibi collocauit. quæ prodigiosis apud Græcos figmentis materiam præbuerunt. Vt enim ab his peruulgatum est, Tauri flammas naribus spirantes ad fanum excubant: & Draco vellus custodit. Nam propter ambiguitatem Taurorum, nomẽ ad boum violentiam detortum fuit, & immanis hospitum cædes figmento de tauris ignem efflantibus ortum præbuit. Pari etiam modo præfecti (cui templi custodia demandata fuerat) nomen ad monstrosæ, horribilisq; bestiæ naturam poëtæ traduxerunt. Nec absimilis fabulæ ratio est de Phryxo. Quidã enim Phryxum naui tradunt vectum, cuius in prorâ facies arietis expressa fuerit; & Hellen, cùm nauseæ molestiam euomitura in pariete nauis promineret, in mare decidisse. Alii Scytharum regem, Æetæ generum, ad Colchos diuertisse, sub id tempus aiunt, quo Phryxus cum pædagogo captus fuit, & amore pueri captum hoc ipso ab Æetâ donatum: eumq; instar filii legitimi complexum pro hærede & successore in regno adoptasse. Pædagogum verò, cui Crii (id est, arietis) no-

men, diis immolatum, & corporis exuuias de more fani parietibus affixas. Postea Æetam, oraculo edoctum fore, vt tunc è vita exeat, cùm hospites arietis pellem asportârint, corium illud deaurasse perhibent, & præsidium imposuisse, vt fulgor auri ad accuratiorem milites custodiam attineret. De his verò lectorũ vnicuique integrum pro libitu iudicium permissum erit. Cæterùm Medea ducem se Argonautis ad Martis sacrarium se præbebat. dissitum hoc erat non longius LXX stadiis ab vrbe, quã Sybarim vocant, aulâ Colchorum regiâ insignem. Ad portas igitur noctu occlusas accedens, Tauricâ vigiles linguâ alloquitur. Hi fores illi, vt pote regis filiæ, non cunctanter aperiunt. Illicò strictis Argonautæ gladiis irrumpũt, multos de barbaris cædunt, ceterosque re subitâ consternatos, è fano expellũt, & vellere direptò, quàm citissimè possunt ad nauem retrò contendunt. Intereà non segnius Medea insomnem (quem fingũt) in tẽplo Draconẽ, exuuias spiris suis complexũ, veneno peremerat; & cũ Iasone ad mare descendit. Hac irruptione regi per Tauros qui diffugerant, significata, mox cũ militibus qui ad manum tunc erãt, Græcos persecutus, ad mare illos offendit, & subitâ impressione factâ, vnum de Argonautis Iphitum, Eurysthei, qui certamina Herculi imperauit, fratrẽ strenuè dimicantẽ cædit. Sed cùm etiã alii magno sociorũ agmine circũfusi violentius sese inferrent, à Meleagro omnes perimuntur, in quo cõflictu rex ipse cadit. Hac virtute accẽsi Græci, fortiùs Colchis instant, eosq; in fugã tandem vertũt, & maximã horum partẽ inter fugiendũ occidunt. Ex principum tamen numero vulnerati sunt Iason & Laërtes, itemq; Atalanta & Thespiadæ. quos paucos intra dies herbis ac radicibus Medea curasse dicitur. Tum commeatu naui importato, retrò mare legunt. Iã medium sulcabant Pontũ: cùm subita magno cũ periculo tempestas cooritur. Sed cùm Orpheus pro salute classis, vt priùs, vota diis Samothraciis nuncupâsset, mox venti remittunt, & Glaucus (quem vocant) marinus prope nauem se cõspiciendum præbet: duosque continuè dies ac noctes nauem comitans, Herculi certaminum labores & immortalitatis præmium prædicit. Tyndaridas etiam futurum docet, vt Dioscuri (id est, Iouis filii) nuncupentur, & eundem, quem dii honorem, apud cunctos mortales consequantur. Hinc omnibus Argonautis nominatim cõpellatis, se propter Or-

IX.

Orphei vota, deum numine ipsis nunc apparere, ac futura significare, adfirmat. Consulere idcircò, vt quamprimùm terram contigerint, diis, quorum beneficio bis iam seruati sint, vota persoluant. His dictis, mari se iterum immersit.

Argonautæ verò ad ostia Ponti delati, terræ nauim aduertunt, quàm Byzas tunc moderabatur: cuius Byzantii vrbs nomen retinet. Hîc positis aris, vota diis reddunt, locumque ipsum consecrant: quem religiosè etiam nunc nautæ prætereuntes, habent. Inde prouecti, cùm Propontidem & Hellespontum superâssent, Troadi proram admouent. Ibi missis in vrbem Iphiclo fratre & Telamone, Hercules, equos & Hesionen reposcit. At Laomedon in carcerem legatos compingit, & per insidias mortem Argonautis intentat. Ad quod ab omnibus eius natis opera cõfertur, solo tantùm Priamo contrarium factitante. Is iura hospitum seruanda: & Hesionem cum promissis equis restituendam esse, contendebat. Quâ sententiâ non acceptâ, duos in carcerem gladios clam delatos Telamoni & Iphiclo tradit: & commemoratâ patris volũtate, salutis ipsis auctor est. Nam repentè interfectis, qui resisterent custodibus, ad mare elapsi rem totam Argonautis singulatim exponunt. Promtis ergò animis ad prælium accincti heroës, Troianis ex vrbe cũ rege suo effusis in occursum tendunt: acrique conflictu inito, suâ tandem virtute hostes vincunt: vbi præ cunctis fortissimè se gessit Hercules. nam Laomedontem occîdit; subito vrbem impetu capit; in molitionum regis consortes animaduertit; regnum Priamo, quòd iusti & æqui obseruans esset, concedit: ictóque amicitiæ fœdere, cum Argonautis, inde soluit. Ex poëtis tamen nonnulli tradunt, suis non Argonautarum armis, & quidem sex tantùm nauibus instructum, propter equos nimirum Troiam expugnâsse. Et in testimonium hos poëtæ versus adducunt:

Qualis erat quondam genitor meus, vt super ipso
Fama refert, præstans animi virtute Leonem.
Qui pactos ob regis equos ad Pergama venit
Iliadæ, paruaque manu & sex nauibus vrbem
Troiugenum expugnans, vicos quoque ciuibus orbat.

Argonautæ porrò ex Troiade in Samothraciam profecti, denuò votis deûm sese exsoluunt, & phialas quæ hodieq; asseruantur, in fano reponunt. Ignotus adhuc erat heroum

L.

L I.

rum reditus. interim fama per Theſſaliam increbreſcit, Iaſonem cum omni ſocietate in locis circa Pontum interiiſſe. Pelias ergò nunc tempus eſſe ratus, vt omnes, qui regnum affectare viderentur, internecione tolleret, patrem Iaſonis ſanguinem tauri bibere cogit, fratrem eius Promachum, ætate puerum, obtruncat. Cúmque etiam Amphinome eius mater ad cædem depoſceretur, virile & memoratu dignum ab eâ facinus editum eſt: ad focum enim regis profugiens, & dira in caput eius exſecrata, vt merita videlicet impietatis præmia reciperet, gladio pectus transfixit; atque ita heroico vitam animo terminauit. Ad hunc ergò modum totâ Iaſonis familiâ ſtirpitus excisâ, dignas mox ſcelerum pœnas tyrannus luit. Iaſon enim noctu portum quendam Theſſaliæ, non procul ab vrbe, quo tamen proſpectus oppidanis non pateret, ingreſſus, vbi, in quàm funeſto res ſuorum ſtatu eſſet, ex quodam didicit, omnes ſtatim proceres ad ferendum auxilium, & Peliam quouis etiam periculo inuadendum, paratos habebat. Sed dubitatio quædam ſuboritur, aliis enim placet, ſubito regem incurſu ex inopinato opprimendũ; alii contractis ex cuiusque patriâ copiis, commune bellum ſuſcipiendum eſſe, cenſent. Fieri enim non poſſe, vt à tribus & quinquaginta viris rex, tàm præclaris opibus atque vrbibus inſtructus, ſuperetur. In hac conſiliorum ambiguitate, Medea, dolo ſe regem necaturam, regiamque citra periculum in manus ipſis udituram, pollicetur. Hunc ſermonem admirati, cùm modum conſilii exquirerẽt, magnam ſibi venenorum copiam eſſe, partim ab Hecate matre, part[illegible]m à Circe germanâ repertorum, quibus ſtupenda vis inſit, [illegible]ondet. nec vnquam ſe his ad perniciem hominum vſam: [illegible]nc efficacitate illorum meritas noxiis pœnas adornare v[illegible]lle. [illegible] totâ quoque regem inuadendi ratione heroës præmo[illegible]et. E regia enim ſignum interdiu fumo, nocte flammâ de[illegible] ſpec[illegible] in mare prominenti, excubantibus ſe daturam, ſponde[illegible].

II. Dum ipſa cauum Dianæ ſimulacrum concinnat, in quo varii generis pharmaca recondit, & vnguentis capillum ſibi incanum, vultumque & totum corpus rugis obſitum, facit; vt veram anus formam intuentibus repræſentaret. Hinc deam, ad ſuperſtitionem in animis vulgi excitandam mirificè compoſitam aſſumens, vrbem illuceſcente iam die ingreditur. Cúmque ad ipſam ceu numine afflatam, vn-

dique populi concursus fieret, piè deam omnibus excipien-
dam esse, edixit; quæ nunc ad ciuitatis vniuersæ & regis ipsius
salutem ex Hyperboreis bono genio ad eos commigret.
Iam omnibus in adorationem deæ, sacrificiique honorem
effusis, totâque adeò ciuitate fanatico quasi furore correptâ,
in regiam se quoque Medea insinuauit, vbi tum Peliam su-
perstitione impleuit, tum filiabus præstigiis suis eum indu-
xit stuporem, vt ad omni cumulandum felicitate regis do-
mum aduenisse deam crederent. namque Dianam in curru
à Draconibus vectam, multas orbis regiones superuolitasse,
& nunc tandem ad perpetuam simulacri & cultus sui consti-
tutionem, regem omnium sanctissimum delegisse affirma-
bat; in mandatis sibi datum esse addens, vt senectâ Pelię me-
dicamentis quibusdam abactâ, formam ac vigorem adole-
scentię corpori eius conciliet, aliaque multa ad beatam, deo-
que placentem ei vitam impertiat. Obstupefacto insolenti
hac oratione regi, in suo Medea corpore extemplo fidem se
facturam promisit. Vnam igitur filiarum Peliæ puras infer-
re aquas iussit, eâque mandatum statim exsequuta, in domũ-
culam sese abdit, totumque lymphâ corpus perfundens, vn-
guenti vires eluit. Atque ita vigori pristino reddita, vt in con-
spectum regis venit, stuporem vniuersis conspectu sui inie-
cit. Deûm enim prouidentia in virginis iuuentutem ac for-
mam transformata putabatur. Confestim quoque veneficis
artibus effecit, vt Draconum spectra oculis hominum obii-
cerentur, à quibus dea, per aërem ex Hyperboreis transue-
cta, ad Peliam velut hospes diuerti videbatur. Hæc eius fa-
cta cum humanam excedere naturam existimarentur, excel-
lenti Medeam honore dignatus rex, omninò vera illam di-
cere credidit. & in priuato cum filiabus colloquio, vt operam
illi darent. & quicquid iussisset efficerent, edixit. Regis autem
corpus decere, non seruorum ministerio sed filiarum accu-
ratione, concesso à diis beneficio frui. Ideò cum disertè à Pe-
liâ mandatum esset, vt quicquid circa corporis paterni cu-
ram Medea præceptura esset, natæ exsequerentur: ad iussa
virgines exsequenda promtæ erant. Sub intempestam
igitur noctem, Pelia somno iam vacante, necessum esse di-
xit, vt in lebete Peliæ corpus elixetur. Etsi autem comiter &
vltro puellæ dicto audientes erant, alio tamen experimento
fidem dictis conciliare intendit. Annosus in stabulo aries
nutrieba-

nutriebatur. hunc priùs ſe cocturam,& agnum ex eo factu-
ram, recepit. Cùm puellæ aſſẽſiſſent, corpus arietis fruſtula-
tim concilum decoxit,& pharmacorum quorundam præſti-
giis agni ſpeciem è lebete produxit. Quod cùm virgines non
ſine ſtupore admirarentur, ſatis iam fidei ſibi factum arbi-
tratæ, ad expedienda Medeæ iuſſa feſtinant: & cæteræ qui-
dem crebris Peliam verberibus enecant. ſola verò Alceſtis
mirificâ pietatis affectione manus à patre cõtinet. Hoc per-
petrato. Medea non ſtatim cadauer diſſectum in ollam con-
iicit; ſed preces quaſdam Lunæ concipiendas eſſe ſimulat.
puellas igitur cum facibus celſiſſimum in regiæ tectum edu-
cit. Ibi Medea Colchicâ dialecto prolixam quandam preca-
tiunculam demurmurans aliquandiu immoratur, vt per hoc
interuallum arcem inuaſuri accelerare poſſent. Argonautæ
igitur, de ſpecula viſo procul igni, cædem regis iam peractam
eſſe ratiocinati, concitato ad vrbem agmine pergunt, mœni-
busq; ſuperatis ſtricto regiam ferro inuadunt, & ſtationem
vigilum, manus contrà ferre auſam, cædunt. Vix tum ex al-
to Peliæ natæ ad corporis paterni cocturam deſcenderant,
cùm ex improuiſo Iaſone, cum cæterâ nobiliſſimorum iuue-
num manu, intra ipſa regiæ penetralia conſpecto, ſummo o-
mnes dolore percelluntur. necenim Medeam vlciſcendi, nec
perpetratum à ſe per impoſturam nefas expiandi, facultas
tùm dabatur. Et iam manus ſibi allaturæ erant, niſi Iaſon fu-
neſtum hunc caſum miſeratus, conatum inhibuiſſet, & hac
eas conſolatione alleuâſſet, non malitiâ, ſed errore per falla-
ciam in hanc eas calamitatem incidiſſe. Totam denique fa-
miliam benignè ac honorificè ſe tractaturum pollicitus, ad
concionem populo aduocato; factum illud purgauit, & quod
in auctores iniuriarum longè mitius animaduerterit, quàm
ipſe cum ſuis paſſus ſit, oſtendit. Tum Acaſto Peliæ
nato ſucceſſione in regno paterno traditâ, filiarũ quoque re-
gis curam geſſit, ſe non indignam; vtq; promiſſorum fidem
impleret, tandem omnes illuſtriſſimis viris collocauit. Alce-
ſtidẽ enim natu maximam Admeto Theſſalo, Pheretis filio,
Amphinomen Andræmoni, Leontei fra r, Euadnẽ Canæ,
Phocenſiũ regulo, qui Cephalo natus erat, matrimonio ſo-
ciauit. Et hęc ſanè poſtmodũ effecta dedit. tunc verò cũ prin-
cipibus in Iſthmũ Pelopõneſi profectus, ſacrificio in Neptu-
ni honorẽ inſtituto, Argo nauẽ deo cõſecrauit. Ibi cum regis

Corinthiorum Creontis fauorem sibi apprimè comparâsset, ius ciuitatis adeptus, inter Corinthios deinceps habitauit. Cùm verò Argonautæ in suam quisque patriam reditum adornarent, Herculem hoc consilii subiecisse ferunt, vt ad mutua ferendum auxilia iuramento se adstringerent, si quando (vt inopinatæ sunt fortunæ vices) aliquis cæterorum ope indigeret: nobilissimum etiam Græciæ locum ad solennium editionem ludorum, & communem omnium Græcorum conuentum, deligerent, eumque Ioui Olympio deorum maximo dedicarent. Cùm igitur optimates in societatem hanc bellicam coniurâssent; & ludorum institutionem permisissent Herculi; ipse præ aliis Eleorum campos ad Alpheum Panegyricis solennitatibus destinauit; totamque regionem Ioui maximo consecratam, Olympiam ab eo denominauit. Tum equestri & gymnico certamine instituto, præmiisque ordinatis, Theoros, qui ludorum spectacula ciuitatibus indicerent, dimisit. Non parum hactenus laudis spectata in Argonautarum expeditione virtus illi conciliauerat: sed hæc Olympici conuentus institutio noua eum gloriæ accessione locupletauit. Inter omnes ergò Græcos celeberrimus euasit, & apud ciuitates plurimas adeò inclaruit, vt multi amicitiam eius vltrò appeterent, & ad omnium periculorum communitatem se promptos offerrent. Cúmque fortitudo & disciplinâ bellicâ magnam apud omnes admirationem ei peperisset, mox validissimum quoque exercitum contraxit; quo totum orbem peragrauit, bene de hominum genere promereri studens. Pro quo immortalis ei cultus omnium suffragiis est delatus. At poëtæ pro suo prodigiosè scribendi more, Herculem solum, & ab armis prorsus nudum, certamina illa peruulgata confecisse, fabulantur. Quæ verò de hoc deo fabulosè memorantur, ea cuncta iam antè à nobis sunt explanata. Restat vt Iasonis historiam nunc pertexamus. is Corinthi degens, ex coniugio cùm Medeâ liberos, duos natu maiores gemellos Thessalum & Alcimenen, & tertium, ætate his multò inferiorem, Tisandrum suscepit. Hoc interim tempore Medea in magnâ apud virum gratiâ fuisse perhibetur; dum non solùm pulcritudinis decore, sed etiam prudentiæ, cæterarumq; virtutum ornamentis excelleret. Sed cùm paullatim natiuam formæ elegantiam ætas subtraheret, Glauces, (quæ Creontis filia,

L

tis filia, & adhuc virgo erat) amore Iason incensus, coniugium appetisse fertur. Quod cùm suo pater consensu approbaret, iamq; diem nuptiis præfinisset, ille suadēdo primùm, vt societate coniugali spontè concedat, Medeæ istat. nuptias enim has institui, non quòd coniugium Medeæ auersetur, sed vt regiæ domus necessitudinem filiis adsciscat. Sed cùm indignè istud ferret mulier, deósq; iuramenti præsides obtestaretur, Iason súsque déque ferens, nihilominus regis filiam ducebat. Medea igitur exire vrbem iussa vno tantùm die ad fugam adornandam postulato, noctu regiam intrans (venefica interim arte nouam sibi faciem induerat) radiculæ cuiusdam efficacitate à Circe monstratâ, quæ inflammata exstingui nequiret, palatium succendit. Iamq; per omnia flammâ grassante, exsiliens in tuta Iason euaserat. At Glauce, parensque Creon, flammis vndique septi, concremantur. Sunt, qui memoriæ prodant, Medeæ natos dona quædam venenis imbuta recens nuptæ obtulisse, quibus acceptis & corpori applicatis, tum ipsam exarsisse, tum opis ferēdæ causâ patrem, contrectatu corporis inflammatum, interiisse. Medea porrò cùm primum vltionis facinus tàm commodè successisset, à persequenda de Iasone vltione non destitit. eoque iræ & zelotypiæ, imò crudelitatis processit, vt post deuitatum ab Iasone cum nouâ sponsâ periculum, filiis etiam trucidandis in magnas ipsum calamitates coniiceret. hos enim, vno tantùm fugâ elapso, iugulauit: & sepultis in Iunonis templo cadaueribus cum ancillarum fidissimis, nocte intempestâ Corintho profugiens, Thebas ad Herculem se recepit. Hic pactorum in Colchide fideiussor, fidei non seruatæ se vindicem fore promiserat. Interea Iason liberis & vxore orbatus, meritas luere pœnas existimatus est. magnitudine igitur calamitatum fractus, vitam sibi ipse ademit. Magnum huius casus atrocitas in Corinthiorum animis stuporem excitârat, inprimis verò ob sepulturam puerorum perplexi erant. Per nuncios ergò Pythonem missis defunctorum corpora quomodo sint curanda, deum consuluerunt. Mandatum ex tripode refertur, in Iunonis eis fano sepulturæ locum & in reliquum Heroicæ venerationis cultum tribuendum esse. Id Corinthii exsequuntur; & Thessalus, ex carnificinâ genetricis elapsus, apud eos educatus fuit. Postea Iolcum patriam Iasonis reuersus, Acastum Peliæ,

nuper defunctum, reperit. tum hæreditatem regni iure agnationis sibi debitam adiuit, & ditionis suæ populos de nomine suo Thessalos vocauit. Hic mihi non ignotum est de Thessalorum nomine non hanc duntaxat, sed diuersas quoque alias exstare narrationes. quæ suo commodùm loco à nobis exponentur. Medea interim cum furore correptum Thebis Herculem, liberosque ab eo trucidatos offendisset, pharmacis morbum illum abegit. At cùm porrò Eurysthei mandatis vrgeretur, desperatâ in præsens eius ope, ad Ægeum Pandionis filium Athenas profugit; eique nupta, Medum, Medorum posteà regem, inde sustulit. Alii ab Hippotâ Creontis filio in ius vocatam, & à noxa absolutam esse, narrant. Aliquantò autem pòst cum Theseus Trœzene Athenas rediisset, ob crimen veneficii vrbe expulsam, acceptisque ab Ægeo comitibus, qui quocunque vellet ipsam deducerent, in Phœniciam esse deportatam. atque in superiores Asiæ tractus digressam, & clarissimo cuidam regi nuptam, Medum peperisse; qui post obitum parenti in regno successerit, & magnam fortitudinis laudem consecutus, populos à se Medos nuncupârit. At verò propter monstrificas de Medea Tragœdorum fabulas, magna in eius historiâ varietas & discrepantia exsistit. Nonnulli gratiam Atheniensium captantes ferunt, illam asportato secum Medo, Ægei nato, ad Colchos sospitem rediisse. & sub id tempus Æetam, à Persâ fratre per vim regno eiectum, Medi nepotis ope, qui Persen trucidârit, esse restitutum. Exercitu dehinc instructum Medum, multis Asiæ, quæ supra Pontum est, locis peragratis, Mediam à se denominatam occupasse. Atqui omnes illorum narrationes qui de Medea scripserunt, heîc referre, vt non necessarium, ita nimis longum videtur. Reliquas igitur Argonauticæ historiæ partes subiiciemus. Non pauci tùm veterum, tùm etiam recentium (inter quos & Timæus est) scriptorum, perhibent, Argonautas post vellus abreptum, cognito, ostium Ponti ab Æetâ nauibus præoccupatum esse, mirificum & recensione dignum facinus edidisse. Tanaim enim ingressos ad fontes eius adscendisse, nauique per aliquod loci interuallum protractâ, per aliud flumen in Oceanum sese effundens ad mare deuenisse. & tum ab Arcto versus occasum ita cursum flexisse, vt à sinistrâ continentem

tinentem haberent,& tandem iuxta Gades in mare noſtrum inueherentur. Ad id probandum his vtuntur argumentis ; primò quòd Celtæ Oceani accolæ inter deos maximè Dioſcuros venerentur. apud quos à priſcis inde temporibus traditum, ex Oceano deos hoſce quondam ad ipſos delatos eſſe. tum quòd in regionibus Oceano propinquis,non paucæ ab Argonautis & Dioſcuris appellationes adhuc ſint reliquæ. tum quòd continens intra Gades manifeſta horum reditus ſigna oſtendat. In Tyrrheniæ enim tranſitu, ad Inſulam, quæ Æthalia dicitur, aducti pulcerrimum ibi portum Argoum de naui ſuâ nuncupaſſe : quod nomen ad hanc quoque tempeſtatem duret. quod ad eum quoque modum in Hetruriâ portum octingentis à Româ ſtadiis, Telamonem nominarint. Quod denique ad Formias Italiæ portui nomen Æetæ, qui nunc Caieta eſt, indiderint. His addunt, procellarum vi ad Syrtes abreptos, à Tritone, Libyæ tunc rege, quæ natura maris eſſet, & quâ ratione periculum effugerent,illos didiciſſe. Ob quod æneum ei tripodem donârint, qui priſcis inſcriptus literis non ita pridem apud Heſperitas ſuperſtes fuerit. Nec prætermittenda hîc eſt confutatio hiſtoriæ illorum, qui Argonautas per Iſtrum ad fontes ſubuectos,in Hadriaticum inde Sinum, per occurrentẽ iſtic alueum intrâſſe, memorant. Hos tempus ipſum conuincit, falsò ſuſpicatos eſſe, Iſtrum qui pluribus ſeſe oſtiis in Pontum exonerat, & alterum qui in Hadriã defertur ex iiſdem locis initium fluxus ſumere. Debellatâ enim à Romanis Iſtriorum gente, fontes eius fluuii non longius XL ſtadiis à mari abeſſe, deprehenſum eſt. Communio igitur nominis hanc ſcriptoribus errandi cauſam dediſſe, fertur.

IX. Nunc cùm ſat prolixè res Herculis & Argonautarum à nobis explicatę ſint,promiſſi ratio flagitat,vt filiorum quoque geſta recitemus. Hercule igitur ad deos euecto, liberi eius Trachine apud Ceycem regem ſe continebant. Poſt, Hyllo & quibuſdam aliis iam virilẽ ætatem adſecutis, metuere cœpit Euryſtheus, ne, ſi omnes adoleuiſſent,regno Mycenarum deiiceretur. ideoque ex omni eos Græcia extorres agere conſtituit.quapropter Ceyci, vt Heraclidas Licymniique progeniem, & Iolaum cum Arcadum,qui Herculi militauerant, cohorte amoueret, aut ſi id facere recuſaret, bellum à ſe exſpectaret,edixit. Tum Heraclidæ, horumque

ſocii, vires ſuſtinendo bello ſibi pares non eſſe cernentes, conſilium vltrò ex Trachine fugiendi inierunt. ad ciuitates ergò alias, quæ opibus ac dignitate anteibant, profecti, incolatus beneficium ab illis expetebant. Sed cùm nulla eos recipere auderet: ſoli Athenienſes pro inſitâ ſibi æquitate, Heraclidas ſuſceperunt, ſedéſque illis cum fugæ ſociis conceſſerunt in Tricoryntho, quæ vna quadrifidæ vrbis, quam propterea Tetrapolin vocant, pars eſt. Tempore aliquanto interiecto, cum ad virilem ætatis vigorem Herculis ſoboles excreuiſſet, animoſque ipſis daret gloria parentis: Euryſtheus, cui incrementa hæc ſuſpecta eſſent, magnum in eos exercitum duxit. At Heraclidæ Athenienſium ope confirmati cùm ſe tutelæ Iolai; qui Herculis ex fratre nepos erat, commiſiſſent, hoc ipſo, Theſeoque & Hyllo ducibus, collatâ acie Euryſtheum ſuperant, & magnam militis eius partem concidunt, ipſum etiam confracto inter fugam curru Hyllus trucidat. filii ſimul Euryſthei omnes eo prælio occumbunt. Tam inſigni ergò de Euryſtheo victoriâ potiti Heraclidæ, quos ſecundæ fortunæ ventus armorum ſociis iam augeret, Hyllo imperatore Peloponneſum inuadunt. Atreus (quidam) tunc poſt Euryſthei interitum Mycenarum regnum occupârat. is Tegeatis & nonnullis aliis in belli ſocietatem adſcitis, Heraclidis occurrit. Tum copiis in Iſthmo congreſſis, Hyllus ex hoſtium numero, quicunque vellet, ad ſingulare duellum prouocans, hanc conditionem proponit: Si aduerſarium ipſe vicerit, vt regnum Euryſthei Heraclidis cedat: ſin occubuerit, vt intra quinquaginta annos Heraclidæ in Peloponneſum non reuertantur. Tum in certamen cum eo deſcendit Echemus Tegeatarum rex: ſed Hyllus in eo conflictu cadit: Heraclidæ igitur ex pactorum formulâ à reditu in Peloponneſum deſiſtentes, Tricorynthum regrediuntur. Accidit autem pòſt, vt Licymnius cum liberis, & Tlepolemus Herculis filius, Argos à ciuibus ſpontè recepti habitatum ſe conferrent. cæteri omnes in Tricoryntho tamdiu ſubſtiterunt, dum quinquaginta annorum meta circumageretur: quibus finitis in Peloponneſum redierunt: quorum res geſtas ad ea tempora delati porrò deſcribemus. Alcmena interim Thebas profecta, cùm aliquantò pòſt euanuiſſet, deæ inſtar à Thebanis culta fuit. Cæteros autem Heraclidas repetitâ ab Ægimio Dori filio, quam

LX.

pater

pater vt depositum ei crediderat, regione, communes cum
Doriensibus sedes obtinuisse ferunt. At Tlepolemus Ar-
giuorum ciuitatem adeptus, occiso in contentione quadam
Licymnio Electryonis filio, propter cædem Argis in Rho-
dum profugus excessit. Insulam tunc Hellenes, à Triope
Phorbantis eo deducti, frequentabant. Tlepolemus ergò
Rhodum cum incolis in tres æquas partes diuisit, & tria per
illam oppida Lindum, Ialysum, Camirum, constituit, o-
mniumque Rhodiorum, ob paternæ virtutis gloriam, im-
perium consecutus, Agamemnonem postea Troias oppu-
gnantem, suis armis adiuuit. Postquam de Hercule, eius-
que posteritate dictum est, cõsequens fuerit, de Theseo quæ-
dam subtexere; quòd strenuus hic certaminũ Herculis imi-
tator exstitit. Natus fuit ex Æthrâ Pitthei & Neptuno, &
Trœzene in aui materni regiâ educatus. repertis posteà si-
gnis, quæ sub petrâ quadam ab Ægeo recondita fabulãtur,
Athenas migrare constituit. Dum verò per maritimas Isth-
mi oras iter facit, æmulandi virtutes Herculis, & certamina
fauoris ac laudis plena suscipiendi, cupido animum subit.
Primum igitur Coryneten (quem à claua sic vocant) truci-
dat. clauam hic pro armis quibus se defenderet, gestans, via-
toribus necem inferebat. Secundus fuit Sinis, in Isthmo
degens. is duabus inflexis pinubus, vtrique brachium homi-
nis captiui alligabat; hisque subito dimissis impetu ficbat,
vt corpora miserorum violenter distracta, inter magnos cru-
ciatus exanimarentur. Tertiò suem in Crommyone agre-
stem, quæ ferociâ & magnitudine excellens multis exitium
creabat, interemit. Scironem quoque supplicio adfecit, cui
Scironides petræ (nomen hinc adeptæ) recessum præbebant.
Huic prætereuntes ad lauandum ipsi pedes in prærupto
quodam loco adigere; posteáque calcibus impulsos per ru-
pes in mare, ad Chelonen sic vocatam, deturbare, moris e-
rat. Ad Eleusinem Cercyoni vitam ademit, qui luctâ cum
hospitibus decertans, victos perimebat. Tum alium Pro-
crusten nomine, è medio sustulit, in Corydallo Atticæ mo-
rantem. hîc iter illàc facientes, in lecto quodam decumbere
iubebat: quibus, si porrectiores essent, prominentis corpo-
ris partes amputabat, si breuiores, pedes eò vsque distende-
bat: vnde & Procrustes quasi *distentor*, seu *tortor*, appellatus
est. His præclarè effectis, Athenas intrauit, & per indicia, quę

secum attulerat, ab Ægeo recognitus est. Post id tempus Taurum Maranthonium (quem Hercules peculiari quondam certamine è Cretâ in Peloponnesum transtulerat) congressus superauit, monstrumque Athenas perduxit, quod in potestatem redactum Ægeus Apollini immolauit. Superest, vt de Minotauri quoque cæde, à Theseo peractâ, dicamus: verùm ad totius narrationis perspicuitatem necessarium est, vt ad cõnexa his superiora priùs adscẽdamus. Teutamus (al. Tectamus) Hellenis Deucalione nati ex Doro nepos in Creta, quam cum Æolibus & Pelasgis occupârat, regnauit; vbi cum Crethei filiâ matrimonio iunctus Asterium genuit. Quo regnante in Creta Iupiter, vt proditũ est, ablatam è Phœniciâ Europam, super tauro in Cretã transuexit cumque eâ commixtus tres filios, Minoem, Rhadamanthum & Sarpedonem, procreauit. Europam dehinc Asterius Insulæ Dominus vxorem duxit. at cùm liberis careret, adoptatos Iouis filios in regno successores reliquit. ex his Radamanthus leges Cretensibus scripsit. Minos regno suscepto, & Itone Lyctii filiâ ductâ, Lycasten genuit. qui imperium nactus, ex Idâ Corybantis Minoa alterum sustulit; cui Iouem nonnulli patrem attribuunt. •Is Græcorum primus, cum classem instruxisset memorabilem, imperium maris adeptus est, & Pasiphaë Solis ac Cretes filiâ in matrimonium acceptâ, Deucalionem, Astream, Androgeon, Ariadnen, aliosque plures inde liberos progenuit. De his Androgeos, regnante Ægeo, Athenas ad solenne festum Panathenæorum profectus, cunctos in ludorum istorum certaminibus deuicit; vnde familiaritatem Pallantis filiorum sibi conciliauit. quam cum suspectam haberet Ægeus, ne fortè auxilio eius confirmatâ Pallantis domo, ipse regno exueretur veritus, insidias Androgeo posuit. dumque Thebas ad spectaculum quoddam sacrum contendit, dolo iuuenem popularium opera ad Oenoen Atticæ obtruncauit. Quo filii casu Minos cognito, Athenas ad exigendam cædis multam traiecit. Sed cùm nihil æqui impetraret, bello Atheniensibus indicto, siccitatem & famem à Ioue patre illis imprecatur. Nec mora; ingens confestim ariditas per Atticam, totamque adeò Græciam, cum insigni frugum calamitate, exoritur. Ciuitatum ergò Principes, habito concilio, de auerruncatione malorum à deo consilium petunt.

LXII

LXIII

qui

qui ex tripode respondit: Æacum Iouis & Æginæ filium, Asopique nepotem, vt vota pro communi salute faceret, cõuueniendum esse. id mandatum cum exsequerentur, Æacus votis peragendis operam dedit. In cætera igitur Græciâ sterilitas finem habuit: solis verò Atheniensibus adhuc incumbebat. Hi ergò de calamitatis remedio oraculum implorare coacti, pœnas interfecti Androgei expendere Minoi, quos ipse decernat, iubentur. Morigerantur deo Athenienses, & mandatum à Minoe accipiunt, vt per septem annos septenos Minotauro pueros, totidemque puellas, in cibum subministrent; idque faciant, quandiu vita monstro superstitet: quibus exhibitis, & calamitas in Atticâ remisit, & Minos à bellis sibi temperauit. Elapsis iam annis septem, Minos iterum magnam classem adducit, & bis septem pueros efflagitatos accipit. Theseo verò tum vnà cum suis abituro, Ægeus gubernatorem cum his mandatis dimisit, vt si Theseus Minotaurum vicisset, velis albis, si verò succubuisset, nigris, vt prius factitatum esset, portum Atticam intrarent. Cùm in Cretam Athenienses traiecissent, Ariadnam Minois filiam eximia Thesei pulcritudo in amorem eius illexit: cum quâ habito colloquio Theseus, consilio & ope virginis adiutus, & Minotaurum interemit, & de Labyrinthi egressu edoctus, incolumis inde se explicuit & clam reditu in patriam adornato, Ariadnen furtim abducens, noctu ex Insulâ discessit. tum Diæ Insulæ, quam hodie Naxum vocitant, appellit. Eo tempore Bacchum formâ virginis captum Theseo illam eripuisse, & apprimè dilectam vxoris loco habuisse, fabulantur. Amore hoc etiam efferctum, vt post obitum immortales Ariadnæ honores tribuerit, coronamque eius in sidus cœleste transformârit. Theseus autem tàm ægrè puellæ raptum tulisse dicitur, vt præ tristitiâ mandatorum Ægei non recordatus, nigris portum Atticam velis inueheretur. Quo viso Ægeus cùm de filio actum esse putaret, Heroicum quidem, sed funestum tamen, facinus designat. nam in culmen arcis egressus, cùm vitam sibi acerbam duceret, mœrore superante, ex alto præcipitem se deturbat. Post cuius interitum Theseus in regno succedens, iuxta legum normam ciuibus præfuit, multáque ad incrementa patriæ constituit & peregit. Nobilissimum inter omnia hoc est, quòd tribus, numero

magis quàm viribus pollentes, in vnam Athenarum vrbem traduxit. Ex hoc enim tempore ciuitatis amplitudo tantâ Athenienses fiduciâ impleuit, vt principatum Græciæ affectare non dubitarint. De his cùm sufficienter à nobis dictum sit, q̃ circa Theseũ acciderunt reliqua, pertexemus. Deucalion ergò, qui cæteros Minois filios ætate superabat, societatis fœdere deuinctis Atheniensibus, germanam Theseo sororem Phædram nuptum dedit, qui post nuptias Hippolytum ex Amazone sibi editum Trœzenem vt ab Æthrâ sorore educaretur, ablegauit. Ex Phædrâ autem Acamantem & Demophontem suscepit. Reuersum aliquantò pòst Athenas ad mysteria Hippolytum Phædra, formæ venustate illecta, amare cœpit. Sed tum digresso, in arce, vnde in conspectu Trœzenem habere posset, Veneri fanum consecrauit. Hinc ad Pittheum cum Theseo profecta, de concubitu Hippolytum sollicitat, quo renuente, amorem in irã odiumque vertit, & Athenas reuersa, de stupro sibi intentato Hippolytum apud maritum criminatur. Theseus calumniam hanc in dubium vocans, Hippolytum ad dicendam causam accersit. Sed Phædra in disquisitione vt substet metuens, laqueo, collum innectit. At Hippolytus tum currum agitans, vbi de calumniâ audiuit, vehementer animo perturbatur, consternatique propterea equi, abrepto cum habenis aurigâ, currum frangunt: iuuenisque loris implicitus & protractus interit. Is ergò quòd vitam ob castitatis decus sic amisisset, diuinum apud Trœzenios honorem consecutus est. Posteà Theseus per seditionem eiectus patriâ, exsul vitam finiuit. Sed Athenienses pœnitentia ducti, ossibus reportatis, diuinos ei cultus instituerunt, & structum Athenis Asylum *Theséum* ab eius nomine appellârunt.

LXIV

Iam narrationem de Theseo exsecuti, seorsim de Helenæ quoque raptu, & de Pirithoi Proserpinam ambientis frustratione (hæc enim cum Thesei rebus connexa sunt) aliquid dicemus. Pirithous Ixione satus, post Hippodamiæ vxoris obitum; ex quâ filius ei Polypœtes relictus erat; Athenas se contulit ad Theseum, quem Phædrâ nuper exstinctâ, viduum offendens, hortatu suo impulit, vt Helenam, Ioue ac Lædâ natam, quæ tum fortè decimum ætatis annum agebat, & omnes vbique fœminas venustate superabat, per raptum ad se transferret. Lacedæmonem ergò cum aliquâ

LXV.

comitum manu proficiscuntur, commodámque occasionem nacti, Helenam communem sibi prædam abripiunt; Athenásque deportant. Tum sortis arbitrio re permissâ, inter se conuenerunt, vt cui sortitò illa vxor obtigisset, alteri in nouâ quærendâ vxore fidelem per quæuis discrimina operam nauaret. His iureiurando confirmatis, Theseus per sortis exitum Helenâ potitur. Quod cùm ægrè ferrent Athenienses, offensam eorum veritus, Aphidnæ, (de Atticis vrbibus vna est) eam deposuit; matremque Æthram & amicorum cæterorum optimos custodes puellæ adiunxit. Pirithoo deinde placuit, Proserpinæ coniugium ambire, & ad hanc profectionem Thesei operam depoposcit. Id dissuadere initio Theseus, hominemque ab incepto (quod nefariè impium esset) retrahere. sed instante Pirithoo vehementiùs, ille iuramenti religione coactus, in societatem hanc consensit. Plutonis ergò regiam ingressi, ob impietatem ambo in vincula coniiciuntur, sed Theseus postea, in gratiam Herculis exsolutus, abit. Pirithous verò apud inferos detentus, sempiternas impietatis pœnas luit. Quamuis neutrum inde reuersum, quidam scriptores fabularum dicant. Interea Dioscuri, Helenæ fratres, bello Aphidnam aggressi, captâ dirutâque vrbe, Helenam adhuc virginem, & cum eâ inter captiuas Æthram Thesei matrem, abducunt.

LXVI. Atqui cùm & de his satis iam dictum sit, septem ad Thebas Ducum historiam, repetitis ab initio belli causis, persequemur. Laius Thebanorum rex adscitâ in matrimonium Iocastâ Creontis, cùm bene longum tempus sobolis expers maneret, de progenie tandem oraculum consulebat. Pythia malè cessuram ipsi sobolis procreationem, respondit. filium enim ex illo susceptum patricidam fore, totamque familiam calamitatibus funestis inuoluturum. At ille oraculi non bene memor, filium generat. sed infantem nihilominus, traiectis ferro pedibus, exponit. quam ob causam *Oedipo* deinde nomen attributum est. Acceptum serui puellum non exponendum rati, Polybi vxori, quæ non gignendo esset, dono obtulerunt. Eo viriles iam annos ingresso, Laius de exposito quondam infante deum interrogare constituit. Tunc & Oedipus de insidiosâ quondam in se molitione edoctus, ad veros ex Pythiâ scitandum pa-

rentes ire perrexit. Accidit autem, vt mutuò in Phocide occursu, Laius superbè de via sibi decedere Oedipum iuberet. hic ergò iræ indulgens, Laium, nesciens patrem esse, interemit. Per id tempus (vt fabulantur) Sphinx, fera quædam biformis, Thebas venit, & ænigma, quicunque id posset, soluendum proponit. Multis verò propter rei perplexitatem ab illà necatis, humanissimum tandem illi præmium, qui explicâsset oblatum est, fore nimirum, vt cum Iocastæ coniugio regno etiam Thebarum potiretur. Ibi cùm nemo quæstionis obiectæ mentem assequeretur, solus Oedipus hunc ænigmatis nodum dissoluit, quod tale erat: *Quid bipes iuxta ac tripes quadrupésque est?* Id hæsitantibus aliis, de *Homine* Oedipus interpretatur, qui in primis infantiæ annis quatuor repet pedibus, & ætate auctus bipes incedat, decrepità autem senectà scipione, propter infirmitatem, gressus firmet. Tum Sphinx, iuxta peruulgatum fabulis oraculum, de rupe se præcipitem dedit. Oedipusque matrem sibi ignotam vxorem duxit, & duos ex eà filios Eteoclen & Polynicem, duasque natas, Antigonen & Ismenen, procreauit. Filii cùm ad maturam ætatem peruenissent, de piaculo domestico certiores facti, Oedipum ne domo pedem efferret, ob rei turpitudinem, coëgerunt: ipsi regnum sibi vendicantes, vt alternis imperarent annis, inter se conuenerunt. Natu ergò maior Eteocles, cùm prior magistratum iniisset, circumacto eius tempore, fratri decedere noluit. Polynices autem administrationem regni ex pacto reposcens, vbi surdo fabulam recitat, ad Adrastum regem Argos perfugit. quo tempore etiam Tydeus, Oenei Calydonii filius, Alcathoo & Lycopeo patruelibus interfectis, Argos ad Adrastum ex Ætolià exsulatum venit. Is perhumaniter vtrunque suscepit, & diuino quodam responso iussus, in matrimonium eis filias, Argiam Polynici, Deipylen Tydeo, locauit. Cùm igitur in præclarà iuuenes existimatione essent, & virtutem suam regi ipsi non mediocriter probarent: ambos in patriam se reducturum promisit. Ac primùm in regnum auitum Polynicen restituere decreuit, Tydeoque legationem ad Eteoclem iniunxit. Hunc quinquaginta virorum insidiis (quos Eteocles submiserat) exceptum in vià memorant: quibus tamen omnibus

LXVI

bus

bus peremtis, Argos præter opinionem ille sit reuersus. De
quibus certior factus Adrastus, in procuranda expeditioni
necessaria incubuit: & ad societatem belli secum ineun-
dam, Capanao, Hippomedonti & Parthenopæo ex Atlantâ
Schœnei edito, suasor & auctor fuit. Polynices etiam Am-
phiarao vati persuadere instituit, vt vnà secum Thebas mi-
litatum iret. at is præsciens eo se bello interiturum, non
adsensit. Polynices ergò aureum torquem, Harmoniæ à
Mineruа(vt in fabulis est)donatum, Amphiarai vxori ob-
tulit, vt virum ad belli consortium inflecteret. Sub id tem-
pus Adrastus & Amphiaraus de regno disceptantes, ita pe-
pigerant vt totius controuersiæ arbitrium penes Eriphylen
Adrasti sororem Amphiarao nuptam, esset. Hæc & Adrasto
victoriam adiudicat, & viro necessitatem bellandi ad The-
bas imponit. Amphiaraus igitur, licèt ab vxore se proditum
videret, ad bellum tamen se vnà profecturum, recepit. sed
Alcmæoni filio priùs mandatum dedit, vt post suum interi-
tum de Eriphyle vindictam sumeret. Qui post iussa patris
exsequens, matrem necauit, & nefarii conscientiâ sceleris à
Furiis agitatus est. Cæterùm Adrastus & Polynices Ty-
deusque, quatuor illis ductoribus Amphiarao, Capaneo,
Hippomedonte ac Parthenopæo assumptis, ingenti cum ex-
ercitu Thebis bellum inferunt. Ibi Eteocles & Polynices
mutuis vulneribus occumbunt, Capaneus, dum scalis muro
admotis, vi transcendere conatur, mortem oppetit. Amphia-
raus terrâ dehiscente cum curru à voragine absorbetur. Sic
alios quoque Duces, præter Adrastum, belli tempestas
haurit. Ingens præterea strages militum facta erat; quo-
rum cadauera ad sepulturam tollere non permiserunt The-
bani. Hos ergò insepultos relinquens Adrastus Argos re-
greditur. Sed dum nemo funerationis officium interfe-
ctis ad Cadmeam præstare audet; Athenienses, quorum
eximia præ cæteris humanitas, vniuersos ad Cadmeam cæ-
sos tumulandos curant. Septem igitur ad Thebas

XIIX

duces hunc belli exitum habuêre. At filii interfectorũ(quos
Epigonos vocant)patrum cædem vlturi, coniunctis animis
& opibus, bellum in Thebanos decernunt. quibus ora-
culum ex Apollinis tripode venit, vt Alcmæone duce The-
bis bellum facessant. Is ergo Imperator ab illis creatus, tũ de

expeditione Thebanorum, tum de animaduersione in matrem, à deo responsum petit. Is vtrumque exsequendum esse monet: quia nõ aureum solummodo torquem in necem patris acceperit; sed peplo etiam ad filii exitium se corrumpendum præbuerit. Hoc monili & peplo Venus olim Harmoniam Cadmi vxorem donauerat. vtroque potità est Eriphyle; monili, per largitionem Polynicis; peplo autem per concessionem Thersandri Polynice geniti; vt filium ad bellum Thebanum instigaret. Alcmæon igitur non tantùm ex Argiuorum vrbe militem scripsit, sed validas ex vicinis etiam oppidis copias contraxit; cúmque his in Thebanos mouit. Quibus ad pugnam egressis, durum committitur prælium, cuius victoria tandem penes Alcmæonios stetit. Thebani verò acie victi, magnâ ciuium strage facta, cùm impares se viribus hosti cernerent, nec quid sperarent ampliùs haberent, Tiresiam vatem in consilium adhibent. Is vt vrbe excedant (vnam enim hanc salutis viam esse) suadet. Quod vatis consilium secuti Cadmei, desertâ vrbe, noctu in quoddam Bœotiæ territorium, quod Tilphosæum nominatur, profugiunt. Tum captam Epigoni vrbem diripiunt, & Daphnen Tiresiæ filiam, armis assertam, ex voto, vt manubiarum primitias, Delphis consecrant. Hæc diuinandi scientiâ patri non cedens, magna eius, dum inter Delphos agit, incrementa fecit. Mira quædam puellæ indoles fuit, variisque oraculis, singulari artificio conscribendis operam dedit. à quâ nõ pauca mutuatus carmina Homerus poëta ad poëseos suæ ornatum transtulit. Hæc quod sæpius, diuino correpta afflatu, sortes funderet, Sibyllæ cognomentum accepit. Numine enim afflari, quadam Græcorum Dialecto *Sibyllainein* id est, Sibyllam agere dicitur.

Tandem Epigoni militiâ suâ præclarè gestâ, multis onusti spoliis in patriam reuertuntur. De Thebanis autem in Tilphosæum profugis, Tiresias vitâ excessit, quem magnificè funeratum ad diuinos Cadméi honores extulerunt. Ipsi autem vrbe illâ relictâ, Dorienses inuadunt, & prælio victos è patriâ eiiciunt, illorumque sedes ad tempus occupãt: quorum pars ibi remansit, pars Thebas, Creonte Menœcei filio, tunc rerum potiente remeauit. Dores autem è patriâ excussi, postliminio tandem in Doridem redierunt. Erineúmque & Cytinium, ac Bœotiæ Eubœæque partem

LXXX.

inhabi-

inhabitârunt. Ante hæc verò tempora Bœotus, Arnes & Neptuni filius, in terram, quæ tunc Æolidis, nunc Thessaliæ nomine cluet, profectus, comites suos Bœotos appellauit. De Æolibus hisce ex superiorum memoria erutum nos heîc aliquid speciatim repetere necessum est. Anteactis temporibus filiorum Æoli (qui Deucalionis fuit ex Hellene nepos) pars in locis antea memoratis consedit. sed Mimas in Æolide subsistens regnauit. Hoc satus Hippotes, Æolum ex Menalippe suscepit, cuius filia Arne Bœotum è Neptuno filium habuit. Æolus non credens à Neptuno compressam, & stuprum id vitio puellæ vertens, hospiti cuidam Metapontino, casu tum istuc loci delato, Arnen Metapontino transferendam dedit. quo facto Arne inter Metapontinos victitans Æolum peperit & Bœotum. quos Metapontinus ille oraculi cuiusdam instinctu, cùm liberis careret, adoptauit. Hi virilem ingressi ætatem, ortâ Metaponti seditione, vi regnum obtinuerunt. Pòst excitatis inter Arnen & Autolyten Metapontini vxorem dissidiis, vt matri auxilium ferrent, Autolyten occiderunt. Quod facinus cum iniquissimè ferret Metapontinus, comparatis nauibus cum matre & amicis non paucis illinc discedunt. Et Æolus maris Tyrrheni Insulas Æolidas, de nomine suo dictas occupauit, vrbemque in eâ Liparam exstruxit. Bœotus autem ad Æolum auum maternum profectus, & loco filii habitus, Æolidis regnum adiit, & regionem nomine matris *Arnen*, de se verò populos *Bœotos* nuncupauit. Bœoto editus Itonus IV. filios procreauit, Hippalcimum, Electryonem, Archilycum & Alegenorem. Hippalcimo natus est Peneleos, Electryone Leitus, Alegenore Clonius, Archilyco Prothoënor & Arcesilaus, qui omnium Bœotorum duces ad Troiam militârunt.

X. His ita explicatis, de Salmoneo & Tyro, horumque progenie vsque ad Nestorem, Troianæ expeditionis socium, quædam referre nunc conamur. Salmoneus hic filius erat Hellenis, Æoli nepos, & pronepos Deucalionis. Is ex Æolide cum magnâ Æolum multitudine progressus, Elidis tractum ad Alphei ripas suæ ditionis fecit; ibiq; vrbem sui nominis Salmoniam condidit; ductâque in matrimonium Alcidice Alei filiâ Tyro, natam ex illâ suscepit formâ decoram. Alcidice defunctâ, Sideronem sibi iunxit. quæ vt nouerca inimico in Tyronem animo fuit. Sal-

moneus autem, quod in homines petulans, & in deos impius esset, odia suorum incurrit, & à Ioue tandem ob contemptum deorum fulmine percussus conflagrauit. Cum Tyrone adhuc virgine Neptunus commixtus, Peliam & Neleum genuit. Et Tyro Cretheo nupta Amythaonem, Pheretem, Æsonemque in lucem protulit. Post obitum deinde Crethei, de regno Pelias & Neleus litem inter se mouerunt. Et Pelias Iolcũ & finitimas terras in ditionem accepit. iunctisq; sibi Melampode ac Biante, Amythaonis & Aglaiæ natis, ac nonnullis aliis ex Achæis, Phthiotis & Æolensibus, in Peloponnesum exercitum duxit. Ibi Melampus, cùm vates esset, mulieres Bacchico furore correptas ad mentis sanitatẽ reduxit in cuius meriti gratiam à rege Argiuorum Anaxagora, Megapenthis filio, duabus regni partibus donatus est. & Biante germano in consortium regni adsumto, Argos sedem transtulit. Initoq; cùm Iphianirâ Megapenthis filiâ matrimonio, Antiphaten, Manto, Biantem & Pronoën ex eâ sustulit. Ex Antiphate & Zeuxippe Hippocoontis Oicles & Amphalces prodierunt. Ex Oicle & Hypermnestrâ Thespii, Iphianira, Polybœa & Amphiaraus, orti sunt. Melampus ergò & Bias, eorumq; posteri, Argiuorum regno hunc ad modum sunt potiti. Neleus porrò cum his qui eius ductum secuti erant, Messenen ingressus Pylum ab indigenis concessam sibi condidit. In hac regnans, ex Choride Amphionis Thebani filiâ nuptiis iuncta, XII. natos procreat. inter quos ætate maximus Periclimenus, minimus Nestor belli ad Troiam particeps. Atq; de Nestoris progenitoribus hæc dixisse (vt modi ratio habeatur) sufficiat.

LX.

Nunc de Lapithis etiam & Centauris particulatim nonnulla subiicienda sunt. Oceani & Tethyos filii, vt fabulæ quidem memorant, plures exstiterunt, fluuiorum nominibus insignes: inter quos Peneus: à quo fluuius in Thessalia nuncupatur. is Creüsæ Nymphæ congressus, Hypseum genuit & Stilben. ex hac Apollo Lapithen & Centaurum edidit. Lapithes Peneum accolens vicinos amni tractus in potestate habuit. Et maritatâ sibi Orsinome Eurynomi filia, duorũ ex ea parens factus est liberorum, Phorbantis & Periphantis, qui illic loci imperitarunt. Et à Lapitha vniuersa Lapitharũ gens cognomentum adepta est. Vnus Lapithæ filius Phorbas, Olenum concessit. vnde accersitum in auxilium

Alector

Alector, Elidis rex, Pelopis dominatũ metuens, regni consor-
tem fecit. Ex hoc prodierunt Ægeus & Actor, Eleorum inde
regnum consecuti. Alter Lapithæ filiorũ Periphas ex Astya-
gæa Hypsei octo suscepit liberos; quorum primus Antion ex
Perimela Amythaonis Ixionẽ sustulit. Hic magnifica mune-
rum pollicitatione ab Hesioneo nuptias filiæ ipsius Dæ im-
petrauit, & Pirithoum ex ea suscepit. At vbi promissa vxori
non præstitisset, Hesioneus, pignoris loco equos illius cepit.
Ixion ergò satisfactionis prætextu accessitum ad se socerum,
in foueam igni plenam deiecit. A tam immani parricidii pia-
culo, quod nemo expiare poterat, Iupiter tandem (vt fabula-
rũ commenta habent) illum liberauit. At is Iunonis amore
incensus, de stupro deam compellare non dubitauit. Iupiter
ergò nubis spectrum Iunonis loco ei subiecit, quo inito, Cen-
tauros ex parte homines procreauit. Tandem ob magnitu-
dinem flagitiorum rotæ ab Ioue alligatus, sempiternis post
X. mortẽ cruciatibus torquetur. Alii Centauros perhibent
in Pelio à Nymphis educatos; adultâ pòst ætate ex equarum
inscensu biforme Hippocentaurorum, vt vocant, genus pro-
seminasse. Quidam affirmant, Nephele & Ixione prognatos
Centauros, quòd principes equitandi studium aggressi fuerint,
inde nomen Hippocentaurorum retulisse; & inde figmentũ
de duplici natura in fabulam abiisse. Hi quòd eodẽ satu essent,
partem ditionis paternę à Pirithoo exigebant: qua non impe-
tratâ, ipsi & Lapitharũ genti bellũ intulerunt. Hoc autem fi-
nito, Pirithous cum Hippodamia Bysti nuptiarum solenne
celebraturus, Theseum & Centauros inuitabat. Hi vino re-
pleti fœminas, quæ conuiuio tũ intererant, per vim stuprare
conantur. Theseus igitur & Lapithæ, nefaria istâ contumeliâ
irritati, non paucos obtruncant, & reliquos è ciuitate extorres
agunt. Hac de causâ tota Centaurorum natio bellum ad-
uersus Lapithas postea mouit; pluribusq; cæsis, quos fortuna
belli superstites reliquerat, eos in Pholoen Arcadiæ fugere
compulerunt. Nonnulli tamen in Maleam elapsi, ibi
substiterunt. Eo centauri successu elati, ex Pholoë e-
ruptionibus factis, Græcos illac iter facientes latrociniis in-
festabant, multósque accolarum è medio tollebant.

XX. I. His nunc euolutis; de Æsculapio eiusque poste-
ritate narrationem instituemus. Apolline ac Coronide
natum fabulantur. Qui ingenio & vigore mentis ex-

cellēns ſcientiæ Medicæ gnauiter incubuerit, multaque hominibus ad valetudinem ſalutaria inuenerit, eóque gloriæ proceſſerit, vt cùm multos deſperatè ægrotantes non ſine miraculo ſanaret, multos etiam ab inferis in vitam reſtituere exiſtimaretur. Ideò, vt fabulis proditum eſt, Pluto querelam de Æſculapio, quod videlicet medicatione eius mortuorum numerus ſubinde decreſceret, apud Iouem inſtituit, eumque de deminutâ regni inferni potentiâ accuſauit. Hoc irritatus Iupiter fulminis ictu Æſculapium necauit. Apollo igitur ob necem eius grauiter iratus, Cyclopes fulmen Ioui fabricatos interemit. Hoc facto exacerbatus Iupiter, in pœnam commiſſorum, mercenariam homini operam locare Apollinem coëgit. Æſculapii prognati ſunt Machaon & Podalirius, qui paternam edocti artem Agamemnonis ad Troiam militiæ adſcripti erant. In hoc bello magno Græcis vſui fuēre. nam quòd induſtriâ ſingulari vulneratos in prælijs curarent, multum apud Græcos gloriæ ſuis ſibi meritis comparârunt, adeò vt à conflictibus aliisq; publicis grauaminibus, propter eximiam medicinæ quam factitabant vtilitatem, immunes præ cæteris eſſent. Verùm hic de Æſculapio & filiis eius hiſtoriæ, modus eſto. Sequitur, vt ad filias Aſopi, natosq; Æaci ſe oratio noſtra conuertat. Oceanus & Tethis (vt fabulæ quidem dictitant) tū alios complures dederunt natos, fluuiorum nominibus celebres, tum etiam Peneum & Aſopum. Penei ſedes fuit regio, quæ nunc Theſſalia vocatur: qui fluuium illum nomine ſuo nobilitauit. Aſopus Phliunte habitans, Methonem Ladonis filiam vxorem habuit, quæ duos ei filios peperit, Pelaſgum & Iſmenum, & natas XII. quarum nomina ſunt Cercyra, Salamis, Ægina, Pirene, Cleone, Thebe, Tanagra, Theſpia, Aſopis, Sinope, Oenia & Chalcis. de filiis Iſmenus in Bœotiam ad fluuium ſui nominis conceſſit. Filiarum vnam Sinopen Apollo raptam eo loci deportauit, vbi nunc vrbs Sinope eſt, ab illâ nomen ſortitâ. Ex quâ & Apolline Syrus prognatus, gentem Syrorum à ſe nuncupatam ſub ditione tenuit. Cercyram Neptunus in Corcyram transtulit Inſulam, hodieque nomen eius retinentem. Ex hac & Neptuno natus eſt Phæax, vnde Phæacibus ſua obuenit appellatio. Is pater eſt Alcinoi, à quo Vlyſſes in Ithacam reductus eſt. Salamis item à Neptuno abrepta, in nominis ſui Inſulam

LXIV.

ſulam venit; & ex Neptuni compreſſu Cenchreũ edidit, qui rex huius Inſulæ fuit, & virtute inclareſcens, ſtupendæ magnitudinis anguem, in homines Inſulanos pernicialiter graſſantem, occîdit. Ægina Iouis raptu ex Phliunte in Æginam à ſe denominatam tranſuecta, è complexu Iouis Æacum Inſulæ regem peperit. A quo ſati Peleus & Telamon, quorum ille Phocum ex eodem genitore fratrem, ſed aliâ matre natum, temerario diſci iactu interemit. Hanc ob cædem à patre exulatum ire iuſſus, in Phthiam Theſſaliæ (vt nunc vocatur) regionem migrauit, & ab Actore eius rege expiatus, in regno ipſi, cùm ſobole deſtitueretur, ſucceſſit. E Peleo & Thetide Achilles ortus, cum Agamemnone contra Troianos belligerauit. Telamõ & ipſe profugus ex Ægina, in Salaminem deſcendit, & cum Glauce (erat hæc Cenchrei Salaminiorum Principis filia) in matrimonium acceptâ, imperium Inſulæ conſecutus eſt. Poſt Glauces verò mortem ex Athenis Eribœam Alcathoo ſatam vxorem duxit: vnde Aiacem, Troianæ militiæ conſortem, procreauit.

LXV

His ita expoſitis Pelopis, Tantali & Oenomai hiſtoriã percurremus. hanc verò altius, & quidem ab initio repeti, & per capita quædã exigi, neceſſum eſt. In Pelopõneſi vrbe Piſâ Mars ex Harpinâ Aſopi filia Oenomaum ſuſcepit. huic vnica fuit nata quam Hippodamiam appellauit. de vitæ autem exitu oraculum interroganti, tum de vitâ eius actum fore, cùm filia maritum acceperit, deus reſpondit. Nuptias igitur filiæ reformidans, perpetuæ illam virginitati deſpondit, ſiquidẽ hac ratione ſolâ mortis periculum ſe effugiturum, opinabatur. Cùm autem multi puellæ coniugium appeterent, tale procis certamen propoſuit; quo victus vitæ iacturam faceret, victor puellæ nuptias obtineret. Equorum ergò curſum à Piſâ ad Neptuni in Iſthmo Corinthiaco, aram vſque determinauit, & dimiſſio è carceribus erat talis: Oenomaus arietem Ioui mactabat, interim procus quadriiugo ſe curru effundebat. peractiſq; demum ſacris etiam rex ipſe currum, aurigâ Myrtilo, intendens haſtâ procum inſequebatur: eumq; aſſecutus transfigebat. Ad hunc modũ perpetuò ob celeritatem equorũ procis antegreſſis inuectus, cõplures interemit. Venit & Pelops Tantali filius Piſam, & quamprimùm Hippodamiã conſpexit, nuptias eius expetiuit. Myrtilum ergò (qui currũ Oenomai regebat) vt victoriam adiutaret, precio corru-

pit, eiusq; ope ad Neptuni vsq; aram in Isthmo Oenomaum præuertit. Hic perfectum iam esse oraculum existimans, accedente ad summam ęgritudinem desperatione, mortem sibi consciuit. Hoc itaq; pacto cum Hippodamiæ nuptiis Pisæ quoq; regno potitus fuit Pelops. Et quia vir fortis erat & prudens, opibus subinde magis confirmatus, plurimas eius peninsulæ gentes sub ditionem suam redegit, eamque à se Peloponnesum (quod Pelopis Insula est) denominauit.

LXVI. Posteaquam hîc Pelopis mentio facta est, de Tantalo quoque eius patre nonnihil addere nos oportet: ne quid rerum auditu dignarum posthabeamus. Tantalus Iouis filius opibus & gloria illustris, Asiæ prouinciam, quæ nunc Paphlagonia vocatur, incolebat, & ob generis à Ioue deducti claritatem, ipsis etiam diis vt fabulantur, percarus erat. At cùm felicitate suâ non modestè (vt hominem decet) vteretur, sed ad deorum mensas, liberamque cum eis viuendi cõsuetudinem admissus, secreta immortalium mortalibus effutiisset: cùm viuus pœnam subiit, tùm post mortem ad impios & damnatos detrusus, sempiterni (vt fabulis adstruitur) supplicii cruciatibus torquetur. Hoc editi Pelobs & Niobe, quæ septem filios, totidemque egregiæ formæ puellas, enixa est. Hoc liberorum numero superbiens, non rarò Latonam felicitate partus à se vinci gloriabatur. quo dea ad iram prouocata (vt fabulæ quidem memorant) Apollini & Dianæ mandat, vt hæc puellas, ille pueros sagittis transfigant. qui cùm matris imperium exsecuti Niobæ liberos eodem tempore omnes confecissent, vno statim momento accidit, vt & sobolis abundè & prorsus nihil haberet. Cæterùm quia Tantalus, diis inuisus, Paphlagoniâ excidit, ab Ilo Trois filio inde summotus, de Ilo quoque eiusque maioribus aliquid referendum est.

LXVII. In Troade primus regnauit Teucer, Scamandro fluuio & Idea Nympha genitus; vir illustris; qui populis illis Teucrorum nomen indidit. Huius filiam Bateam matrimonio sibi iunxit Dardanus; & succedens in regno, subditos à se Dardanos vocari iussit; vrbem quoque ad littus maris à se conditam, Dardanum suo nomine indigetauit. Natus ab hoc Erichthonius, felicitate ac diuitiarum copiâ valdè pollebat. de quo & poëta Homerus hunc ad modum scribit:

Inter mortales non hoc opulentior alter;
Humida cui per prata errant tria millia equarum.

Ab hoc Tros genitus, Troiani nominis auctor. Tres huic nati; Ilus, Assaracus, Ganymedes. Ilus in campestribus Troadis nobilissimam exstruxit vrbem; cui Ilii nomen à se imposuit. huius Laomedon porrò filius est; qui Tithonum & Priamum generauit. Tithonus in Asiâ Orientem versus militans ad Æthiopiam vsque processit; vnde fabula de Memnone ex Aurora suscepto; qui Troianis suppetias tulit, & cum Achille congressus occubuit. Priamus ducta Hecuba præter complures alios Hectorem etiam genuit, cuius virtus bello Troiano in primis enituit. Ex Assaraco Dardanûm principe Capys genitus, parens Anchisæ; qui ex Venere Æneam clarissimum inter Troianos sustulit. Ganymedes denique nulli præstantia formæ secundus, à diis, vt Ioui à poculis esset, surreptus memoratur. Ab horum expositione, ad Dædalum ac Minotaurum Minoisque in Siciliam aduersus Cocalum regem expeditionem, progredimur. Dædalus Atheniensis patria fuit ex familia Erechtidarum. Hymettione (Metinoe) enim Erechthei ex Eupalamo nepote cretus erat. is ingenii solertia cæteros omnes supergressus, architecturæ studium impendit, ac statuarius lapidumque exsculptor egregius euasit: multis etiam scitè inuentis artes illas amplificauit; & mira passim in orbe terrarum opera fabricauit: adeò mortales cunctos statuarum artificio superans, vt imagines animatis quàm simillimas effinxisse à posteris iactetur. quarum ea constitutio fuerit, vt visum & incessum, totumq; corporis habitum in viuis animantibus referrent. Quia enim primus oculorum obtutum, pedumq; gressum, & manuum porrectum in statuis expresserat, meritò in omnium admirationem incurrit. nam qui præcesserant ipsum artifices, nictitãtibus oculis, demissis manibus & conglutinatis cum lateribus, simulacra fecerant. Etsi autem Dædalus ob artis præstantiã in magnâ admiratione erat, patriã tamen exsilio commutauit cædis hac de causa damnatus. Talos ex sorore nepos, adhuc puer apud Dædalum instituebatur. is ingenio magistrum superans, rotam figularem inuenit, & mandibulã serpentis nactus agitatione eius asserculo dissecto, asperitatẽ dentium in ferro imitatus est. hinc enim serra concinnata qua ligneam ma-

teriam dissecaret, ingens fabrili arti compendium & adiumentum reperisse visus est. Tornum quoque inuenit, & alia fabricaturæ accommoda; atq; inde gloriam haud exiguam reportauit. Hoc inuidiam puero in animo Dædali conflauit, qui veritus, ne gloriâ se longè præuerteret, dolo circumuentum interfecit. cúmq; in cadaueris sepulturâ deprehensus interrogaretur, quidnam humaret? anguem à se terra obrui respondit. quam casus insolentiam meritò quis admiretur. quod idem videlicet animal, quod serræ fabricãdæ rationem subiecerat, cædis quoque indicium fecit. In iudicium ergò vocatus, & Areopagitarum sententiis morti addictus, fugâ primùm ad quandam Atticæ curiam se recepit: cuius tribules etiam nunc Dædalidæ vocantur.

Hinc in Cretam elapsus, cùm in magnâ propter artis gloriam admiratione esset, in regis quoq; Minois amicitiam venit. Posteà (vt tritus fabularũ sermo habet) cùm vxor Minois Pasiphaë Tauri amore insaniret, machinâ bouis instar constructã, ad explendam Pasiphaæ libidinẽ operã locauit. Solenne fuerat antea Minoi, pulcerrimũ ex omni armẽto taurũ neptuno consecratum offerre. cùm verò insigniter formosus tũ fortè exstitisset, deterior ei⁹ loco victima deo factus est. idcirco Neptunus Minoi iratus, coniugem regis, amore tauri infatuauit. quæ per artificium Dædali tauro supposita, celebrem in fabulis Minotaurũ peperit. Geminã huic naturam tribuunt, vt mẽbra corporis superiora ad humerum vsq; sint tauri, cęteraq; hominis. Vt verò monstrum hoc stabulari & nutriri posset, Labirynthum ei Dædalus, obliquas & imperitis inexplicabiles meatuũ ambages habentem, construxit. In hoc agens Minotaurus septem illos pueros, Athenis mitti solitos, totidemq; puellas, de quibus suprà, deuorabat. Dędalus autem, vbi de minis regis quòd vaccam condidisset, inaudiuit, iram Minois veritus, auxilio reginæ, quæ nauigium ei suppeditauerat, clam ex Insulâ discessit. fugæ comes erat Icarus. cum hoc ad Insulam quandam in alto pelago sitã defertur. in quam vbi temerè exscensum parat iuuenis, in mare delapsus, interiit. à quo & Icarium pelagus, & Insula Icaria denominata fuit. Tum relictâ Dædalus Insula, in Siciliam transmisit, eoq; loci appulit, vbi Cocalus imperabat. is Dædalum benignè susceptum, ingenio & celebritate viri adductus, præcipuum sibi amicum fecit. A quibusdam hæc

LXIX

fabulæ

fabula affertur. Hærentem adhuc in Cretâ Dædalum, &
à Pasiphaë occultatũ, cùm diu ad supplicium quæsiuisset Mi-
nos, nec tamen inueniret, magnas illi opes promisit, qui ho-
minem indicasset. Ibi spe nauigio effugiendi Dædalus præ-
cisâ, raro sanè artificio alas cerâ mirandum in modum com-
pactas, suo filiique corpori applicauit, iisque subitò euolans,
mare Creticum superauit. Cùm verò Icarus (quæ iuuenum
leuitas est) nimis altè volatum intenderet, liquefactâ feruore
Solis cerâ, quâ alæ continebantur, in pelagus decidit. Pater
autem paullùm supra mare volitans, alasque identidem aquis
irrorans, incolumis in Siciliam traiecit. Quanquam verò in-
solens est & absurda huius fabulæ narratio, non duximus ta-
men prætereundam esse.

XX Dædalus porrò apud Coca-
lum & Sicanos multum temporis consumsit; & apud omnes
ob artis excellentiam in magnâ fuit auctoritate, & honore
singulari. Edidit & heic opera nonnulla, quæ ad hunc quo-
que diem permanent. nam in territorio Megaridis Colym-
bethram (vt vocatur) mirâ ingenii solertiâ fecit: ex quâ in-
gens fluuius, quem Alabonem nominant, in mare se profun-
dit. Alibi (Agrigentina nunc in Camico vocatur) vrbem in
petrâ omnium munitissimam & vi nullâ capiendam, statuit.
tam arctum enim & flexuosum eò fecit aditum, vt à trium aut
quatuor hominum præsidio defendi posset. ideò regiam in eâ
Cocalus exstruxit, opesque illic reconditas, per hanc archi-
tecti solertiam facilè tutas, conseruauit. Tertio spelæum in
terra Selinusiorum adornauit, in quo vaporem, à subterra-
neo istic igne exæstuantem, tam dextrè excepit, vt tenero sen-
sim calore sudor eliceretur, & cum voluptate quadam inibi
versantium corpora paullatim, sine vllâ feruoris molestiâ, cu-
rarentur. Præterea, cùm saxum in Eryce nimis confragosum
& præcelsum esset, angustiaque circa templum Veneris non
nisi in præcipitiis ædificare sineret, muro circum præcipitia
ducto, summam rupis aream mirum ad modum ampliauit.
Aureum quoque fauum Erycinæ Veneri ingenio & artificio
magno fabricauit, vero & naturali fauo tam assimilem, vt ex-
tra imitationis aleam esset. Multa insuper alia solerter in Si-
ciliâ exegit, quæ temporis longinquitas corrupit.

XXX Cæ-
terùm Minos rex Cretensium, qui mari tunc imperabat, cùm
de Dædali in Siciliam fugâ cognouisset, bellum Insulæ faces-
sere decreuit. cum magnâ ergò & instructissimâ classe egres-

sus, ad eam Agrigẽtini tractus oram appulit, quæ Minoa inde vocatur. Expositis autem copiis, per nuncios ad Cocalum missos, Dædalum ad supplicium exposcit. Cocalus vocato ad colloquium Minoi, omnia se facturum promittens, hospitalibus eum officiis demulcet, cúmque balneum ingressus esset, nimis diu in thermis detentum, caloris æstu hominem suffocauit; & cadauere Cretensibus reddito, hanc morti causam prætexuit, quòd ex lubrico in feruidas aquas casu mortem oppetisset. Militiæ ergò socii corpus defuncti magnificè sepeliunt, geminumque illi monimentum exstruunt, cuius interiore loco ossa recondunt, apertiore Veneris templum erigunt. quod ceu peculiariter Veneri consecratum per multas ætates, sacrificantibus ibi Siculis in honore & cultu fuit. Pòst vrbe Agrigentinorum condita, vbi ossium illic positus innotuit, hæc quidem Cretensibus remissa; at bustum funditus sublatum fuit: cùm Theron Agrigentinis imperaret. Cretenses autem à Minoë in Siciliam traducti, cùm rege destituerentur, seditionem inter se excitârunt. Sed quòd naues à Sicanis, Cocali subditis incensæ essent, desperato in patriam reditu, in Siciliâ habitare decreuerunt. Pars ergò vrbem condit, quam à regis nomine Minoam vocârunt: pars mediterraneis peragratis, munitum nacta locum oppidum à scaturiente illic fonte Engyum denominatum, ædificarunt. Pòst Troiæ dehinc excidium, Merionem in Siciliam eiectũ cum Cretensibus, quod gentiles essent, in ciuitatis suæ communionem susceperunt. Interim dum ex vrbe munitâ velut arce eruptionem faciunt, & quædam finitimorum loca subigunt, mediocrem terræ ditionem sibi comparant: & subinde magis amplificati opibus, templum Matribus ædificant, exquisitoque venerationis cultu & donariis deas hasce prosequuntur: quas ex Creta, in qua præcipua honorẽtur religione, translatas perhibent. Ab his Iouem quidem clam Saturno nutritum fabulis proditum est. In cuius meriti gratiam ad cœlum euectæ, & inter sidera collocatæ, vrsarum nomen obtinuerint. de quibus Aratus quoque consentanea hisce in suo de astris poemate canit:

LXXII.

Obuersosque gerunt humeros. Si credere fas est,
Iupiter è Creta stellatum hos vexit ad axem
Sublimes: quando primæua tempore vitæ,
Curetes Dictæ tacito posuere sub antro.

Non pro-

Non procul à nemore Idæo, totumque per annum
Clam patre, solicitis studiis pauêre tenellum.

Sanctimoniam itaque harum dearum & inter homines celebritatem, præterire silentio haud æquum foret. Honorant eas non tantùm huius incolæ vrbis, sed nonnulli etiam finitimorum, sacrificiis magnificis, aliisque cultus religiosi officiis deueneràtur. Quibusdam etiam ciuitatibus, responsa ex Tripode dearum honores iniunxêre. His enim rem priuatim beatam fore, & publicè nullis non commodis exuberantem. Et tandem adeò religio istarum increbuit, vt aureis ipsas donariis argenteisque ad hoc continuè tempus, quo hæc à nobis recensentur, indigenæ cohonestârint. Templum enim eis construxerunt non mole tantùm augustum sed ædificationis quoque sumptu admirabile. namque cum dignus structurâ lapis in regione illâ non suppeteret, à vicinis illum Agyrinæis transportârunt. hæ tamen vrbes centum stadiis distabant; & quà vehendus erat lapis, aspera, difficilisque transitu via erat. plaustris igitur quatuor rotarum ad hoc comparatis centum iugis boum saxeam materiem deduxerunt. Cùm sacris enim opibus abundarent, harum copiâ sumptus facilè superarunt. nam paullò ante nostram ætatem, tria boum millia & tantum agri deæ habebant, vt magnos inde reditus perciperent. Verùm de his quia mediocriter dictum est, Aristæi historiam aggrediemur.

Aristæus ergò Apolline ac Cyrene, filiâ Hypsæi qui Penei filius erat, natus est. de cuius genere hæc quorundam est traditio. Apollo puellam quandam Cyrenen nomine, formâ præsignem, quæ ad Pelion montem educabatur, amore complexus, in eam Libyæ oram transtulit, vbi postero quidam tempore vrbem eius nomine Cyrenen condidit. illic Apollo natum ex Cyrenâ Aristæum adhuc infantem Nymphis enutriendum dedit. hæ tribus puerum nominibus appellârunt, Nomium videlicet, Aristæum & Agreum. A Nymphis ergò coagulationem lactis & aluearium structuram, oliuarumque cultum edoctus. princeps illa cum hominibus communicauit. quos huiusmodi inuentorum commodis ita demeruit, vt diuinis pariter ac Bacchum honoribus eum venerarentur. Hinc Aristæus Thebas profectus Autonoen vnam Cadmi filiarum duxit, quæ Actæonem ex eo suscepit à propriis canibus (vt in fabulis narratur) dilaceratum. Cau-

sam infortunii nonnulli hanc adducunt: quòd in templo Dianæ ex dedicatis ferarum venatu captarum carnibus, nuptias peragere instituisset. alii, quòd arte venandi se Dianam præstare iactitasset: Nec à vero dissentaneum est, vtrouis deam facto grauiter offensam. nam siue explendæ libidinis gratiâ, contra deam à nuptiis alienam prædâ abusus fuerit; siue præstantiorem illâ, cui dii ipsi in hoc certamine palmam concedunt, se venatorem iactitare ausus sit; in meritam haud dubiè iram dea exarsit. Probabili itaque ratione in bestiarum, quas capere solebat, speciem transformatum canes, aliàs ferarum subactores, ipsum quoque dilaniàrunt. Post Actæonis inde necem, Aristæus consulto parentis oraculo, de suâ in Co insulam migratione, habendisq; sibi apud Coos honoribus, responsum accepisse fertur. Illuc ergò profectus, cùm totam pestis Græciam popularetur, pro salute omnium Græcorum perlitauit. cúmq; sacrum illud circa Sirii ortum peragèretur, in quem Etesiarum flatus incidit, pestilentia finem habuit. Singularem hanc rerum conuersionem, si quis penitius examinet, meritò demiretur. Qui enim filium à canibus discerptum vidit, is cœleste sidus canis nomine appellatum, quod hominibus exitium adferre putatur mitigauit, & mortalibus non paucis auctor salutis exstitit. Progenie deinceps in Co relictâ in Libyam remeauit, & classe à matre Nymphâ instructus, in Sardiniam transmisit, eamque pulcritudine Insulæ captus inhabitandam sibi delegit, & plantis excolens, antea Barbaram & agrestem, ad mansuetiorem cultus rationem traduxit. vbi & duorum parens filiorum factus est, Charmi & Calæcarpi. Pòst alias quoque insulas accessit; & in Siciliâ aliquandiu substitit. Hic vbertate frugum & multitudine pecorum adductus, solertiæ suæ beneficia insulanis nota fecit. ideoque summos Aristæo honores tum alii Siculi, tum inprimis, qui fructus oliuæ comportant, tanquam deo exhibuerunt. Ad extremum in Thraciam ad Bacchum profectus, Orgiorum particeps factus est, & per familiarem cum deo, consuetudinem vtilium rerum multarum cognitionem ab eo percepit. Cúmque ad Hæmum (quem vocant) montem aliquandiu habitâsset, ex mortalium oculis tandem abreptus fuit: cui diuinos, non modò Barbaræ illic gentes, sed etiam Græci, honores dedicàrunt. Verùm de Aristæo iam dictis contenti erimus. Nunc de Daphnide etiam & Eryce quædam

LXIV
LXV.

quædam referre nobis animus est. Erycem Veneris & Butæ reguli cuiusdam indigenæ gloriâ præfulgentis natum fuisse perhibent. Is (vt tradunt) cùm ob generis materni nobilitatem magni fieret ab incolis, partem Insulæ regio cum imperio possidebat. qui sui quoque nominis vrbem in ædito quodam loco ædificauit: in cuius arce templum matri condidit, omnique apparatu & donariorum copiâ exornauit. dea igitur cùm pietati incolarum, tum filii post mortem honori, hoc rependit, vt ciuitatem apprimè caram haberet, eamque Erycinam Venerem appellaret. Fani huius religiosi maiestatem, si quis accuratiùs pensitet, meritâ illud admiratione prosequetur. Alia enim sacraria post aliqua gloriæ incrementa, aduersi persæpe casus labefactant & conuellunt. at huius fani cultus à primo dedicationis exordio tantum abest, vt defecerit, vt contrà subinde maius acceperit augmentum. Post honores enim ab Eryce institutos, Æneas Venere natus, cùm Italiam petiturus ad Siciliam appelleret, multis templum donis, quòd matri consecratum esset, exornauit. Et post eum Sicani per multas ætates impensè deam coluêre, magnificisque tēplum sacris & donariis auctius & illustrius reddiderunt. Subsecutis hinc temporibus, Carthaginenses, parte Insulæ in ditionem redactâ, eximio deam cultu prosequi non destiterunt. Et Romani tandem totâ Insulâ potiti, honorum amplitudine omnes ante se longè superârunt. idque haud immeritò ab ipsis factitatum est. Cùm enim generis sui ortum ad ipsam reducerent, & propitiam in rebus gerendis fortunam idcircò experirentur; auctorem tanti incrementi conueniente gratiâ & honore remunerârunt. Cōsules enim & Prætores, omnesque cum imperio in Insulam digressi, vbi ad Erycem perueniunt, sacris & honoribus augustis templum decorant, & seueritate magistratus sui paulisper depositâ ad lusus & colloquia cum fœminis se conuertunt, nec alio quàm hoc pacto gratam se deæ facturos præsentiam suam existimant. Ac Senatus Romanorum singulari quadam in honores deæ propensione decreto suo statuit, vt fidelissimæ per Siciliam ciuitates XVII. aurum Veneri conferant, & duæ militum centuriæ pro templi custodiâ stationem agant. Hæc licèt pluribus de Eryce verbis exsecuti simus: ad Veneris tamen historiam quæ pertinebant, à nobis recensita sunt.

LXXXI.

Nunc quæ de Daphnide fabulis diuulgata sunt subte-

xere conamur. Sunt in Sicilia Heræi montes, quos amœnitate naturâque & situ locorum peculiari, ad recreationem & voluptatem æstiuam perquàm opportunos esse dicunt. multos enim fontes habent, aquarum dulcedine præstantes; arboribus omnis generis referti. Magnarum ibi quercuum copia est; quæ eximiæ magnitudinis fructum, duploque maiorem & copiosiorem alibi terrarum nascentibus producunt: hortensi quoque fructu abundant. & vites ibi sponte proueniunt; malorumque ingens est vbertas: adeò vt Carthaginensium exercitus quondam fame laborans inde aleretur: nec tamen sumptu, licèt in tot millia profuso, montium copia exhauriretur. In hac regione conuallis quædam arborum diuinum habens decorem, & dicatus Nymphis lucus, exsistit. Ibi Daphnin Mercurio Nymphâque genitum esse produnt; cui laurorum illic multitudo & densitas nomen peperit. Is à Nymphis educatus cùm multa boum armenta possideret, magnam rei pastoritiæ curam gessit. quâ de causâ bubulci quoque nomen acquisiuit. Et quia excellens in homine ingenium ad Musicam ferretur, Bucolicum carmen & melos, quod etiamnum apud Siculos in vsu & honore est, inuenit. Communes etiam cum Dianâ venatus obiisse: Deæque gratiam obsequiis promeruisse; & fistulæ cantu ac bucolicâ melodiâ eam mirifice oblectâsse; memoratur. A quadam autem Nymphâ, quæ amore eius flagrabat, prædictum ipsi fuerat, si cum alia rem haberet, oculis captum iri. Nec vaticinio fides defuit. cum regis enim filiâ, quæ mero ipsum inescauerat, cõgressus, lumen oculorum amisit. Sed & hæc de Daphnide memorata nobis sufficiant.

Nunc Orionis fabulam percurremus. Fertur hic proceritate corporis & robore omnes qui celebrantur, Heroes excessisse: venationis studiosus. & cùm viribus polleret gloriæque auidissimus esset, res magnas perpetrauit. Zanclo enim Siculorum regi, à quo Zancle olim, nunc Messene, nomen adepta est, cùm alia perfecit, tum portum quem Acten vocitant, iactis molibus exstruxit. Postquàm verò Messenes hîc facta mentio est, non peregrinum arbitramur, si quæ de freto narrantur, heic subtexamus. Antiquarum enim narrationum scriptores, Siciliam quondam Chersonesum, id est, *peninsulam* fuisse, perhibent; ex quâ postmodum Insula sit facta; & quidem his de causis. Quâ parte Isthmus in arctum maxi-

maxime constrictus à duobus vtrinque maris lateribus allui-tur, disruptus fuit, & locus inde Rhegii cognomentum tulit: vbi multis pòst annis vrbs condita, idem sibi nomen vendicauit. Alii magnis terræ concussionibus, factum aiunt, vt certuice illa continentis perfractâ, fretum quo continens ab Insula maris irruptione diuulsa est, induceretur. Hesiodus autem poeta contrarium statuit, latius enim diffuso illic mari, promontorium Peloriadis, & templum in eo Neptuni, quod religiosè honorant Insulani, ab Orione aggerum molibus eductum fuisse. qui rebus hisce effectis in Eubœam se contulisse, & propter virtutis celebritatem inter astra numeratus æternam nominis memoriam obtinuisse, fertur. cuius Homerus quoque poeta in mortuorum historiâ mentionem facit, his verbis:

Post hunc Orion vasto mihi corpore visus,
In prato viridante feras conuoluere agrestes;
Soliuagis quas ipse iugis prostrauerat olim,
Dum clauam manibus nodosam ex ære gerebat.

vbi simul huius magnitudinem notat: & paullò ante de Aloidis mentionem faciens adiicit, quòd nono ætatis anno latitudinem IX. cubitorum, & proceritatem totidem plethrorum habuerint.

Corpore quos celso & pulcro super extulit omnes
Alma parens tellus; Oriona si excipis vnum.

Iam quia de heroibus & Semideis pro instituti ab initio ratione, satis à nobis dictum est, libro heic finem imponemus.

HÆC QVINTVS DIODORI LIBER COMPLECTITUR.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE

Liber V.

CVm omnium, quæ ad scriptionem vtilia sunt, cura ab historicis suscipienda est, tum inprimis ordinis in singulis partibus habenda ratio. Hic enim non in priuatâ solummodò vitâ plurimùm ad augendas & conseruandas facultates conducit: sed in historiis quoque plurimum scriptoribus adiumenti præstat. Nonnulli enim, quanquam ob elocutionis ornatum, eruditamque rerum descriptarum varietatem meritò quidem laudantur; distributionis tamen negligentiâ peccârunt. Quo fit, vt labor quidem & industria ipsorum le- I.

rum lectoribus probetur; sed ordo scriptionis iustam reprehensionem incurrat. Timæus sanè & in temporum notatione exquisitam adhibuit diligentiam,& vt variâ rerum cognitione abundet, solicitè laborat. at propter intempestiuas & verbosas reprehensiones,iure etiam ipse reprehenditur. quare ob nimiam taxandi libidinem & acerbitatem Epitimæus (id est *taxator*) à quibusdam nominatus fuit. Contrà verò Ephorus, res passim gestas describens: non verborum elegantiâ duntaxat, sed accuratâ ordinis quoque obseruatione, probi officio historici fungitur. Vnumquenq; enim librum in certum rerum genus tribuit quod tractationis genus & nos aliis præferẽtes,idem pro facultate institutum amplexamur.

II. Cum hunc igitur librum Insularem titulo suo nominemus, de Siciliâ deinceps primo loco verba facturi sumus; quandoquidem hæc præstantissima est Insularum, & antiquitate rerum commemorandarum facilè primas tenet. Olim à figurâ Trinacriæ id est,triquetræ nomen habuit.postea à Sicanis cultoribus, Sicania dicta: & tandem à Siculis, qui ex Italiâ, cum totâ illac gente traiecerunt, Sicilia nuncupata est. Ambitus eius est stadiorum IV. millia CCC LX. vnum enim latus de tribus quod à Peloriade ad Lilybæum tendit, CIƆ IƆ CC est stadiorum. quod à Lilybæo ad Pachynum, Syracusanæ ditionis promontorium, excurrit, stadia CIƆ IƆ complectitur.reliquum CIƆ C XL. stadia continet. Frequentantes hanc Siciliotæ à maioribus per traditionem tot seculis continuatam acceperunt, Insulam Cereri ac Proserpinæ dicatam esse. Nonnulli poetarum fabulantur in Plutonis & Proserpinæ nuptiis hanc pro Anacalyptris (sic *exhibita sponsæ munera* vocant, cùm retecta primùm facie in virorum conspectũ prodit) nouæ nuptæ à Ioue donatam esse. Sicanos autem, vetustissimos Insulæ cultores, indigenas esse probatissimi scriptorum tradunt. In hac deas, quas diximus omnium primas sese ostendisse,primasque ob soli bonitatem hîc fruges prouenisse memorãt. quę clarissimus etiam poetarum suo testimonio confirmat:

Absque satu hic crescunt & vomeris omnia sulco.
Hordeum & alticomum triticum, vitesque parentes
Vuarum & vini: quæ Iupiter imbribus auget.

In Leontino enim agro,aliisque Siciliæ locis pluribus, etiam nunc triticum nascitur, quod agreste vocant. Omninò si

qua nam orbis regione, frumento nondum inuento, primæ fruges apparuerint, quæratur, primas optimæ terræ deferri, probabile est. Ideoq; & deas illas frugum repertrices in Siciliâ apprimè coli, videre est. Et in hac Proserpinæ raptum accidisse, pro manifestissimâ illis demonstratione est, quòd deæ nusquam alibi, quàm in hac Insulâ omnium maximè sibi dilecta, commoratæ sint. Rapta verò dicitur in vicinis Ennæ pratis, qui locus non procul est ab vrbe, violis aliisque florum generibus renidens, & spectatu dignus. Tanta illic odorum fragrantia esse dicitur, vt canes ad feras indagandas emissi, facultate sensus impeditâ, odoratu feras inuestigare nequeant. estque pratum illud in summo dorso planum & irriguum, circum verò circa altum & vndique præruptum. ac in medio totius Insulæ situm esse putatur. vnde *Siciliæ vmbilicus* à quibusdam vocatur. In propinquo etiam lucos & prata habet, paradisosq; paludibus circumseptos: & vastã quãdam speluncã: in quâ hiatus est subterraneus, Arcto obuersus. per quem Plutonem curru ad auferendam Proserpinam inuectum esse, fabulantur. Adde, quod violæ, ceterique flores odorati, per totum continenter annum floreãt totamque speciem floridam & iucundam contẽplantibus ostendant. Cum Cereris quoq; filia Mineruam & Dianam, eidem virginitatis studio dicatas educationis tempore vixisse, & de floribus cum eâ collectis patri Ioui togam communi opera contexuisse, perhibent. Quæ & propter familiarem inter se cõsuetudinem Insulam mirificè dilexerint, adeò vt vnaquæq; certum in ea locum sibi vendicarit; Minerua quidem in vicino Himeræ tractu; vbi calidarum fontes aquarũ Nymphæ sub aduentum Herculis in gratiam Palladis aperuerint; oppidum quoque cum agro, qui adhuc Athenæi (id est, *Mineruatis*) nomine celebris, ab incolis eidem consecratum. Dianæ vero insulam Syracusanam, quam & oracula & homines Ortygiam de ipsa vocarunt à Deabus tributam. Nymphas etiam, vt magis Dianam sibi demererent, fontem maximum (cui Arethusæ nomen) in insulâ produxisse. Hic non priscis modò tẽporibus magnorum piscium copiam tulit: sed hi nostrâ quoque ætate sacri & hominibus intacti permanent. De quibus si qui bello grassante in ciborum aliquid vsum vertere ausi fuissent, hos repentè Numen, manifesto iræ indicio, in magnas calamitates coniecit. quæ suo tempore, accuratius memora-

morabuntur. Sed & Proserpina, æquè ac duæ illæ deæ, prata circa Ennam sortita est, & magnum in agro Syracusano fontem (qui Cyane vocatur) consecratum habet. Nam Plutonem fabulantur, postquam raptu perpetrato Coren, id est, *puellam* (sic Cereris filiam nominãt) Syracusas vsque in curru deportâsset, diruptâ illic terrâ ipsum quidem cum abreptâ ad Orcum descendisse: sed fontem Cyanes nomine tũc produxisse: vbi solemnem quotannis panegyrin celebrant Syracusani; in quâ priuatim minoribus immolatur hostiis, publicè autem submersis in lacu tauris sacrificatur. Et huius sacri morem Hercules inuexit, quando cum Geryonis armẽto Siciliam totam obibat. Post raptum verò Proserpinæ, cùm filiam inuenire non posset, Ceres accensis ex crateris Ætnæ facibus, per multas orbis partes circumuagata dicitur. ac benè de hominibus, maximè qui benignè illam acciperent, promeruit, triticique frumento eos remunerauit: Et quia Athenienses humanissimè erga deam se gessissent, post Siculos omnium primi frumenti huius dono sunt affecti. pro quo munere tum splendidis victimarum oblationibus, tum initiis Eleusinjis (quæ ob vetustatem & sanctimoniam inter omnes celebrantur mortales) impensiùs ab hoc populo dea honoratur. Cùmque frugum beneficium cum multis Athenienses communicarent, & ad alios porrò vicinos sementis transiret, factum est, vt vniuersus paulatim orbis frugibus impleretur. Siculi ergò cùm propter Cereris & Proserpinæ familiaritatem primi frumenti vsum participâssent, vtrique deæ sacrorum, festorumque solennitates ipsarum nomine celebres, instituerunt; hoc vtique pacto, vt ipsum anni tempus beneficii indicium referret. Festum enim Proserpinæ deducendæ eo tempore celebrant, quo fruges maturescere solent. & hoc solenne tantâ curâ & sanctitate peragunt, quâ referre gratiam eos decet, qui per eam muneris exhibitionem vniuersis mortalibus antepositi sunt. Ad Cereris autem sacrum primæ sationis tempus delegerunt. per decem id dies continuatur, deæ nomine insignitum; & magnificentissimi apparatus splendorem habet, cæteroque cultu priscæ habitũ vitæ imitatur. Interea turpes colloquiis sermones admiscere moris est; quòd deę, ob raptũ natæ mœrẽti, verborũ obscœnitas risum prouocârit. Raptꝰ aũt hic Proserpinę, ꝙ ita, vt paullò ante cõmemorauimus, acciderit, multi vete-

rum, tum historici, tum poetæ, testimoniis suis confirmant. Carcinus enim, Tragœdiarum conditor; qui Syracusas non rarò profectus, quo studio festum & sacra Cereris obirent eius loci homines, vidit, in poematibus suis hosce versus positos habet:

Ferunt, quòd alma Cereris olim filia
Sit fraudulentis rapta Ditis machinis,
Et nigricantes inierit terræ specus:
Materque perditam requirens anxiè,
Totum vagata sit per orbis ambitum.
Tunc quæ sub Ætna collibus Trinacria
Igni scatet, globosque iactat flammeos,
Ingemuit omnis: dumque virgo plangitur,
Gens Iouis alumna, egena victus tabuit.
Hinc est, deas adhuc quòd impensè colunt.

Nec verò par esset (hoc loco) præterire eximiam deæ huius erga mortales beneficentiam. Nam præter quàm quòd fruges reperit, operas etiam rusticas & vsum illarum docuit, legesque promulgauit: quarum normâ iustè agere homines adsuescerent. quam ob causam θεσμοφόρον, id est, *legiferam* cognominari perhibent. Quibus sanè inuentis meritum vix amplius inueneris. nam & vitam ipsam & honestam vitæ institutionem complectuntur. Quod ad fabulosas itaque narrationes antiquitatum Sicularum attinet, dicta iam sufficiat.

VI De Sicanis verò, primis Siciliæ incolis, cùm scriptores nonnulli sententiis varient, vt breuiter aliquid differamus, necessum est. Philistus quidem, ex Iberiâ per coloniæ deductionem translatos in possessionem terræ venisse, affirmat, à Sicano, Iberiæ flumine quodam, nomen illud sortitos. Sed Timæus, ignorantiam scriptoris refellens, indigenas esse liquidè probéque ostendit. qui quia multas ad demonstrandam horum antiquitatem rationes affert, aliquid illarum recensendum esse arbitramur. Sicani olim vicatim habitabant, vrbeculas in collibus, vt quisque naturâ munitissimus erat, sibi, propter latronum incursus, exstruentes. Non enim sub vnum regis imperium redacti erant, sed vnumquodque oppidum suum habebat principem. Ac primitus vniuersam obtinebant Insulam, & ex terræ cultu victum comparabant. postea verò quàm pluribus in locis Ætna flammas exhalaret, multumq; ignis in vicinam regionem effunderetur, tellus ad

tractum

tractum bene longum vastabatur. Cúmq; ad complures an-
nos per regionem incēdium grassaretur, incolæ subacti me-
tu,desertis quæ ad Auroram vergunt partibus Siciliæ, in oc-
ciduas transmigrarunt. Post multas denique ætates Siculo-
rum gens, ex Italiâ cum familiis vniuersis in Siciliam trans-
gressa,relictum à Sicanis agrum occupauit. qui dum cupidi-
tate plus acquirendi subinde ad vlteriora grassantes,finitimo
rum agros populantur, bella sæpenumero cum Sicanis ge-
runt:donec mutuo fœderum consensu certos agrorum fines
statuêre.atqui particularem horum commemorationem ad
sua reseruamus tempora. Vltimas porrò colonias in Siciliam
miserunt Græci,easq; relatu dignas: à quibus vrbes ad mare
conditæ sunt.Per commercia verò & multitudinem Græco-
rum eò nauigantium, factum est, vt & linguam Græcorum
discerent, & eundem vitæ morem adepti, barbaram etiã lo-
quelam simul & nomen (Siculi dehinc appellati) mutarent.

H. Iam quia de his satis dictum,ad Insulas,quas Æolides vo-
cant,transire iubemus orationem. Septem hæ sunt;& vocan-
tur Strongyle;Euonymos;Didyme;Phœnicusa;Hiera; Vul-
cania,& Lipara:in quâ nominis eiusdem vrbs posita est. Ia-
cent istæ inter Siciliam & Italiam directo ad occasum ab o-
riente cursu:& à Siciliâ CL.circiter stadiis absunt;magnitudi-
ne inter se pares.maxima stadiorum CL. ambitũ habet. cun-
ctæ verò magnas ignium eructationes sustinent, cratéresq;
olim facti & ostia etiam nunc manifestè conspiciuntur. In
Strongyle equidem & Hierâ ad hoc vsque tempus flatuũ vis
ingens erumpit,cum fremitu immani. Euomitur etiam are-
na lapidumq; ignitorum copia, quod circa Ætnam quoque
videre est. Ab his namque Insulis cauernas esse subterraneas
vsque ad Ætnam coniunctis vtrinq; ostiis,nonnulli affirmãt.
ideoq; alternis ardere vicibus Insularum crateres & Ætnæ.
Cæterùm has Æoli insulas ab incolis vacuas quondam fuis-
se dicunt.postea verò Liparum, Ausone rege Cretum,præua-
lente contra se fratrum seditione, nauibus longis exercituq;
potitum ex Italia in Insulam fugisse, quam de nomine suo
Liparam indigetârit; conditâque in illâ eiusdem appellatio-
nis vrbe, cæterarum etiam Insularum agros excoluisse. hoc
senectutem adepto, Æolum, Hippotæ filium, Liparæ appul-
sum, Cyanen, Lipari natam, duxisse vxorem. cúmq; effecisset
vt cæteri æquo cum indigenis iure viuerent, regnum Insulæ,

obtinuit. Liparo aũt, reditus in Italiam cupido, vt tractus circa Surrentum occuparet, adiutor fuit: vbi regnũ cum magna hominũ approbatione administrauit; & post vitæ exitũ magnificè tumulatus, & heroico à popularib. cultu affectus est. Æolus verò iste est, ad quem in oberratione suâ Vlyssem peruenisse fabulantur; piũ erga deum, iustũ aduersus homines, & humanũ benignumq; in hospites fuisse memorãt. Velorum præterea vsum docuisse nauticæ rei studiosos. Ex aeris quoq; prodigiis diligenter obseruatis, qui vẽti ingruituri essent, indigenis certò prædixisse. vnde ventorũ præses & dispensator à fabulâ declaratus est. & ob pietatẽ eximiã deorum amicus nominatur. Sex eo liberi prognati, Astyochus, Xuthus, Androcles, Pheræmon, Iocastes & Agathyrnus. qui oẽs ob patris virtutes atq; gloriã magnos hominũ fauores sunt adepti. ex his Iocastes maritimas Italiæ oras ad Rhegiũ vsq; suæ ditionis fecit. Phæremon & Androcles Siciliæ regiones à freto ad Lilybæũ vsq; obtinebant. Huius alioquin Insulæ terras ad auroram spectantes Siculi, ad occasum Sicani occupãrũt. Inter quos populos ingẽs hactenus dissensio erat. Sed Æoli filiis vltrò, ob celebrem parentis in deos pietatem & ipsorũ modestiam, parebant. Xuthus Leontinorũ terram, Xuthiã ab eo dictã, possedit. Agathyrnus regionẽ, quæ Agathyrnitidis inde nomen accepit, potitus, oppidum sui nominis Agathyrnum condidit. Astyochus Liparæ dominiũ obtinuit. Omnes aũt pietatem genitoris & iustitiam imitati, magnã sibi laudem comparauêre. cùmq; ad multas hominũ ætates per successionem Æoli progenies principatum gessisset, tandem ad regium in Siciliâ dominatum euecta, defecit. Post quos Siculi ad optimũ quenq; imperiũ deferebant. Sicani verò de summâ rerũ disceptãtes, ad longum tẽpus ciuile inter se bellũ gerebant. Multos post annos cũ iterum & subinde magis à cultorib. Insulæ destituerẽtur, accidit, vt Gnidiorũ & Rhodiorũ nonnulli, asperitate regum Asiaticorum offensi, coloniæ deducẽdæ consilia inirẽt. Creato igitur ad hoc duce Pentathlo Gnidio, qui generis ortũ ad Hippotẽ Herculis referebat, (tẽpus hoc incidit in Olympiadẽ quinquagesimã vbi stadii victoriã Epitelidas Lacon reportauit) in Siciliã trãsuecti, ad Lilybæũ appulerũt. Tũ Ægestani fortè ac Selinuntii bellũ inter se gerebãt. In societatẽ igitur Selinuntiorũ pellecti, multos in prælio, & inter hos Panathlũ ipsum amiserũt. Victis igitur bello Selinũtijs, superstites domũ reuerti cogita-

VIII

IX

bāt. Ducibusq; ex familiarib. Pēthatli, Gorgo videlicet ac The
store,& Epitherside delectis, per Thyrrhenū mare cursum
instituebāt. Ad Liparā ergò delati, cū perbenignè exciperen-
tur, facilè vt habitādi cū incolis, quorū vix quingēti ab Æolo
superstites erāt, societatē inirēt, persuasi fuerūt. Posteà cùm
Tyrrheni latrociniis mare infestū redderēt, incursionib. illo-
rū vexati, classē parauerūt. inq; partes distributi, alii in cōmu-
nē vsum agros insularū colebāt: alii in præsidio & statione e-
rāt contra piratas. Cōmunicatis itaq; facultatibus, & sodali-
tiis mutui cōuictus institutis, ad aliquod tēpus in cōmunione
vitæ perstiterūt. deinde Liparā, quæ metropolin gētis habet,
inter se diuisā, cæteras in cōmune opere rustico exercebant.
Postremò cūctas Insulas ad xx. annos dispertiti, circūacto tē-
pore iterū per sortitionem diuidūt. Multis dehinc naualibus
pugnis Etruscos vicerūt & memorabiles è spoliis decimas a-
pud Delphos cōsecrarunt. X. Restat vt rationes exponamus,
quare insecutis tēporib. Liparæorū ciuitas nō modò ad felici
tatē, sed ēt gloriā, tātos incrementorū progressus fecerit. Hęc
.n. pulchris à naturâ portubus, thermisq; celebrib. exornata
est. Balneæ .n. istæ nō modò ad bonā valetudinem ęgrotanti-
bus multū conferūt: sed pro singulari aquarū genio, non me-
diocrē voluptatis fructū præstāt. idcircò multi in Siciliâ pecu
liarib. vexati morbis in Insulā hanc transmittūt, calidiq; laua-
cri vsu opinione citius pristinū sanitatis vigorem recuperant.
Hæc ēt Insula famigeratū aluminis metallū habet, vnde ma-
gnū Liparensibus & Romanis vectigal. Cùm enim nullibi
terrarū alumē proueniat: ꝙ magnū tamen vsum habet, non
abs re monopolion habēt Liparæi; auctisq; pro arbitrio pre-
ciis, incredibiles inde quæstus faciūt. In solâ .n. Melo Insulâ
exigua aluminis copia crescit, ꝙ tamē non multis sat esse ci-
uitatibus potest. Hæc Liparensiū Insula non magnum com-
plexa spacium, frugū mediocriter ferax est, & rebus ad nutri-
menta hominū idoneis abūdat. nā pisciū variorum copiam,
eosq; arborum fructus, qui iucundissimā fruentibus oblecta-
tionē afferant subministrat. Sed de Liparâ cæterisq; Æoli Insu-
lis hic dicendi modus nobis esto. XI. Post Liparam autē oc-
casum versus in alto mari Insula quædā est parua & homini-
bus vacua, quā Ostodē, id est, *ossuariā*, ab euentu quodā, no-
minā[t]. Quo .n. tēpore Carthaginenses cū Syracusanis multis
magnisq; bellis cōflictabātur, instructissimas habebāt copias

tàm nauticas,quàm terreſtres. Tum multi quoque ex variis gentibus mercenarii ſtipendia in caſtris illorum faciebant. turbulentum id genus hominum eſt, multaſque & atroces excitare ſeditiones aſſolet,maximè cùm in tempore ſtipendia non ſoluuntur.ideò tùm conſuetâ quoq; improbitate & cõfidentia proiectâ quidam vſi(erant autem ad ſex millia)cùm ſtipendia non acciperent, concurſu primùm facto, inſanis clamoribus ductores impetebant. Deinde cùm à pecuniis deſtituti ſolutionem idẽtidem procraſtinarent, ſe armis ius ſuum aduerſus Carthaginenſes perſecuturos eſſe,minitabãtur,manuſq; præfectis iniiciebant. Tametſi autẽ à Senatu ob id reprehenderentur,contẽtio tamen ſubinde magis exarſit. Tribunis ergò militum ſecretò mandauit Senatus, vt quicquid ſeditioſorum eſſet è medio tollerent. Hi ſtatim acceptis mãdatis,conductitium militem nauibus imponunt, ac veluti ad militare aliquod negocium in Inſulam, de qua mentio facta eſt,prouecti,iurgatores exponunt, relictiſq; illis abeunt. Hi, vtut ægrè hũc caſum ferrent,vlciſci tamẽ Carthaginenſes nequibant;ſed fame tandem exhauſti,contabuerunt. Cúmq; in Inſula tàm parua tot velut captiui interiiſſent, locus cæteroquin anguſtus oſſium multitudine repletus fuit,& hoc nomẽ Inſulæ obuenit. Ad hũc modum in ſummas calamitates iniqua ſuorum fraude adducti,cibi inopia miſerè perierunt.

Iam Æolidas perſequuti Inſulas,cæteras quæ vtrunq; latus cingunt,ſingulatim perluſtrabimus. Siciliæ verſus meridiem tres Inſulæ medio in pelago obiectæ ſunt.quarum vna quælibet vrbem habet & portus,qui tutos nauibus tempeſtate iactatis receptus præbent. Prima eſt Melite, quæ vocatur, Iↄ ccc. ſtadia à Syracuſis diſtans,portubuſq; admodum cõmodis inſtructa. Opibus abundant incolæ. variorum enim operum artifices habet; inter quos excellunt, qui lintea inſigni mollitie & ſubtilitate texunt. Domus illic ſunt perpulcræ ſuggrundiis & albario opere magnificenter exornatæ. Colonia hæc eſt Phœnicum:qui cùm negotiationes ſuas ad Oceanum vſq; occidentalem extenderent,refugium in hanc Inſulam, ob portuum cõmoditatem & in profundo mari ſitum, habebant.quæ cauſa fuit, vt loci eius habitatores mercatorum beneficio ſtatim & opibus augerentur,& nomine inclareſcerent. Poſt hanc altera eſt,quam Gaulũ vocant,in pelago & ipſa, & portuum cõmoditate præſtans; à Phœnicibus primùm

mùm frequentata. Deinceps eſt Cercina, ad Libyam vergens: in quâ ciuitas mediocris,& portus commodiſſimi, non mercatoribus tantùm, ſed longis etiam nauibus congruentes. Poſtquàm de Auſtralibus Inſulis dictum eſt, ad cæteras Liparæ adiectas, inque Tyrrheno, quod vocant, mari ſitas, redimus. XII. Nam ad oppidum Etruriæ, quod Populonium dicitur, Æthalia iacet: quæ à Lipara centum fermè ſtadia diſtat; à fuliginis inibi copiâ nomen ſortita. Siderite enim lapide abundat: quem ad eliquationem & præparaturam ferri; quod multum huius metalli in ſe contineat, exſcindunt. Qui elaborationi huius incumbunt, petram diffindunt, & exciſa eius fruſta in fornacibus ſolerter exſtructis vſtulant. In his lapides copioſâ ignis vi liquefactos, in modicas portiones, quæ magnas formâ ſpongias repræſentant, diſpartiuntur. Eos permutatione mercium vel pecuniæ negotiatores coëmunt, inque Dicæarchiam aliaque emporia tranſuectant. Sarcinas porrò iſtas quidam mercati, conductis ferrariorum artificum operis elaborant, omniſq; generis figmenta inde procudunt. laminas enim alias in auium ſpeciem fabricantur, alias ad ligonum, falcium & alterius generis vtenſilium figuras ſolerter excudunt. horum vſus à mercatoribus huc illuc deportatorum cum pleriſque orbis regionibus communicatur. Ab Æthalia porrò inſula eſt ccc. ſtadiis remota, quam Græci Cyrnon, Romani & indigenæ Corſicam appellitant: hæc aditu perquàm facilis, portum longè pulcerrimum, nomine Syracuſium, habet. Duæ etiam vrbes inſunt, Calaris & Nicæa. Calarim Phocenſes condidêre: cumq; ad tempus Inſulam habitâſſent, à Tyrrhenis fuerunt eiecti. Nicæam fundârunt Etruſci, quando mari dominabantur, & adiectas Tuſciæ Inſulas ſuæ ditioni vendicabant. Interim dum aliquandiu Corſicæ vrbes in poteſtate habent, tributa ab incolis exigebant, reſinam, ceram, mel: quorum largus ibi prouentus eſt. Mancipia Corſica, ſingulari naturæ dono, ſeruis aliis ad vſum vitæ præferendi videntur. Inſula hæc quaquauerſum ampla, magnâ ſui parte montoſa eſt, & frequentibus ſyluis opaca, magniſque fluminibus irrigatur. XIV. Incolæ pro nutrimento vtuntur lacte, melle, carnibus, quæ regio hæc affatim præbet omnia. Iuſtè inter ſe ac humaniter, ſuprà quàm omnes alioqui barbari, viuunt. Nam quæ in cauis montium arboribus inueniuntur

mella, citra controuerſiam illorum ſunt, qui inuenerunt. Oueſque certis diſtinctæ notis, etiam nemine ſeruante, heris ſaluæ manent. In reliqua etiam vitæ adminiſtratione, iuſtè agendi normam, ſuo quique loco, mirificè obſeruant. Inſolens apud eos quàm maximè eſt, quod circa liberorum natiuitatem accidit. Nam mulieris enixæ nulla in puerperio cura geritur: ſed maritus eius velut æger decumbens, & corpus malè affectum habens, puerperæ vice per certos aliquot dies in lecto decumbit. Multum quoque buxi, eiuſque non vulgaris, ibi naſcitur; quæ cauſa eſt, vt mel prorſus amarum illic exſiſtat. Tenetur à barbaris; quorum alienus, nec facilis intellectu ſermo eſt. Numerus hominum XXX. millia excedit. Propinqua illi Sardinia eſt, Siciliam magnitudine adæquans. Incolitur hæc à Barbaris, quos Iolaeos nominant, oriundis (vt putant) ab illis qui cum Iolao & Theſpiadis ſubſtiterunt, quòd hi alios eius incolas numero viciſſent. nam quo tempore celebrata illa Hercules certamina peragebat, cùm plurimos ex Theſpii filiabus liberos genuiſſet, oraculi monitu in Sardiniam cum numerosâ Græcorum & barbarorum manu, ad nouas capiendũ ſedes, illos emiſit. Horum Princeps Iolaus, Herculis ex fratre nepos, Inſulam occupauit, & præclaras in ea ciuitates condidit; agriſq; ſorte diuiſis, Iolaeios à ſe gentem appellauit. Gymnaſia præterea, Deûmque templa, & alia quæuis monimenta, quæ ad felicem hominum vitam conducerent, in eâ conſtruxit; quæ ad hanc quoque tempeſtatem perdurant. Amœniſſimi enim campi ipſius nomine Iolaei nuncupantur; imò populus nomen ſuum ab Iolao deductum adhuc conſeruat. In oraculo de coloniâ etiam hoc continebatur: quicunque ſua in eam nomina tradidiſſent, his libertatem per omne æuum ſartam tectamque fore. Inconcuſſam igitur iuriſdictionem ad hoc vſque tempus veritas oraculi illis conſeruauit. Carthaginenſes enim, quamuis in ſummo potentiæ ſuæ vigore inſulam hanc cepiſſent, priſtinos tamen eius poſſeſſores ad ſeruitutem redigere nequibant. Nam Iolaei ad montana confugerunt: & habitaculis ſub terrâ ſtructis, multos pecorum greges aluêre. Hinc larga victus copia, lactis caſeiq; & carnium eſu contentis, ſuppetebat. Itaque dũ campeſtribus exceſsêre, ſimul agriculturæ etiam moleſtias declinarunt; vitamq; in montibus extra laborum ærumnas,

mnas, tenui (quem diximus) ciborum apparatu tolerare pergunt. Ac tametsi Carthaginenses magnis sæpè copiis in eos mouerint: locorum tamen difficultas & inexplicabiles speluncarum subterraneorum meatus à seruitute tutos hosce præstitêre. Tandem cùm etiam Romani rerum potentes sæpius Marte illos tentarent, nullâ tamen vi bellicâ, ob easdẽ causas, subigi potuerunt. Verùm vt ad prisca reuertamur: Iolaus effectis coloniæ negociis, in Græciã reuersus est. Thespiadæ autem cùm per multas ætates insulæ præfuissent, in Italiam tandem expulsi, finitimum Cumæ agrum insederunt. Reliquum interim vulgus ad barbariem redactum, indigenarũ optimos Reipublicæ præficiens, libertatem ad nostram vsq; ætatem defendit. Postquàm de Sardiniâ satis dictum est, de sequentibus hinc Insulis narrationem attexemus.

XVI. Post suprà memoratas Pityusa est, à pinuum illic nascentium multitudine denominata. In alto iacens pelago à columnis Herculis trium dierũ, totidemq; noctiũ; à Libyâ vnius diei noctisque, ab Hispaniâ diei tantùm nauigatione distat. Magnitudine Corcyræ æqualis, & fertilitate mediocri prædita est. Paucas enim vineas, & oliuas oleastris insitas habet. Inter prouenientia illic, lanas ob mollitiem commendant. Cãpis distincta est ac collibus amœnissimis; vrbemq; habet Eresum, Carthaginensium coloniam. Portus etiam memorabiles & structuras mœnium amplas, & splendidè fabricatarum domuum frequentiam obtinet. Promiscuæ ibi Barbarorum gentes habitant, maximè verò Pœni. Immigratio in eam facta est annis CLX. post Carthaginis fundationem.

XVII. Sunt aliæ porrò Insulæ exaduersùm Iberiæ, Gymnesias Græci vocitãt, q̃ nudis incolæ corporib. æstatis tempore hîc viuant. Hos populares & Romani Baleares à *Ballein*, id est, *iaculando*, nuncupant; quia magnos fundis lapides melius q̃ vniuersi mortales eiaculantur. Inter has maior, omnes magnitudine Insulas, post hasce septem, Siciliã, Sardiniã, Cyprũ, Cretam, Eubœam, Corsicam, Lesbum, excedit. Diurno nauis cursu ab Hispaniâ separata est. Minor Aurorã respicit; & pulcra omnis generis iumenta nutrit, inprimis verò mulos; qui & proceritate corporis, & voce excellũt. Vtraq; bonũ habet solũ, frugibusq; gignendis aptũ, & incolarũ, s. XXX. millia, numerũ. q̃ nascentiũ è terra prouentũ attinet, vino prorsus carent; cuius tamẽ ob raritatẽ lõgè sunt appetentissimi. Magna etiã olei inopia laborãt. Ideò expressã è lẽtisco pinguedinẽ cũ

suillo adipe commiscent, hisque corpora sua inungunt. Maximè verò omnium in amorem fœminarum sunt effusi, quas tanti æstimant, vt cùm mulieres à piratis captæ illuc aduehuntur, tribus aut quatuor viris vnam aliquam rediment. In cauis hi petris habitant. in specubus enim circa montium prærupta effossis, cuniculisque passim factis, ætatem ducunt: quibus tegumentum simul & tutamen sibi venantur. Argenteis verò aureisque nummis haud quaquam vtuntur: sed & importari horum quicquam ad se vetant. cuius hanc causam afferunt: quod Hercules quondam Geryoni Chrysaoris filio bellum propterea intulerit, quia magnam argenti & auri vim possideret. Vt tutas ergò ab insidiis facultates suas retineant, nihil cum auri argentique diuitiis sibi commune fore, sanciuerunt. Iuxta hoc igitur decretum, cum Carthaginensibus olim militarent, nihil in patriam stipendiorum referebant, sed in mulierum atque vini emptionem id totum insumebant. Absurdum quoque circa nuptias institutum habent. In conuiuio enim nuptiali necessariorum & amicorum quisque ætate primus, secundus, & cæteri deinceps, cum noua nupta singulatim rem habent, donec ad sponsum honor iste vltimum tandem defertur. Singulare etiam hoc est, & omninò peregrinum, quòd in funeratione mortuorum factitant. Cadaueris enim membra lignis contusa in vrnam conjiciunt, magnumque lapidum aceruum superstruunt. Armatura ipsorum, tres fundæ, quarum primam in capite gerunt, alteram ventri circumtexunt, tertiam manibus tenent. Vbi necessitas belli exigit, lapides multò grandiores, quam alii iactitant, idque tàm validè, vt à catapultâ quadam missile intorqueri putetur. Ideò inter murorum oppugnationes propugnatores ictibus suis grauiter sauciant. in collatâ verò acie scuta, galeasque, & omnem, quâ corpora teguntur, armaturam perfringunt. & tàm certò iactus dirigunt, vt plerumque à fine sibi proposito non aberrent. Efficit hoc crebra à pueris exercitatio, quâ paruuli adhùc sub matrum disciplinâ fundis iaculari coguntur. pro scopo enim illis in stipite aliquo suspensus est panis, quem donec contigerint, ieiuni manent; & hic tum demum à matre in cibum eis conceditur. Postquàm Insulas cis columnas Herculis percurrimus, vlteriores etiam in Oceano exigemus. Africam enim versus permagna quædam insula in vasto Ocea-

XVIII

XIX

ni

ni pelago iacet, complurium nauigatione dierum à Libyâ in
occasum declinans. Solum ibi frugiferum; cuius magna pars
in montes assurgit, nec exigua in campos sese expandit. Et
hæc pars amœnitate excellit. amnes enim per illam nauiga-
biles decurrunt, à quibus humectatur. Frequentes ibi para-
disi, variis arboribus consiti: pomariaque innumera dulci-
bus aquis intersecta. Villæ etiam sumptuosis ædificiis exor-
natæ, & tabernæ in hortis compotoriæ florido passim dispo-
situ occursant. Hic, cùm terra ad voluptates & delitias com-
moda largè subministret, æstiuo tempore diuersantur. Mon-
tana regio crebros & amplos habet saltus, variaq; arborum
fructuosarum genera. Conualles etiam & fontes, ad mon-
tanas vitæ recreationes idoneos, passim exhibet. Imò tota
hæc insula dulcis aquæ scaturiginibus irrigatur; vnde non
iucunda tantùm, illic degentibus voluptas oboritur, sed mul
tum quoq; ad sanitatem & robur emolumēti confertur. Ve-
natio illic omnis generis ferarum suppetit: quarum in con-
uiuiis copia nihil ad delitias & sumtus reliquum facit. Adhæc
piscibus abundat mare, Insulam hanc alluens: quoniam O-
ceanus naturâ suâ vbiq; vario piscium genere scatet. Mitissi-
ma tandem aeris illic temperies est, qui facit, vt maiore anni
parte fructus arborum, & id genus alia venusta & iucunda,
proueniant. Tantâ denique felicitate excellit, vt deorum non
X. hominum habitaculum esse videatur. Olim, propter
remotiorem à reliquo terrarum orbe situm, incognita fuit:
sed hac tandem occasione reperta. Phœnices à vetustissimis
inde temporibus frequenter crebras mercaturæ gratiâ naui-
gationes instituerunt. quo factum vt multarum in Africâ
coloniarum, nec paucarum in his Europæ partibus, quæ ad
Occidentem vergunt, auctores fierent. Cúmq; incepta ex
animi sententiâ cederent, magnis ditati opibus, extra quoq;
columnas Herculis, in mare, quod Oceani nomen habet,
excurrerunt. Ac primùm iuxta ipsum ad columnas fretum, in
Europæ peninsulâ vrbem posuêre, Gades nuncupatam. In
quâ cùm alia loco isti congrua, tum fanum Herculi sumtuo-
sum, cum sacris magnificis Phœnicum ritu peragendis, insti-
tuerunt. Templum hoc vt priscis, ita recentioribus etiam se-
culis, ad nostrā vsq; ætatem, in summâ veneratione habitum
fuit: adeò vt multi etiam Romanorum, nobilitate ac magni-
tudine rerum gestarū illustres viri, deo illi vota nuncuparint;

negociisq; feliciter confectis exſoluerint. Hac igitur ratione Phœnices, inueſtigatâ vltra columnas orâ, cùm Africę littora legerent, ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus ſunt abrepti. Per multos tandē dies vi tempeſtatis ad Inſulam (de quâ iam dictum) appulerunt naturamq; eius & felicitatem à ſe primitus cognitam, in aliorum deinde notitiam perduxerunt. Ideò Tyrrheni quoq; maris imperium adepti, coloniam eo deſtinarunt. ſed Carthaginenſes illis obſtiterunt. ſimul enim metuebant, ne plurimi ciuium ſuorũ bonitate Inſulæ allecti, eò commigrarent. ſimul etiam contra ſubitos fortunæ caſus, ſi exitioſum Reſpublica Carthaginēſium fortè damnum acciperet, refugiũ ſibi paratum eſſe volebant. Nam ſe maris adhuc potentes in Inſulam victoribus ignotam cum vniuerſis familiis tranſmigrare poſſe, confidebant. Sed quia de Oceano Africano, eiuſq; Inſulis iam dictum eſt, ſermonem ad Europam transferemus. nam quâ parte Galliam Oceanus ſtringit, Hercyniæ montibus (quos omnium in Europâ maximos eſſe accepimus) multæ inſulæ obtenduntur. quas Britannia (vti vocant) magnitudine excellit. Hæc ab extraneis olim viribus intacta manſit. nã neq; Bacchus, neque Hercules, aliorumue Heroum aut Dynaſtarum quisquam (quod nos quidem ſciamus) bello eam laceſſiuit. noſtro verò ſeculo Caius Cæſar, qui Diui nomen rebus geſtis promeruit, omnium qui memorantur primus Inſulam in poteſtatem redegit, Britannosq; debellatos certum pendere tributum coëgit. Verùm hæc particulatim ſuo tempore explicabuntur. Iam de Inſula, ſtannoque in eâ proueniente, nonnihil dicemus. Formam inſtar Siciliæ triquetram habet; ſed latera tamen inæqualia ſunt. cùmq; Europæ obliquè obtendatur, promontorium continenti proximum, quod Cantium vocant, centum ſtadia circiter à terrâ abeſſe perhibent; ibique maris effluxus eſt. Alterũ, cui Belerio nomen, quatuor dierum nauigatione à continenti ſummotum. Reliquum, cui Horcæ nomen, in pelagus excurrere memoratur. Latus minimũ, Europæ ſeſe obuertens, ſepties mille & quingentûm ſtadiorũ eſſe. Alterũ à freto ad verticē aſſurgens, ſtadiûm xv. millia; vltimum xx. millia habere dicunt. vt totus Inſulæ ambitus XLII. quingentis ſtadiûm millib. contineatur. Incolas aborigines eſſe, qui priſcos adhuc viuendi mores retineant. ad bella namq; eſſedis vtuntur, quemadmodũ antiquos Græ-

forum heroes in bello Troiano belligerâsse traditur. Viles
habitant casas, è culmis aut lignis vt plurimùm cõtextas. Fru-
gum messes ita faciunt, vt resectas à culmo spicas in horreis
subterraneis reponant inde vetustiores (aiunt) spicas quan-
tum in diem satis sit, vellicant, & ex pistis harum granis nu-
trimentum sibi conficiunt. Mores eis simplices, à versutia &
improbitate nostræ tempestatis hominum longè remoti.
victu quoque frugali sunt contenti, à voluptatibus diuitia-
rum asseclis, multum seiuncti. Hominum multitudine Insu-
la abundat, gelidamque aeris temperiem habet; ipsi nimi-
rum vrsæ subiecta. Reges, Principesque hîc multi imperi-
XI. tant, pacem vt plurimum inter se colentes. At de insti-
tutis horum, aliisq; peculiariter huic Insulæ adiunctis tra-
ctabimus speciatim, quando ad Cæsaris in Britanniam ex-
peditionem fuerit peruentum. Nunc de stanno, quod il-
X lic effoditur, dicendi locus est. Qui Belerium Britanniæ
promontorium accolunt, hospitales sunt apprimè, & pro-
pter mercatorum illic commercia mansuetiore vitæ cultu.
hi stannum, terrâ, quæ illud parturit, solerti opere subacta,
conficiunt. quæ cùm petricosa sit, venas quasdam habet ter-
restres, è quibus erutum metalli prouentum liquefaciunt &
expurgant. Talorum deinde modo conformatum, in quan-
dam Britanniæ adiectam Insulam, cui nomen Ictis, depor-
tant. dum enim per refluxus interuallum locus in medio de-
siccatur, plaustris interim largam stanni vim transuectant.
Insulis hisce vicinis, quæ Europam atq; Britanniam interia-
cet, peculiare quippiam accidit. Tractus enim ille, sub inun-
dationem æstus, aquis oppletus, Insulas esse ostendit. de-
cedente per reciprocationem mari, ingens loci spacium
aquis defectum, peninsularum speciem reddit. Inde stan-
num ab incolis emptum in Galliam mercatores transfe-
runt. & xxx. dierum itinere per Galliam pedestri, sarcinas e-
quis impositas ad Rhodani tandem ostia deportant. Hæc de
stanno memorata hactenus sufficiant. Nunc de E-
XIII. lectro (quod vocant) nonnulla subiicientur. E regione
Scythiæ, supra Galliam in Oceano Insula iacet quam Basileã
vocitant: in hanc succinũ largè à fluctibus exspuitur, alias nus-
quã in orbe terrarũ se exhibens. De hoc multi ex veteribus
fabulas omninò incredibiles, & quas ipse refellit euentus,
proposuere. nam vt à multis poëtarum & historicorũ prodi-

tum eſt, Phaethon Solis filius, puer adhuc, precibus patrē induxit, vt per vnum diem currus illi gubernatio concederetur. quo impetrato, cùm ad habenas regendum non ſat virium haberet, equi pueri imperium adſpernati, à ſolito curſu exorbitant, ac deuio per cœlum errore, primo ipſum inflammant, vnde lacteus in eo circulus exſtitit: tum magnâ terræ parte exuſtâ, regiones non paucas incendio vaſtârunt. quare indignatus Iupiter fulmine in aurigam intorto, Solem conſuetum obire curſum iuſſit. Phaethō autem in oſtia Padi (qui quondam Eridani nomen habebat) delapſus eſt. vbi cùm interitum eius ſorores impenſiùs deflerent, præ nimio luctu exutâ naturâ priſtinâ, in populos nigras transformatæ ſunt. quæ quotannis ſub hoc ipſum tempus lacrymas emittunt, è quarum concretione Electrum hoc, quod nominant, effici perhibetur; quod reliqua ſui generis nitore exſuperet, & tum maximè in regione illa exſudet, cùm ob iuuenes è vita ſublatos luctus inſtituitur. At cùm omnes hanc fabulam commenti, à vero aberrârint, aliudq; poſterioribus ſeculis euentus demonſtrârit: veris potiùs hiſtoriis fides adhibenda eſt. Succinum enim in Inſula (cuius iam facta mentio eſt) colligitur, & ab incolis in aduerſam traiicitur continentem; per quam porrò in hæc vſq; loca transfertur. vti de his antea dictum eſt. Ab hac de Inſulis ad Occidentem narratione non alienum fore exiſtimamus, ſi pauca de vicinis Europæ gentibus, ſuperioribus libris prætermiſſa, heic inſeramus. In Celtica olim, vti memorant, nobilis quidam vir dominabatur, cui filia erat corporis maieſtate vulgarem naturæ modum excedens, & formæ decore alias viragines longè ſuperans. hæc ob vires corporis & mirificam formæ elegantiam magnos gerens ſpiritus, cùm neminem ſe dignum arbitraretur, procos vniuerſos repudiabat. Accidit autem, vt Hercules in bello aduerſus Geryonem in Celticam deflectens, Aleſiam ibi conderet. Tum puella conſpicata Herculem, cùm virtutem & corporis eminentiam demiraretur, complexum eius percupidè, non abſq; parentum tamen conſenſu, admiſit. Congreſſa igitur cum Hercule, Galaten ſuſcepit; qui populares virtute animi ac corporis longè præſtabat. Is cùm ad virilem ætatem perueniſſet, regnum paternum adeptus, multas de finitimis terras acquiſiuit, magnaſque res bello confecit. Cúmque fama de forti-

XX

titu-

tudine eius vbique inclaruisset, subditos à nomine suo Ga-
latas appellauit; totique proinde nationi Galatiæ seu Galliæ
nomen fuit adscitum. Hæc postquam de nomine Gallo-
rum explanata sunt, de terra etiam dicendum est. Gal-
liam multæ gentes, non æquè tamen populosæ, incolunt.
maximæ inter has CC. virûm millia, minimæ quinquaginta
millia continent. de quibus vna vetustâ cum Romanis ne-
cessitudine & amicitiâ coniuncta est, quæ ad hoc vsque tem-
pus constans manet. Quia verò septem trionibus maxima
ex parte subiecta est, hyeme ac gelu oppidò quàm infestatur.
nam sub hyemem, die nubilo, loco imbrium niuibus con-
spergitur: sereno autem, glacie ac humore concreto vsque
adeò oppletur, vt amnes frigore indurati, suapte naturâ con-
tinuò, veluti ponte, insternantur. non enim gregariis tan-
tùm viatoribus & paucis iter per glaciem patet, sed nume-
rosi quoque exercitus cum impedimentis & curribus onustis
citra periculum transeunt. Multi per Galliam fluuii decur-
runt, variisque campos flexibus intersecant: quorum alii
è profundis emergunt stagnis: aliorum ex montibus sca-
turigines & profluxus oriuntur. & hi vel in Oceanum sese
exonerant, vel in nostrum mare exeunt. Vastissimus, de
nostrum intrantibus mare fluuiis est Rhodanus, ex Alpibus
scaturiens & quinque se ostiis in pelagus eructans. de cæte-
ris, quos Oceanus excipit, maximi videntur esse Danubius
& Rhenus; quem nostrâ ætate Diuus ille Cæsar ponte mi-
rum ad modum iunxit, & traductis pedestri via copiis, Gal-
los vlteriores domuit. Multi tamen alii quoque nauigabi-
les per Galliam fluuii occurrunt: de quibus scribere proli-
xum foret. Plerique omnes gelu ita conspissantur, ac si pon-
tes alueis suis induxerint. Cum verò glacies naturali suo læ-
VI. uore gressum transeuntibus lubricum efficiat, paleas super-
iniiciunt, vt firmiori ingressu procedant. Proprium
quiddam & insolens in plurimis Galliæ locis accidere solet,
quod non videtur reticendum esse. Ab occasu enim a stiuo
& septentrione venti spirare solent tàm vehementes & impe-
tuosi, vt lapides pugillares cum crasso glareæ puluere, à ter-
râ attollant; imò turbinis violentiâ, viris arma & vestes
extorqueant; & sessores ab equis deturbent. Excessus igi-
tur frigoris in causâ est, vt corruptâ aeris temperie nec vi-
num nec oleum producatur. Ideò Galli horum fructuum

T

inopes, ex hordeo ſibi potum conficiunt, qui zythus appellatur. Fauos etiam aquâ diluunt; dilutúmque hoc potum illis præſtat. Cúmque præter modum vino capiantur, importatum à mercatoribus meracum ingurgitant; & cupiditate ad largiorem potationem & ebrietatem prouecti, aut ſomni grauedine, aut inſaniæ vertigine corripiuntur. Propterea multi ex Italiâ negociatores pro familiari ſibi auaritiâ temulentiam Gallorum in quæſtum ſuum vertunt. hi enim per fluuios nauigationi aptos nauigiis, & per campeſtria plauſtris, vinum ad eos deuehunt, & inæſtimabile inde precium reportant. pro cado enim vini puerum recipiunt, potu miniſtrum permutantes.

XXII. In Gallia nullum omninò argentum effoditur, ſed auri multum, quod natura loci illius hominibus abſque metallici operis moleſtiâ ſuppeditat. Cùm fluuiorum enim decurſus obliquis brachiorum flexibus in montium adiectorum radices impingat, fit vt magnos ramentorum auri tumulos abrumpant. Id negociis hiſce occupati colligunt; glebaſque auri grana continentes molunt & comminuunt, dehinc, elutam aquis fecem terreſtrem fornacum eliquationi committunt. Magna auri copia ad hunc modum coaceruatur: quam ad ornatum ſuum non tantùm fœminæ, ſed etiam viri vſurpant. hinc enim armillas circa manuum iuncturas & brachia geſtant; & craſſos ex puro putoque auro torques circa collum, annuloſque inſignes; & aureos inſuper thoraces cõficiunt. Singulare hoc verò eſt & planè mirum, ꝙ in fanis deûm à Gallis ſuperioribus obſeruatur. in ſacellis enim delubriſq; huius terræ cõſecratis, multum auri in honorem deûm paſſim diſſeminatum iacet: ꝙ nemo in illâ regione verſans (tam ſuperſtitioſa illis religio eſt) contingit: cùm auariſſimi tamen interim ſint Galli.

XXIII. Procera his ſunt corpora; caro ſucculenta atque candida. Cæſariem non modò natura geſtant rufam: ſed arte quoque natiuam coloris proprietatem augere ſtudent. calcis enim lixiuiâ frequenter capillos lauant, eóſque à fronte ad verticem, atque inde ad ceruicem, vt eò magis ſint conſpicui, retorquent. Satyros igitur & Panas adſpectu referunt. Hac enim cultura ita denſantur, vt ab equorum ſetis nihil differant. Barbas nonnulli abradunt; quidam modicè alunt. Nobiliores tonſurâ genas qui-

dem

dem læuigant, mystaces verò demittunt; vt ora ipsorum obtegantur. ideò cùm edunt, cibi pilis implicantur: cùm bibunt, ceu per colum potus dimanat. Vbi prandent aut cœnant, resident omnes non in sedilibus, sed humi, & pro stragulis, luporum aut canum exuuias subiiciunt. Iuniores eis ministrant, tàm fœmellæ, quàm masculi, sed pueritiæ limites nondum egressi. Propè illos foci sunt igni ardentes, ollisque ac verubus, quæ integrorum carnibus membrorum referta sunt, instructi. Egregiis autem viris pulcerrimas carnium portiones honoris causâ apponunt. quomodo etiam poeta Græcorum optimates Aiacem, quando à singulari cum Hectore certamine victor redierat, remunerantes introducit, hoc carmine:

Rex Telamon e sato terga integra tradit honestans.

Ad conuiuia hospites etiam inuitant; iisque finitis, tum demum, qui sint, quid venerint, sciscitantur. Inter ipsas quoque epulas, causâ ex iurgio quomodocunque arrepta, insurgere & ex prouocatione, nihili vitæ iacturam æstimantes, inter se digladiari solent. Pythagoræ enim apud illos opinio inualuit, quòd animæ hominum immortales in aliud ingressæ corpus, definito tempore denuò vitam capessant. Ideo in funeratione mortuorum, epistolas propinquis inscriptas in rogum coniiciunt, quæ à defunctis legantur.

IX. In profectionibus & pugnis, bigarum illis vsus est, quæ aurigam & essedarium militem gestant: & occurrentes in bello equitibus Saunio (barbaricum teli genus est) hostem petunt, tum ad gladii conflictum descendunt. Sunt inter ipsos, qui adeò mortem contemnunt, vt nudi, ac subligaculis tantùm recincti, pugnæ discrimen adeant. Ministros ingenuæ conditionis secum ducunt, ex proletariis delectos, qui rhedariorum & satellitum eis operam in bello præstent. Instructâ enim acie procurrere solent, & optimum quenque ex aduersariis ad singulare certamen prouocare, arma ad terrorem hostium conquassantes. Si quis contra exierit ad dimicandum, strenua maiorum facinora decantant; suas etiam virtutes deprædicant: aduersariũ contra vituperant; deniq; omnem animi fiduciam verbis illi derrahunt. Truncata hostiũ capita equorũ collis appendunt. spolia sanguine polluta famulis velut in triũpho præferenda tradunt, ipsiq; victorialẽ hymnũ ouãtes decãtant. Et has ma-

nubiarum quasi primitias non secus atque feras à se trucidatas, vestibulis domorum affigunt. Nobilissimorum capita hostium cedrino peruncta diligenter in arcis seruant, & hospitibus ostentantes, gloriantur quòd maiorum aliquis, vel parens suus, vel etiam ipse, magnam licèt pecuniæ vim pro hoc capite oblatam habuerit, non tamen acceperit. Nonnulli eo iactationis prouehuntur, quod æquilibre pondus auri capite mutare noluerint: vt barbaram hoc pacto magnitudinem animi ostentent. " Non enim virtutis insignia " non vendere generosum est; sed cum eiusdem naturæ mortuis bellum gerere, id immane atque efferum. X Vestitus illis mirificus: tunicas enim variis coloribus imbutas, ac ceu floribus conspersas, caligasque (*bracas* illis nominatas) gestant. Saga etiam virgata, per hyemem densa, per æstatem tenuiora, crebrisque tessellis florum instar distincta, fibulis subnectunt. Arma illis sunt scuta, ad staturam hominis porrecta, & insigni proprio variegata. Quidam æneas bestiarum imagines, tàm ad defensionem, quàm ornatum affabrè factas, præferunt. Æneis præterea galeis cum magnis appendicibus, ad prolixam ostentationem factis, capita muniunt. nam vel cornua affixa, vel auium, quadrupedumque facies in illis expressas habent. Barbaricis etiam pro suo more tubis vtuntur, quæ horridum & bellico terrori conuenientem reddunt mugitum inflatæ. Thoraces induunt ferreos & hamatos. Alii à naturà tributis contenti, nudi pugnant. Pro ensibus spathas gerunt oblongas, ex cathenis ferreis aut æneis in dextro fœmore obliquè dependentes. Nonnulli deauratis vel inargentatis baltheis tunicas incingunt. Tum hastas præ se ferunt *lanceas* illis dictas, quarum cuspis ferrea longitudine cubitum æquat, vel etiam superat. Latitudo à gemino palmo non multum abest. nam gladii non minores sunt aliorum sauniis. Sauniorum verò acies maior est, quàm gladiorum. Pars horum in directum fabricata est: pars incuruos per omnia habet reflexus, vt in ictu non tantùm secent, verùm etiam frangant carnes, hastilique reducto vulnus conuellant & dilancinent. XX Ipsi terribili sunt adspectu, vocemque edunt grauisonam & horridam prorsus. In colloquiis, verborum parci & obscuri per inuolucra Synecdochicè pleraque enunciantes. tum multa Hyperbolicè ad suæ laudis amplificationem, alio-

rumq;

rumque contemtum iactant. Minaces præterea sunt & e-
lati tragiciq; exaggeratores; ingenio acuti, nec ad discipli-
nas inepti. Sunt etiam apud hos carminum melicorum
poetæ, quos Bardos nominant. hi ad instrumenta lyris non
dissimilia, aliorum laudes, aliorum vituperationes decan-
tant. Philosophi apud eos sunt & Theologi (*Druidas* ipsi
vocant) quos eximio honore dignantur. Sunt etiam vates
magnæ apud illos existimationis; qui ab auspiciis & victi-
marum extis de futuris diuinant, eisque plebs vniuersa mo-
rem gerit. in primis vbi de magni momenti rebus consul-
tatio incidit, mirandum & incredibilem quendam ritum
obseruant. Hominem immolatum, supra transuersum
pectoris septum, ense feriunt: quo cæso prolapsoq;, tum è
casu & conuulsione membrorum, tum è cruoris fluxu, quid
euenturum sit, præsagiunt. Et ex longa vetustatis obser-
uatione hoc apud eos fidem inuenit. Nec cuiquam sacrum
facere absque philosopho, fas est. per hos enim, vt diuinæ
naturæ conscios, & quasi collocutores, gratiarum sacra
diis offerenda, per hos internuncios bona ab illis expeten-
da esse, censent. His, vt & melicis poetis, non in pacis so-
lummodò negociis, sed etiam bellis, tam hostes, quàm ami-
ci auscultant. Hi inter aduersas sæpe acies, dum strictis en-
sibus & protentis hastis inter se exercitus propinquant, in
„ medium progressi, acsi bestias incantamentis cicurarent,
„ prælia dirimunt. Sic apud ferocissimos quoque Barbaros,
„ sapientiæ ira cedit; & Mars reueretur Musas. Nunc

XXII

quod à multis ignoratur diffiniri, operæ precium est. Qui in-
teriora supra Massyliam tenent, & qui circum Alpes, ac cis
Pyrenæos montes habitant, hos Celtas nominant. qui verò
infra hanc ipsam Celticam, partes Austrum versus, & ad O-
ceanum, Hercyniumque montem sitas, incolunt, omnes-
que ad Scythiam vsque diffusos, Gallos vocitant. At Roma-
ni gentes hasce vniuersas vna Gallorum appellatione com-
prehendunt. Mulieres horum non proceritate tantùm vi-
ros æquiparant, sed animi quoque viribus illos æmulantur.
Pueri à primo vitæ ortu plerumque cani sunt; ætate verò
prouectis in paternum eis colorem capilli transformantur.
Ferocitate excellunt ad Arctum remoti & Scythiæ finitimi,
vt homines etiam vorare dicantur; quomodo etiam Bri-
tanni, à quibus Iris habitatur. Tam peruulgata autem est

horum vis bellica & feritas, vt qui totam olim Asiam, Cimmerii tunc appellati, incursationibus infestam reddiderunt, hi ipsi censeantur esse à nonnullis, qui paullùm corruptâ per temporis longinquitatem voce, Cimbri nunc vocantur. Ex antiquo latrociniis dant operam, quibus aliorum terras populantur, omnesque præ se contemnunt. hi enim sunt, qui Romam ceperunt. hi templum in Delphis expilârunt. hi magnam Europæ, nec exiguam Asiæ partem sibi tributariam fecêre; agrósque debellatorum à se occupârunt. ob sui cum Græcis permixtionem *Gallo-Græci* tandem appellati. Multos denique & ingentes Romanorum exercitus contriuêre. Parem ferociæ suæ impietatem in deûm quoque sacris enormiter designant. Maleficos enim per quinquennium detentos, palis in honorem deûm suffigunt, & super grandi pyrarum strue cum aliis primitiis immolant. nec aliter captiuis, quàm hostiis ad deûm sacra, abutuntur. Nonnulli ipsorum etiam animantia bello capta vnà cum hominibus trucidant, aut comburunt, alióve supplicii genere tollunt. Fœminas, licèt elegantes habeant, minimùm tamen illarum consuetudine adficiuntur; quin potiùs nefariis masculorũ stupris insaniunt: & humi ferarum pellibus incubantes, ab vtroq; latere cum concubinis volutantur. & quod omniũ indignissimum est, proprii decoris ratione posthabitâ, corporis venustatẽ aliis leuissimè prostituunt. nec in vitio illud ponunt: sed potius cùm quis oblatã ab ipsis gratiam non acceperit, inhonestum infameq; sibi id esse ducunt. Postquàm de Celtis mediocriter à nobis dictum est; ad finitimos his Celtiberos historiã transferemus. Hi duo enim populi Iberes & Celtæ, cùm de agris quondam bello disceptarent, pace tandem initâ, regionem promiscuè incoluêre: & contractâ mutuis inter se connubiis affinitate, cõmune ex hac permixtione nomen accepisse memorantur. Cúmq; duæ gentes validæ; quibus fertilis regio suberat, ita coaluissent, ad ingens gloriæ incrementũ vt Celtiberes progrederentur, euenit; adeò, vt diu cum Romanis conflictati, vix tandẽ debellarentur. Hi non tantùm equites bello strenuos, verùm & pedites robore ac laborum tolerantiã insignes exhibere videntur. Saga ferunt hispida nigri coloris, quorũ lana villis caprinis non absimilis. Quidã è Celtiberis leuibus Gallorum scutis armantur. alii cyrtias gestant rotundas ad clypeorum

XXXIII.

peorum magnitudinẽ,& ocreas è pilis contextas crurib. circum ligant. Æneas capitibus galeas imponunt, cristis puniceis exornatas. Gladios gestant ancipites, è ferro exquisito fabricatos;&pugiones insuper habent ad spithamæ longitudinẽ,id est,dodrantales,quibus in pugnâ consertâ vtuntur. Arma & tela singulari quodam more conficiunt. laminas enim ferri sub terrâ abscõditas, tàm diu iacere sinunt, dum ferri parte debiliori ferrugine ambesâ, validior supersit. hinc gladios eximios, aliaq; belli instrumẽta fabricantur. Armis hoc modo elaboratis, adeò quæuis subiecta dissecantur, vt nec clypeus, nec galea, nec os (tanta ferri præstantia est) ictum sufferre queat. Et quia binis instructi gladiis sunt, quamprimùm certamine equestri vicerunt, ab equis desiliunt, peditumq; ordinibus immixti, pugnas mirificas edũt. Peculiaris quædam apud eos consuetudo est & admirabilis nam licèt puritatis & elegantiæ in victu studiosi existant; vnum tamen quiddam sordidum & spurcitiæ non mediocris plenum ab eis committitur,vrinâ enim totum corpus perluunt, adeoq; dentes etiam fricant.quæ corporis illis ratio curandi non friuola habetur.

X- Quod ad mores alioquin, erga maleficos & hostes crudeles sunt,sed erga hospites mites & humani. Peregrinis enim omnibus,vndecunq; etiam venerint, hospitium vltrò offerunt, & hospitalitatis inter sese officiis certant. Quos aduenæ comitantur,eos laudant & diis caros esse arbitrãtur. Cibus horum,carnes variæ & opiparæ;potus mulsum,patriâ mel affatim subministrante.sed tamen & vinum à mercatoribus illuc profectis comparant. Inter finitimas illas gentes cultissima est Vaccæorum natio.hi enim diuisos quotannis agros colunt;& communicatis inter se frugibus, suam cuiq; partem attribuunt. rusticis aliquid interuertentibus supplicium capitis mulcta est. Inter Celtiberos fortissimi sunt qui Lusitani appellantur. in bellis minutas gerunt peltas,ex neruis contextas;quæ firmitate suâ corpus egregiè munire possint. has in prœliis, agiliter huc illuc obuersantes, scitè quoduis contortum in se iaculum eludunt & repellunt. Saunijs etiam hamatis, quæ tota ferrea sunt, vtuntur. Cassidas & enses, quales Celtiberi gestant; spicula certo iactu ac longinq; mittunt,validasq; inferũt plagas. Cúmq; mobili sint corpore & expedito, facilè hostem fugiunt & insequuntur. At si quan-

do mala circumstant, tolerantiâ Celtiberis multò sunt inferiores. Pacis tempore saltationis genus quoddam leuissimę (in quâ magna crurum agilitate opus est) exercent. In bellis ad numerum incedunt; & pæanes canunt, quales quando hostes aggrediuntur. Peculiare quippiam Iberis, & maximè Lusitanis, in vsu est. nam qui florida inter illos ætate rei familiaris inopiâ maximè premuntur, robore tamen corporis & fiduciâ præstant; fortitudinis & armorum viatico instructi, in asperis montium congregantur, validisque collectis agminibus, Iberiam incursantes, prædando diuitias corradunt. Et hoc perpetuò magno periculorum contemtu factitant. cùm enim leui armaturâ vtantur, agilique sint corpore & veloces; non facilè ab aliis expugnari queunt. Difficultas equidem locorum & aspretudo illa, patria ipsis habetur: hæc, quia magnis & impeditis exercitibus via illuc non patescit, refugium illis præbent. ideo Romani sæpe illos armis adorti, etsi nimiam illorum audaciam compescuerunt, latrocinia tamen omninò tollere, sæpenumerò enixè id conati, non potuerunt.

XX. Iam postquàm Iberorum historia à nobis explicata est, etiam de metallis ipsorum verba facere ab re non alienũ existimamus. Apud hos enim maxima ferè ac pulcerrimi argenti copia effoditur; vnde magnum qui rei metallicæ ibi operam dant, quæstum faciunt. Et de Pyrenæis quidem Iberiæ montibus etiam superiori libro, vbi de Hercule egimus, facta mentio est. hi & celsitate & magnitudine supereminẽt alios. nam ab Australi pelago ad Oceanum fermè Arcticum Galliam ab Iberiâ & Celtiberiâ dispescentes ad ter mille stadia pertingunt. Cúmq; crebræ in his locis syluæ, arboribusq; opacæ existerent, totam hanc regionem montanam igni à pastoribus iniecto penitus conflagrasse priscis temporibus, memorant. per multos igitur dies incendio continuè grassante, terræ superficiem exustam (à quo casu montes illi *Pyrenæi* vocitati) magnam argenti copiam exsudasse, adeò vt liquefactâ terræ materiâ, vnde argentum conficitur, riuuli passim argenti puri dimanarent. Cuius vsus cùm incompertus esset incolis, Phœniciæ mercatores re cognitâ, exiguæ permutatione mercis illud redemisse, eiusq; in Græciã, Asiamq; & cunctas gentes alias transportatione magnas sibi opes cõparasse; eo quæstus studio prouectos, vt cum refertis nauibus

uibus multum adhuc argenti superesset, plumbo in ancoris exciso; argento eius vsum, explerent. Ex hac igitur negociatione per multum inde temporis opulentiores facti Phœnices, colonias non paucas in Siciliam & vicinas ei Insulas, in Africam & Sardiniam, & in Iberiam denique miserunt.

C.

Post longum tandem interuallum, Iberi de naturâ metalli huius edocti, memorabiles instituerunt fodinas. vnde cùm vberrimam (vt alibi ferè nusquam) argenti pulcerrimi copiam eruerent, magnis ditati vectigalibus fuerunt. Ratio autem metallici operis apud Hispanos est talis. Cùm mirificæ sint æris, & auri argentique illic fodinæ, qui in officinis ærariis opus exercent, quartam puri æris ex terra effossâ portionem capiunt. argenti verò elaboratores plebei, intra triduum Euboicum talentum eliquant. tota enim gleba concreti & lucidi ramenti plena est. Meritò quis ergò & regionis naturam, & operariorum industriam admiretur. Primitus sanè quilibet è vulgo rei metallicæ incumbebat; & quia terræ argentariæ copia in promptu erat, magnas hinc diuitias reportabant. Sed posteaquam Romanorum in potestatem Iberia deuenit, Italorum turbâ metalla frequētata sunt; quibus lucri cupiditas opes ingentes accumulauit. mancipia enim magno numero, coemta, operum metallicorum præfectis tradunt. Ab his ostia pluribus in locis aperiuntur, terraque altè effossa, massæ illæ auro & argento exuberantes indagantur. Atque in descensu non in longum modò, sed profundum quoque, ad multa stadia fodinas producunt, actisque variè in transuersum & obliquum fibrarum meatibus, glebam, vnde lucrum illis prouenit, ab imis terræ visceribus, egerunt.

XXVI.

Quod si metalla hæc cum Atticis conferas, ingens reperies discrimen. qui enim illic metalla scrutantur, præter labores magnas faciunt impensas; nec raro quæ adepturos se sperabant, non adipiscuntur, & quæ possidebant, insuper amittunt. Itaque ad ænigmatis (Homerici) modum infelices videntur esse. At qui in Hispania metallicæ rei operam nauant, magnas ex laboribus istis diuitias pro spe suâ coaceruant. post felicem enim primi operis successum, propter singularem terræ in hoc genere bonitatem, venas subinde magis splendidas, argentoque & auro refertas, inueniunt. Tota enim in propinquo tellus venarum anfractibus multifariam intertexta est. Quandoque in fluuios etiam ter-

ram subterlabentes in profundo incidunt; quorum vim (arte) exsuperant. nã vndas sibi occurrentes fossis obliquè ductis intercipiunt. Dum enim non fallace lucri exspectatione attinẽtur, id quod aggressi sunt, ad finem quoque perducunt. Et, quod ante omnia admireris; illos aquarum profluxus cochleis (quæ Ægyptiæ vocantur) exhauriunt. inuentor harum fuit Archimedes, in suâ ad Ægyptios peregrinatione. per has ergò continuæ successionis vicibus aquam ad ostium vsque promouentes: fodinæ locum exsiccant, habilemque ad operis sui tractationem hac arte reddunt. Cùm enim instrumentum hoc ingeniosissimè fabricatum sit, labore non ita magno, vis aquæ immensa, mirabili ratione protruditur, totusque amnis fluor ex imo ad summum ita haustus euacuatur. Ingenium artificis meritò quis admiretur; non in hisce solùm, sed in aliis etiam multis, & quidem maioribus, quę per totum orbem celebrantur. de quibus, pro horum parte, ad Archimedis ætatem progressi, accuratam texemus narrationem. Cæterùm qui in ergastulis hisce metallicis commorantur, incredibilem quidem dominis suis copiam emolumentorum acquirunt: verùm dum sub terrâ in fodinis diesque noctesque corpora horum affliguntur, multi sub nimiâ laborum mole exstinguuntur. nec enim remissio, nec quies ab opere illis est. sed magistri verberibus ad grauissima quæque perferendâ eos cogunt; quò fit, vt miserè vitam tandem exhalent. Nonnulli qui robore corporum, animorumque vigore onus sustinere possunt, ad longum tempus in ærumnis illis hærent. quibus tamen ob miseriarum excessum mors vitâ exoptatior. Cùm verò multa hæ metallorum officinæ admiranda exhibeant, non minimâ dignum admiratione est; quòd nullius harum recens apparet initium: sed omnes Carthaginensium auaritia, quo tempore Iberiam tenebant, aperuit. Hinc enim opes, viresque ipsorum creuerunt. hinc milites fortissimos conduxêre; quorum operâ multa & grauissima ab illis bella sunt confecta. Nam perpetuò ita belligerârunt Carthaginenses, vt neque ex ciuium classibus, neque sociorum municipiis coacto milite confiderent. sed & Romanos & Siculos & Afros magnis inuoluerunt periculis, hoc vno. quòd opibus è re metallicâ collectis omnes debellarent. A vetustis enim temporibus inde ad inueniendos quæstus Pœni; & Itali ad nulli relinquendum aliquid, solertes fuêre. Quin & stannum

XX VII

num

num in multis Iberiæ locis prouenit. At non in ſummâ terræ ſuperficie inuenitur, vt ab Hiſtoricis quibuſdam diuulgatur; verùm iuxtà atque argentum & aurum effoditur & liquatur. Supra Luſitanorum enim prouinciam multum ſtannei eſt metalli, in Inſulis videlicet in Oceano obiacentibus; quas idcirco *Caſſiterides* nuncupant. multum quoque eius in oppoſitam Galliæ continentem ex Inſulâ Britannicâ tranſportatur, quod per Celticæ mediterranea equis mercatores ad Maſſylienſes & Narbonenſium vrbem deferunt. Colonia hæc eſt Romanorum; & maximum, ob commoditatem & opulentiam, emporium illis in locis exſiſtit. Cæterùm poſt abſolutum de Gallis & Celtiberis ſermonem, ad Ligures etiam tranſituri ſumus. Aſperam hi terram & omninò ſterilem habitant, inque laboribus & aſſiduis publicorum operum moleſtiis duram & ærumnoſam vitam agunt. Cùm enim montana ſit hæc regio & arboribus referta; alii per totum diem ligna cædunt, validis ad hoc grauibusque ſecuribus inſtructi. agricolis vt plurimùm cum ſaxis diſſecandis negocium eſt, ob nimiam ſoli horriditatem. nullam enim glebam inſtrumentis eruunt abſque lapide. Licet autem tantis cum ærumnis conflictentur, pertinaci tamen conſuetudine naturam ſuperant multiſq; exantlatis moleſtiis, exiguum inde fructum, eumque vix tandem, conſequuntur. Exercitationis ergò aſſiduitas, & alimoniæ parcitas in causâ eſt, vt macilentis ſint corporibus & neruoſis. In tolerandis verò laboribus participes habent fœminas, æque ac viros operibus adſuetas. Venationes agitant frequentes; magnaſque ex beſtiis prædas nacti, frugum inopiam reſarciunt. Idcirco dum in montibus niue conſperſis obuerſantur, & difficilima ſyluarum aſpreta peragrare adſueſcunt, corpora illorum valida & muſculoſa euadunt. Aliqui propter annonæ caritatem aquam bibunt; cicurumque & ferarum animalium carnibus victitant; & oleribus ibi natis ventres replent; vt quorum terra amabiliſſimis deorum Cereri & Libero inacceſſa eſt. Noctu in agris cubant; rariùs quidem in caulis quibuſdam vilibus aut tuguriolis; vt plurimùm verò in rupibus concauis, & ſpeluncis à natura factis, quæ tectum illis commodum præbere queant. Ad hunc modum & cætera factitant, priſcum il-

lum viuendi morem & inconditum obſeruantes. Breuiter vt dicam, his in locis virorum fœminæ, beluarum viri, robur habent & ſtrenuitatem. ideoque in bellis ſæpenumerò vel maximum inter Gallos à Ligure perquàm gracili, ex prouocatione ad certamen ſingulare, proſtratum cæſumque eſſe, memorant. Armatura ipſis eſt leuioris apparatus quàm Romanis. Scuto enim oblongo; ad modum Gallicum conformato, proteguntur, tunicamque baltheo ſuccingunt. Ferarum quoque pelles geſtant, enſemque mediocrem. Nonnulli tamen per conſuetudinem cum ciuitate Romanâ, priſcam armorum formam immutarunt, dominorum imitantes cultum. Audaces ſunt & fortes non tantùm in bello, ſed aliis quoque vitæ caſibus periculoſis. Negociandi enim ſtudio Sardoum & Libycum pelagus nauigant, vltrò extremis ſeſe periculis obiectantes. Scaphis enim vilioribus vtuntur quàm vulgares ſunt nauiculæ: nec aliarum commoditate nauium inſtructis; in quibus tamen grauiſſima tempeſtatum diſcrimina quod mirum eſt, ſubire non verentur. Reſtat vt de Tyrrhenis etiam dicamus. Hi quondam fortitudine præcellentes, magnum terræ tractum occuparunt, multasque & celebres condiderunt vrbes. quin & claſſe pollentes, diu maris imperium tenuère; & mare Italiæ ſubiectum Tyrrhenum de ſuo nomine appellarunt. Hi inter cætera, quibus pedeſtrem militiam excoluère, tubam repererunt ad bella vtiliſſimam; quæ *Tyrrhena* inde vocatur. Summis exercituum Ducibus hoc ipſo maieſtatem conciliàrunt, quòd Lictores cum faſcibus & ſellam currulem ex ebore, togamque purpurâ prætextam illis addidère. Domorum quoque porticus ad auertendum turbæ ſeruorum & clientum ſtrepitus & moleſtias, percommodùm inuenerunt. quorum pleraque imitati Romani in ſuam translata Rempublicam ad ſummam elegantiam prouexère. Literis verò & in primis naturæ perſcrutationi plurimum ſtudii impenderunt; fulminum conſiderationi præ cunctis mortalibus ſummoperè intenti. Quapropter hac etiamnum ætate totius prope orbis moderatores hos viros admirantur, & prodigiorum per fulmina oſtentorum interpretibus illis vtuntur. Cùm autem terram incolant vberrimam, eamque probè exerceant, largiſſimos inde fructus percipiunt, qui non modo ad nutricationem ſufficientem, verumetiam ad prolixas voluptates & deli-

delitias conducant. Bis enim in die mensas adornant opipa-
tas, cæteraque ad lautitiem & fastum pertinentia adhibent.
Stragula texunt ceu floribus inspersa. Argenteorum eis po-
culorum ingens copia est & varietas. Familiarium etiam mi
nistrorum non exiguus in parato est numerus: quorum alii
formæ decôre excellunt; alii sumtuosiore, quàm pro seruili
conditione, vestitu exornati sunt. Secretas ab aliis ædes ha-
bent, omni cultu instructas, tum serui, tum etiam ingenuo-
rum plerique. Ad extremum abiectâ, quam olim exercue-
runt, virtute, in compotationibus & ignauia degeneri vitam
exigunt. Ideoque non mirum est, quòd maiorem in bellis
gloriam amiserunt. Nec minimum ad luxum eis soli confert
præstabilitas. Regionem enim tenent fertilissimam & opti-
mis glebis præditam, ex quâ omnis generis fructus recon-
dunt. Etruria enim fœcunditate nulli cedens terræ, in latè pa-
tentibus campis recumbit, cliuosos tamen interim colles ha-
bet, arationi idoneos. humore etiam mediocri, non hyberno
XLI. solùm tempore, sed etiam æstiuo rigatur. Postquàm ergo
terras ad occidentem sitas, & Arctum spectantes, Insulasque
Oceani, oratione nostrâ peragrauimus, meridei quoque In-
sulas in Oceano Arabiæ, ad ortum vergentis, & Gedrosiæ
approximantis singulatim perlustrabimus. Regio illa pagis
multis oppidisq; non obscuris frequentatur: quorum pars in
editis aggeribus iacet; pars in collibus, aut paullò altioribus
campis. Vrbium maximæ regias habent magnificè exstru-
ctas, magnamque habitatorum frequentiam, & copiam fa-
cultatum. Totus illic ager pecoribus abundat omnis gene-
ris; & fructus largè producit; gregibus etiam & armentis pa-
scua affatim subministrat. Perfluunt eum amnes multi, be-
nignâq; terræ irrigatione ad perfecta fructuum incrementa
plurimùm conducunt: idcircò pars illa Arabiæ quæ bonitate
cæteras antecedit *felix* inde conuenienti sanè nomine appel-
latur. Ad extremitates huius, cõtra littoralem Oceani oram,
complures quidem Insulæ iacent: tres tamen historicâ rela-
tione tantùm dignæ exsistunt. Prima vocatur sacra, in quâ
mortuos sepeliri nefas. Altera non procul ab ista, VII circiter
stadia, distat; in quam cadauera exstinctorum deportata se-
pulturæ tradunt. Sacra ergo aliis quidem fructibus destituta
est thuris verò tantam gerit copiam, vt ad honores deûm, per
totum orbem terrarum sufficiat. Eximiam quoque myrrhæ

copiam habet. cæterorumque aromatum varia producit genera, quæ insignem de se fragrantiam exspirant. Natura thuris & collectio ad hunc se modum habet. Arbor est pusilla, albæ Ægyptiorum fabæ adspectu similis, foliaq; salicis refert, florem gerit aurei coloris. ex huius cortice inciso succus instar lacrymæ exstillat. Myrrhæ arbor lentisci formam imitatur, sed folium habet tenuius, magisque constipatum. Effossâ circum radices terrâ (quod ablaqueare dicunt) succus emanat. Quæ in bonâ exsistunt terrâ bis quotannis, in vere scilicet & æstate, fructum emittunt. vernus equidem rufus est ob rorẽ: sed hyemalis album habet colorem. Paliuri quoq; semen colligunt, quod in cibo potuque vsum, & ad ventris profluuia remedium eis præstat. Diuisa est inter populares regio, cuius optima pars regi cedit, qui & de fructibus Insulæ decimas accipit. Latitudinem eius ad CC. stadiûm mensuram cõputant; eamque Panchæi colunt: qui thus & myrrham, in vlteriores deportata terras, mercatoribus ex Arabia diuendũt: à quibus alii merces eiusmodi coemptas in Phœniciam, cauãque Syriam & Ægyptum transuectant & ex locis illis tandẽ in vniuersum orbem à negociatoribus distrahuntur. Præter has alia quoq; Insula est ampla XXX. stadiis ab ea, quam diximus, remotâ; inque Eois Oceani tractibus iacet, multorum longitudine stadiorum. De promontorio enim ad Orientem Solẽ porrecto Indiã veluti nubeculã in aëre propter immẽsã locorum distantiã, conspici ferũt. Sunt vtiq; in Panchaiâ plurima, quę vt Historici memoriæ illa prodãt, merẽtur. Habitãt eã indigenæ, qui Panchæi nominantur: aduenæ præterea Oceanitæ: nec nõ Indi, Cretẽses ac Scythæ. Celebris in ea vrbs est: Panaram ipsi vocant: felicitate nulli concedens. Ciues eius Iouis Triphylii supplices nominantur; & soli ex Panchaiæ incolis suis viuunt legibus, absque regio dominatu. Principes autem quotannis tres constituunt; in quorum tamen potestate non sunt pœnæ capitales: aliis interim cunctis ipsorum iudicio subiectis. & hi grauissima quæq; ad Sacerdotum collegia referunt. Ab hac itaque vrbe LX. stadia circiter distat Iouis Triphylii templum, in planicie campestri. quod in magna veneratione habetur, tum ob vetustatem, tum ob structuræ magnificentiam, loci quoque ipsius commoditatem.

XLII

Circumiacet fano ager omnigenis arboribus consitus, non modò fructiferis, sed aliis quoque quæ oblectationem

visui

visui concilient. eximiæ enim magnitudinis cupressis plata-
nisque, lauris insuper & myrtis, abundat: & locus ille perenni
fontium lymphâ scatet. propè sacrum enim nemus fons dul-
cis aquæ tanta magnitudine ex terrâ erumpit, vt flumen na-
uigiis aptum efficiat. Inde in multas partes amnibus ac riuis
deductis, totus ille campus irrigatur, & opacæ procerarum ar-
borum syluæ excrescunt. In quibus æstatis tempore magna
hominum frequentia degit, auiumque multitudo omnis ge-
neris nidulatur: quæ tum colorum varietate, tum suauissimo
concentu, ingens pariunt oblectamentum. Magna illic hor-
torum varietas, multiplex pratorum amœnitas, herbis & flo-
ribus passim renidens: adeò vt mirifico diuinoque adspectu
Paradisus ille dignus familiaribus ibi diis videatur. Sunt
& magnæ fertilissimæque illic palmarum stirpes, iuglandes-
que plurimæ, quæ vberrimam incolis nucum copiam ad
fruendum reddunt. Præter hæc ingens est vitium ex omni
genere vbertas: quæ in sublime eductæ, miroque flexu inter
se consertæ, iucundum efficiunt intuitum, paratissimasque de
V. terrâ illa voluptates exhibent. Fanum ex candido marmo-
re coagmentatum fuit eximiè, duo plethra longum, & pro ra-
tione longitudinis latum; columnis ingentibus & crassis
subnixum, sculptili opere affabre expresso distinctum. Sta-
tuæ illic deorum memorabiles, summâ arte fabricatæ, & mo
lis suspiciendæ. Circum verò circa deûm ministeriis addicti
Sacerdotes, à quibus cuncta in sacrario isto obeuntur; sua do-
micilia habent. A templo inde curriculum stratum est ad qua
tuor stadiorum longitudinem & latitudinem plethri. Ad v-
trumque eius latus grandes ex ære statuæ erectæ sunt, qua-
rum bases quadratæ. Ad finem curriculi è fontibus suis largè
inundat fluuius, de quo mentio facta est. Is candidâ & dulcis-
sima lymphâ decurrit, cuius vsus multum ad bonam valetu-
dinem conducit. Aqua Solis ei nomen est. Totus ille fons
lapideo continetur fundamento, magnis sumptibus educto;
cuius vtrunque latus ad quatuor stadia excurrit. Ad crepidinis
extremum vsque nemini adire licet, præterquam sacerdoti-
bus. Subiectus aūt campus ad cc. stadia diis mancipatus est: re-
ditusque ex eo in sacra deûm insumunt. Vltra campos hosce
mons est arduus, diisq; sacer, quem sellam cœli & Triphyliū
Olympum vocant. Vranum enim (quem Cœlum dixeris
Latinè) cùm orbis imperium teneret, libenter in hoc loco

diuerſatum eſſe, cœlumque ac ſtellas ex ſummo eius verticẽ obſeruâſſe, fabulantur: qui Triphylii poſtea Olympi nomen obtinuerit, quòd ex tribus accolæ gentibus coaluiſſent; quorum hi Panchæi, iſti Oceanitæ, illi Doii appellentur, poſtmodum ab Ammone expulſi. Hunc enim ferunt non exterminaſſe tantùm hanc gentem, ſed vrbes quoque funditus excidiſſe, Doiâ etiam & Aſteruſiâ ſolo æquatis. Singulis etiam annis in hoc monte ſacrum quoddam magna ſanctimoniâ Flamines obeunt. Poſt hunc montem, in aliis Panchaiæ tractibus animantium omnis generis copiam exſiſtere dicunt. elephantes enim, Leones, pardales, dorcades, pluresq; alias beſtias intuitu ſpectabiles ac robore inſignes, illic haberi. Sunt in hac Inſulâ tres præcipuæ vrbes, Hyracia, Dalis & Oceanis. Totaq; regio fructibus abũdat: maximè autem vinum omnis generis copioſè gignitur. Viri bellaces ſunt, & curribus, pro veterum more, in præliis vtuntur. quorum tota Reſpublica trifariàm partita eſt. prima claſſis Sacerdotum eſt; quibus artifices ſunt adiuncti: altera continet agricolas: tertia milites, quibus paſtores accedunt. Sacerdotes rerum omnium duces ſunt & arbitri. hi enim iudicia de controuerſiis agitant; aliorumque omnium quæ publicè geruntur poteſtatem habent. Ruricolæ terram exercent; ſed fructus in commune referunt: & qui optimè agricolatus deprehenditur, is eximium in diſtributione fructuum munus accipit, eique primus, proximo ſecundus, & reliquis deinceps ad decimum vſque ſuus honoris gradus Sacerdotum iudicio attribuitur: vt cæteri hoc ſedulitatis exemplo incitentur. Simili ratione paſtores etiam victimas & cætera in publicum, iam ad numerum, iam ad pondus, cum omni diligentiâ reponunt. nihil enim omnino proprium tenere licet præter domum & hortum. Omnes autem fœtus & prouentus Sacerdotes recipiunt, vnde quod vnicuiq; debetur, iuſtè diſpertiunt. eiſque ſolis duplum conceditur. Veſtes vſurpant molles. Quia oues illis ſunt lanæ teneritudine aliis multò præſtantiores. Aureum quoque ornatum geſtant tam viri, quàm mulieres. Orbiculatis enim torquibus colla induunt, manuſq; armillis. quin & auribus non ſecus ac Perſæ, annulos inſertos habent. Calceis vtuntur communibus: ſed colorum varietate impenſius exornatis. Milites ordinaria facientes ſtipendia, præſidio ſuo patriam

X

XL

patriam tutantur, castrisque & propugnaculis ipsam muni-
unt. est enim pars Insulæ audacissimorum hominum latro-
ciniis infesta, qui ex insidiis rusticis bellum inferunt. ipsi de-
nique Sacrifici delitiis, vitæque mundicie ac sumtu cæteros
longè superant. Stolas enim lineas gerunt, candore ac mol-
litudine insignes. quandoque tamen etiam ex lanâ mollissi-
mâ amictus illorum confectus est. Mitras prætérea habent
ex auro contextas. Calceamenta horum sandalia sunt, sin-
gulari arte consuta. Præter inaures non minus quàm fœmi-
næ aurum gestant. Deorum ministeriis potissimùm hy-
mnisque & encomiis vacant; ac carmine res gestas illorum
& benefacta in homines prosequuntur. Genus sibi ex Cre-
tâ esse prædicant. vnde à Ioue, cùm inter homines versans
orbem terrarum regeret, in Panchaiam deducti sunt. Pro
argumento huius rei afferunt sermonem: dum multa sibi
linguæ Cretensis vocabula remanere ostendunt. Beneuo-
lentiam ergò & humanitatem, quâ illos excipiant, à maio-
ribus se accepisse dictitant; dum fama pristinæ necessitudi-
nis perpetuâ ad posteros successione propagetur. Scriptu-
ram quoque monstrabant ab ipso Ioue (vt perhibent) exa-
ratam, quo tempore cum mortalibus vitam agens templi
illic fundamenta iecit. Sunt porrò in hac Insula auri & ar-
genti, æris quoque & ferri metalla: quorum tamen nihil in-
de exportare licet. Imò Sacerdotibus consecratam regio-
nem egredi nefas est. egressum vero quisquis offendit, occî-
dendi potestatem habet. Innumera illic & spectatæ ma-
gnitudinis ex auro, argentóque donaria, per longam vetu-
statem in honorem deûm coaceruata, seruantur. Ianuæ
templi mirando artificio sunt constructæ, argentóque & au-
ro, nec non ebore & thure concinnatæ. Lectus dei sex cu-
bitos longus est, quatuor latus, aureus totus, singulasq; par-
tes exquisito artificio elaboratas habens. cui pari magnitu-
dinis & reliqui apparatus ratione mensa dei adstat. In me-
dio lecti ingens ex auro columna posita est, literis notam,
quas Ægyptii sacras vocant, quę res gestas Vrani (seu Cœli)
& Iouis; itemq; Dianę & Apollinis: ab ipso Mercurio inscri-
ptas exhibent. Hic finis esto narrationis de Insulis Oceani è
LVII. regione Arabiæ sitis. Nūc quæ Græciæ in mari Ægæo
adiacent, percensere animus est, à Samothraciâ exorsis. Hāc
Samum olim nuncupatam asserunt, sed conditâ Samo, vt à

propinquâ eiuſdē nominis Inſulâ diſcerneretur, Samothraciæ nomen aſſumſit. Aborigines eam incoluerunt. hinc euenit, vt de primis illic hominibus & magiſtratibus nihil certi ad poſteros tranſmiſſum habeatur. Sunt qui tamen Samum antiquitus vocitatam, & ab immigrantibus in eam è Samo & Thraciâ coloniis, nomen Samothraciæ adeptam eſſe, memorant. Proprium verò loquelæ genus indigenæ illi quondam habuêre; cuius multa in ſacris etiamnum veſtigia retinentur. A Samothracibus refertur, ante omnia reliquarum nationum diluuia, ingens apud ſe inundaſſe, primâ irruptione per Cyanearum oſtium, alterâ per Helleſpontum factâ. Ponti enim pelagus (aiunt) ad modum ſtagni ſe habens, vſque adeò ab ingredientibus fluuiis repletum fuit, vt nimiâ aquarum mole oneratum in Helleſpontum ſeſe euacuaret: vbi magnam Aſiæ partem maritimæ ſubmerſit; nec pauca in campeſtribus Samothraciæ oris fluctibus maris oppreſſit. Idcircò poſteris temporibus piſcatorum nonnulli, lapidea columnarum capita retibus extraxêre, vrbium aquis obrutarum indicia. Superſtites autem ad editiora Inſulæ perfugiſſe tradunt. Sed cùm mare ſubinde altius adſcéderet, vota diis patriis feciſſe, ereptosque è periculo per totam vbique Inſulam terminos ſalutis, araſque conſtituiſſe; in quibus adhuc rem diuinam faciunt. Vnde liquidò appareat, Samothraciam ante poſterius diluuium ab ipſis cultam fuiſſe. Poſthæc quendam ex Inſularibus Saonem (natum, vt quidam tradunt, ex Ioue & Nymphâ, vt alii, ex Mercurio & Rhene) populos antea diſperſos in vnum congregaſſe. Latisque legibus multitudinem ille in quinque tribus diſtinxit, filiorum nomina ſuorum illis imponens. Ipſe verò ab Inſulâ nomen adſcitum habebat. Conſtitutâ hunc ad modum Republicâ eduntur apud eos ex Ioue & Electrâ filiarum Atlantis vnâ, Dardanus, Iaſion, Harmonia. Ex his Dardanus vir magnanimus & acer fuit; qui primus in Aſiam lembo traiecit, & Dardano vrbe conditâ, regnum, à Troiâ poſtmodum exſtructa nomen adeptum, conſtituit, ciuesque de ſe Dardanos nuncupauit. Multas prætereà gentes in Aſia ſub ditione habuit: cuius etiam Dardanorum gens ſupra Thraciam colonia eſſe dicitur. Cúmque Iupiter alterum quoque filium ad honores euectum cuperet: Myſteriorum ei ritus præiuit, an-

XL.

tea

tea quidem in hac Insulâ receptos; sed tunc traditione reno-
uatos: quos nemini, præter initiatos audire fas est. Videtur
autem hic primus exteros quoque initiasse: vnde maior ce-
remoniis his celebritas accessit. Sub id tempus Cadmus A-
genoris filius ad inuestigandum Europam eò diuertit, &
particeps sacrorum factus, Harmoniam vxorem duxit,
Iasionis sororem, non Martis filiam, vt Græci fabulan-
X. tur. Hasque nuptias omnium primas deorum præ-
sentiâ celebratas, perhibent. vbi Ceres, Iasionis amore suc-
censa, fruges pro munere exhibuit; Mercurius lyram; Mi-
nerua celebratum illud monile; peplumque & tibias; Electra
magnæ deûm matris sacra, vnà cum cymbalis & tympanis,
& orgia ducentium choris; donauit. Apollo autem citharam
pulsauit; Musæque tibias inflârunt; ac dii cæteri lætâ nuptias
acclamatione secundârunt. Posthæc Cadmus, vt oraculo
admonitus fuerat, Thebas in Bœotiâ fundauit. Hinc Iasion,
Cybele matrimonio iunctus, Corybantem genuisse fertur,
illoque inter deos recepto, Dardanus, Cybele & Corybas,
in Phrygiam simul profecti, matris deorum sacra in Asiam
transtulerunt. Tum Cybele Olympi primi coniux facta,
Alcen suscepit, deamque hanc Cybelen suo nomine appel-
lauit. Corybas autem, matris sacra cum lymphatico furo-
re obeuntes Corybantes de se nominauit, & Theben Cili-
cis filiam vxorem duxit. ita & tibiæ in Phrygiam inde tra-
ductæ; lyraque Mercurii in Lyrnesum; quam expugnatâ
pòst vrbe Achilles asportauit. Ex Iasione verò ac Cerere
Plutum esse natum, in fabulis habetur. Id quod ex hoc ve-
ritatis fonte promanat: quod opes frumentarias in nuptias
Harmoniæ Ceres ob consuetudinem Iasioni largita est. At
quæ singulatim in arcanis huius sacri peraguntur, initiatis
tantùm nôsse concessum est. Peruulgata est autem horum
præsentia deorum, auxiliumque in periculis nec opinatum,
si quis initiatorum eos inuocarit. Pietate etiam ac Iustitià
auctiores, perque omnia sese ipsis meliores fieri mysterio-
rum consortes, fama est. ideoque ex priscis heroibus & Se-
mideis omnium illustrissimi ritibus hisce imbui ac consecrari
magnoperè cupierunt. Namque Iasionem, Dioscu-
ros, Herculem & Orpheum initiatos, prosperitate in omni-
bus bellis præsens horum deûm fauor affecisse creditur.

L. Expeditis nunc Samothraciæ rebus ad Naxum historiæ

series nos adducit. Hæc Insula quondam Strongyle dicebatur: cui Thraces incolæ omnium primi his de causis obuenêre. Boream filios habuisse narrant Buten & Lycurgum, ex matribus diuersis. Butes autem natu minor insidias fratri parabat. quibus palam factis, nihil quidem aliud in natum seuerius statuit parens, nisi quòd mandatum ei dedit, vt complicibus adsumptis, naues ingressus alium habitandi locum sibi quæreret. Proinde Butes cum Thracum, eidem crimini obnoxiorum, manu è patriâ digressus, directo per Cycladas Insulas cursu, ad Strongylen appulit, eâque ad habitandum occupatâ, de multis prænauigantibus prædas egit. At cùm mulieres deessent: huc illuc nauibus diuagantes, ex aliis raptas locis adducebant. Pars Cycladum tunc prorsus deserta erat: pars exiguo incolarum numero frequentabatur. Ideò cùm longiùs excurrissent, & ab Eubœa repulsi Thessaliam attingerent, in terram egressi in Bacchi nutrices incidunt ad Drios, quod vocant, in Achaiâ Phthioticâ dei orgia celebrantes. Dumque inuolare in fœminas instituunt, aliæ victimis abiectis ad mare, aliæ ad montem iam dictum fugam intendunt. Ex his raptam Butes Coronidem in complexum venire coëgit. illa verò contumeliam hanc & raptum grauiter ferens auxilium Liberi patris inuocauit. is furorem Butæ iniecit: vnde motâ mente in puteum se deiiciens interiit. Cæteri Thraces alias sibi mulieres prædam fecerunt: inter quas nobilissimæ Aloei vxor Iphimedia, & nata eius Pancratis. His ita abreptis, in Strongylen redierunt; & in Butæ locum Insulæ regem creârunt Agassamenum, eique Pancratim Aloei filiam, perelegantis formæ, connubio sociârunt. nam ante huius electionem inter Duces præcipui Siculus & Hecaterus, de Pancratide armis decertantes, mutuis se vulneribus confecerant. Agassamenus porrò vni ex amicis, quem præfectum sibi legauerat, Iphimediam nuptum dedit. Interim Aloeus ad in- LI. quirendum vxorem & natam filios suos Otum & Ephialtem miserat: qui armis Strongylen adorti, pugnâ Thraces vicerunt, vrbemque expugnârunt. Nec multò pòst Pancratis moritur. Otus verò & Ephialtes Insulæ possessionem & imperium in Thraces sibi vendicârunt, Diæ nomine illi tributo. Aliquantò pòst dissensione inter ipsos ortâ, prælio conflixêre; quo & plurimos interfecerunt alios, & ipsi

ipsi mutuâ cæde occubuêre. quos vt Heroes incolæ deinceps
colebant. Cùm ergò Thraces Insulam annos plus ducen-
tos tenuissent, siccitas tandem illos ad emigrandum adegit.
Post quos Cares Lamiâ quam vocant, expulsi, illam occu-
pârunt. quorum rex Naxius, Polemone genitus, pro Diâ
Naxum de se Insulam deinceps nominari iussit. Vir bonus
hic fuit & illustris, & Leucippum post se filium reliquit. Na-
tus eo Smardius principatum Insulæ tenuit. quo regnante
Theseus, cum Ariadnâ digressus è Cretâ, in Insulam diuer-
tit. Is cùm in somno Liberum patrem vidisset interminan-
tem ipsi nisi ab Ariadnâ desisteret: timore perculsus, desertâ
puella, ex Insulâ discessit. Tum noctu Bacchus Ariadnen
in montem, quem Arium vocant, abduxit, & ipse quidem
confestim disparuit. Nec multò pôst etiam Ariadna non
ampliùs visa est. Fabulas quasdam de hoc deo Naxii
circumferunt. enutritum enim apud se affirmant. ideoque
præ cæteris hanc Insulam Baccho dilectam, & à quibusdam
Dionysiadem appellatam. Iouem enim, Semele ante par-
tum fulmine percussâ, fœtum quidem (vt in fabulis tradi-
tur) ex vtero materno exemptum suo fœmori insuisse. sed
maturo partus tempore iam appetente, vt Iunonem falle-
ret, in Naxo editum infantem Nymphis, Philiæ, Coroni-
di & Cleidi, educandum commendasse. Semelenque pro-
pterea fulmine ictam ante Bacchi ortum, vt non ex mor-
tali, sed duobus diis, prognatus, statim à natali immortalis
naturæ consors fieret. Propter educationis igitur meri-
tum Baccho exhibitum, hanc incolis gratiam inde relatam,
vt magnos ad felicitatem progressus Insula faceret, egre-
giamque sibi classem compararet, & inter primos à Xerxe
deficiens, strenuam ad debellandos pugna nauali barbaros
operam conferret, nec obscurum in prælio ad Platæas so-
cietatis specimen ederet. Excellentis denique naturæ vinum
apud se beneuolentiam dei erga Insulam manifestis indiciis
testari.

LI. Insulam quæ Syme vocatur, quondam à ne-
mine habitatam, primi insederunt cum Triope illuc profe-
cti, ductore Chthonio, Neptuni & Symes; à qua nomen lo-
co inditum. Eius rex postea fuit Nireus Charopi & Agla-
ies; in quo excellens formæ decor. Hic auxiliares copias A-
gamemnoni adduxit, & cum Insula, Cnidiæ quoque princi-
patum coniunctum habuit. post Troiani verò belli ætatem,

Cares illam occupârunt; quando imperio maris potiebantur. nimiisque inde siccitatibus fugati, ad Vranium, quod nominant, consedêre. Vacua igitur mansit Syme, quoad Lacedæmoniorum classis & Argiuorum aduecta est. Deinde nouos hoc pacto colonos accepit. Quidam Hippotæ comitum Nausus, assumptis qui in agrorum distributione sortitò facta tardiùs venerunt, Symen tunc desolatam occupauit; & aliis posthæc eo loci aduectis (quorum ductor Xuthus erat) in communionem ciuitatis & terræ receptis, æquo Insulam iure tenuerunt. In parte coloniæ huius etiam Gnidios fuisse & Rhodios memorant.

Porrò Calydnam & Nisyrum ab antiquo Cares possederunt. deinde Thessalus Herculis filius vtramque Insulam sub ditione habuit. Ideò Antiphus & Philippus Coûm principes, cùm ad Ilium belligerarentur, profectorum ex hisce Insulis prætores erant. In reditu autem à Troiâ, quatuor Agamemnonis naues tempestate ad Calydnam eiectæ sunt; hominesque cum loci incolis permixti substiterunt. At qui antiquitus Nisyrum habebant; terræ motibus absorpti periêre. Subinde Coi, vt Calydnam, hanc sui dominii fecerunt. Dein cùm peste homines ad internecionem redacti essent, Rhodii coloniam eò miserunt. Carpathum verò quidam ex classiariis Minois (quo tempore mare in potestate eius erat) sibi vendicarunt. Multisque pòst seculis Ioclus Thymoleontis, Argiuus patriâ, oraculo excitatus, coloniæ illuc ducendæ auctor fuit.

Rhodus Telchinum olim sedes erat hos fabula à priscis tradita Thalassâ, id est, *mari progenitos* asserit. qui cum Caphirâ Oceani filiâ, Neptunum educârint, à Rhea ipsorum fideicommissum. Artes etiam nonnullas inuenisse, aliaque vitæ conducibilia in vsum deduxisse, perhibentur. Horum solertiæ, primæ deûm statuæ acceptæ feruntur. & quædam simulacrorum veterum, nominibus eorum insignita dicuntur. Nam apud Lindios Apollo Telchinius vocatur. Præstigiatores tamen etiam fuisse perhibentur, qui quando vellent, nubes & pluuias, grandinemque & niues (quod Magos alioquì factitare prædicant) inducerent, formasque immutarent: & doctrinam artium inuiderent aliis. Neptunus autem (vt porrò memorant) iam adultus,

Haliam

Haliam ſororem Telchinum amauit, cumque eâ commix-
tus liberos genuit: ſex quidem mares vnamque filiam nomi-
ne Rhodon. hinc nomen Inſulæ datum. Fuerunt tempeſta-
te illâ, in eâ Inſulæ parte, quæ occidentem ſpectat, Gigantes.
Tunc & Iupiter Titanibus debellatis, Nymphæ cuiuſdam
(Himaliæ ei nomen) amore tenebatur, & ex eâ tres filios
Spartæum, Cronium & Cytum procreauit. Horum ætate
Venus è Cytheris Cyprum petens, ad Inſulam appulit. ſed
cùm aditu à Neptuni filiis ſuperbis & iniurioſis prohibere-
tur, irâ percita furorem illis iniecit, quo acti vi matrem con-
ſtuprabant, & multa popularibus nocumenta inferebant.
Quo Neptunus cognito, nefarios illos ob rei turpitudinem
terrâ occuluit; vnde Dæmones, ſeu Genii Orientales, ap-
pellati ſunt. Halia verò poſtquàm in mare ſe proiecerat,
cum Leucotheæ nomine deûm honores apud incolas ade-
pta eſt. Poſthæc cùm venturum Telchines diluuium
præſagirent, ex Inſulâ egreſſi, huc illuc diſſipabantur. Quo-
rum è numero Lycus in Lyciam profectus, Lycii Apollinis
fanum ad Xanthum flumen exſtruxit. Vbi diluuium tan-
dem inundauerat, alii quidem interibant. quod depreſſa &
plana Inſulæ loca continuâ imbrium præcipitatione longè
latéque ſtagnarent. pauci verò, qui ad editiora perfugerant,
ſalui remanebant. inter quos Iouis etiam nati fuerunt. Cæ-
terùm Sol, vt fabula quidem refert, Rhodi amore captus,
Inſulam eius nomine dignatus eſt, & aquarum ſuperfluita-
tem aboleuit. Rei autem veritas hæc eſt. Sub primam
rerum omnium conſtitutionem, cùm Inſula cœnoſa eſſet
& mollis, Sol humore deſiccato terram fœcundauit. vn-
de exorti, qui Heliadæ ab ipſo denominantur ſeptem nu-
mero, aliique homines æquè aborigines. Conſequu-
tum hoc igitur eſt, quod Inſulam Soli conſecratam exi-
ſtimant, & nati exinde Rhodii perpetuò Solem præ cæ-
teris diis, tanquam generis ſui auctorem, impenſiùs co-
lunt. Nomina ſeptem eius filiorum ſunt Ochimus, Cer-
caphus, Macar, Actis, Tenages, Triopas & Candalus. fi-
liæ autem vnicæ Electryone nomen erat; quæ adhuc
virgo defuncta, Heroicos à Rhodiis honores ſibi tribu-
tos habet. Heliadis ergò virilem ætatem adeptis, Helius
(qui Sol eſt) prædixit, fore, vt, qui principes Mineruæ ſa-
cra facerent, hi perpetuò deæ præſentiâ fruerentur. id

quod Atticis etiam vaticinatus dicitur. Accidit igitur vt Heliadæ præ festinatione obliuiscerentur ignem prius focis admouere, quàm victimas imponerent. Cecrops autem tunc temporis Atheniensium rex, licèt posterior immolaret, flammis tamen prior hostias adoleret. Ob id peculiaris quidam ritus sacrorum adhuc in Rhodo obseruatur, deæque simulacrum in hac fixum est. De antiquitatibus ergò Rhodiorum hæc quidam literis prodiderunt; inter quos etiam Zenon exsistit, qui historiam illorum contexuit. Heliadæ autem, cùm aliis hominibus præstarent, in disciplinis & maximè Astrologicis excelluêre. Ab his nauigandi scientia exculta; horæque in certas vices distributæ sunt. Acerrimo inter eos ingenio Tenages erat; ideóque fratrum inuidia sublatus est. detectisque insidiis, cædis auctores & conscii solum verterunt omnes. atque ita Macar in Lesbum, Candalus in Cô peruenit. Actis verò in Ægyptum profectus, Heliopolim condidit, parentis nomine illi imposito. & ab hoc Ægyptii Astrologiæ scientiam acceperunt. Pòst cùm in Græcia diluuiò oppressa maxima pars hominum periisset; literarum monimentis simul deletis: hanc Ægyptii occasionem adepti studium Astrologiæ sibi mancipàrunt. cúmque Græci per ignorantiam literarum culturam non amplius sibi vendicarent: ipsos omnium primos astrorum notitiam reperisse rumor inualuit. Sic etiam Athenienses, licèt Sain in Ægypto vrbem condidissent, tamen eidem obliuionis errori diluuium obnoxios fecit. Quam ob causam, post multa inde secula, Cadmus Agenoris ex Phœnicia in Græciam literas attulisse creditur: & post hunc Græci doctrinarum inuentioni subinde adiecisse aliquid putantur; quos tamen commune ignorationis vitium impeditos tenet. Triopas autem in Cariam traiecit; ibique promontorium quod Triopion ab eo dicitur, occupauit. Reliqui Solis nati à culpa cædis alieni, in Rhodo permanserunt, & Achaia vrbe condita, in Ialysia deinceps habitarunt. Regia autem potestas erat penes Ochimum ætate maximum: qui ducta in matrimonium Hegetoria, Nympharum vna, filiam ex ea suscepit Gydippen: quæ Cyrbiæ nomen deinde vsurpauit; per cuius nuptias Cercaphus illius frater ad regnum peruenit. Post obitum huius, tres in principatum filii successerunt, Lindus, Ialysus, Camirus. Quorũ

LV.

temporibus ingens exorta inundatio, Cyrben vastam & desertam fecit. Ipsi verò regionem inter se partiti sunt, & vnusquisque sui nominis vrbem ædificauit.

I. Eo tempore Danaus, ex Ægypto cum filiarum agmine profugus, in Rhodum traiecit: & ab indigenis exceptus, templum Mineruæ statuit; eique delubrum consecrauit. In hac Danai peregrinatione, tres ei filiæ in Lindo fato concesserunt. cæteræ cum patre Argos profectæ sunt. Non ita longè post, Cadmus Agenoris, ad inuestigationem Europæ à Rege amandatus, & ipse Rhodum petebat. Dum autem vehementi iactatur tempestate, ad templum Neptuno condendum voto sese obligat. Superatis ergò periculis, in hac Insula fanum dedicat, & nonnullos ex Phœnicibus sacrorum curatores relinquit. hi in eiusdem cum Ialysiis ciuitatis societatem coaluêre; atque ex horum familiis Sacerdotum fieri successionem, aiunt. Tum Lindiam etiam Mineruam donariis Cadmus honorauit. inter quæ fuit æneus lebes, opus memorabile, antiquâ concinnitate fabrefactum. Phœniceas hic literas insculptas habebat, quas ex Phœniciâ primùm allatas nomen inde habere autumant. Rhodiorum inde terra serpentes produxit immanes, qui plurimis incolarum perniciem afferebant. Superstites ergò, missis in Delum legatis, de auerruncatione præsentis mali deum consuluerunt. Iussit contrà Apollo, vt cum Phorbante eiusque sociis possessionem Insulæ participarent. Erat is Lapithæ filius, & tum in Thessaliâ cum pluribus aliis subsistebat, commodam habitationi terram quærens. Accersitus igitur à Rhodiis, & in communionem terræ susceptus Phorbas, serpentibus deletis, Insulam ex metu illo exemit; inque Rhodo deinceps permansit. Tandem quòd in aliis quoque bonum se virum præstitisset, Heroici post mortem honoris præmia tulit.

X. Post illud tempus Althæmenes, Catrei Cretensium regis filius, oraculum de quibusdam sciscitans, responsum accepit; fato constitutum esse, vt suâ manu patrem occidat. Hoc nefas vt effugeret, sponte cum aliis quamplurimis, qui vltrò se adiungebant, in exsiliũ abiit; & in primariam Rhodiæ ditionis vrbem Camirũ traiecit. Illic in Atamyro monte Iouis Atamyrii templum fundauit, quod magnâ honorum solennitate etiam hodie frequentatur. in cacumine excelso positum est; vnde ad Cretam vsque prospectus excur-

rit. Althæmenes ergò cum aliis eum ſecutis, Camiri habitationem adeptus, honoribus eximiis à ciuibus afficiebatur. At pater eius Catreus, cui nulla ſoboles maſcula ſupereſſet, amore eximio Althæmenis impulſus, in Rhodum iter ſuſcepit, hoc vnicè expetens, vt natum alicubi repertum in Cretam poſtliminio reduceret. Et iam inſuperabilis eum fati neceſſitas vrgebat. noctu igitur cũ aliquot ſuorum in Rhodum exſcendit. inter quos & Inſulanos oborto ſtatim cõflictu, Althæmenes ad opẽ ſuis ferendam excurrẽs, haſtæ iactu ignarus patrem occidit. Qui caſus vbi innotuit, magnitudinem calamitatis Althæmenes non ſuſtinens, omnem deinceps hominum occurſum & conſuetudinem auerſabatur, ſolusque in deſertis oberrans locis, mœrore tandem (cui totum ſe tradiderat) exſtinctus eſt. Heroici tamen ei pòſt oraculi iuſſu honores à Rhodiis delati ſunt. Hinc paulò ante bellum Troianũ Tlepolemus Herculis filius ob Licymnii cædem (quam inuitus commiſerat) ſponte Argos exilio mutauerat. & poſtquam diuinũ ſuper coloniâ reſponſum acceperat, cum aliquantâ populi manu in Rhodum trãſmiſit; & receptus ibi conſedit. Rex deinde totius Inſulæ creatus, agrum ſortitò in æquas partes diuiſit, & quamdiu præfuit, cætera etiam ad æquitatis normam reuocauit. Tãdem cum Agamemnone ad Ilium expeditionem facturus, imperiũ Butæ, qui Argis cum ipſo profugerat, tradidit. Ipſe verò illuſtrem eo bello meritus gloriam, in Troade occubuit. Iam quia Rhodiorum cum rebus quædã Cherſoneſi obiacentis connexa ſunt, non inconueniens arbitror, ſi de his etiam diſſeratur. Cherſoneſus, vt quibuſdam placet, à natura loci, Iſthmo ſimilis, hoc nomen accepit, vel, vt alii ſcribunt, à Cherſoneſo quodam regulo id illi tributum eſt; poſt cuius ætatem non ita longè quinque Curetes illuc traieciſſe fama eſt; poſteros illorum, qui Iouem à Rheâ matre ſuſceptum in Idæis Cretæ montibus educârunt. Poſtquàm igitur cum claſſe non contemnendâ, Cherſoneſum adiiſſent, Cares antiquos incolas expulerunt, & regionem ſuæ ditionis factam in quinque partes diuiſère, ac vnusquiſque conditam à ſe vrbem conditoris nomen præferre iuſſit. Non multò pòſt Inachus Argiuorum Rex, amiſſâ Io filiâ, Cyrnum (ex Principum hic ordine vnus erat) cum haud vulgari claſſe miſit, vt puellam vbique locorum inquireret; nec, niſi repertâ, domum rediret. is per multas orbis

LX.

tas orbis

tas orbis partes diuagatus, cùm inuenire ipsam non posset, in
hanc, quam diximus Chersonesum Cariæ secessit, desperato-
que in patriam reditu, illic permansit; & quà persuasis, quâ
coactis terræ incolis, regnum in quadam eius parte obtinuit;
vrbemque sui nominis Cyrnum exstruxit. & cùm ad populi
commoda imperium attẽperaret, magnam apud ciues gra-
tiam inibat. Posthæc Triopas, Solis Rhodique filio-
rum vnus, ob fratris cædem exsul in Chersonesum profugit.
& ab rege Melisseo expiatus, ad opem ferendam Deucalio-
nis liberis in Thessaliam discessit; & Pelasgis communi au-
xilio eiectis, agrum quem Dotion vocant, cum illis partitus
est. Illic sacro Cereris nemore exciso ad regiæ structuram
abusus, odium populi incurrit: & profugus è Thessaliâ cum
adiuncto hominum agmine in Gnidiam peruenit; vbi Trio-
pium ad nominis sui memoriam condebat. Atque hinc pro-
gressus, cum Chersoneso magnam adiacentis Cariæ partem
suæ ditioni subiunxit. De genere huius Triopæ multi scri-
ptores, & inter hos Poëtæ dissentiunt. alii enim ex Canace
Æoli & Neptuno illum deducunt: alii Lapitham Apollinis,

XII. & Stiben Penei, illi parentes attribuunt. Est in Ca-
stabo Chersonesi religiosum Hemitheæ fanum; cui quod
euênit, haud omitti dignum est. Etsi autem multi, variique de
illâ sermones traditi sunt, eum tamen qui increbuit, & con-
sensu incolarũ approbatus est, referemus. Staphylo & Chry-
sothemide tres natæ sunt filiæ, Molpadia, Rhoëo & Parthe-
nos. Rhoëonem Apollo compressit ac grauidam fecit. Ira-
tus ob id parens, ac si ab homine stuprata esset, filiam arcę in-
clusam, in mare proiecit. quæ in Delum eiecta, puellum eni-
xa est, cui Anii nomen dedit. Et quia præter spem è discrimi-
ne erepta fuerat, infante Apollinis aræ imposito, deum ora-
uit, vt si vera eius soboles esset, salutem illi præstaret. Et tunc
quidem puerum ab Apolline occultatum esse fabulãtur, cui
tamen postea diligentem educationis curam impendit, & di-
uinandi scientiâ instructum, ad magnos quosdã honores ex-
tulit. Stupratæ autẽ sorores Molpadia & Parthenos, dũ pa-
tris sui vinum (recẽs tùm id inuẽtum erat) custodiunt, somno
opprimuntur. Interim sues, quas tum fortè nutriebãt, ingres-
sæ, confracto cado vinum dissipant. Quo virgines intellecto,
sæuitiã patris veritæ, ad littus fugã capessentes, de excelsis sese
rupibus præcipitãt. Sed Apollo, propter sororis familiarita-

tem, susceptas in Chersonesi vrbes deportauit. Vbi Parthenos quidem Bubasti & lucum habet,& cultus diuinos: Molpadia verò Castabum delata, per singularem dei reuelationem, Hemitheæ nomen mutuata, in magno apud omnes Chersonesitas honore est. In sacris eius, ob vini infortunium, mulso libant. & qui porcum vel attigit, vel in cibo vsurpauit,eum ad sacrarium accedere nefas est. LX Posteris autem temporibus tantum Hemitheæ fanum incrementi accepit, vt non indigenæ solùm & accolæ id summâ religione colerent, sed procul etiam dissiti illuc frequentes itarent,& magnificis deam victimis,donariisque eximiis cohonestarent; imò,quòd maximum est, Persæ Asiæ imperantes, cùm omnia cæteroqui Græcorum templa exspoliarent,à solo Hemitheæ luco manus abstinuerunt. Prædones etiam qui cuncta aliàs diripiunt, hoc solum (quãuis nullo cinctum muro citra periculum direptioni obuium esset) prorsus inuiolatum reliquerunt. Causam tàm felicis incrementi,communem deæ in homines quosuis beneficentiam esse dicunt. ægris enim in somno apparens, euidenter medelam impertit: & cõplures desperatis affectos morbis, si eò perfugiunt, ad sanitatem reducit, mulieres præterea difficulter enitẽtes,à partus doloribus ac periculis liberat.ideò fanum illud donariis, à vetustis inde temporibus inibi conseruatis, refertum est; quæ neque custodibus,neque mœnibus adeò validis,sed inueteratâ religione tuta manent. Hæc de Rhodo & Chersoneso nunc sufficiant. LXI Nunc reliquum est, vt de Cretâ quoque disseramus: Qui Cretam incolunt,vetustissimos apud se exstitisse EteoCretas (vt nominantur) indigenas,asserunt. Quorum Rex,quem Creta nuncupant,plurimarum rerum ac maximarum inuentor fuit, quibus communis hominum vita subleuari & adiutari posset. Plerosque etiam deos apud se natos perhibent. qui beneficiis in totum genus mortalium sempiternos honores promeruerunt. quæ capitulatim, vt quidem tradita sunt, hic exponemus, clarissimos secuti auctores; qui Cretensium historias contexuere. Primi ergò (quorum sanè memoria ad nos propagata est) Cretæ incolæ ad Idam montem Idæi Dactyli fuerunt: quos alii centum numerant,alii tantùm quinque,à pari scilicet digitorum numero sic appellatos. Nonnulli (inter quos & Ephorus) Idæos Dactylos circa Idam Phrygiæ montem habitasse,&

se, & cum Minoë in Europam transiisse, memorant. & cùm
præstigiatores essent, incantamentis & sacris ritibus myste-
riisque operam dedisse, & in Samothraciâ versantes, non
mediocrem Insulanis stuporem incussisse. Quo tempore et-
iam Orpheus (quem excellenti ingenio ad poësim & melo-
diā natura instruxerat) discipulus horum fuisse, primusque
initiorum ceremonias & mysteria in Græciam traduxisse di-
citur. Cæterùm Idæi Dactyli in Creta (vt tradunt) ignis v-
sum inuenerunt, ærisque ac ferri naturam in Berecyntho,
Antisapteræorum regionis monte, indagarunt, eiusque con-
flandi rationem docuere. & quia insignium generi humano
commodorum auctores habebantur, immortalibus ac di-
uinis honoribus remunerati sunt. Vnum ex illis Herculem
vocitatum asserunt; gloriâ prælustrem, qui ludos Olympia-
cos instituerit; quos posteri, nominis similitudine decepti, ab
Alcmenes filio conditos esse opinentur. Huius rei docu-
menta adhuc esse, quod mulieres etiamnum incantationes
ab hoc deo mutuantur; & amuleta quædam circumligant;
vt qui magus fuerit & sacras ceremonias tractarit quæ lon-
gè aliena sint à more Herculis Alcmenâ editi. Post

LXV.

Dactylos Idæos, nouem Curetes exstitisse perhibent. quos
alii terrigenas, alii à Dactylis Idæis oriundos esse fabulātur.
Habitatio eorum in confertis montium arboretis, & con-
uallium speluncis, & illis denique locis, qui naturâ suà tegu-
mentum aliquod & receptum præberent: cùm ædium stru-
ctura tùm nondum reperta esset. Quia verò intelligentià
præstabant, multa vitæ vtilia protulere. nam primi greges
ouium cogere, aliarumque pecudum gentes mansuefacere,
& mellis opificium edocere. Artem quoque iaculandi & ve-
nandi rationem ostendere. Communes denique societates
& conuictus, & in primis concordiæ, ordinatæque vitæ ac
disciplinæ auctores exsistebant. Gladii præterea & cassides,
armatæque saltationes horum inuenta sunt. Horum fre-
quenti strepitu Saturnum fefellêre, ab his enim Iupiter (quē
clam patre Rhea mater eorum fidei & tutelæ commiserat)
susceptus & educatus fertur. quod cùm particulatim decla-
rare velimus, paulò altiùs narratio repetenda est.

LXVI.

Memorant Cretenses, quo tempore Curetes viue-
bant, Titanes quoque exstitisse. horum in terra Gnosio-
rum habitatio erat; vbi nunc etiam fundamenta & area do-

mus, in quâ Rhea degit, & peruetustus sacerque cupressorum lucus, visuntur. Numerantur sex viri & quinque fœminæ: prout à quibusdam refertur, Vrani, id est, *Cœli*, Terræque soboles; vel, vt alii, Curetum vno & Titæa geniti; & de matris nomine sic appellati. mares nominantur Cronus, id est, Saturnus, Hyperion, Coëus, Iapetus, Crius, & Oceanus. horum sorores; Rhea, Themis, Mnemosyne, Phœbe, & Thetys. Vnusquisque horum quædam hominibus vtilia inuenit: & pro meritis apud vniuersos mortales immortalem honorem & memoriam adeptus est. Saturnus natu maximus regnum obtinuit, & suæ ætatis homines ab agresti victu & more ad vitam cultiorem traduxit: & ob id magnam consecutus auctoritatem, multas orbis regiones accessit, & singulos ad iustitiam, animique simplicitatem adhortatus fuit. ideò homines, qui tempore Saturni ætatem egerunt, simplices fuisse, & à malignitate prorsus alienos, imò & beatos, posteris traditum est. Sub imperio Occidentales maximè regiones habuit, & ad summos honorũ gradus adscēdit. propterea nuperis etiam tēporibus, apud Romanos & Carthaginenses, superstite adhuc ciuitate, aliasq; finitimas gentes, illustribus hunc deum festis & sacrificiis venerari consuetum fuit. multaque passim loca nomen eius repræsentāt. Et quia summa tum erat legum obseruantia, nullum facinus iniustum à quoquam est commissum; sed omnes imperium huius agnoscentes, vitam agebant beatam; omnique voluptate absque impedimento perfruebantur. quibus etiam Hesiodi poëtæ testimonium adstipulatur hisce versibus:

Saturni hi suberant: cœli dum regna tenebāt;
Viuebantque deûm vitam. Non cura, nec ardens
Hos labor, ærumnæque, nec ægra senecta premebat.
Perpetua integritas sed erat manuumque pedumque;
Omnibus absque malis. epulisque obiêre vigentes
Lætitiâ; vt somnus mors ingruit, Adfuit vltro
Omne bonum. Bacchi & Cereris tunc munera tellus
Sponte dedit, gremio fundens è diuite, & inter
Distribuêre operas placidè se, & commoda terræ,
Felices gregibus, diuisque per omnia cari.

Et hæc quidem de Saturno recensent. LXVI Hyperionem deinde, Solis & Lunæ, aliorumque siderum motus & temporum

porum vices, quæ ab his perficiuntur, suæ obseruationis industriâ primum deprehendisse, & in aliorum deinde notitiam perduxisse, ferunt. Et propterea patrem horum vocari, vt qui contemplationem ipsorum & naturam procreârit. Ex Coëo & Phœbe Latonam esse natam, & ex Iapeto Prometheum; qui, vt fabulatores quidam tradunt, ignem diis furreptum hominibus impertiuit. si veritatem excusseris; igniarii repertor est, instrumenti videlicet, quo ad eliciendum ignem vtimur. Ex Titanidum numero Mnemosyne (aiunt) ratiocinandi artē inuenit; & singulis rebus conueniens nomen attribuit, quo vnumquodque distinctè appellare, & inter nos colloqui possimus. cuius Mercurium nonnulli auctorem faciunt. Hinc deæ illa quoque assignant, quæ ad renouationem alicuius rei & memoriam inter homines fiunt. vnde nomē hoc etiā sortita est. Themis vaticinandi artem, sacrorum ritus, & leges deûm cultui seruientes, princeps informauit, & quæ ad bonam iurisdictionem ac pacis studia pertinent, edocuit. idcircò Thesmophylacas & Thesmothetas, id est, legum custodes & latores vocamus eos, qui sancta deorum iura & hominum conseruant. Quin & ipsum Apollinem, quando responsum editurus est, *themisteuein*, id est, Themidis munus obire, dicimus, quod Themis nimirum inuentrix oraculorum extiterit. Hi ergò dii cùm plurimis vitam humanam beneficiis cumulassent, non diuinos solùm honores promeruerunt, sed primi quoque cœlum, post emigrationem ex vitâ mortalium, occupasse existimantur.

IIIX.

E Saturno & Rheâ, Vesta, Ceres, Iuno, Iupiter, Neptunus & Pluto nati dicuntur. VESTA domorum architecturam inuenit; & ob hoc meritum vniuersi propè homines in ædibus suis collocatam honoribus & sacrificiis dignantur. Ceres frumentum, quod sponte suâ & fortuitò inter alias herbas crescebat, hominibus eò vsque ignotum, prima comportauit; eiusque pisturam & asseruationem inuestigauit; ac sementem facere homines docuit. Frumenti autem rationem inuenit antequam in lucem edidisset Proserpinam. quâ natâ, & tandem à Plutone raptâ, odio Iouis & mœrore propter filiam æstuans, omne frumētum combussit. Proserpinâ verò inuentâ, in gratiam cum Ioue rediit; ac Triptolemo semina frugum tradidit, cum mādatis, vt donum hoc cum vniuersis

hominibus communicaret, & elaborationem illius doceret. Asserunt nonnulli, leges etiam ab hac promulgatas esse, quibus homines suum cuiq; tribuere adsuefierent: & ab hac promulgatione illam, Thesmophoron appellari. Cùm itaque maxima hominibus bona côciliasset, eximiis etiam honoribus affecta est; eamque immolationibus, festis, & conuentibus Panegyricis magnificentissimè, non modò Græci, verùm etiam barbari fermè omnes, alimoniæ huius participes, deuenerantur. De inuentione autem frugum multi controuersantur & disceptât, deam apud se primùm visam, frugumque naturam & vsum præ aliis sibi patefecisse, contendentes. Ægyptii enim Cererem & Isidem vnam eandemque esse, quæ in Ægyptum omnium prima semina attulerit, Nilo commodùm illic campos irrigante, & temporum vicibus optimè in hac regione temperatis. Athenienses verò, tametsi fruges apud se inuentas esse dictitant, aliunde tamen in Atticam importatas esse, testantur. locum enim qui primus munus istud excepit Eleusinē (ab aduētu nimirū) vocant, quòd aliunde frumenti semen allatum eò peruenerit. Siculi porrò, qui sacram Cereris & Proserpinæ Insulam tenent, consentaneum esse aiunt, munus hoc primùm illis obtigisse, qui carissimam deæ terram colunt. absurdum enim, Insulam omnium fertilissimam pro peculio sibi vendicare, beneficii verò huius, tanquam nihil eò pertinentis, postremo illam loco participem reddere: præsertim cùm in ea habitet; & raptum Liberæ ibi perpetratum esse omnes consentiant; & prouincia hæc frugibus omnium sit accommodatissima, in qua, teste poëta,

Vbertim segetes sine aratro & semine crescunt,
Hordeique, triticique,

Et tantum de Cerere fabulantur hactenus. Inter alios porrò deos (aiunt) Neptunus maris negocia primus tractare cœpit, classemque instituit, præfecturam hanc à Saturno adeptus. ideoque fama apud posteros increbuit, quę in mari geruntur in huius potestate & arbitrio esse: & propterea solennibus eum sacris nautæ honorant. Adiiciunt & hoc, equos à Neptuno primùm domitos, & equestris rei scientiam ab eo traditam. vnde Hippius, id est, *equestris*, nominatur. Plutonem verò (quem *Aiden* Græci vocant) funerum & sepulturæ, ac parentationis ritus ostendisse ferunt: cùm ante hac nulla

LX

nulla horum accuratio fuisset. quod in causâ fuit, vt defuncti in potestate eius esse dicerentur, & inferorum ei principatum & curationem antiquitas delegârit. De Iouis autem ortu regnoque sententiæ discrepant. Nonnulli enim hunc, post Saturni à mortalibus ad deos transitum, in regno successisse tradunt, non per vim deiecto patre, sed legitimè ac iustè ad id honoris euectum. Alii narrant, oraculo Saturnum de Iouis ortu præmonitum, fore nimirum, vt regnum is patri violenter extorqueret, in lucem aliquando editus. quocirca liberos quamprimùm nascerentur, è medio sustulit aliquoties Saturnus. Quod ægerrimè ferens Rhea, cùm pertinax viri propositum inflectere nequiret, statim à partu Iouem in Idâ occultauit, Curetibus montem illum accolentibus educatione pueri demandatâ. Hi rursus in speluncam deportatum Nymphis commendarunt, vtq; omni eum studio complecterentur adhortati sunt. hæ mellis & lactis temperamento infantem cibarunt, & capræ Amaltheæ (vt vocatur) vbera ad pleniorem ei nutricationem porrexerunt. Natiuitatis autem & educationis huius multa adhuc argumenta in Insulâ supersunt. dum enim à Curetibus infans gestatur, vmbilicum eius ad fluuium, quem Tritonem vocant, decidisse perhibent. vnde territoriũ illud sacrum Omphalus, id est, *vmbilicus*, & circumiectus illi campus Omphaleus, id est, *vmbilicarius*, nominetur. In Idâ autem, vbi deus hic educatus est, & antrum, in quo vagiit, consecratum est, & vicinì promõtorio illi portus in dei sunt tutelâ. Hîc quod de apibus inprimis admirabile in fabulis refertur, haudquaquã omittendum est. nam deus (aiunt) vt sempiternam familiaritatis suæ cum apibus memoriam conseruaret, colorem ipsarum immutauit, ærique, auri formam imitanti persimilem fecit. & cùm locus ille supra modum excelsus sit; magnisque ventorum flatibus vexetur, niuibus quoque densis oppleri soleat; sensum apibus ademit, & vt nullo incommodo adficerentur, si in horrida frigoribus loca pastum eunt, effecit. Capræ etiam nutrici cũ alios tribuit honores, tum Ægiochi, id est, *Capritenentis*, cognomentum ab illâ desumsit. Iamque adolescẽtiam egressus ad Dictam, in quã genitus dicitur, primus vrbem condidit; cuius reliquiæ fundamentorũ adhuc restãt.

XI. Hic porrò deus omnes, fortitudine, prudentiâ, iustitiâ, cæterisque virtutibus supergressus est. ideò post acceptum à

Saturno regnum, plurimis vitam humanam commodis, iisque maximis adfecit. primus namque omnium iniurias punire, iustitiamque inter se colere, & à violentis actionibus desistere, & ad tribunal controuersias deferre, iudicioque disceptare, homines docuit. summatim, quæ ad bonam legum constitutionem & pacem requiruntur ipse expleuit; bonos verbis ad officium adducens: improbos autem pœnarum rigore ac metu coërcens. Permeasse totum ferè orbem dicitur, latrones & impios homines è medio remouens, & æqualitatem vbique ac popularem iurisdictionẽ introducens. Per id tempus etiã Gigantes; in Cretâ Mylinus, in Phrygiâ Typhon; vnà cum suis ab eo sublati dicuntur. Ante pugnã cum Gigãtibus in Cretâ, dũ Iupiter Soli, Cœlo ac Terræ rem diuinam fecit, in omnibus extis decreta à diis euidenter apparebant. portendebatur autem in primis victoria deorum, & defectio ab hostibus ad ipsos: & finis belli cũ portentis conueniebat. Musæus enim ab hostibus transfugit, certosq; ob id honores est sortitus. Tandem omnes cum diis bello congressi internecione occubuerunt. Nouum tamen cum Gigãtibus bellum, ad Pallenen in Macedoniâ, & in campis Italiæ, qui Phlegræi à loci conflagratione olim, & Cumæi tandem nuncupati sunt, exarsit. Causa, vt à Ioue in Gigantes ita animaduerteretur, fuit iniusta hominum oppressio: quòd videlicet proceritate corporum & virium excellentia freti, vicinos in seruitutem redigerent; & statutis de iustitiâ legibus non obtemperarent; bellumque his inferrent, qui ob benefacta in vniuersum genus mortalium pro diis ab omnibus haberentur. Nec impios tantùm ac sceleratos Iupiter penitus exterminauit, sed dignos quoque honores optimis inter deos, heroesque ac viros impendit. Magnitudo igitur beneficiorum & potentiæ maiestas effecerunt, vt consensu omniũ perpetuũ Ioui regnũ & habitaculũ in Olympo tribueretur.

Sacra etiam præ cæteris exquisita ipsi peragi institutum, & post migrationem è terris in cœlum, iusta mentibus hominum, in quos beneficia contulerat, persuasio infixa est, quòd omnium quæ in cœlo fiunt, imbrium inquam, & tonitruorum, fulminumque, & id genus aliorum, arbiter sit & moderator. ideoque *Zena* ipsum vocant, propterea quòd viuendi (quod *Zen* Græcis est) auctor esse, dum commoda aëris temperie fructus ad maturitatem perducit, existimatur.

LX

Patrem

Patrem quoque dicunt, tum propter curam & beneuolentiam erga omnes, tum quòd prima generis humani origo ab eo defluxisse creditur. Summus præterea rex nominatur, propter imperii nimirum excellentiam. Adhæc *Eubuleus* & *Metietes*, hoc est, bonus consultor & sapiens; propter eximiam in bene consultando prudētiam. Fabulæ præterea adstruunt, Mineruam in Creta ad Tritonis flumen, fontes ex Ioue ortam esse: vnde Tritogeniæ illi nomen. & nunc etiam ad fontes illos sacellum huic deæ consecratum remanet: vbi in lucem edita perhibetur. Nuptias quoque Iouis & Iunonis in Gnosiorum terra celebratas volunt, ad Theronem fluuium; vbi nunc fanum est, ad quod anniuersarium magnâ religione sacrum peragunt Sacerdotes, nuptiarū ritus, quales per traditionem acceperunt, imitantes. Liberos autem Iouis hos recensent; deas sanè, Venerem & Gratias. tum Lucinam eiusque administram Dianam. Horas etiam quas vocant, Eunomian, Dicam & Irenen, id est, pacē. Deos verò, Vulcanum, Martem, Apollinē, Mercurium. Horum vnicuique (aiunt) Iupiter inuentarum à se & perfectarum rerum scientiam inuentionisque honorem impertiit, sempiternā apud vniuersos homines memoriam & laudem ipsis conciliare volens. Veneri ætatem virginum commendauit; quando videlicet nubendum sit; aliarumque curam rerum in nuptialibus vsitatā, cum sacrificiis & libationibus, quæ deæ huic solenniter exhibentur: vbi tamen omnes Ioui perfectori & Iunoni perfectrici prius immolant: quòd hi videlicet auctores omnium & inuentores exstiterint: vt paulò antè dictum est. Gratiis venustate faciē exornare, & singula corporis mēbra ad præstabiliorē habitum, iucundumq; spectantibus decorē conformare; beneficia quoq; sponte communicare; & pro communicatis quam decet gratiā referre; tributum est. Lucina parturientium curam, ac difficultatū in partu dolorumq; leuationē accepit. ideò puerperæ in discrimine versantes huius opem maximè implorant. Diana paruulos tractandi rationem, & cibos quosdam naturæ tenellæ conuenientes, inuenit quâ de causâ puerorum nutrix appellatur. Horarum cuique suum etiā munus cum nomine consentiens, ad ingentes hominum vtilitates in gubernatione vitæ, datum est. „Nihil enim est, quod magis quàm bonus „legum status, iustitia & pax vitam beare possit. „Mineruæ attribuunt hoc, quòd oliuarum culturam & plantationem,

oleique expressionem tradidit. nam ante huius deæ ortum, fuit quidem hoc genus arboris, cæteris syluestribus immixtum, sed cultus, quo nunc adficitur, & vsus nondum erant. Adhæc vestium consarcinatio & architectonica, multaq; in cæteris disciplinis per hanc magistram hominibus innotuerunt. quæ & tibias primùm fabricauit; & Musicam, quæ inspiratione harum perficitur; & pleraque tandem fabrilium operum inuenit. vnde Ergana, id est, *opifex* vocitatur.

LI. Musis à patre concessa est literarum inuentio, & compositio carminum, quæ Poëtica nominatur. His verò, qui literas Syrorum inuentioni tribuunt: à quibus Phœnices illas didicerint, & cum Græcis cõmunicarint, profecti scilicet vnà cum Cadmo in Europam: vnde literas Græci Phœniceas appellant: his ergo respondent; Phœnices nequaquam primos esse inuentores: sed formas tantum elementorum immutasse. quâ scripturâ cùm plurimi deinde vterentur, appellationes illas sic inoleuisse. A Vulcano fabricationem ferri, æris, auri, argenti, & cæterorum omnium, quæ ignis operationem recipiunt, inuentam; & vniuersum ignis vsum excogitatum; & tum artificibus, tum cæteris quoque hominibus expromptum esse dicunt. propterea harum artium magistri vota & sacra huic deo potissimum offerunt: & ab his, vt ab vniuersis quoque mortalibus, ignis Vulcanus appellatur: vt hoc pacto beneficium, communi hominum vitæ tributum, immortali memoriæ & honori cõsecretur. Mars vniuersam armaturam fabricari; & milites armis telisque instruere; & collatis signis strenuè decertare; primus docuit, diis aduersantes cædibus absumens. Apollini citharæ inuentionem: & id genus musicæ assignant. is scientiam medicam, quæ per fatidicam exercetur artem, quâ sanitatem ægroti quondam recipiebant, in lucem produxit, cúmque arcum inuenerit, iaculandi scientiam incolas edocuit. ob id sagittandi maxime studiũ apud Cretenses viget; qui arcui Scythici cognomentum tribuunt. Ex Apolline & Coronide natus Æsculapius, cùm multa in arte medicâ ex patris disciplinâ cognouisset, chirurgiam & medicamentorum confectiones adinuênit. radicum etiam vires perscrutatus est; adeoque tandem prouexit artem, vt pro conditore eius ac principe colatur.

LX. Mercurii inuentioni attribuunt caduceatorum (fecialium) legationes in bellis, pacificationes, itẽ & fœderum libamenta;

bamenta;

libamenta;horumque insigne caduceum,quod verba ad ho-
stem facturi præferunt,eoque tuti accedunt & recedunt.hinc
Mercurium Communem vocari autumant, quod ex æquo
ad vtrosque redeat vtilitas, qui pacis in bello sunt participes.
is etiam mensuras & pondera, & negotiationis lucra, occul-
tamque aliorum res interuertendi fraudem princeps com-
mentus fuit. pro deorum insuper præcone & nuncio optimo
habetur: quod singula in mandatis tradita dilucidè interpre-
tetur. à quo & nomen illi obuenit Hermes, quod interpre-
tem sonat. Non quidem nominum & dictionum inuentor
hic fuit, sed integram & perspicuam elocutionem impensius
cæteris excoluit. Quin & palæstræ auctor fuit; & ex testudi-
ne lyram commentus est, post Apollinis cum Marsyâ disce-
ptationem. Vbi cùm Apollo certamine superior,æquo ma-
iorem de victo pœnam sumsisset, pœnitudine ductus, abru-
ptis citharæ neruis, à musicâ illâ abstinuisse ad tempus me-
moratur. Ad Bacchum porrò vitis inuentionem, eiusque
culturam & vini conficiendi, fructuumq; Autumnaliũ con-
dendi rationem (quò ad longum videlicet tempus vsum ho-
minibus & alimentum præbeant) Cretenses referunt. sed
deum hunc è Ioue & Proserpinâ in Cretâ natum confirmãt;
quem Orpheus inter mysteriorum ritus à Titanibus discer-
ptum tradit. plures enim Dionysi exstiterunt, de quibus suo
loco disertior à nobis mentio facta est. Atqui Dionysum in
Cretâ editũ esse his argumẽtis probare nituntur, quod duas
prope Cretam Insulas in gemellis(quos vocant) sinubus ex-
coluerit, easq; de nomine suo Dionysiades appellârit: quod
alibi nusquam per totum orbem fecerit. De Hercule
referunt, quod Ioue creatus sit permultis sanè annis prius-
quàm Argis ille ex Alcmenâ Hercules prodiret.hic verò quâ
matre natus fuerit,compertũ non esse; hoc solummodò cer-
tum esse, quòd robore corporis vniuersis mortalibus præ-
stantior,totum peruaserit orbem; iustas iniustis & flagitiosis
pœnas infligens: & monstra ferarum, quibus infestæ & de-
sertæ regionum habitationes redderentur, è medio tollens;
hominesque vbiuis gentium in libertatem vindicãs: ipse ta-
men inter tot rerũ discrimina inuulnerabilis & inuictus. Ob
quæ merita sempiternis eum honoribus mortales dignẽtur.
Natum verò ex Alcmenâ Herculem multò posteriorem;
quod antiqui huius studia imitatus fuisset, eandẽ ob causam

immortalitatis gloriam consecutum; & temporis progressu ob nominis similitudinem pro eodem habitũ; & res prioris (quod verum à vulgo ignoraretur) posteriori attributas esse. Vetustioris etiam huius dei res gestas & honores splendidissimos in Ægypto perdurare, ibique ciuitatem ab eo conditam prædicant. Britomartim porrò, cui Dictynnæ cognomẽtum addunt, in Cœnone Cretæ Ioue & Carme, Eubuli ex Cerere nati filia, progenitam esse fabulantur. hæc casses venatorios (aiunt) reperit, & inde cognominis id retulit. familiarius autem erat Dianæ. quamobrem nonnulli Dictynnam & Dianam eandem esse putant. Et hanc deam solenni victimarum ritu, ac templorum dedicatione religiosè Cretenses honorant. Illos verò, qui propterea Dictynnam vocitari asserunt, quòd persequente coitus gratiâ Minoë in piscatorum retia perfugerit, à vero exorbitare dicunt. nam neque deam eò infirmitatis redactam fuisse, vt, cùm maximi deorum filia esset, humano se præsidio tutaretur, consentaneũ est: neque Minoëm, qui omnium consensu iustitiæ studuisse, laudatamq; egisse vitam, traditur, tantæ impietatis reũ facere, æquum est. Plutum verò in Tripolo Cretæ ex Cerere & Iasione procreatum ferunt. Et historia de huius ortu bifariam explicatur. Sunt enim qui affirmant, terram ab Iasione consitam, iustaque cultura affectam, tantam frugum copiam edidisse, vt qui id non sine admiratione cõtemplabantur, peculiare tantæ vbertati nomen imponerent, & Plutum (à multitudine, quæ Græcis *plethos* dicitur) vocarẽt. Vnde posteris vsu receptum est, vt qui plus, quam satis est, facultatum possident, Plutum habere dicantur. Alii dicunt, natum quidem ex Cerere & Iasione hoc nomine filium: sed hunc primum instituisse diligentiorem victus rationem, & coaceruandi ac tuendi opes viam hominibus indicasse: cùm sedula facultatum congestio & custodia priùs ab omnibus fuisset neglecta. Hæc ergo sunt, quæ Cretenses de diis apud se natis (vt quidem ipsis videtur) in medium adferunt. Porrò vt honores quoque deûm & sacrificia, ritusque mysteriorum seu initiationum à se ad cæteros peruenisse mortales probent: hoc pro maximo & certissimo (vt persuasum habent) argumento confirmationis adducunt. Initiationis, inquiunt, ritu Atheniensium Eleusinii omnium prope nobilissimi, itemque

LV
LXVI

que

que Samothracii, & qui in Thraciâ vsitati sunt Ciconibus, (vnde institutor harum Orpheus erat) mysticè traduntur. At in Cretæ vrbe Gnoso, ab antiquo sancitum est, in propatulo illos tradi: & quæ in secreto à cæteris administrantur, ea neminem apud se, qui modò cognoscere illa studet, celari. Plerique enim dii ex Cretâ prodierunt, & per multas orbis partes diuagati, bene de gentibus mortalium, dum quisque inuentorum vtilitates suorum cum illis communicat, mereri studuerunt. Ceres enim in Atticam transfretauit. & hinc in Siciliam, & tandem in Ægyptum quoque abiit. vbi locorum, post traditum frumentum, & sementis rationem monstratam, ingentes illi honores beneficiis adfecti obtulerunt. Ita Venus circa Erycem Siciliæ montem, & Cythera Insulam, & Paphum in Cypro, Syriamque Asiæ prouinciam, commorabatur. Quòd autem crebro se illic exhiberet, & diutius subsisteret, accidit, vt sibi hanc deam incolæ vendicarent, eamque Venerem Erycinam, Cythercam, Paphiam & Syriam cognominarent. Consimiliter multum temporis in Delo, Lycia & Delphis Apollo exegit. Et Diana in Ephesô, Ponto, Persiâ & Cretâ familiarius versata est. idcircò à locis & negociis apud quoslibet gestis ille Delii, Lycii, Pythii, hæc Ephesiæ, Cressæ, Tauropolæ & Persiæ cognomentum reportauit. licèt ambo in Cretâ nati fuerint. A Persis etiam hæc dea plurimùm colitur, eademque mysteria, quæ ab aliis ei peraguntur, etiam Barbari ad hæc vsque tempora in Dianæ scilicet Persiæ honorem celebrant. His affinia de reliquis etiam diis memorant. quæ vt lectori cognitu sunt facilia, ita nobis perscribere longũ foret.

LXX-I. Cæterùm multis post deorum in Cretâ generationem seculis, non paucos apud se heroes exstitisse prædicant; inter quos celeberrimi sint Minos & Rhadamanthus. hos Ioue & Europâ Agenoris filiâ, prouido deûm numine in Cretam transportatâ, prognatos esse. Minoemque ætate priorem, regnum Insulæ obtinuisse, ac multas in ea vrbes condidisse; inter quas tres emineant, Gnosus nimirum in eâ Insulæ plagâ, quæ Asiam respectat; deinde Phæstum in littore maris, ad meridiem conuersam. & Cidoniam tandem ad occidentem è regione Peloponnesi sitam. Ab hoc non paucæ (aiunt) Cretensibus leges sunt latæ; dum à Ioue patre, ad colloquiũ ipsius in spe-

luncâ quadam venire solito, acceptas illas fingit. Magna huic classis erat, quâ subactis Insularum plurimis, Græcorũ primus maris imperium sibi vendicauit. Et magnam tandem fortitudinis & iustitiæ gloriã consecutus, dum aduersus Cocalum belligeratur, in Siciliâ mortem cum vitâ commutauit, cuius particulatim supra mẽtio facta est; vbi Dædali res tractauimus: qui & bello huic causam dedit. Rhadamanthum in exercendis iudiciis omnium iustissimum fuisse, prædicant; & latronibus, impiisque & maleficis hominibus inexorabilem se in pœnis infligendis exhibuisse. Nec paucas ab hoc Insulas, multas Asiæ maritimæ terras acquisitas esse memorant: quod omnes propter Iustitiæ laudem sponte se in fidem eius darent. Is Erythro (aiunt) filiorũ vni Erythrorum, qui nomen eius assumserunt, regnum commendauit. Oenopioni verò, ex Minois Ariadnâ genito, Chium possidendam tradidit; quem è Baccho natum, quidam vini confectionem à patre didicisse perhibent. Singulis porrò ducibus suis Insulam aut vrbem Rhadamanthus donauit; Thoanti Lemnum; Engyeo Cyrnum; Pamphilo Peparathum; Euãbeo Marionêam; Alcæo Paron; Anioni Delum; Andreo, nomen ipsius seruantem Andrum. Et quia tàm egregia fuit eius iustitia, inferorum quoq; Iudex designatus esse; interque pios & noxios discrimẽ facere; eiusdemq; honoribus perfrui Minoa, quod sanctè regnârit, & iustitiæ inprimis curã gessérit; in fabulis perhibetur. Sarpedonẽ deniq;, qui inter fratres tertius est, in Asiã cum cum exercitu transgressus, Lyciæ regiones occupauit, quo natus Euãder in Lyciæ regno successit, & è Bellerophontis filiâ Deidamiâ, quæ in manum eius conuenerat, Sarpedonem suscepit, qui cum Agamemnone Troianis arma intulit; & à quibusdam Iouis filius nominatur. Minoi autẽ filios attribuunt Deucalionem & Molum. & rursus Deucalioni Idomeneum, & Molo Merionen. Hi cum XXC nauibus Agamemnoni suppetias tulerunt aduersus Ilium; & patriæ restituti, morte obitâ, sepulturam honorificam, & diuinos honores consecuti sunt. Eorum in Gnoso monimentum ostenditur, cum hac inscriptione;

Idumenêi specta tumulum, quem Gnosius alebat,
Quem prope Meriones hîc iaceo Molides.

His tanquã Heroibus eximiis à Cretensibus honores præstantur. nam & rem diuinam faciunt; & in bellorum discriminibus, vt opitulatores eos inuocant.

Nunc

LXXI Nunc post luculentam horum expositionem, reliquũ
est, vt quæ gentes se Cretensibus immiscuerint, etiam dica-
mus. Quod verò primi huius incolę Eteocretes fuerint, quos
aborigines esse putant, id supra indicatum est. His multis
post seculis Pelasgi superuenerunt; gens propter continuum
bellandi morem, & è sedibus pristinis emigrationem, vaga-
bunda & errans; & quandam Insulæ partem, vbi appulerant,
obtinuerunt. Tertii qui in Cretam immigrarunt Dores
sunt, quorum dux Teutamus, Dori posterorum vnus. is ma-
ximam coloniæ partem ex vicinis Olympo locis, partem et-
iam aliquam ex Achæis Laconiæ incolis (quod Dorus scili-
cet è Maléæ viciniâ expeditionis initium fecisset) collegisse
fertur. Quartum hominum genus ex promiscuis vndique
barbaris in Cretâ confluxit, qui tamen progressu temporis
eandem, quam cæteri ibi nati vsurpant linguam, assumse-
runt. Pòst, cùm Minois & Rhadamanthi potentia inualuis-
set, omnes hæ gentes in vnam communionem sunt redactæ.
Ad extremum, cùm post Heraclidarum reditum Argiui &
Spartani coloniis mittendis operam darent: tum alias quas-
dam Insulas frequentarunt, tum etiam in his suæ ditioni aç-
quisitis, vrbes nonnullas exstruxere. de quibus suo per occa-
sionem tempore à nobis explicatius disseretur. Quandoqui-
dem verò Creticarum rerum scriptores plærique omnes in-
ter sese dissentiunt; nemini mirum videri debet, si non omni-
bus consentanea hic à nobis exponantur. Illos enim secuti
sumus, quibus & probabilior est oratio, & fides maxima ha-
betur. Nunc enim Epimenidi Theologo, nunc Dosiadæ &
Sosicrati ac Laosthenidæ, nos accommodamus. Quia verò
de Creta iam affatim à nobis dictum est, ad narrationem de

LXXXII. Lesbo inde studium applicemus. A pluribus hæc olim
habitata fuit gentibus ob crebras inde factas emigrationes.
Primi quando inculta adhuc erat Pelasgi hanc occupârunt,
& hoc quidem modo. Xanthus Triopæ filius Pelasgorum,
qui ab Argis venerant, Princeps, quandam Lyciæ partem,
quam suæ potestatis fecerat, incoluit, & inter Pelasgos illuc
cum ipso profectos, rerum potitus est. hinc in Lesbum ad-
huc desertam traiecit, distributóque inter populares agro,
Insulæ, quæ prius Isa dicebatur, Pelasgię nomen indidit. Post
septem deinde ætates, cùm exorto Deucalionis diluuio plu-
rimi interiissent mortales: Lesbus etiam imbrium procellis

desolata est. Sed Macareus aliquando illuc delatus,& Insulæ pulcritudinem con emplatus,ad inhabitandum sibi eam delegit. Erat hic Macareus Iouis è Crinaco nepos (vt quidem Hesiodus & nonnulli poëtarum alii genus eius deducunt) Olenum Iados tunc vrbem,quę nunc Achaia vocatur,incolens. Congregatos autem habebat Iones,& ex aliis prætereà gentibus hinc inde plurimi ad ipsum confluxerunt. Et prima quidem sedes illi Lesbus erat. pòst, cùm & virtus Insulæ & sua ipsum humanitas atq; iustitia opibus magis amplificasset,propinquas etiã Insulas acquisiuit,agrumq; suis dispertiuit. Sub id tẽpus Lesbus quem Lapithas Æoli filius, Hippotæ nepos,progenuerat, oraculi Pythii monitu cum nouis colonis in hanc Insulam migrauit, & Macarei filiâ Methymnâ coniugio sibi deuinctâ, ex æquo illam participauit. Et clarior inde factus, Insulam nomine suo Lesbum,& incolas Lesbios,nuncupauit. Macareus enim duas generauerat filias,Mitylenen ac Methymnam, à quibus nomina ciuitates primariæ mutuatæ sunt. Vicinis etiam Insulis sibi mancipandis cùm animum adiecisset, coloniam primùm in Chium ducendi ex filiis vni curam delegauit. Pòst,alium in Samum legauit,cui nomen Cydrolaus. Is colonis agros descripsit ac sorte possidendos assignauit,rerumque ipse in Insula potitus est. Tertia quam Macareus asseruit, Cos erat, cui Neandrum cum imperio præfecit. In Rhodum deinceps emisit Leucippum,cum magnâ colonorum frequentiâ, cum quibus ob raritatem incolarum non grauatim receptis, agros Insulæ Rhodii communicârunt. At continẽs Insulis hisce aduersa magnis tum grauissimisque à diluuio calamitatibus premebatur. cùm enim pluuiarum inundatione fruges ad bene longum tẽpus pessundatæ manerent: ingens annonæ caritas inualuerat, & corrupti aëris vitio pestilentia ciuitates peruastabat. Interim expositæ ventis Insulæ; & salubres populo auras exspirantes;& propterea fructibus exuberantes;omni rerũ opulentia abundabant: vnde breui beata incolarum conditio reddebatur. Bonorum ergò copia in causâ fuit,vt beatorum Insulæ nominatæ sint. quidam tamẽ à Macarea & Ione,dominantium ibi filiis, Macarias vocitari autumant. Et profectò, felicitate eminent hæ Insulæ præ vicinis locis, non priscis tantùm ætatibus; sed etiam nostrâ. Cùm enim benignitate terræ;locorumq; opportunitate; ac

LXXIII.

salubri

salubri aëris temperie,excellant;non ab re vocantur, imò re verâ felices ac beatæ exsistunt. Macareus denique Lesbi rex primã sanciuit legẽ,quæ multa Reipublicæ vtilia cõtinebat, eamque leonem,à potentiâ & robore huius bestiæ,appellauit.

LXX I.

Post missam porrò coloniam in Lesbum,interuallo sat longo, Tenedus etiam colonos accepit, ad hunc sanè modũ: Tennes Cygni filius erat, Colonen in Troade sub ditione habentis,vir illustris virtute. hic adscitum colonorum agmen ex oppositâ continente traduxit; cumque eo Leucophrym Insulam colonis destitutam occupauit. Hanc distributo per sortem agro inter subditos, & nouâ exstructâ vrbe, Tenedũ à suo nomine vocitari iussit. Et quia Rempublicam præclarè administrasset,& bene de popularibus mereri studuisset,magnâ,dum vixit,gloriâ perfruebatur, & post mortem diuinis honoribus extollebatur.nam & templum illi construxerunt, & victimarum solennitate iuxta ac deum coluere: quæ religio ad recentiorem vsq; memoriam continuata est. Nec verò prætermittenda hîc nobis sunt, quæ de Tenedi vrbis Insulæque conditore Tenne à Tenediis referuntur. Cygnus (aiunt) pater Tennis iniquissimam vxoris calumniam verã esse ratus,filium in arcam compactum mari auferendũ dedit. hic à fluctibus in Tenedum eiicitur,& prouidentiâ dei alicuius,præter spem omnium seruatus, regno Insulæ potitur;& omnium illustrissimus iustitiæ, aliarumq; virtutũ gloriâ factus,ad immortales tandem honores adscendit. Quia verò nouercæ calumniis tibicem quidã falso testimonio adstipulatus fuerat,lex apud Tenedios statuta fuit, ne tibicinũ quisquam templũ ingrediatur. Tempore dehinc belli Troiani,cum Tennes ab Achille interfectus esset,quãdo Tenedus à Græcis vastabatur,aliam Tenedii legem sciuerunt,quâ nomen Achillis in conditoris sui fano enunciare nefas esset. Hæc itaq; de Tenedo & antiquis eius habitatoribus fabulantur.

LXXX V.

Postquàm verò insulas relatu maximè dignas recẽsuimus,minores etiã perstringemus. In Cycladibus olim insulis vasta erat solitudo. Minos autẽ Iouis & Europæ filius regnator Cretæ,cùm terrestribus & naualib⁹ instructus copiis imperiũ maris teneret,multasq; è Cretâ colonias huc illuc mitteret, Cycladũ etiã plerasq; ,agris sortitò diuisis,habitabiles fecit,nec modicã Asiæ littoralis partẽ suo imperio sub-

iunxit. ideoque & insularum & Asiæ portus Cretensium nomine celebres sunt, & Minoi nuncupantur. Minos ille magnâ iam auctus potentiâ, cùm Rhadamanthum fratrem cõsortem regni haberet, ob iustitiæ gloriam inuidere illi cœpit. vt igitur quàm longissimè facesseret, ad extremos imperii sui fines ipsum amandauit. Tum Rhadamanthus in insulis, Ioniæ Cariæque obiectis, vitam agens, Erythrum, vt cognominem sibi vrbem in Asiâ conderet, excitauit; & Oenopionem Ariadnæ Minoidis filium Chii principem fecit. Et hæc sane ante belli Troiani tempestatem acciderunt. post verò Troiæ desolationem, Cares amplificati opibus, maris imperio ad se pertracto, Cyclades etiam subegêre: quarum alias, Cretensibus exterminatis, sibi proprias fecerunt; alias communi cum pristinis Cretæ incolis iure possederunt. Sed confirmatâ postmodùm Græcorum potentiâ, Cycladum pleræque, barbarâ Carum gente procul facessere iussâ, horum possessioni vindicatæ sunt. de quibus conueniente deinceps tempore narratio peculiaris à nobis intexetur.

Sequentes libri, nempe sextus, septimus, octauus, nonus, decimus, deficiunt.

ECLOGA,

ECLOGA, SEV FRAGMENTVM, E SEXTO LIBRO BIBLIOTHECÆ Diodori Siculi excerptum ab Eusebio, libro secundo Euangelicæ præparationis.

I*Llorum ergo, quæ de diis apud Atlantios memorantur, capita hæc sunt. Et his simul Græcos vti affirmant. Eadem quoq; Diodorus habet in tertio historiarum libro. Idem etiā in sexto ab Euemeri Messenii narratione literis prodita hanc ipsam theologiam confirmat, dum sic ad verbum ait:* De diis igitur homines prisci geminas posteris sentẽtias tradiderunt. Quosdam enim sempiternos, nec corruptioni obnoxios esse dicunt, vt Solem & Lunam, cæteraque in cœlo astra. Adhæc ventos & alios similem istis naturam sortitos. Vnumquemque enim horum sempiternum habere ortum atque durationem. Quosdam verò terrenos esse deos; sed ob merita in homines præclara, honorem & gloriam consecutos: Quales sint Hercules, Dionysus seu Bacchus, Aristæus; & id genus alios. De terrestribus autem diis multa ab historicis & fabularum auctoribus & magnâ varietate memoriæ prodita fuerunt. Ex historicis equidem Euemerus, Hesiodus, & Orpheus, eiusdemque notæ alii, prodigiosiores de diis fabulas confinxerunt. Nos verò ab vtrisque in literas relata vt strictim percurramus, enitemur, dum mediocritatis rationem habemus. Euemerus itaque, regis Cassandri amicus, cùm ab eo regia quædam munia peragere, & longinquas suscipere peregrinationes cogeretur, procul meridiem versus in Oceanum delatus esse, fertur. Vbi postquàm ex Arabiâ felice soluit, nauigatione plurium dierum per Oceanũ, ad insulas quasdam, in alto mari sitas, appulerit: Quarum vna Panchaiæ nomine excellat, in quâ incolas ille Panchæos viderit religione præstantes, qui sacris magnificentissimis & donariis ex argento & auro preciosissimis deos venerentur. Insulam verò diis sacram, aliáque plura in eâ esse, tum vetustate, tum exquisito fabricaturæ artificio admiranda. De quibus in libris, qui hunc antecedunt, particulatim à nobis scriptum est. Exsistere porrò in eâ, in vertice montis editissi-

mo, Iouis Tryphylæi templum, ab ipso conditum, quo tempore inter homines adhuc versans, regium totius orbis imperium administrârit. Quo in fano aurea sit statua, in quâ literis Panchaicis capitulatim scriptæ exhibeatur Vrani, (cœli) Saturni & Iouis res gestæ. Posthæc ait primum regem Vranum fuisse, virum æquitatis & beneficentiæ studiosum, gnarumque siderum motionis. Qui etiam primus deos cœlestes honorârit, ideoque cœli (qui Græcis Vranus) appellationem obtinuerit. Filios autem illi ex Vesta vxore natos esse Pana & Saturnum; & filias Rheam atque Cererem. Et Saturnum regnasse post Vranum, ductâque in matrimonium Rheâ, Iouem Iunonem & Neptunum genuisse. Iouem dehinc excepto per successionem regno Saturni, matrimonio sibi iunxisse Iunonem, Cererem & Themin: Vnde procreârit Curetes è primâ; Proserpinam è secundâ; Mineruam ex tertiâ. Babylonem inde cùm venisset, Beli hospitio vsum. Et dehinc in Panchaiam, insulam in Oceano sitam, profectum, Vrani aui sui aram posuisse. Atque hinc per Syriam venisse ad Cassium, illâ tempestate principem: ex quo Cassius mons; inque Ciliciam progressum, Cilicem, loci præsidem, vicisse. Tum aliis etiam gentibus peragratis, honores consecutum apud omnes, deumque appellatum esse. *Hæc & his similia de diis, tanquam de mortalibus viris vbi exposuit, hanc narrationem infert:* De Euemero igitur, qui sacram illam narrationem conscripsit, hactenus recitata nobis sufficiant. Quæ verò fabulosè de diis apud Græcos commemorantur, succincta percurrere breuitate, Hesiodi, Homeri & Orphei vestigia secuti, conabimur.

Postea ordine Poetarum fabulas annectit.

GEORGIVS MONACHVS QVI CHRONICAM HISTORIAM GRÆCE conscripsit,

Ex Diodori Historiis de Corinthiorum Imperio.

CORINTHIORVM REGES.

HIs à nobis ita discussis,reliquum est vt de Corinthiâ & Sicyoniâ disseramus: quem ad modum à Doriensib⁹ incolas acceperint. Nam vniuersæ propemodum gētes Peloponnesi,demptis Arcadibus,in Heraclidarum reditu,sedibus pristinis emotæ sunt. Heraclidæ igitur in diuisione exemptam cùm fecissent Corinthiam, cum regione finitima,missis ad Aleten nunciis memoratam iam prouinciam illi tradebant. Hic vir illustris euasit, & Corintho amplificata,annos XXXVIII regnauit. Post huius obitum perpetuò natu maximus posterorum gubernacula regni tenuit, vsque ad tyrannidem Cypselli: quæ reditu Heraclidarum posterior est quadringentis viginti septem annis. Atqui primus apud Corinthios(post Aleten)regnum excep t Ixion ad XXXIIX annos. Post quem Agesilaus imperauit annos XXXVII. Et secundum hos Prumnes annos XXXV. & Bacches eius filius,temporis tantundem. Is nobilitate cunctos maiores supereminuit. ideoque euenit,vt qui deinceps regno præessent, non Heraclidæ sed Bacchiadæ appellarentur. Post hunc imperauit Agelas annos XXX. Eudamus annos XXV: Aristomedes XXXV. Hic rebus humanis exemtus Telesten filium reliquit,puerilis adhuc ætatis,cui gentile regnum patruus & curator Agemon abstulit, præfuitque annos XVI. Post illũ regnum obtinuit Alexander annos XXV. Sustulit eum Telestes paterno(iam pridem) elisus regno; & cum potestate fuit annos XII. eoque à gentilibus interempto. Automenes annum regnauit. Tum ab Hercule orti Bacchiadæ plures ducentis regnum occupârunt,omnesque communi potestate Rempublicam administrarunt. Sed vnoquoque anno Prytanim ex se creârunt,qui Regis loco esset:ad XC annum, & Cypselli dominatum vsque; à quo in ordinem redacti sunt.

Hi itaq; sunt Reges Corinthiorum.

IDEM GEORGIVS, DE PRISCO ROMANORVM ORTV.

E VII. Lib. Diodori Siculi.

NOnnulli ſcriptorum, neſcio quo errore in hanc opinionem deducti ſunt, Romulum ex filiâ Æneæ prognatum fundamenta Romæ iecisse. At cum rei veritate iſta non congruunt. quãdoquidem multi inter Æneam & Romulum, intermedio tempeſtatis decurſu, Reges exſtiterunt: cùm vrbs anno ſecundo Olympiadis ſeptimæ condita fuerit. Iſta enim conditio belli Troiani tempeſtatem plus quàm CCCCXXX annos conſequitur. Quippe Æneas, poſt excidium Troiæ tribus præterlapſis annis, regnum Latinorum in ditionem ac poteſtatem accepit, eóq; triennium potitus, ex mortalium conſpectu aufertur, & honores adipiſcitur immortales. Succedit in regno Aſcanius filius qui Albã condidit, quæ hodie Longa vocitatur. Hanc nominauit à fluuio, qui tunc quidem Alba, nunc verò Tiberis nominatur. At de appellatione iſtâ Fabius, qui res geſtas Romanorum deſcripſit, aliter fabulatur. Oraculum enim Æneæ editum refert; quadrupes illi viam monſtraturum, ad vrbis nouæ ſedes ponendas. Sed quid fit? Dum ſcropham albi coloris immolare apparat, hæc è manibus effugit, & ad collem quendam, perſequentibus illis, delata, XXX nefrendes parit. Æneas inopinabilem demiratus euentum, Deique reſponſum animo reputans, ipſe quidem incolas in locum iſtum deducere agitabat. ſed cùm in ſomno viſio quędam ſatis clara offerretur, quæ & inceptis obſiſteret, & poſt XXX demum annos ædificationem maturandam ſuaderet: ab inſtituto, vſque ad definitum annorum numerum abſtitit.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECÆ HISTORICÆ

LIBRI X.

Qui primam decadem sequuntur.

INDEX RERVM, QVAS XI. DIODORI LIBER complectitur.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE Liber XI.

LAVRENTIO RHODOMANO CHERVSCO interprete.

PROXIMVS ante hunc liber in toto historiæ nostræ contextu decimus, cum anno, qui proximè Xerxis in Europam transitum, & conciones in communi Græcorum conuentu ad Corinthum de adsciscendo in belli societatem Gelone, habitas, antecedit, conclusus est. In hoc, vt, quæ in perpetua rerum gestarum serie consequuntur, attexamus, ab expeditione Xerxis in Græciam exordiemur, & cum anno, qui Atheniensium expeditionem in Cyprum duce Cymone, præcessit, definemus. Athenis enim Archonte (id est *summo iudiciorum arbitro & moderatore*) Calliade, Consules Romani crearunt Spurium Cassium & Proculum Verginium Tricostum. Agebatur tunc apud Eleos septuagesima quinta Olympias, qua stadio vicit Asylus Syracusanus. Hac igitur tempestate Xerxes Persarum rex in Græcos bellum mouit, idque hanc per occasionem acci-

dit. Mardonius quidam Persa sobrinus erat Xerxi & affinis, in summa apud Persas ob prudentiam & fortitudinem admiratione. Hic sublimitate animi & ætatis vigore impulsus; in magnas imperium copias appetebat. Xerxi propterea auctor est & suasor, vt Græcos nomini Persico infestissimos, debellare contendat. Is in sententiam illius adductus; cùm quicquid Græcorum esset internecione delere constituisset; ad Carthaginenses de re communiter gerenda, legatos misit; atque ita cum illis conuenit, vt ipse Græciæ incolas inuaderet: Carthaginenses magnis eodem tempore copiis contractis Græcos, qui Siciliam & Italiã tenebant, bello opprimerent. Carthaginenses ergo, prout conuenerat, magnâ pecuniarũ vi collectâ, stipendiarios ex Italiâ & Liguriâ, Galliâ etiam & Iberiâ, conducunt. Ex omni præterea Libyâ & Carthagine ipsâ delectu habito; ciuiles copias conscribunt. Tandẽ triennium in apparatu occupati; exercitũ coëgêre ad trecenta hominum millia, & naues ducentas. Xerxes cũ Carthaginensium studio certans, omni bellicarũ rerum apparatu tanto eos infra se reliquit, quanto maiori gentiũ imperio superabat. Naues ergò per omnes vbiq; oras imperio suo subditas, Ægyptũ, Phœniciã, Cyprum, Ciliciã, Pamphyliã, Pisidiam, Licyam, Cariã, Mysiam, Troadém, vrbes Hellesponti, Bithyniamq;, & Pontũ exstruere cœpit. Et triennii spacio (vt Carthaginẽses factitârant) naues longas supra CIↃ CC comparauit. ad quod parens quoq; Darius ipsi adiumẽto fuit, qui in magnas apparatum copias ante mortẽ fecerat. Is enim, legato Datide, ad Marathonem ab Atheniensibus victus, infensum & hostilem victoribus animũ habebat. Sed iamiam in Grçciã transiturus, morte interceptus fuit. Xerxis itaq; & patris incepto, & Mardonii hortatu, (quod dictũ est) excitatus, Græcis bellum inferre decreuit. Omnibus ergò ad expeditionem iam paratis, nauium præfectis mandat, vt ad Cumam & Phocæam naues cogant. Ipse verò ex omnibus vndiq; prouinciis peditatu & equitatu contracto, è Susis tandẽ mouit. Simulac Sardeis ingressus fuit; præcones in Græciam cum his mandatis dimittit, vt singulas quasq; vrbes adeant, & ignem terramque à Græcis deposcant. Partito inde exercitu, partem quæ ad iungendum ponte Hellespontum, partem quæ ad perfodiendum Athon montem in Chersonesi Isthmo sufficeret, emittit; tum vt tutum exercitibus &

II.

quàm

quàm breuissimum pararet transitum:tum vt operũ magnitudine(prout sperabat) Grecos perterrefaceret. Ad hoc ergò expediendũ missi, quòd plurimarũ operæ manuum cõiunctę erant, statim opus confecère. At Greci quãtas in se Persæ copias ducerent, cognito, decies mille in Thessaliã armatos expediunt, qui transitũ ad Tempe occupent. Dux autẽ Lacedęmoniorũ tum erat Synetus, Atheniensiũ Themistocles. Hi per legatos à singulis ciuitatibus postulant, vt delectã militũ manũ, qui cõmuni aditus præsidio tueantur, mittãt. Cunctas enim Græciæ vrbes huic procubandi negotio implicare festinabant, vt cõmuni sic operâ bellũ cum Persis gereretur. At quia iã è Thessalis, aliisq; Græcis qui transitus illos accolebãt, pleriq; terrã & aquã profectis à Xerxe nunciis exhibuerant; desperatâ ad Tempe propugnatione, domum regressi sunt.

II. Hic verò operæ est precium recensere Græcos, qui Barbaris sese adiunxerunt, vt dum iustis ipsi notantur improperiis, alios à cõmunis proditione libertatis infamiâ sua deterreant. Ænianes igitur & Dolopes, Milesiique & Perræbi ac Magnetes, Barbaris adhæsère. Et cùm adhuc præsidium Græcorum ad Tempe excubaret, Achæi, Pthiotæ, Locri & Thessali. post eius verò discessum maxima Bœotorũ pars ad Barbaros defecit. Græci ergò in publico ad Isthmũ cõuentu decernebãt, eos qui sponte Persarum amplexi fuissent societatem, diis, bello feliciter confecto, decimandos esse. Ad alios verò à bello adhuc quiescentes mitti Legatos placuit; qui ad bellum, pro cõmuni omnium libertate cõiunctis opibus gerendum, illos exhortarentur. quorum alii sinceris animis ad societatẽ belli se coniunxerunt: alii in congruum sibi tẽpus rẽ suspendebant, de suâ tantùm incolumitate soliciti, & belli exitum præstolantes. Tum Argiui, missis ad comitia legatis, societatem ad hoc bellum obtulerunt, si pars aliqua imperii sibi concedatur. Quibus Senatus liquidè respõdit, siquidem grauius ducerẽt sub imperatore Græco militare, quàm Barbaro domino seruire, rectè ab armis sibi illos temperare. sin imperium Græcorũ affectent, ita ad gloriam hanc adspirãdum esse, vt res eò dignas priùs gerant. Posthæc cùm legati Xerxis aquã & terrã expetentes Græciã peruaderent, ciuitates vniuersæ ita responderunt, vt quanto libertatem cõmunẽ studio cõplecterentur, abundè demonstrarent. Xerxes verò vbi Hellespontũ iam stratũ esse accepit, perfossumq; Athon;

educto Sardibus exercitu, ad Hellespontum iter instituit. Cumque Abydum venisset, per pontem copias in Europam traduxit. tum per Thraciam ducens, complures à Thracib⁹. & finitimis Græcis milites adsumpsit. Iamque in locum, cui Dorisco nomen, peruentum erat, cùm classem, vt in vno loco vtriusque robur exercitus coniunctum haberet, accersit. Ibi totum quoque exercitum recensere placuit. & numerata sunt in terrestri exercitu pl⁹ quã IↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ octingenta millia: nauiumq; verò lõgarum summa excessit CIↃ CC inter quas CCC & XX Græcæ erant; rege naues quidem suppeditante, sed Græcis remigem atque militẽ. Reliquæ omnes Barbaræ. harum CC Ægyptii, CCC Phœnices instruxerunt. Cilices LXXX, Pamphylii CL, totidemque Lycii. Cares porrò LXXX. & Cyprii CL. Ex Græcis verò Dores, qui iuxta Cariam habitant, vnà cum Rhodiis & Cois, misêre XL: Iones cum Chiis & Samiis centum: Æoles cum Lesbiis & Tenediis XL: Hellespontii XXC, cum his qui Pontum accolunt; Insulani quinquaginta. Insulas enim omnes quæ intra Cyanéas & Triopium Suniumque continentur, rex sibi adiunxerat. Tantus ergò fuit triremium numerus. Præter hoc IↃ CCL erant equis vehendis accommodatæ, & CIↃ CIↃ CIↃ triginta remis instructæ. Atque ita Xerxes recẽsendo exercitu apud Doriscum occupatus erat.

Græcorum verò Senatui in comitiis, vbi renunciatũ fuit Persarum copias aduentare: classem ad Artemisium Eubœę illicò expediri placuit, quòd locum hunc ad occursandũ hostibus idoneum esse viderent. Armatorum quoque præsidium mitti ad Thermopylas, (ita *fauces* Græci *portas* vocant) quòd ad occupandum in faucibus illis aditus & arcendum ab ingressu Græciæ Barbaros idoneum esset. Nã illos qui Græcorum partes sequerentur, intra præsidia complecti, & salutem sociorum pro viribus tueri properabant. Classis vniuersæ præfectus erat Eurybiades Lacedæmonius. Missis verò ad Thermopylas Leonides, Spartiatarum rex, præerat, vir ob fortitudinem & imperandi solertiam excelsum gerens animum. Hic imperium adeptus, mille tantùm ad hanc se expeditionem sequi iubet. Ephorisque admonentibus exiguam nimis aduersus tantas copias manum duci, pluresque vt assumeret imperantibus; obscuro illis sermone & perplexè respondit, ad prohibendum quidem ab ingressu Barbaros

IV.

baros perpaucos: ad rem verò quā perfecturi erant, sat multos duci. Responsum hoc tam ambiguum & ænigmati non absimile cùm accepissent, rogant, num ad leue aliquod negotium militem ducere constituerit: Quibus ille verbo quidem tenus ad custodiendum aditus, re ipsâ verò ad oppetendum pro communi libertate mortem, respondet. Si enim mille secum proficiscantur, horum cæde multò clariorem fore Spartam: sin vniuersa exiuerit ciuitas, Lacedæmonē funditus interituram, cùm nemo illorum tuendæ salutis causâ fugere ausit. Lacedæmoniorum igitur mille, & cum his Spartani ccc, & ex cætera Græcorum societate cIↃ cIↃ cIↃ remanserunt. Cum his quatuor millibus Leonides ad Thermopylas ire contendit. Interea Locri prope aditus habitantes aquam & terram Persis tradiderant, occupaturos se quoque aditus polliciti. At cùm de aduentu Leonidæ ad claustra illa cognouissent, sententiâ reuocatâ, in partes Græcorum transeunt. mille igitur Locri & totidē Milesii & Phocensium non pauciores mille ad Thermopylas venêre. nec non ex alterâ Thebanorum factione ad cccc. nam Thebani de Persarum societate diuersa inter se sentiebant. Hæc itaque militum summa est, qui Leonida duce in Thermopylis, ad excipiendum Persarum aduentum congregati substiterunt.

V. Xerxes autē recensito copiarū numero, cum vniuerso statim exercitu progreditur, & ad Acanthum vsque vrbem, vniuersâ classis iuxta nauigans terrestrem exercitum comitatur. Inde per effossum alueum itinere compendioso, tutóque, in alterum mare transportantur. Iamque in Eliacum delatus sinum, aditus ab hostibus iam insideri cognoscit. Contractis igitur denuò copiis, Europæos quoque socios accersit ducentis millibus non multo pauciores, ita vt, præter nauales copias, non minus decies cētenis millibus sub signis haberet. Vniuersa autem turba, tū quæ in lōgis nauibus erat, tum quæ res venales & cætera impedimenta vectabat, superiori numero non inferior censebatur. Quare minime vtiq; miranda sunt ea, quæ de multitudine hominum à Xerxe coactorum memorantur. fluuios enim perennes, assiduo multitudinis exhaustu desiccatos, & maria velorum obtentu contecta fuisse, perhibent. Exercituum igitur, quos vlla vnquam historiarū monumenta re-

censent, à Xerxe ductati, omnium maximi fuisse, traduntur. Persis itaque ad Sperchii flueta castra metatis, Xerxes nuncios in Thermopylas misit, qui simul explorarent, quo animo bellum aduersus ipsum gererent, simulq; edicerent, regẽ iubere, vti ab armis discedant, tutiq; & incolumes in patrias sedes remeent, & Persarum dehinc societatem colant. quod si facerent, agros se Græcis daturum longè istis, quos colerent, ampliores vberioresque. Auditis nunciorum mandatis Leonides respondit: se, siue regis socii fiant, vtiliores cum armis fore, siue pugnare cogantur, cum armis generosius pro libertate decertaturos. De agris à rege promissis hoc renunciandum: patrium Græcis esse non improbitate, sed virtute terras parare ac tueri. Rex accepto per nuncios Græcorum responso, Demaratum Spartiatã, qui ex patriâ ad ipsum profugerat, accersiuit, & responsum irridens à Lacone quæsiuit, vtrum velociùs equis suis fugituri essent Græci, an tantis exercitibus aciẽ opponere auderent? Tum Demaratũ ita respondisse ferunt: Virtutẽ Græcorũ, Rex tu ipse nõ incompertã habes, quippe cùm barbaros, imperiũ tuum deserẽtes, Græci militis virtute debelles. Non igitur existimes, qui pro imperio tibi tuendo fortiùs quàm Persæ ipsi dimicant, pro suæ defensione libertatis contra Persas minus periculi subituros. Xerxes cum risu hominis dicta eludens, vt se sequatur iubet, quò Lacedæmoniorum fugam mox conspicetur. Promotis inde castris, ad Thermopylarum angustias peruenit, in prima fronte Medos cõstitutos habens: seu quòd propter animi robur eos præferret, seu quòd vniuersos deletos cuperet. Elatos enim adhuc animos faciebat Medis principatus, non ita pridem maioribus suis ademtus. Quin etiam in Medorum tum agmine erant, quorum propinqui in pugnâ Marathoniâ occubuerant. Fratres ergo & liberos interfectorũ ad Marathonem in conspectum Medorum statuit, hos de Græcis vltionẽ exacturos animosissimè, persuasum habens. Hunc ad modum in primâ acie collocati Medi in præsidiũ, ad calidas constitutum portas impressionem faciunt. Leonides verò probe instructus, Græcos in parte faucium, quâ sunt angustissimæ, constipatos opponit. Atrox inde prælium exortum. Dum enim barbari virtutis inspectorem & testem habent regem ipsum; Græci verò & libertatis memoriâ, & hortatu ducis ad certamen accenduntur; mirifico

VI.

VII.

tum

tum conflictu disceptatur. Et quia collato pede res geritur, & cominus vulnera vltrò citróque inferuntur, condensato vtrinque agmine, pugna diu anceps permansit. Græcis autem virtute & scutorum magnitudine præualentibus, vix tandem Medorum acies inclinare cœpit. Multi enim ex his ceciderant, nec pauci vulneribus confecti erant. Proximum ergò locum in acie obtinentes Cissii, quorum insignis erat virtus, illis in pugna successerunt. Ac licèt recentes & integri cum defatigatis committerentur, exiguum tamen ad tempus periculum sustinebant, sed à Leonidæ militibus, cæsi pulsique in fugam vertuntur. Nam barbari scutis peltisque breuibus vtentes in aperto campo, ob expeditum corporis motum, meliori pugnæ conditione erant; in angustiis verò locorum non facilè constipata hostium corpora magnisq; obtecta scutis vulnerare poterant; ideò leuis armaturæ præsidio inferiores, ictus crebriores accipiebant. Xerxes tandem cernens omnem circa aditus locum cadaueribus stratum, nec virtutem Græcorum à Barbaris tolerari posse, lectissimos ex Persis mittit, quos *immortales* scilicet vocant, quique strenuitate commilitonibus vniuersis antecellere putantur. Verùm & hi ad breue restitantes tempus fugam capessunt. Et tum quidem nox interueniens prælium diremit, magnâ Barbarorum cæde factâ: paucis verò in Leonidæ exercitu desideratis.

VI. Postridiè Xerxes pugnâ longè alium, atque ipse animo præceperat, exitum sortita, ex omni gentium turbâ, qui virili robore ac confidentiâ præstare videbantur, delegit, & multa obtestatus affirmat, si vi claustra perrumpant, magnificis eos muneribus se cumulaturum; sin fugiant, mortem fugæ præmium fore. Illi verò magno globo & violento impetu in Græcorum aciem feruntur. Leonidæ milites contrà inter se conserti, acieque ad muri speciem firmata, certamine hostem acerrimo excipiunt, eoque alacritatis prouehuntur, vt succedere tum in pugnâ solitos non admitterent: sed laborum molestiis assiduitate victis, plurimos Barbarorum delectissimos sternunt atque cædunt. & quis fortius die in conflictu perpetuet, inter se certant. Veteranos enim iuuenum vigor ad eminentiam virtutis exstimulat: iuuenes experta senum virtus & gloria ad æmulationem excitat. Tandem etiam delectis in fugam effusis, statio Barbarorum ad hoc ordinata, densò fugam agmine illis intercludebat. côuersi

ergò prælium instaurare cogebātur. Anxio ob id rege & verente, vt quisquam deinceps pugnam cum Græcis tentare ausit, Trachinius quidam eius regionis incola, cui diuerticula montium nota erant, Xerxem accedens, pollicetur, se per angustum quendam tramitem, & abruptum Persis ducem fore, vt agmen sibi adiunctum Leonidæ copias à tergo inuadant. Hoc demum pacto eos vtrinque circumuentos non magno negotio deleri posse. Quo audito rex, in maiorem modum lætatus, amplis Trachinium præmiis adficit; & mox viginti bellatorum millia, qui eum sequantur, noctu dimittit. Quidam verò in exercitu Persarum, cui Tyrastiadæ nomen, genere Cumanus, honestatis amans, & moribus probatis, noctu è castris elapsus, ad Leonidam se proripit, & quid Trachinius moliatur ignorantibus aperit. Quo IX. nuncio Græci accepto; circa medium noctis concilium aduocarunt, deque ingruenti periculo inter sese consilia cœperunt. Erant qui sentirent, aditus confestim relinquendos, & ad socios, re adhuc saluâ, reuertendum esse. Fieri enim non posse vt si subsisterent incolumitatem suam retinerent. At Leonides Lacedæmoniorum rex, sibi ac Spartanis ingens gloriæ decus comparare studens, omnia cæterorum auxilia Græcorum discedere, ac salutis curam gerere, vt in aliis rempublicam præliis adiutare queant, iubet. solis interim Lacedæmoniis permanendum, nec deserendam aditus propugnationem, edicit. Principes enim Græciæ decere, de palmâ virtutis (*primatu*) certantes, sine tergiuersatione fortiter occumbere. Dimisso concilio reliqui statim omnes inde abscedunt, Leonidas verò cum ciuium manu res heroicas ac stupendas designauit. Cùm enim pauxillum esset Lacedæmoniorum (Thespienses namque solos retinuerat) ita vt vniuersi numerum quingentûm non superarent, ad sponte oppetendum pro libertate & gloriâ Græciæ mortem sese accingit. Interea missi cum Trachinio, difficultatibus locorum circumitis, impigrè Leonidæ copiolas in medio concluserant. At Græci, qui iampridem spe salutis abiectâ, gloriam vitæ prætulerant, vna voce ducem orant & obtestantur, extemplò sese in hostem vt ducat, antequàm suorum Persæ circuitum cognouerint. Leonides alacritate militum approbatâ, properè ita prandere iubet, vt apud Ditem cœnaturos. Et ipse prout iusserat, statim cibum sumit.

sic

sic enim ad longius eis tēpus & vires suppetituras, & constā-
tiam in periculis duraturam. cùm post festinam corporum
refectionem iam præstò essent omnes; vt in castra hostium
irruant, & obuium quemque trucident, dum ad ipsum regis
prætorium sint progressi, imperat.

X. Hi imperio obse-
quentes, conferto sub noctem agmine in castra Persarum ir-
rūpunt. Barbari quibus improuisum hoc & repentinū, ma-
gno cum tumultu ac sine ordine è tabernaculis concursant,
& quia copias Trachinio adiunctas periisse, omnesq; Græ-
corum exercitus sibi incumbere opinantur, consternati tre-
pidant. Magna igitur à Leonidanis Persarum strages edita,
maiorque ab ipsis inter sese Persis, dum hostem ab amico
non dignoscunt. Nam quia nulla per noctem veri cognitio,
& pauor totis inualescebat castris, non mirum, fœdam tunc
hostium cædem fuisse commissam, mutuis enim cædibus
grassantur, nec illa rerum conditio certi quid explorari sinit.
propterea, quòd nec ducis imperium, nec tesseræ inquisitio,
nec certus animorum status esset. Quod si rex in prætorio
substitisset, facilè à Græcis neci datus, subitò toti finem bel-
lo imposuisset. at iam ad primam tumultus famā illinc pro-
silierat. Græci autem irruptione facta, plerosque omnes in-
ibi offensos iugulant. Ipsum verò Xerxem, dum nox illis fa-
uet, per tota vagantes castra, inquirunt. At die exorto, &
quid rei sit cognito, Persæ Græcorum paucitatem quampri-
mùm contuentur, despicatui quidem habent: sed tamen ex
aduersum illos, virtute hominum deterriti, aggredi non au-
dent. à latere igitur & tergo circumglobati, iaculis & sagittis
vndique impeditos confecêre. Cū Leonida igitur pro Ther-
mopylarum aditu tuendo excubantes hunc vitæ exitum ha-
buère.

XI. Quorum virtutibus quis non in admirationem
rapiatur? qui vna mente stationem à Græcia sibi attributam
non deserendā esse statuerunt, animasq; suas profusè liber-
tati Græciæ totius impenderunt, & honestè vitam amittere,
quàm turpiter retinere consultius iudicarunt. Nec Persarum
trepidatio cuiquā incredibilis videatur. Quis enim factū hoc
suspicatus fuisset? cuinā in mentē venisset, quingentos cētum
myriadibus, (i. e. *decies centenis hominū millibus*) vim hostilē
inferre ausuros? Idcircò quis ex postgenitis tātorū virtutē vi-
rûm nō imitandam sibi ducat? qui malis vndiq; circūuallati,
corporibus quidē succubuerūt, animis tamē inuicti permāsêre.
Ideo hi soli omniū q memorantur victi, illustriores euaserūt,

quàm alii honeſtiſſimas victorias adepti. Nõ enim ex facto- «
rum euentu, ſed conſiliorum delectu de bonis viris iudican- «
dum. illum namque fortuna in poteſtate habet, hic ex ratio- «
ne cuiuſque æſtimatur. Quis enim præſtantiores hiſce viros «
extitiſſe vnquam, arbitretur? qui nec milleſimâ parte hoſti-
bus pares, incredibili hominum multitudine ſuam opponere
virtutem auſi ſunt; non quod tot millia ſe profligaturos ſpe-
rarent; ſed quòd ſtrenuitate omnes ante ſe genitos ſupera-
tum à ſe iri confiderent. Pugnam quidem ſibi cum Barbaris
eſſe rati, ſed certamen iudiciumque gloriæ cũ vniuerſis, quos
virtus admirabiles fecit vnquã. Soli etenim poſt hominum
memoriam patrias tueri leges, quàm proprias retinere ani-
mas, maluerunt. Nec à maximis ſe inuadi periculis ægrè fe-
rebant, ſed huiuſmodi certamina virtutis cultores experiri, in
optatiſſimis habebant. Maiori igitur iure communis Græ-
ciæ libertas his accepta refertur, quàm cæteris, qui iuſtis de-
inde præliis Xerxem ſuperarunt. Nam iſtorum memoriâ
facinorum animi Barbaris fracti ſunt, Græcorum verò ſpiri-
tus ad ſimile fortitudinis decus accenſi. Soli denique homi-
num ex priſcâ memoriâ, immortalitati, ob virtutis excellen-
tiam ſunt tranſcripti. Ideò non ab hiſtoricis duntaxat, ſed
poëtarum quoque multis, fortitudinis horum laudes cele-
bratæ ſunt. Inter quos Simonides poëta Melicus dignum
virtute ipſorum encomion fecit, in quo hæc verba:

His, qui ad Thermopylas cadebant,
Sors celebris contigit, fatumque pulcrum.
Ara eſt tumulus, proauos recordans;
Fit exitium laus. Funereum ſed amictum
Hunc nec tempus omnia edens vorabit,
Nec ſitus, virum bene qui meruêre.
Græciæ laudem incolarum
Ædicula hæc capit.
Teſtis horum Leonides
Rex Spartæ celebris:
Virtutis hic relinquens
Famam perpetuumque decus.

XII. Iam, vbi ſat verborum de virorum tàm præſtantium virtute à nobis factum eſt, ad cætera ſuperioribus connexa regrediemur. Xerxes enim ad eum quem diximus modum tranſitu potitus, quòd perpaucis hoſtiũ cæſis longè maiorem

de ſuis

de suis numerum amisisset, Cadmæam (vt in prouerbio est) victoriam obtinuit. Terrestri igitur expeditione claustris in potestatem redactis, mari quoque belli fortunam experiri statuit. Et confestim Megabate præfecto classis ad se accersito, in nauales Græcorum copias ducere, totaque classe pugnam cum illis conserere iubet. Ille regis imperata exsequuturus, è Pydnâ Macedoniæ cum vniuersâ classe soluit, & ad extremam Magnesiæ oram, quam Sepiadem appellant, defertur: Hic magnâ ventorum procellâ iactatus, de nauibus longis amisit triremes plusquàm CCC; hippaginum verò, & id genus aliarum ingens erat numerus. Pacato dehinc vento Aphetas, Magnesiæ vrbem appulit. inde CCC emittit triremes, ducibus mandãs vt Eubœam circumuecti ad dexteram hostes includant. Græci verò ad Artemisium Eubœæ stationem habebant, triremibus in vniuersum CCLXXX; inter quas CXL Atheniensium, cæteræ aliorum erant Græcorum. Summus nauium præfectus (*Nauarchum* Græci vocant) Eurybiades fuit Spartanus. Quæ ad classem aliàs pertinebant, Themistocles Atheniensis curabat. Hic vir ob prudentiam ac rei militaris peritiam singularem, magna, nõ solum apud Græcos classiarios, sed ipsum quoq; Eurybiadem, auctoritate pollebat, omnesque ad imperium intenti vltrò parebant. Cum verò inter nauium ductores de pugnæ naualis ratione consilia tractarentur, alii quidẽ omnes in loco persistendum, hostisque incursum operiendum esse censebant. Solus autem Themistocles aduersam tuebatur sententiam, perpetuò vtilissimum esse docens, instructâ hostem classe inuadere. Si enim coniunctis nauibus in aciem per tumultum adhuc dispersam, vt quæ variis disiunctisque portubus exeat, incursionem faciant, maiorem ipsos commoditatem habituros. Tandem igitur de Themistoclis sententia cum classe vniuersa in hostes inuehuntur. Ibi cùm Barbari ex multis hinc inde portubus se expediunt, acies Themistoclis cũ dissipatis & incompositis, adhuc Persis conserta, multas hostium naues demersit, nec pauciores ad continentem vsque fugere compulsos insectatur. Adunatâ interim classe vniuersâ fortique pugnâ initâ, parte quadam nauium vtrique superiores erant, plenâ tamen neutri victoriâ potiebantur: donec interuentu noctis prælium diremtum est.

XIII. Post hunc conflictum atrox oborta tempestas, com-

plures extra portum naues in statione deprehensas pessum dedit. Itaque Numen ipsum Græcis suppetias tulisse videtur, vt nimirum multitudine Barbaricarum nauium deminutæ, vires Græcorum pares essent, & molem nauticorum conflictuum sustinere possent. Exin fiducia Græcis magis ac magis aucta: barbari contrà ad pericula timidiores facti. Sed tamẽ vbi ex naufragio sese recollegêre, cum vniuersis in hostẽ nauibus tendunt. Græci verò quinquaginta triremibus Atticis aucti, compositâ acie hostes excipiunt. Pugna hæc non absimilis erat alteri ad Thermopylas gestæ. nam Persæ vi Græcos perrumpere, & in Euripum traiicere cogitabant. at Græci fauces illas, adiutantibus in Eubœa sociis obfirmabant. Atroci igitur pugnâ rursum commissâ, multæ vtrinque naues sunt corruptæ. Et nox prælium intercipiens ad suos quẽque portus reuerti compulit. In vtraq; pugnâ fortissimè rem gessisse ferunt à Græcorum parte Athenienses, à barbarorũ Sidonios. Postquàm de rebus ad Thermopylas gestis Græci certiores facti Persas, terrestri itinere Athenas contendere audiuerunt, consternatis erant animis. Ideoque ad Salaminem regressi illic subsistunt. Tum Athenienses, vbi suos Athenis relictos in summo vniuersos periculo versari cernunt, liberos, vxores, & cætera ad vsum necessaria, quæcunque tum possent, nauibus imponunt, & in Salaminem transportant. Persarum nauarchus Græcorum discessu cognito, Eubœam cum omni classe appellit. & Istiæorum vrbem vi captam diripit, totamque regionem armis subactam depopulatur. Dum hæc geruntur, Xerxes à Thermopylis digressus, per Phocensium fines iter facit: oppida passim excindens, & quicquid regio illa possidebat, corrumpens. Phocenses verò Græcorum societatem amplexi, cùm se ad resistendũ impares viderent, cunctis vbique vrbibus relictis in auia & difficilia Parnassi profugerant. Posthæc Dotiensium peruadens agros, ab iniuriis abstinet. socia enim Persis arma iunxerant. sed parti copiarum ibi relictæ mandat, vt Delphos inuadant, & incenso Apollinis templo sacras inibi opes exspolient. Ipse interim, cum reliquorum exercitu barbarorum in Bœotiam progressus, castra metatur. Missi verò ad oraculi direptionem ad Pronoëa (id est, *prouida*) vsque Mineruæ templum processerunt. Ibi ex improuiso repentè magna vis imbrium ex aëre decidit, cum immani fulminum

XIV.

minum crebrorum procellâ: & abſciſſæ tempeſtate rupes in
Barbarorum exercitu ſtragem edidêre. quo deûm portento
exſternati Perſæ concitata inde fugâ ſe proripiunt. diuinâ ita-
que prouidētiâ factum eſt, vt vaticinii in Delphis ſedes dire-
ptionē tum effugeret. quam deûm præſentiam vt immorta-
libus ad poſteritatē monimentis teſtatā Delphi facerēt, tro-
pęo ad Pronœę Mineruę fanū erecto, Elegiā hāc inſcripsêre:

Teſter vt antiqui robur palmamq; duelli,
Votiuum Delphi me ſtatuêre Ioui.
Auſpice qui Phœbo Medûm pepulêre cohortes;
Fortiter & nitidam huic aſſeruêre domum.

Xerxes verò per Boetiam ducens, vaſtatis Theſpienſium
agris Platæas à ciuibus deſertas incendit. Vrbium enim ha-
rum incolæ cum familiis rebusque vniuerſis in Peloponne-
ſum inde profugerant. Tum in Atticam irruptione factâ, a-
gros depopulationibus vrbemque exſcindunt, deûmq; fana
& delubra flāmis abſumunt. Rege circa hæc occupato, claſ-
ſis Perſarum ex Eubœâ ſoluit, inſulâ prius & maritimis locis
Atticæ ad vaſtitatem redactis. Per id tempus Corcy-
ræi triremibus LX inſtructis circa Peloponneſum ſubſiſte-
bant, quod Maleæ promontorium (vt ipſi cauſantur) cir-
cum flectere nequirent: vel, quod ſcriptores nonnulli tra-
dunt, quò bellum vergeret, expectaturi: vt ſi Perſarum eſſet
victoria, terram & ignem his offerrent: ſin à Græcis ſtaret,
auxilio ipſis veniſſe exiſtimarentur. Athenienſes verò ad Sa-
lamina commorantes, vbi Atticam exuri vident, templum-
que Mineruæ dirutum audiunt, animis ſupra modum per-
turbatis erant. Ingens cæteros quoque Græcos formido in-
ceſſit, cùm vndique in vnâ tandem ſe Peloponneſo circum-
ſideri cernerent. Viſum ergò vt omnes copiarum duces in
concilio decernerent, quo naualis pugna loco ineunda eſſet.
Multis vltrò citróque ventilatis, Peloponneſii, de ſuâ tantùm
incolumitate ſoliciti, ad Iſthmum certamen committēdum
eſſe cēſebāt. ſi enim valido hic muro ſit præcinctus, re minus
proſperè forſitan mari geſtâ, profligatos in Pelopōneſum,
vt obuium ſalutis receptum, confugere poſſe. quod ſi in exi-
guam Salaminis inſulam ſe incluſerint, inexplicabilibus
malis ſe intricaturos. At Themiſtoclis conſilium erat; ad
Salaminem nauali cum hoſtibus prælio eſſe decernendum.
Longè enim meliori conditione futuros; ſi paucis nauigiis
aduerſus naues multò numeroſiores in anguſtiis decertarēt.

at contra vicinum Isthmo Pelagus ad nauale ipsis prælium omninò incommodum fore demonstrabat. in aperto enim tum mari confligendum esse: vbi, cùm ad explicandam hostium classem sat loci pateat, naues paucæ à longè pluribus facilè subiugantur. Cùm hæc & alia multa pro re opportunè disseruisset, omnes in sententiam suam ita adduxit.

A communi tandem decreto de pugna iuxta Salaminem facienda Duces Græcorum ad conflictum contra Persas necessaria comparant. Eurybiades igitur adiuncto Themistocle hortari turbam, & ad ingruens animare periculum, instituit. At cùm Persicarum magnitudinem virium vniuersi exhorrescerent; nemo erat, qui se Ducibus attemperaret: sed pro se quisq; à Salamine in Peloponnesum traiicere properabat. Nec minus terrestris Græcorum exercitus propter stupendas hostium copias in pauorem cõiectus erat. Nam præstantissimorum ad Thermopylas virorũ internecio eos perculerat; & Atticæ calamitas oculis obuersans, magnam Græcis consternationem attulerat. Senatus itaque Græcorum illic de republicâ consultantium, perplexitatẽ vulgi ad trepidationẽ videns, de obsepiendo Isthmum muro decretum fecit. Opus illud studio operantium & frequentiâ celeriter absolutum dedêre. Atque sic muro Peloponnesii se præmuniére per XL stadia, à Lechæo ad Conchreas vsque porrecto. Classis autem, ad Salaminem adhuc resistens, eò formidinis deuenerat, vt ducum amplius imperia accipere nollet. Themistocles ergò videns ab Eurybiade, summo classis duce, turbatæ multitudinis impetum cohiberi non posse; & multum tamen in angustiis circa Salaminem ad victoriam adiumenti fore: tale quid commentus est. Cuidam ad Xerxem transfugiendi auctor fuit, qui pro certo nunciaret, naues Græcorum arreptâ ex Salamine fugâ, ad Isthmum congregari velle. His nunciatis fidem ob verisimilitudinem habens Xerxes, sine cunctatione impedire institit, ne nauales Græcorum copiæ cum pedestribus cõiungerentur. Ægyptiorum igitur naues extemplò ad obsidendum fretum, Salamini & Megaridi interiectum mittit; reliquum classis ad Salaminem expeditum hostes aggredi, naualique cum illis prælio disceptare. Triremes in suas ordine gentes distributæ erant: vt linguæ eiusdem societate atq; notitiâ adiuti, promptiùs alteri alteris opem ferrent. In hac

ordinatione

ordinatione classis dextrum cornu Phœnices tenuêre, sinistrum Græci cum Persis coniuncti. Ionum duces interim Samium quendam ad Græcos clanculùm amandarunt, qui de regis proposito & totâ acie, deque suâ inter pugnandum à Barbaris defectione illos redderet certiores. Quæ cùm Samius post occultam ad Græcos tranatationem Eurybiadi aperuisset; Themistocles non parum lætus, stratagema prout cupierat, successisse, multitudinem ad conflictum exhortabatur. Græci promissis Ionum alacriores facti, & præsenti rerum conditione ad dimicandum præter animi decretum impulsi, è Salamine propensis ad pugnam animis descendunt.

IX. Dumque acies ab Eurybiade ac Themistocle in ordinem disponitur, læuum cornu Athenienses & Lacedæmonii occupant Phœnicum nauibus oppositi. (Gloria enim non parum tunc Phœnices, tum propter nauium multitudinem, tum propter rei nauticę peritiam à maioribus acceptam, excellebant.) Ægynetæ verò dextrum cornu cum Megarensibus explebant. hi enim maximum post Athenienses nauigandi vsum habere, & acerrimè dimicaturi putabantur, quod soli Græcorum nullum, si infeliciter sors prælii euenisset, refugium haberent. Mediam aciem reliqua Græcorum turba obtinebat. Ad hunc instructi modum exeunt: fretum quod inter Salaminem & Herculeum occupant. Rex verò suæ classis imperatori mandat, vt mox in hostes incurrat. ipse in locum quendam è regione Salaminis se recipit, vnde prælii contuitus pateret. Principio sanè, dum patenti incedunt æquore Persæ, ordines seruant: angustias verò ingressi, nauium haud nihil auellere coguntur; vnde tumultus cæteris iniectus non mediocris. Tum imperator aciem præcedens, primus cum hoste manũ conserit; & præclarè dimicans occumbit. cuius naue submersâ, trepidatio totam inuadit classem. multi siquidem erant qui imperarẽt; sed non eadem à singulis imperabantur. ideoque nec prouehi vlterius ausi, nauibus inhibitis in apertum sese æquor retrouertebant. Quam Barbarorum trepidationẽ Athenienses conspicati, concitatis in hostem remis feruntur, nauiumque alias rostris impetitas feriunt, aliis remorum alas detergunt. Multas enim triremes in transuersum actas frequenti rostrorum inflictu vulnerant. Idcircò dum puppim amplius inhibere nequeunt, fugam retrò capessunt.

X. Iamque

Phœnicum & Cypriorum nauibus, ab Athenienſium claſſe profligatis, Cilicum adhuc naues & Pamphylorum Lyciorumque proximè illis adhærentes, primò quidem acriter reſiſtebant: aſt vbi validiſſimas in fugam naues iam actas viderunt, & ipſi ex certaminis periculo excedunt. In altero verò cornu cùm fortiter dimicaretur, dubius aliquandiu fuit exitus. Sed vbi fugatis ad terram Phœnicibus Athenienſes in Cyprios quoque ſe conuerterant, impetum iam horum non ſufferre valẽtes, Barbari terga verterũt, multasq; in fuga naues amiſêre. Ita virtute ſuperiores Græci nobiliſſimã de Barbaris nauali pugna victoriam conſecuti ſunt. Naues inter dimicandũ Græcis XL, Barbaris ſupra CC deperiêre, præter vnà cum viris captas. At rex præter ſpem ita victus, Phœnicum fugæ principũ, maximè ſontes vita multat, cæterisq; dignam meritis pœnam interminatur. quarum perterriti metu, tum quidem in Atticam contendunt, ſed nocte poſterâ in Aſiam tranſmittunt. Themiſtocles autem victoriæ huius autor meritò habitus, aliud illo non inferius ſtrategema comminiſcitur. Formidantibus enim Græcis terreſtri prælio cum tot millibus confligere, copias hoſtium terreſtres hoc modo diminuit. Pædagogum natorum ſuorum ad Xerxem legat, qui nunciet, Græcos ad Pontem in freto diſſoluendum nauigare conſtituiſſe. quæ rex vera credens, quia ſpeciem veri haberent, perculſo timere animo cœpit, ne Græcis mari potitis, tranſitus in Aſiã ſibi intercluderetur. Ideò quamprimũ in Aſiam ex Europâ traiicere ſtatuit; relicto in Græciâ Mardonio cum lectiſſimo equitum peditumque robore, quorum ſumma quadringentis hominum millibus non minor erat. Ita Themiſtocles gemino militaris ſolertiæ commento præclaros victoriæ ſucceſſus Græcis procurauit. Nos iam res in Europâ geſtas, quantum ſatis eſt, perſecuti, ad externa deinceps narrationem transferemus. Carthaginenſes enim, vt inter ipſos & Perſas conuenerat de Græcis in Siciliâ per idem tempus debellandis, ingẽtem rerum bellicarum apparatum fecerant. Cunctis igitur rebus probè paratis, Amilcarem belli ducem eligunt, virum ſingulari apud ciues auctoritate præditum. hîc copiis, quæ & terra & mari rẽ gererẽt, aſſumtis, Carthagine ſoluit. Terreſtris autem exercitus CCC millibus non erat inferior, nauesque plures MM, & præter has onerariæ cõplures vltra MMM, quibus commeatus vehebatur.

XX.

hebatur. Interea verò dum Libycum traiicit pelagus, tempestate adflictus, nauigia quibus equi & currus transuehebantur, amisit. & Panormum, Siciliæ portum, inuectus, bellum se confecisse ait, veritum hactenus, ne maris beneficio periculum Siculi deuitarent. Ibi per triduum exercitu recreato, resartisque naufragii damnis, aduersus Himeram duxit, classe latus eius comitante. Vbi ad vrbem peruentum: bina ponit castra, hæc terrestribus, illa nauticis destinata copiis. tum quicquid est nauium longarum subducit, profundâ eas fossâ, ligneoque vallo circumdans. Et terrestris castra exercitus ita muniit, vt aduersa vrbem fronte contuerentur, à nauali inde muro ad imminentes vrbi colles producta. Cúmque totam ab occasu partem ita circumuallasset; commeatu naues onerarias euacuat, & quicquid harum est reliquum ad annonam cęterasque res venales ex Africa & Sardinia conuehendum emittit. Ipse verò cum manu delectâ ad vrbem tendit, & Himeræos obuiam progressos fundens, magnum obsessis terrorē incussit. Idcirco Theron Agrigentinorum princeps, qui magno satis præsidio ad Himeram tutandam iam antea missus fuerat, metu perculsus properè ad Gelonē Syracusas misit, qui quàm celerrimè opem sibi ferri rogitarent.

Gelon expeditas iampridem copias habens, trepidatione Himerensium cognita, absque mora Syracusis educit peditum non minus L M, & equitum plus quam DC; rapidoque itinere contendens, quàm primum ad Himeram accessit, à terrore Punici exercitus ad fiduciam oppidanorum animos reuocauit. Nam verò ipse castris locum ad vrbem deligit, eaque vallo fossâque profundâ circumdans munit, tum equitatum vniuersum in hostes, pabulandi ac populandi gratia per regionem illam dispersos, emittit. Hi Barbaros, absque vllo ordine palantes, inexspectatò aggressi, tanto captiuorum numero potiuntur, quantum quisque ducere potuit. vltra decies enim mille in vrbem perducti sunt. quo ingentem sibi Gelon auctoritatem & gloriam comparauit. Atque inde hostis apud Himeræos contemni cœpit. Alia quoque deinceps non minore fiducia prosequitur omnes enim portas; quas præ timore hostium Theron ante exstruxerat, ipse per contemptum hostis contra destruit, & alias quæ ad necessarios sibi vsus pateant, adornat. Summa; Gelo bellicis artibus & prudentiâ excellens, statim meditari secum cœpit,

quo nam militari astu, Barbaris elusis, copias illorum absque suorum periculo funditus deleret; quod eius consilium fortuitus quidam euentus magnopere adiuuit. Cùm enim hoc rerum statu consultissimum ipsi visum esset, hostium classi ignem immittere: fortè euenit, vt in castris tum nauticis versante Amilcare, magnificumque Neptuno sacrũ apparante, tabellarium ex agris Geloni equites adducerent, qui literas à Selinuntiis perferebat, in quibus continebatur; se, quo die scripserit Amilcar, equites ad ipsum missuros. Dies illa erat, qua sacrificium instituerat Amilcar. Eadem igitur suos Gelo equites mittit, quibus mandarat, vti loca circumuecti proxima, simulac illucesceret, ad nauales hostium munitiones, tanquam Silinuntiorum socii, accederent, intraque ligneum recepti vallum, obtruncato Amilcare, naues incenderet. In proximos etiam colles missos speculatores iubet; quamprimùm intra munitionem admissos viderint equites, elato id signo prodant. Ipse sub lucis exortum, instructa interim acie, speculatorum indicium exspectat. XX Iamque equites ad Nautica Pœnorum castra, circa Solis ortum prouecti, ab excubitoribus pro sociis admittuntur. Confestim ergò impetu in Amilcarem, tum sacris operantem, concitato, tum ipsum trucidãt, tum naues flammis inuoluunt. Mox etiam signo à speculatoribus dato, Gelo cum vniuersis copiis prouidè instructis ad castra Pœnorum contendit. Castrorum verò duces suas extemplò copias educunt, hostique Siculo occursant, signisque collatis magno robore dimicãt. Iamque tubæ classicum in vtroque exercitu resonant, & clamore vicissim sublato vtrique vocis immanitate alteros superare nituntur deniq; magna strages editur, pugnæq; momẽta, neque huc neque illuc vergunt, repentè flamma ex nauibus in altum surgente, & nuncio de imperatoris nece allato; Græci animis confirmati iam intensiùs vociferari, & certam victoriæ spẽ concipere: at Carthaginenses animo frangi, & spe victoriæ abiecta in fugam conuerti. Et quia Gelon edixerat, ne quis viuus caperetur, prolixa fugientium cædes committebatur. Ad extremum non pauciores C L millibus cæsi occubuerunt. reliqua multitudo in locum quendam natura munitum se recipiens, primùm quidem vim insectantium repulit: sed quia locus, quem occuparunt, aquis destituebatur, vrgente siti, victori se dedere coguntur. Gelo itaque

que pugnâ clarissimâ victor, quã suâ maximè prudentiâ gesserat, magnis laudibus non apud Siculos tantùm, verùm omnes vbiq; mortales, in cœlum extollebatur. Nullum enim inquam ducem ante ipsum tàm prudẽti strategemate vsum: neque maiorem vnâ acie Barbarorum numerum concidisse; neque tantum captiuorum in potestatem redegisse; memoriæ proditum est.

XXII. Quapropter nonnulli scriptores hanc pugnam à Græcis ad Platæas commissæ non imparem existimant. Gelonisque strategema Themistoclis consiliis & commentis exæquant. At laudis principatum, quod summa vtrisque virtus; alii his, alii illis attribuunt. Nã cùm & Græcorum mentes & Siculorum, ante dimicationẽ Barbaricorum multitudo exercituum perterruisset; Siculi priùs victoriam adepti, Græcos compertâ Gelonis victoriâ, ad maiorem fiduciam accẽderunt. Imperatorum tamen vtrinque fortuna longè dispar est: nam Persarum regem multis cum millibus effugisse constat. Carthaginensium verò imperatorem non ipsum modò, sed omnes quoque commilitones ita cæsos, deletosque, vt (quod dicitur) ne nuncius quidem cladis Carthaginem sospes redierit. Adde quod nobilissimi Græcorum imperatores, Pausanias & Themistocles indignè à suis tractati fuerint; alter ob ambitionis & proditionis insimulationem à ciuibus suis necatus: alter è tota eiectus Græciâ, & ad inimicissimũ confugere Xerxem, & vitam in exilio apud eos exigere coactus. Gelo contrà, post sui prælii successum, maiores subinde honores fauore Syracusanorum nactus, in regno consenuit, & suspiciendus cunctis mortem obiit, tantâque apud ciues gratiâ valuit, vt tribus deinceps ex familiâ eius imperium integrè conseruatum sit. Hi ergò iustam virtute gloriam promeriti apud eos laudibus suis fraudandi non erant.

XXIV. Nunc ad continuandam cum superioribus narrationem reuertemur. Eodem namque die compertum est à Gelone Pœnos deuictos, & Leonidem cum suis ad Thermopylas, in Xerxis castra irruptione factâ, strenuè præliatos. quasi de industriâ Numen eodem temporis momento & victoriam pulcerrimam, & cladem gloriosissimam procurarit. Confecto ad Himeram prælio, x x naues longæ, quas Amilcar ad necessarios vsus deduxerat, periculum euasére, & soli ex vniuerso numero cum parte militum, cæteris partim

interfectis, partim captis, reditum in patriã instituerunt. Sed cùm multitudine fugientium repletæ essent, & aduersis insuper procellis vexarentur, omnes naufragio absumptæ sunt. vix pauci, exigua erepti scaphâ Carthaginẽ rediêre; stricto ciuibus affatu nunciãt, omnes in Siciliã trãsmissos internecione periisse. Carthaginenses tanta præter spem clades perculit, adeò, vt pro custodiâ vrbis excubando noctes vniuersi insomnes exigerent, nõ aliter quàm si Gelo cum omnibus copiis Carthaginem iamiam inuasurus esset. Tum ciuitas ob institutum cæsorum numerum in publicum effusa luctum est, & priuatorum seorsim ædes fletus & planctus vbiq; plenæ erant. dum alii liberos, alii fratres requirunt. Ingens puerorum turba parentibus orbatâ & horum interitum, & suam ipsorum miseriam, quòd nudi ac deserti à protectoribus essent, miserabili eiulatu deplorabant. Carthaginenses igitur veriti, ne properè in Africã Gelo traiiceret cum plenariâ legatos potestate ad ipsum mittunt, qui & cõsilio & eloquentiâ plurimùm valebant. Interim Gelo equites, à quibus oppressus Amilcar honorificè remuneratur, cæteros etiam factis egregiis spectatos præmiis exornat. Spoliorum autem pulcerrima quoq; reseruat, vt hisce manubiarum ornamentis templa Syracusarum condecorentur. de cæteris multa Himeræorum fanis pangenda dedit; & quicquid reliquum erat, vnà cum captiuis inter socios, pro singulorum numero ratione inita, distribuit. tum mancipia, sibi attributa quæque ciuitas pedicis illigata publicorum structuris operum admouebat. plurimaque nacti Acragantini, vrbem agrosque horum operâ excoluêre. quibus tantus captiuorum numerus erat, vt multi inter eos priuati 10 in vinculis haberent. Seruorum multitudinem augebat, non solùm quòd magno subsidio militum pugnam adiuuerãt; sed quòd Barbarorum plurimi, inclinatâ acie in mediterranea finesque Agrigentinorum profugerant: qui cùm viui in manus ipsorum venissent omnes, mancipiis vrbs repleta est. Maxima tamen horum pars in publicũ relata cædendis saxis inseruiebat. E quibus non maxima tantùm fana deûm sunt constructa; sed cloacæ quoque subterraneæ ad aquas ex vrbe deducendas communitæ, tantâ equidem mole, vt quamuis ob vilitatem opus contemnatur, spectatu tamen non sit indignum. Gubernator & magister operis fuit Phæax appellatus, qui stru-

XX

ctura

ſturæ excellentiâ obtinuit, vt cloacæ ab ipſo *Phæaces* nominentur. Piſcinam quoque magnis impenſis Agrigentini effoderunt, ambitu VII ſtadiorum, profunditate cubitorum XX. in hanc aquâ è fluuiis & fontibus deriuatâ, viuarium extitit, piſces tum ad neceſſarios ciborum vſus, tum etiam voluptatem, affatim ſuppeditans. Cygnorum quoque agmen in eam ſe demiſit, vnde locus adſpectu peramœnus, iucundusque reddebatur. Verùm hæc, poſterorum incuriâ limo expleta, temporis demum vetuſtate prorſus defecit. Agrum tamen omnem cùm ſoli vbertate præſtaret, vitibus cōſitum, variisq; arboribus refertum ita excoluerunt, vt magnos inde reditus perciperent. Gelon vbi ſocios dimiſerat, ciuium agmen Syracuſas reduxit. Et ob ſucceſſus magnitudinem non apud ciues tantùm, ſed vniuerſos etiam Siculos, in magnâ erat gratiâ & auctoritate. tantum enim captiuorum illis numerum acquiſiuerat, vt totam ſub ditione Libyam inſula habere videretur.

XVI. Continuò ab aduerſarum quoque partium vrbibus & regulis aduenêre legati; qui & veniam erratorū petunt, & dicto ſe in poſterum audientes fore pollicentur. Ille ſe omnibus facilem ac comem præbet, ac ſocietatem cum illis pactus, moderatè, vt homini conuenit; in rebus ſecundis ſe gerit. Idque non erga Siculos tantùm, ſed inimiciſſimos quoq; Pœnos. Cùm enim legati Carthaginis ad ipſum veniſſent, multiſque cum lacrymis orarent, vt humaniter ſecum ageret, pacem eâ conditione illis conceſſit, vt duo millia talentûm in belli impenſas ſoluerent. Duo etiam ſacellâ Pœnos exſtruere iuſſit; in quibus fœderis tabellæ conſecrarentur. Carthaginenſes præter ſpem ſalutis compotes, libenter in hæc poſtulata conſenſerunt, auream præterea coronam vxori Gelonis Damaretæ polliciti. hæc enim ab illis rogata, magno ad pacem impetrandam adiumento fuit. centumque talentis à Carthaginenſibus coronata, nummum cudit, Damaretium ab ipſa denominatum: qui decem Atticis drachmis conſtabat, *Pentecontalitron*, à L librarum pondere, Siculis dictus. Erga cunctos itaque Gelo modeſtè ſe gerebat, ſuo potiſſimùm ingenio inductus, nec minus ſtudio quodam beneuolentiâ omnes ſibi deuinciendi. Cum magnis enim in Græciam copiis tranſire, & contra Perſas cum illis belligerari conſtituerat. Iamque claſſem traiecturo, quidam ex Corintho aduecti

nunciant, Græcos ad Salaminem vicisse, & Xerxem cum exercitus parte Europâ excessisse. Ideò ab incepto desistens, laudatâ militum affectione propensâ, comitia indixit, mandauitque vti omnes armati conuenirent. Tum ipse nullis indutus armis, absque tunicâ solo tectus pallio, in concionē processit, omnemque vitæ ac rerū ab se gestarum rationem Syracusanis exposuit. Cúmque ad singula dicentis verba certis fauorem signis plebs testatum faceret, ac miraretur, quòd nudum corpus armatis, & cuiuis necem intentare volenti obtulisset: tantum abfuit, vt veluti tyrannus pœnas daret, vt vnâ voce benefactorem & liberatorem patriæ, regemque illum proclamarent. His ita expeditis, ex hostium manubiis duo Cereri & Proserpinæ tēpla magnifici operis exstruxit. Tripodem quoque talentûm XVI conflauit, quem in templo Delphico gratæ mentis symbolum, Apollini dedicauit. Posthæc Cereri etiam in Ætnâ fanum ædificare instituit, iamque dea in sacrarium collocata erat: sed à fato interpellatus, imperfectum illud reliquit. Hac tempestate inter Lyricos Pindarus florebat. Hæc fermè sunt, quæ præ cæteris digna memoratu illo anno gesta sunt. Porrò summum Athenis magistratum gerēte Xanthippo, Romani Consules sibi crearunt Quintum Fabium Vibulanum, & Seruium Cornelium Cossum. Horum magistratus tempore, Persica classis Phœnicibus exceptis, post Salaminiæ cladem pugnæ circa Cumam versabatur. habitisque illic hybernis, quam primùm ver appetebat, in Samum traiecit, vt Ioniam inde obseruaret, naues erant supra quadringentas. Quia enim fides Ionum suspecta erat, ad vrbes illorum intenti erāt. In Græciâ verò, re feliciter ad Salaminē gestâ, cùm victoria illa Atheniensium virtuti accepta referretur, nulli iam dubium erat, quin animis propterea elatis de maris principatu cū Lacedæmoniis disceptaturi essent. Hoc à Lacedæmoniis præuiso, summâ nitebantur ope, vt hos Atheniensium spiritus deprimerent. Itaque cùm iudicium de præclaris in prælio factis præmiisque horum propositum esset: gratiâ, quâ præualebāt, obtinuêre, vt primæ fortitudinis laudes adscriberētur Æginetis; & inter Athenienses Amyniæ, fratris Æschyli poëtę. quod is de prefectis triremiū princeps, in prætoriam nauem Persarum triremis suæ frontē impulisset, illâque dissolutâ, Prætorem ipsum interemisset. Ast

XXVII.

cùm

cùm Athenienses tàm immeritò se posthabitos grauiter ferrent, Lacedæmonii veriti, ne indignatione rei cõmotus Themistocles ingens in ipsos cæterosq; Græcos malum cõciperet, duplo maioribus eum quàm alios præmiis adfecerunt. Hæc ab ipso recepta, indignè ferens populus, præturam homini abrogant. in cuius locum Xanthippus Ariphronis suffectus est. Diuulgata hinc Atheniẽsium à Græcis alienatione legati Persarũ simul & Græcorũ Athenas veniunt. Missorum à Persis hæc ad prætorem oratio fuit. Mardoniũ Atheniensibus, si Persarum se partibus addicẽt, agrum quẽcumq; in Græciâ delegerint, se daturum, mœnia etiã & fana instauraturum, ciuitatemq; suis legibus institutisque, vti permissurum, polliceri. Lacedæmoniorum contrà legati rogabant, ne Barbaris fidem haberent, sed pristinam erga Græcos eiusdem nationis & linguæ vinculo sibi coniunctos, beneuolentiam conseruarent. Tum Barbaris ita responsum: nullam Persis regionem esse tàm felicem, nullumq; aurum tàm ponderosum, quo ipsi accepto, Græcorum coniunctionem ac necessitudinem desererẽt. Lacedæmoniis verò ita renunciari iusserunt. quod, quam priùs Græciæ curã gessissent, deinceps quoque omni contentione tueri velint. Rogant interim, vt illicò cum omnibus sociorum copiis in Atticã trãsseant: cùm non obscurum sit Mardonium, sic populo Atheniensium ipsi aduersante, cunctis Athenas viribus inuasurũ. nec aliter euenit. Mardonius enim in Bœotiâ statiua habẽs, primò ciuitates in Peloponneso ad defectionẽ, pecuniis huc illuc ad principes vrbium transmissis, solicitauerat. postea verò quàm responsum Atheniensium accepit, grauiter cõmotus, totũ exercitum in Atticam ducit. Nam præter eos, quos à Xerxe acceperat, multos ipse ex Thraciâ & Macedoniâ, sociis vrbibus insuper concitauerat, supra CC hominum millia. Tantâ igitur multitudine Atticæ iã ingruente, tabellariis ad Spartanos missis, Athenienses opem illorum implorant. qui cùm rem procrastinarent, iamque hostes in Atticam irruissent, ad summas redacti angustias, liberis denuò vxoribusq; & aliis, quæ festinatio asportare sinebat, acceptis, è patriâ emigrant, & rursus in Salaminem confugiunt. Mardonius autem, extremè ipsis infensus, regionem totam diripit & vastat, vrbemque prorsus diruit. Sacras etiam ædes quæ primo excidio superfuerant, funditus subuertit. Regresso

XXIIX

XXIX.

ad hunc modum Athenas cum copiis Mardonio, in Græcorum consessu decernitur; coniunctis viribus & Atheniensibus assumtis, Platæas contendendum ibique de libertate dimicandum esse, vota etiam diis nuncupāda: si vicerint, eo die Græcos libertatis communis festum celebraturos, & Agona *Eleutherium*, id est, Ludos Libertati cōsecratos, ad Platæas agitaturos. Cumq; in Isthmo iam conuenissent, vniuersis iuramento se ad hoc bellū obstringere placuit: quod & cōcordiā ipsorum mutuā sartam tectā conseruaret, & ad discrimina generosis animis subeūda adigeret. Formula ei⁹ hęc erat: VITAM NON PLVRIS FACIAM LIBERTATE. DVCES, SEV VIVANT SEV OPPETANT, NON DESERAM; SED ET SOCIOS IN PVGNA CÆSOS QVOTQVOT FVERINT, SEPVLTVRÆ TRADAM. VICTORIAM HOC BELLO DE BARBARIS ADEPTVS, VRBEM NVLLAM CERTAMINIS PARTICIPEM EVERTAM. NVLLVM DE TEMPLIS ACCENSIS ET DIRVTIS INSTAVRABO: SED MONIMENTVM POSTERIS BARBARORVM HOC IMPIETATIS ESSE SINAM ET RELINQVAM. In hæc verba cùm iurassent; per Cithæronem in Bœotiam mouent, & ad radices montis propè Erythras castra ponunt. Dux Atheniensium tunc Aristides erat, sed imperii summam Pausanias Leonidis pueri tutor gerebat. XXX Mardonius vbi hostium copias in Bœotiam tendere comperit, & ipse Thebis educit, castrisq; ad Asopum flumen positis, fossam præaltam ligneumq; vallū circundat. Græcorum in vniuersum centum millia erant, Barbarorum ad quingenta millia. Initium autē pugnæ factum à Barbaris, qui noctu per totum effusi campum, omniq; immisso equitatu, castra illorū aggrediebātur. Primi irruptionem hanc Athenienses sensêre: qui mox acie bene instructâ hosti animosè occurrunt. Ibi vehemēs præliū oritur. Tandem cæteri Græci omnes aduersos sibi hostes in fugā vertunt. Soli autem Megarenses, qui præfectū equitum cū optimo Persarū equitatu sibi oppositum habebāt, pugnæ mole grauari, sed tamen loco non cedere. Nonnullis ergo ad Athenięses & Lacedæmonios ex acie suā missis, quàm celerrimè sibi vt succurratur, orant. Quo Aristides intellecto lectissimā Atheniensiū circa se manum subsidio illis mittit. Hi conglo-

conglobati, impressione in Barbaros factâ Megarenses statim à periculis incumbentibus eripiunt, & Persici equitatus præfectũ, vnà cum plurimis aliis interficiunt, reliquosque in fugã coniiciunt. Hoc veluti præludio certaminis strenuè ac feliciter confecto, bonã de reliquæ victoriæ summâ spem cõceperunt. Dehinc ex planitie monti subiectâ, in locum alium ad perfectã victoriam magis idoneũ, castra transferunt. nam à dextrâ editus quidam collis assurgebat: à sinistrâ verò Asopus pro munimento erat. Medium inter hæc castra obtinebant, naturali locorum præsidio circũsepta tutáque. Hæc loci angustia, prudenter à Græcis delecta, ingens ad victoriam illis momentum attulit. non enim latè phalangem extendere Persis licebat. quo factum, vt tot hominum myriades Barbaris superuacuæ & inutiles redderentur. Pausanias igitur & Aristides hac opportunitate freti, ad conflictum copias educunt, acieque, prout tũ dabatur, instructâ, signa in hostem inferunt.

XXXI. Mardonius confertam instruere phalangẽ compulsus, quã cõmodissimum sibi visum erat, aciem disponit, & cũ magno Græcis vociferatu occurrit; fortissimisq; suorum stipatus, princeps in Lacedæmonios, ex aduerso collocatos, impressionẽ facit; strenuéq; pugnans, magnã Græcorũ stragem edit: sed fortiter resistentibus Lacedæmoniis, & quoduis periculum intrepidè subeuntibus prolixa fit Barbarorum cædes. Hi, quamdiu Mardonius cum delectorum manu in primâ acie versabatur; animosè certaminis molem sustinebant. verùm simulac fortiter pugnans Mardonius cecidit, electosq; partim cæsos, partim vulneribus confectos vident, fractis animis fugam corripiunt. quos cùm Græci à tergo premerent: pars maior intra vallum confugit. De cæterâ multitudine Græci, Mardonii signa sectati, intra Thebarum mœnia se recepêre. reliquos ad quadraginta millia, cogens Artabazus, vir inter Persas celebris, in alteram fugiens partem deflexit; & compendioso itinere in Phocidem regressus est.

XXXII. Diuulsis ad hunc modum in fugâ Barbaris, Græcorum etiã copiæ in partes aliquot diuisæ sunt. nam Atheniensium, Platæensium & Thespiensium acres eos qui fugam Thebas intenderant, persequuntur: Corinthii, Sidonii, Phliasiique, & nonnulli, præter hos, alii, horum qui cũ Artabazo fugã capesserant, tergis instant. Lacedæmonii cum reliquo exercitu intra ligneã munitionem compulsos adorti, strenuè

oppugnant. At Thebani, receptis intra mœnia profugis, cũ his coniuncti, Athenienſium, qui illos inſectabantur, agmen excipiunt. Atrox ibi pugna committitur, & præclarè certantibus Thebanis, haud pauci vtrinq; cadunt. ſed Athenienſiũ virtute tãdem in vrbem compelluntur. Tum ad Lacedæmoniorum agmen retrogreſſi Athenienſes, illos qui in Perſarũ caſtra confugerant ad murũ, cum his oppugnant. Vbi cùm acerrimè pugnaretur vtrinque, egregiè ſe defenſantibus ex loco munito Barbaris, Græcisq; omni vi murum ligneũ impetentibus multi incautiùs pugnantes vulnerari, nec pauci multitudine telorũ confixi, mortẽ intrepidi oppetere. Sed tamẽ neq; vallum, quãuis munitũ, neq; Barbarorum multitudo vim & impetũ Græcorũ ſufferre valuit, quibus quicquid aduerſum eſſet & obluctãs, ſtatim cedere cogebatur. Certabant laudis æmulatione inter ſe duces Græciæ, Lacedæmonii & Athenienſes, ſuperioribus vtique victoriis elati, & ſuis quoque virtutibus confiſi. Ad extremũ, vi caſtris expugnatis, Barbari, vt vitã captis donarẽt precati, nihil miſericordiæ impetrant. Pauſanias enim Græcorũ imperator nõ mediocres eſſe hoſtiũ copias animaduertens, ne quid inopinatũ Græci à Barbaris numero vincẽtibus paterentur, metuebat. Edicto igitur ꝓpoſito, ne viuus quiſquã caperetur, incredibilis breui ſtrages hominũ facta eſt, & pluſquã x. millibus Barbarorũ trucidatis, vix tandẽ ab hoſtium cæde tẽperatũ eſt. Poſtquàm hoc euentu depugnatum eſſet, ſuis qui in acie occubuerant, (ſupra x. millia erant) ſepeliendis operam dederunt. Tum pro militũ numero ſpolia diſtributa, iudicioq; de virtutis & præclarè factorum excellentiâ inſtituto; Charitidis decreto inter ciuitates Spartæ; inter viros Pauſaniæ; præcipuus virtutis honos attributus eſt. Artabazus interim cum fugientiũ Perſarum agmine xl milliũ circiter per Phocidẽ in Macedoniã concitatiſſimis itineribus tranſgreſſus, incolumẽ porrò militẽ in Aſiam reduxit. Græci autẽ decimam è ſpoliis delegerunt, aureumque inde tripodem conflatum in templo Delphorum, cum hoc Eulogio, dedicârunt;

XXXIII.

Tutores Graiæ poſuêre hæc munera gentis,
Seruitii à patriâ cum repulêre iugum.

Alterum quoque Lacedæmoniis, qui ad Thermopylas occubuerant, cõmuni omnium titulo his verbis inſcripſerunt.

Myriades quondam repulêre hîc Marte ducentas
Mille quater Pelopis de regione viri.

Pri-

Priuatim verò hoc additum fuit;

Dic hospes Spartæ, quod nostra hic ossa quiescant,
Dum patriæ leges fortiter exsequimur.

Ad hunc modum Atheniensium quoq; populus sepulcra eorum qui bello Persico ceciderāt, exornauit, & funebrium tunc ludorū certamē primitus instituit, lexq; ab his tunc lata est, vt labores eorū, quos publicâ ciuitas sepulturâ donasset, à delectis ad hoc oratoribus declamitarentur. Post hæc Pausanias imperator reuocatis ad signa copiis, contra Thebas mouet, auctoresq; prioris cū Persâ societatis ad supplicium deposcit. Thebanis ergo & multitudine hostium & virtute perterritis, præcipui defectionis à Græcis auctores vltrò deditionis periculum subeunt, quos omnes Pausanias supplicio affectos necat. XXI. Eodē quoq; die, quo ad Platæas depugnatum est, in Ioniâ magno cum Persis cōflictu decertatum fuit. De quo scripturi rē à principio repetemus. Leotychidas igitur Lacedæmonius & Xanthippus Atheniensis, exercitus naualis duces, classe ex pugnâ ad Salaminē in Æginam contracta ibidem aliquot dies commorati, in Delum inde nauigabant cum CCL triremibus. Illic dū in statione permanent, legati ex Samo veniunt, orātes, vti Græci Asiæ incolas in libertatem vendicent. Leotychidas, habito super hoc consessu ductorum, cum illis decernit, vrbes Græcorum liberandas esse, statimque ex Delo soluunt. Persicæ igitur classis duces in Samo tum hærentes, auditâ Græcorum in se expeditione, cum vniuersa classe ex Samo discedunt, & ad Mycalen Ioniæ prouecti, cùm se ad pugnam naualem impares esse viderent, naues subducunt, valloque ac fossâ profundâ circūdatas muniunt. Nihilóq; segnius interim ex Sardib⁹ & locis finitimis copias terrestres accersiuêre; ita vt ad centum millia cogerētur. Res quoque aliæ, quas belli vsus efflagitat, vt in promtu essent, prouiderunt, Iones etiam ad hostem defecturos, suspicati. Leotychidas verò cùm totâ classe probè instructus directo in Barbaros ad Mycalen cursu nauem cum præcone, qui voce omnes in toto exercitu superabat, præmittit. Ei in mādatis declarat, vt ad hostes propius adnauigans, quanta posset voce proclamaret. Græcos Persarum ad Platæas victores nunc adesse, Græcas in Asiâ ciuitates in libertatem asserturos. Id propterea à Leotychidanis factitatum, quòd persuasum haberent, Græcos tum Barbaris militantes, à socie-

tate Persarum defecturos, multumq; inde turbarum in castris Barbarorum fore id quod etiam euenit. Quamprimùm enim præco ad subductas naues progressus mandata exposuisset, Persæ Græcis non amplius fidere, Græcique de rebellione inter se conspirare. At classis Græcorum præfecti, rebus suis probè consideratis, copias exponunt. Posterâ verò die cùm omnia ad pugnam adornassent, ecce rumor allabitur Persas à Græcis ad Plateas deuictos esse. Idcirco Leotychides eiusq; collegæ, milites in concionem aduocatos ad præliandum exhortantur, cùm alia ipsis proponētes, tum victoriam ad Platæas, qua animos ad conflictum accinctorum mirificè accendi posse arbitrabantur, occinentes. Admirandum sanè est quod tunc euenit. nam vnâ eademq; die vtrasq; acies conflixisse, vnam ad Mycalē, alteram ad Platæas, compertum est. Quare Leotychidas nihil dū de victoriâ tunc audiuisse, sed ex industriâ commentum hoc de successu Græcorum adhibuisse, strategematis loco, videtur. Nam ingens locorum distantia nuncium tam subitò perferri haud potuisse, argumento est. Atqui Persæ, Græcis non amplius fidendū rati, a. m. illis adempta, sociis tradunt; & adhortatione ad multitudinē institutâ, vbi Xerxem magnâ cum auxiliorum manu iam aduentare dixissent, animos omnium ad pugnæ discrimen alacriores efficiebant.

XXX

Expeditâ tum vtrinq; acie, cùm signa propè conferrent, visâ hostium paucitate, Persæ despectui illos habent, magnoque statim clamore inferuntur. Constituerant interim Samii & Milesii cum vniuersis popularium copiis auxilium ferre Græcis, iamque haud segnes coniunctim in hostē ducebant. Cumq; progressi in Græcorum conspectum venissent; Iones Græcos animosiores fore putabant; contrarium verò accidit. Nam Leotychidani, Xerxem; coactò ex Sardibus exercitu auxilio suis approperare suspicati, trepidabant, ortoque per exercitum tumultu, studiis & sententiis inter se erant distracti. Alii enim quàm ocyssimè ad naues regrediēdum; alii persistendū, ac fortiter pedem manumq; cum hoste conferendum, censebant. Dum adhuc ita paititatur, diffiditur, turbatur; acies Persarum terribilem ad modum instructa repentè emicat; & ingenti vociferatu sese infert. Græci igitur nullo ad deliberandum spacio amplius concesso, necessitate ad excipiendam hostium impressionem compelluntur.

XXXVI.

Initâque

Initâque pugnâ, cùm vtrinq; corporum animorumque vi & contentione res gereretur, diu in æquilibrio belli fortuna stetit, & crebri vtrinque cadebant. Ac quamprimùm acies Samia & Milesia, se in conspectum dedit; ingens Græcorum viribus pondus accessit, fractisque Barbari animis fugam arripuerunt, & prolixa tum cædes edita est. Nam Leotychidæ & Xanthippi milites victos dissipatosque ad castra vsque, à tergo instantes & prementes, insectantur. Æoles interim aliique multi Asiam incolentium, licèt inclinatâ iam ad Græcos victoriâ, succurrunt. Ardens enim libertatis desiderium, atque studium ciuitates Asiæ incesserat. Ideo plerique omnes neque obsidum neque fœderum vllam habebant rationem; sed communi cum aliis Græcis ardore Barbaros inter fugiendum trucidabant. Ad hunc modum Persæ tunc victi sunt profligatique, plus quadraginta millibus interempti. Reliquiæ partim in castra fuga sunt dilapsæ, partim Sardes sese receperunt. Xerxes vero, tum strage ad Platæas, tum fugâ ad Mycalen suorum cognitâ, partem exercitus ad bellum cum Græcis continuandum Sardibus reliquit, cum reliquis ipse trepidus & perplexus citatum Ecbatana versus iter intendit. Sub hæc Leotychidas & Xanthippus in Samiam regressi, Iones & Æolenses in belli societatem recipiunt. Et posthæc suasores illis sunt, vt relictâ Asiâ in Europam commigrent, polliciti se gẽtibus, quæ Persarum partes sectatæ fuerant, exterminatis, agros illis concessuros. Nam si in Asiâ remanserint, hostes in viciniâ perpetuò habituros, qui copiis viribusq; illis longè sint pollentiores. Amicos autem, longa maris intercapedine ab ipsis diuulsos, auxilia maturè ferre non posse. Quæ promissa cùm Æolenses, Ionesq; accepissent, monitis Græcorum obsequi statuunt, & ad nauigandum cum illis in Europam sese comparant. Sed Athenienses mutatâ in contrarium sententiâ, contrà vt maneant, suadere insistunt, solosq; Athenienses iure cognationis deuinctos, etiãsi nullus ipsis ex reliquâ Græciâ succurrat, auxiliatricem ipsis manum præbituros confirmant. Fore vtique suspicabantur, vt communi Græcorum operâ in alias collocati sedes Iones, Athenas pro Metropoli seu ortus sui fonte non amplius haberent. Iones ergò, reuocatâ sententiâ, ex Asiâ se non discessuros, decernunt. His ita peractis Græcorum copiæ in partes abeunt,

XXXVI.

Lacedæmonii quidem in Laconiam ſuam remeant. Athenienſes verò cum Ionibus & Inſulanis Seſtum petunt. Quã Xanthippus Imperator primo ſtatim appulſu oppugnatam capit, præſidioque illi impoſito ſocios dimittit, & cum ciuibus ipſe Athenas redit. Bellum itaque Medicum, quod vocatur, cùm per biennium duraſſet, hoc euentu terminatum eſt. Porrò inter ſcriptores Herodotus vltra Troiani tempora exorſus, quicquid ferè toto orbe terrarum eſt geſtum, id nouem libris expoſuit. Cùm pugnâ tandem Græcorum cum Perſis ad Mycalen & oppugnatione Seſti, opus illud finit. In Italiâ interim Romani, cum Volſcis belligerantes & victores, magnas horum cædes peregerunt. Spurius verò Caſſius, qui anno ſuperiori conſul fuerat, affectatæ dominationis ſuſpectus & conuictus, ſupplicium capitis adiuit. Et hæc quidem illo anno geſta ſunt.

XXVII.

Cæterùm prætore Athenis Timoſthene, Conſulare imperiũ Romæ ſuſcepêre Cæſo Fabius & Lucius Æmilius Mamercus. Harum magiſtratus tempore per totam Siciliæ inſulã pax affatim vigebat, profligatæ enim ac penitus fractę erãt Carthaginenſiũ vires, & Gelo ſummâ cũ æquitate Siculos gubernãs, vt optimis legibus ciuitates regerentur, & omnium ad vitã conducibilium copiâ abundarent, efficiebat. Cúmq; Syracuſani ſumptuoſas funerũ pompas lege abrogaſſent, nec tantùm expenſas, in mortuos fieri ſolitas amputaſſent: ſed curioſum exſequiarũ ſtudium omninò interdixiſſent: Gelo rex populi diligentiã in omnibus ratã haberi cupiens, nouam de funeratione legem ſuo exẽplo cõfirmauit. Morbo enim correptus, cùm iam de vitâ deſperaret, regnum Hieroni, fratrum natu maximo tradidit; & funeris ſui curationem ita legauit, vt diſertè plebiſsciti exſecutionem mãdaret. Eoque mortuo, ſucceſſor in regno pompam funeris, ſic vti iuſſerat, peregit. Cadauer eius in vxoris agro conditum, intra nouem, vti vocantur, turres operum mole ſtupendas. Vniuerſa tum oppidanorũ turba funus comitata eſt ad eum locũ, qui ducentis ab vrbe ſtadiis abeſt. Et ſepulto magnificę monimentum ſtructuræ populus erexit, heroicosque Geloni deinceps honores exhibendos decreuit. Opus id, memoriæ Gelonis conſecratum, poſtmodo Carthaginẽſes cùm bello Syracuſas premerent, diruerunt: turres verò Agathocles per inuidiam demolitus eſt. Sed tamen neque hoſtile

Cartha-

Carthaginiensium odium, neq; maligna Agathoclis improbitas, neq; cuiusquam alterius vis aut calliditas, gloriam Gelonis destruere potuit. Iusta enim historiæ testificatio famam eius sartam tectam conseruauit, & in omnem deinceps æternitatem prædicabit. Æquum est enim pariter ac vitæ humanæ perutile, eos qui malitiosè ac sceleratè potestatem gesserunt, vituperari; probos contrà & beneficos ad immortalem vsq; memoriam celebrari. Hoc enim pacto id potissimũ obtinebitur, vt posterorum multi ad bene merendum de societate humanâ excitentur. Gelo sanè annos tantùm sex regnauit, frater verò eius Hiero in regno hæres ac successor annos XI. & IIX. menses rebus Syracusanorum præfuit. In Græciâ porrò Athenięses, post victoriam ad Platæas acquisitam, liberos vxoresq; ex Troezene ac Salamine Athenas reducũt, & statim ad instauranda vrbis mœnia opes operasq; conferunt, nec minus alia ad defensionem sui necessaria diligenter accurant. At Lacedæmonii, cùm naualibus copiis magnam sibi gloriam Athenienses comparasse animaduerterent, ne viribus nimiùm augescerent veriti, ædificationem murorum inhibere statuunt. Confestim igitur legatos Athenas mittũt, qui verbis hoc consilii præ se ferrent, mœnibus vrbẽ non esse cingendam, propterea quod hoc reipublicæ Græcorum non expediat. nam si Xerxes denuò maioribus copiis irruptionẽ faciat, in parato habiturum vrbes extra Peloponnesum, vnde velut ex arce belli erumpens, vniuersos facilè Græcos debellârit. Cùm verò non audirentur legati, architectos & fabros cum imperiosis mandatis adeunt, vt è vestigio ab opere manus contineant. Dubitantibus ergò, quid potissimùm facto opus esset hac in re, Atheniensibus Themistocles in summâ tùm apud eos gratiâ & auctoritate, vt silentio rem dissimulẽt, cõsulit. Nam si vi contendãt, Lacedæmonios, cum Peloponnesiorum auxiliis expeditione in eos factâ, munitionem facilè impedituros. secretò aũt Senatui indicauit, se cum quibusdam aliis (quos sibi collegas adiungeren:) ad Spartanos legationem suscepturum, ibiq; de hac munitione ipsos edocturũ. Magistratibus autem iniungit, si legati fortè Athenas Lacedæmone superuenerint, illos ad reditum vsq; suum è Lacedæmone attineant. Interea totius ciuitatis viribus opus vrgeant & persequantur: eoq; demum modo voti eos compotes fore demonstrabat. Adductis in hanc sententiam Atheniensibus,

Themistocles cum adiunctis sibi legatis Spartam ire perrexit. Interim populus Atheniensis magna studii & laboris contentione operis exstructioni incumbit, nulliq; ædificio, ne quidem sepulcro parcens. Veniebant in partem operis huius pueri simul & mulieres, omnisq; adeò hospes & seruulus, nec cuiquam ab hoc labore vacatio permittebatur. Cùm itaque propter multitudinem operantium eorumque feruorem, opus illud præter omnium expectationem mirum in modum excreuisset, principes Lacedæmoniorum accitum ad se Themistoclem ob vrbis munitionem grauiter obiurgant. At ille pernegat, & magistratus rogat, ne rumusculis temerè sparsis fidem adhibeant: quin potius fidei probatæ legatos mittant, per quos de rei veritate certiores fiant; inque huius rei fidem se comitesque suos obsides tradebat. Persuasi his Lacedæmonii, Themistoclem collegasq; sub custodia obseruant, & mox clarissimos ex se viros Athenas mittunt, vt quæ ex re ipsorum essent, curiosè perscrutentur. Mediocri interim tempore elapso, Athenienses ad iustam mœnia altitudinem eduxerant. Cúmque Legati Spartanorum Athenas ingressi turbulentè se gererent & minacibus Athenienses verbis culparēt, custodiæ eos tradunt, non priùs liberos fore, quàm legati cum Themistocle dimissi fuerint, denunciantes. Hac itaque arte Lacones delusi, Atheniensium restitutione Legatorum libertatem suorum redimere coguntur. & hac imperatoria Themistocles astutia, mœnibus patriæ expeditè tutóq; reparatis magnam sibi apud ciues gratiam conciliauit. Dum hæc verò geruntur, Romani Equis & Tusculanis bellum inferunt, cōmissoq; prælio victores, plurimos hostiū cædunt. Post Tusculum et expugnant, & Equorū vrbem in potestatem redigūt.

XL.

Anno exacto, Athenis summus iudiciorum præfectus erat Adimantus, Romæ verò Consules Marcus Fabius Vibulanus, & Lucius Valerius Potitus. Hoc tempore Themistocles ob imperium bene gestum, ingeniiq; dexteritatē in maximo honore & auctoritate, non apud ciues tantùm, sed vniuersam Græciam habebatur. Hac itaq; gloria excitatus, aliis longè maioribus cœptis, quæ ad amplificādum patriæ imperiū conducerent, animū intendit. Cùm enim Pyræeus nullā tunc portus cōmoditatem haberet, sed emporii vsum, cui Phalerico tunc nomē erat, angusto admodum spacio Atheniensibus præberet; Themistocles portum ex illo, qui nō magno

XLI.

qui-

quidem ſtructuræ apparatu indigeret, ſed pulcerrimus tamẽ
totâ Græciâ & ampliſſimus foret, efficere animum induxit.
Eo namq; Athenienſibus adiecto, ciuitatem maris imperiũ
facilè ſibi vendicaturam ſperabat. Triremes enim quàm plu-
rimas tunc poſſidebant, & aſſiduis bellorum naualium exer-
citationibus magnam in certaminibus nauticis gloriam ac-
quiſiuerant. Iones præterea, ob eiuſdem generis neceſſitudi-
nem, ſibi addictos fore, illorumq; ope reliquis etiam per Aſiã
Græcis libertatem reſtitutum iri; atq; hoc beneficio illorum
animos Athenienſibus perpetuò ſe deuincturum: adhæc Inſu-
lanos, magnitudine naualis Athenienſium potẽtiæ perculſos,
haud cunctanter adhæſuros illis, qui & plurimum dãni & ad-
iumẽti adferri poſſent, arbitrabatur. Adhæc perſpiciebat, La-
cedæmonios copiis ſanè terreſtribus inſtructiſſimos; ad nau-
tica verò certamina minimè aptos eſſe; quæ, licet prudenter
expendiſſet, cogitata tamen ſilentio tegere decreuit; probè
compertũ habẽs, Lacedæmonios nihil horum fieri paſſuros.

XLII. In cõuentu igitur publico ciuibus denunciat, ſe magnarũ
& reipublicæ magnoperè vtiliũ rerum conſultorẽ & auctorẽ
venire; ſed diuulgari eas non expedire. Cùm eius vtiq; ſint ge-
neris, vt à pauciſſimis tãtùm perfici illas cõueniat. duos igitur
viros à populo deſignari, quibus maximè fides habeatur, iiſq;
totum cõmitti negotium poſtulat. Adducta in hanc ſententiã
multitudine, duos populus elegit, Ariſtidem & Xanthippum.
nõ tantùm quòd ſingulari vitæ integritate eſſent, ſed etiam
ꝙ de gloriâ & virtutis præſtantiâ cũ Themiſtocle certarent,
& alienos propterea animos ab ipſo gererent. Hi cùm priua-
tim Themiſtoclis rationes audiuiſſent; ad populum retule-
runt, quæ à Themiſtocle agitarentur, non tantùm præclara,
ſed etiam reipublicæ perquàm vtilia, & expeditu facilima eſ-
ſe. Tum ingens viri admiratio populum cepit: ſed ſtatim ex
admiratione ſuſpicio oritur, ne fortè machinis ingenioſis cœ-
ptiſq; tã arduis tyrannicã ſibi dominationem fabricet. ideo
quid animo conſtitutum haberet in medium proferre iubẽt.
At ille, non eſſe ex rè populi negotium euulgari, etiam atque
etiam aſſerebat. Inde multò magis grauitatẽ viri & magna-
nimitatem populus admirãs, ſecretò vt reuelet Senatui, quid
animo verſaret, iuſſit. quod ſi is conſilia cum certo reipublicæ
commodo, nullâque difficultate coniuncta eſſe iudicauerit,
tũm demum ei, quicquid conſtitutum videatur exſequi con-

cessum fore. Cùm itaq; Senatus de singulis edoctus, & facilia præstitu & quæ in summum reipublicæ emolumentum eūasura sint; hominem dicere iudicasset, consentiente tandem & sciscente populo, quicquid vellet, in effectum perducendi potestas illi facta est. Vnusquisq; ex concione illa discedens summa virtutem illius viri admiratione prosequebatur, animoq; suspenso, quorsum rationes istæ euasuræ essent, exspectabat.

XLI. Themistocles igitur licentiâ rei persequendæ acceptâ, omniq; ministerio & sumptu ad rem necessario instructus, denuò per astū Lacedæmonios fallere instituit. pro certo enim habebat, vt murorum instaurationi obstiterant Lacedæmonii, sic ad impediendum portus constrūctionem omne studiū collaturos. Legatos igitur Spartam mittendos esse censuit, qui vniuersæ Græciæ vtilitatem efflagitare doceant, vti ad futuras Persarum incursationes portus sat cōmodus habeatur. Hac arte cùm vehemens prohibendi studium in Lacedæmoniis retudisset, opus strenuè aggreditur. in quod cùm accensis omnes animis incumberent, eum res exitum habuit, vt expeditè ac præter omnium opinionem portus absolueretur. Persuasum etiam populo, vt ad priorem classis numerū, xx. quotannis triremes fabricarent. tum inquilinos & opifices immunitate donarent; cùm vt turba vndequaq; in vrbem conflueret; tum vt magnam artificiorum varietatem minimo sibi negotio compararent. Vtrumque enim ad potentiam in mari amplificandam & stabiliendam perutile iudicabat: Et Athenienses quidam hisce rebus occupati erant.

XLII. Lacedæmonii verò Pausaniam, quo imperatore ad Platæas depugnatum erat, Græcas vrbes Barbaricis adhuc præsidiis occupatas liberare iubēt. hic ergò L. triremib. è Peloponneso ductis, & xxx. ex vrbe Atticâ (quæ Aristidis imperio regebantur) adiunctis, primò in Cyprum nauigat, ibique ciuitates, quæ à Persicis adhuc præsidiis tenebantur, seruitute eximit. Inde ad Hellespōtum reflectens, Byzantium, Persarū iugo pressum, capit. Barbarisq; partim cæsis, partim exturbatis, vrbi libertatem reddit, multosq; magni nominis Persas inibi captos Gongylo Eretriensi in custodiam tradit: qui, vt præ se ferebat, illos ad supplicium seruaret, sed reapse Xerxi restituendos curaret. Occultis enim pactis amicitiam cum rege contraxerat; & futurum erat, vt filiam regis vxorem, ad prodendam ipsi Græciam, acciperet. Hæc omnia internuncio & interprete fiebant

Artaba-

Artabazo, copiarum Xerxis præfecto: qui clàm Pausaniæ magnam pecuniæ vim subministrabat, quarum largitione Græcos ad hoc idoneos corrumperet. Detectum verò scelus, auctorque supplicio affectus hoc fuit modo. Luxu delectabatur Persico & tyrannicam erga fidei suæ commissos insolentiam exercebat. Id ægrè tulerunt omnes, inprimis verò illi, quos magistratus alicuius munere Græcia dignata fuerat. Propterea cùm milites per suas quiq; gentes atque vrbes in colloquiis & congressibus de his inter se cōferrent, ac de Pausaniæ fastu & importunitate cōquererētur; Peloponnesii, relicto homine, in patriam reuertuntur; & missis Spartam legatis eum accusant. Aristides verò Atheniensis ad occasionem se attemperans, in conuentibus & dissertationib. publicis ciuitates erigebat; & sermonis comitate demulcens vt Atheniensium clientelæ se submitterent, efficiebat. Ad quod maius etiam fortuitus illis casus momentum adiecit. Res verò ita se

LV. habet. Pausanias cum Persâ ita conuenerat, vt quicunq; ad eum literas pertulisset, non rediret; ne indicio ipsorum arcana patefierent. vnde euenit, vt omnibus qui literas reddiderant, ab illis qui acceperāt, interfectis, nemo saluus remearet. Quod quis ex tabellariis subodoratus, literas aperit, & de suspectâ tabellariorum cæde iam certior inde factus, Ephoris literas tradit. Hi cùm fidem ob resignationem epistolæ non adhiberent, maioremque rei certitudinem postularent: suo hominem testimonio conuictum se dare velle confirmat. Ad Tænarum igitur profectus, Neptuni in templo supplex consedit, & gemino ibi tabernaculo circumsepsit, ita vt Ephoros & nonnullos Spartanorum alios penes se occultaret. Excurrit eò Pausanias, & quæ supplicationis causa sit, percunctatur: ille crimen hoc intendit, quod certam sibi innocenti mortem literarum significatione destinârit. Ad quod Pausanias, iam se facti pœnitere, veniamque delicti orare, obsecrare etiam, vt ea occulta esse patiatur, amplissimis insuper muneribus se beneficium hoc compensaturum, pollicetur. & hi quidem ita discedunt. At Ephori hisque adiuncti, veritate liquidè cognitâ, tum quidem dissimulant, nihilque mouent. Paullò autem pòst cùm Lacedæmonii suas cum auctoritate Ephororum vires coniunxissent: præsentiens malum Pausanias fugâ in templum Mineruæ, quam Chalciæcon nominant, illos præuertit. Hæsitantibus inde Spartanis an ad supplicium trahendus sit

supplex, matrē ferunt Pausaniæ progressam ad templū, nihil aliud egisse vel dixisse, quàm quod laterem illuc transportatū in ipsis templi foribus deposuerit, & hoc peracto domū se recepisse. quod matris iudicium secutos Lacedæmonios ostium tēpli obstruxisse: vt hoc modo per inediam moriendi necessitas Pausaniæ afferretur. Cadauer quidē ad sepulturā ꝓpinquis fuit concessum. At Numē ob violatam supplicum tutandorum religionē, in grauē iram aduersus illos exarsit. Cùm .n. Spartani ad capessendū Delphis oraculū misissent, à deo responsum acceperunt, restituendū esse deæ supplicē. quod oraculi iussum, cùm nullo se pacto exsequi posse arbitrarentur, ambiguis diu mentibus quid potissimū facto opus esset, inter se disquirebant. Cōsilio tamen, qualecunq; tūc succurrit, inuēto, duas ex ære statuas Pausaniæ exstructas in tēplo Mineruæ dedicârūt. Nos verò quibus per vniuersum historiæ decursum in more positū est, virorū probitate excellentiū gloriā laudibus intertextis extollere, & improbis circa vitæ exitum iustas vituperationes accinere, detestandā Pausaniæ malitiā & proditionē citra accusationē abire nō sinemus. Quis enim vesaniā huius viri non demiretur; qui cùm pugnâ ad Platæas victor, multisq; aliis laudabiliter gestis clarus, optimè de Græciâ meritus esset; non modò partum auctoritatis & gloriæ decus conseruare non studuit, sed opes delitiasq; Persarum fœdo amore complexus, omnem pristinæ virtutis laudisq; gratiam scelerate contaminauit. Secundis quippe rebus elatus, Laconicum viuendi morē fastidiosè auersatus, luxum & mollitiē Persarum ad imitandū sibi proposuit. quem tamē barbarorū studia & mores captare minimè omnium decebat. Nō enim ex aliorum relatione acceperat, sed re ipsâ, à suâ videlicet experientiâ edoctus, cognouerat; quantò corruptis & effœminatis Persarum morib. patriæ disciplinæ seueritas ad virtutem præstabilior. Idcirco suæ prauitatis culpâ non sibi tantùm dignas accersiuit pœnas; sed causam etiam præbuit, vt ciues sui maris imperio excuterentur. Nam Aristidæ velut è regione perspecta à sociis in administrando imperio solertia & integritas, tum humanitatis erga illos, quibus præerat, tū virtutum omnium declaratione, id effecit, vt vno omnes nutu voluntates ad obsequium Atheniensium inclinarent. Ideò missis è Sparta prætoribus, non amplius morem gerere; Aristidem contrà suscipere, & mandata promptè exsequi. Quo

factum vt citra vllam periculi aleam imperium maris obti-
XLVII. neret. Ideoque statim consilium Aristides sociis proponit
vniuersis, vt in publicis omnium comitiis decernant, commu
ne deinceps ærarium in Delo constituendum, quo pecuniæ
vndique coactæ omnes deponantur. Tum ad impēdens belli
Persici periculum, vectigalia ciuitatibus pro cuiusque facul-
tate imperent, ita vt tota exactorum summa non minus Iↄ.
LX. talentis conficiat. Ipse igitur rationibus stipendiariis pre-
fectus, tàm exactè & iustè suum cuique censum attribuit; vt
summâ ciuitatum beneuolentiâ id comprobaretur. Quapro-
pter cùm rem omnium difficilimam assecutus videretur, sum
mam iustitiæ laudem adeptus, ab excellenti eius studio *Iusti*
cognomen tum reportauit. Et sic vno eodemque tempore
Pausaniæ malignitas ciuibus principatum maris abstulit: &
Aristidæ contra in omni genere virtus, imperium, quod antea
nullum erat, Atheniensibus conciliauit. Hæc igitur eo animo
gesta fuêre.

LVI. Tum Athenis summi prætoris magistratū gerente Phæ-
done septuagesima Olympias & sexta agebatur; quâ Scamā-
drius Mitylenæus stadio victor abiit. Romæ verò consulare
imperiū administrarunt Cęso Fabius, & Spurius Furius Me-
dullinus. Hac tēpestate Leotychidas Spartanorū rex, anno re
gni sui XXII. mortem obiit, cui succedēs Archelaus XLII. an-
nis regno præfuit. Decessit etiam è vitâ Anaxilaus, Rhegii &
Zancles tyrannus, cùm in dominatione illâ XIIX. annos cō-
pleuisset. Tyrannidē adiit Micythus gubernator fiduciarius.
hac conditione creatus, vt defuncti liberis, nondum ætate cō-
firmatis, dominiū paternū restitueret. Hiero verò Syracusa-
norū rex, post Gelonis obitū vidēs Polyzelū fratrem magnā
apud Syracusanos pollere gratiā, eūque regni affectati suspe-
ctum habēs, hominē è medio tollere properat. Mercenarios
ergò milites conducens & peregrinorum satellitio se muni-
ens, hoc pacto tutam sibi regni possessionem fore, existima-
bat. Cumque Sybaritæ à Crotoniatis obsidione pressi auxi-
liū ab eo peterent, militum manū haud exiguā conscribit, eā-
que Polyzelo tradit; eo consilio, vt à Crotoniatis in conflictu
cæderetur. Sed Polyzelo ob dictam fratris suspicionem recu-
sante vehementer ille in fratrem irâ exarsit. Cumque ad The
ronem Agrigenti regulum iste confugeret, ad expugnan-
dum se ambos totum comparauit. Inter hæc Thrasydæus

Theronis filius Himerēsium vrbi princeps datus, cùm æquo insolentiùs & asperiùs imperaret, animos ciuium prorsus à se abalienat. qui cùm ad patris tribunal criminationes de filio adferre, vt iudicem minimè æquum habituri inconsultum iudicarent, missis ad Hieronem legatis Thrasydæum accusant, vrbisq; deditionem & auxilia contra Theronem illi offerunt. At Hiero, pacificè cùm Therone transigendum ratus, proditis Himeræis, quæ contra ipsum machinarentur, clam aperit. Hic insidiis diligenter peruestigatis, indiciorumque veritate cognitâ, non modò Hieroni recōciliatur sed Polyzelo quoq; pristinam fratris beneuolentiam reparat. Himerensium verò plurimos contra se aliquid molientes cōprehendit atque mactat. Tum Hiero Catanensibus & Naxiis è patria eiectis, nouos vrbibus incolas imponit, ad quinque hominum millia ex Peloponneso colligēs & totidē Syracusanos adsciscens: Catanamque mutato nomine Ætnam dixit; cui agrum non modò Catanæum, sed magnos etiam in viciniâ tractus, sorte diuisit, & ciuium ad decies mille numerum expleuit. Hoc idcirco ab eo maturatum, tum vt ad necessitates subitò ingruentes præsidia quàm paratissima haberet; tum vt à tantâ ciuitate (que nimirū CCIↃↃ. incolarum contineret) heroicos post fata honores consequeretur. Naxios verò & Catanæos patriâ exutos in Leontinorum ciuitatem transcripsit, eamq; deinceps communi cum incolis iure habitare iussit. Thero etiā cùm Himeram bona ex parte desolatā cerneret. Dores in eā collocauit, & quicunque vellent, ciuiū loco recenseri iussit. Hi ergò per annos LIX. præclarè inter se rempublicā administrarunt. Tum vrbs à Carthaginiensibus subacta & excisa, ad nostram vsque tempestatem à cultoribus vacua permansit.

XLIX.

L.

Archōte Athenis Dromoclide, Romani Consules fecerūt Marcum Fabium, & Cneium Manlium. Eo tempore Lacedæmonii maris imperium tā vęcorditer sibi perditum esse, indignissimè ferebant. Idcirco in Græcos qui defecerant, irâ exæstuātes, meritas ab illis pœnas se exacturos minitabātur. Senatuq; conuocato, de bello Atheniensib. inferendo, ob recuperandū maris dominiū, consilia tractauēre. In frequentissimis etiā populi comitiis à iunioribus potissimū & maximâ vulgi parte id sūmâ cōtētione agebatur, vt imperiū denuò armis assereretur. hoc.n. vindicato, magnas sibi opes accessuras, & excitatiora circa rēpublicam studia, plusque neruorum fore. Pri-

re. Priuatorum quoque familias magna ad felicitatem incrementa facturas, iactitabant. Ad animos simul vetus oraculum reuocabant, quo diligenter prouidere iussisset deus, ne claudum haberent imperium. quo nihil aliud quàm præsens discrimen significetur. mutilum enim & mancum sibi imperium fore, si cùm duo sint principatus, alter in terrâ, alter in mari, vno exciderint. Cùm itaque ab omnibus ferè ciuibus in hanc sententiam iretur, denuóque res ad Senatum referretur; nemo quenquam huc audaciæ processurum existimabat, vt contrà aliquid sentiret aut diceret. Tum ex Senatoribus quidam Hetœmaridas, ab Hercule genus ducens, & præcipuæ inter ciues propter virtutem auctoritatis, diuersam consilii viam ingressus est, ac sensit, vt maris imperium Atheniensibus permitterent. non enim ex vsu reipublicæ esse Spartanæ, de maris dominatu ambigere ac contendere. cúmque ad argumenti, alioqui non plausibilis aut grati, confirmationem rationes adduxisset multas, & præsenti negotio conuenientes, tum Senatui, tum populo persuasit. Postquam ergò visum est Lacedæmoniis vtilia Hetœmaridam consulere, à belli Atheniensibus inferendi studio & conatu desistunt. Athenienses quidem initio grauissimum cum Spartanis bellum de summa in mari potestate metuebant: ideoque plures ad hunc euentum triremes ædificauerant; magnamque pecuniæ vim congesserant; & summam vbique sociis beneuolentiam & æquitatem exhibebant. sed audito Lacedæmoniorum decreto, metu belli gerendi exsoluti, ad augendam patriæ vrbis potentiam omne studium conuertêre.

LI. Prætore Athenis Acestoride, Romæ Consulatum adierunt Cæso Fabius & Titus Verginius. Qua tempestate Hiero Syracusiorum rex, cùm legati ad eum Cumis Italiæ, auxilia contra Etruscos maris dominos, à quibus bello grauabantur, petitum venissent, mediocrem triremium classem subsidio illis mittit. Harum duces Cumas aduecti conserto cum Tyrrhenis prælio nauali, multas ipsorum naues depresserunt, & illustri victoriâ potiti, quo fractæ Hetruscorum vires, & periculo Cumani exempti, Syracusas redierunt.

LII. Archonte deinceps Athenis Menone, Romani consules sibi legerunt Lucium Æmilium Mamercum & Caium

Cornelium Lentulum. Tum in Italia bellum oritur inter Tarentinos & Iapyges. de finibus autem agrorum certamen erat. Aliquandiu sanè leuibus inter se pugnis velitantur, & mutuas hinc inde prædas agunt. sed ingrauescente magis ac magis inimicitiâ, multisq; interim cædibus vltro citroq; cōmissis, ad iustam deniq; pugnam est processum. Iapyges igitur ex ciuium delectu exercitum armant, assumptisq; sociorum auxiliis, vltra ccIↃↃ. ccIↃↃ. congregant. Tarentini copiarum aduersus se coactarum multitudine cognita, & ipsi ciuium delectum habent, & mox à Rheginis societate deuinctis auxiliarem manum adsciscunt. Tum atrox pugna conseritur, & multis vtrinq; cæsis, Iapyges ad extremū victoriâ potiuntur. Victi autem in duas scissi partes inter fugiendum, alii Tarentum retrò properant: alii versus Rhegium præcipites auferuntur. Iapyges similiter in partes abeunt. quarum altera Tarentinos à tergo premit, & quia exiguum intererat spacium, magnam hostium stragem facit. Altera Rheginorum vestigiis inhærens tantâ pertinaciâ illos vrgebat, vt cum fugientibus simul intra mœnia irrumperet, eoq; impetu Rhegium caperet, & occuparet. Proximo anno pòst, Athenis Chares præturam Archonticam gerebat; Romæ verò Consulatum Titus Memmius, & Caius Horatius Puluillus. Tum apud Eleos septuagesima septima Olympias agebatur, in quâ stadio vicit Dandes Argiuus. Sub id tempus Thero Agrigentinorum princeps decimo sexto imperii sui anno, vitam clausit, in cuius locum Thrasydæus filius successit. Theronis singulari cum æquitate rempublicam administrauit; ideo in magnâ apud ciues gratiâ & auctoritate vixit; mortuoq; heroici cultus veneratio illi tributa est. At filius, viuo etiamnum patre violentum ac sanguinarium se exhibebat; eoq; functo, excusso legum freno, tyrannicū pro libidine dominatum exercebat. Statim ergò, cùm nihil ei fidendum, ciues arbitrarentur, insidiis expositus erat, maximoq; omnium odio vita eius flagrabat. ideò non multò pòst enormitati morū conuenientem vitæ exitum sortit⁹ est. Post mortē enim Theronis parentis, numerosis mercenariorū copiis conductis, delectuq; Agrigentinorū & Himerēsiū habito, plus q̄ ccIↃↃ. ccIↃↃ. equitum peditūq; collegit, cūq; his bellū in Syracusanos moliebatur. Sed Hiero, exercitu non contemnendo instruct⁹, in Agrigentinorum fines impressio-

pressionē facit, prælioq; fortiter commisso, euenit, vt Græci
Grecis in eo conflictu oppositi, maximâ ex parte caderent; vi-
ctoria tamē penes Syracusanos fuit, quorū ad duo millia cęsi:
aliorum verò vltra quatuor millia occubuerunt. Thrasidæus
ergo rebus aduerso hoc prelio adflictis, imperio excidit. Cūq;
ad Megarenses, qui Misæi appellantur, fuga se recepisset, ca-
pitali iudicio condemnatus, sibi ipsi mortem consciuit. Acra-
gantini verò cùm populare imperium in integrum vindicas-
sent, missâ ad Hieronem legatione, pacem ab eo impetrant.
In Italiâ tum Romani cum Veientibus bellum gerebant,
consertoq; ad Cremeram prelio ingenti Romani succūbunt,
& magna horum multitudo cadit; & inter alios trecenti Fa-
bii, ex vnâ gente orti, ideoq; sub vnâ appellatione comprehēsi
ad vnum omnes interfecti. Hæc itaque annus ille gesta ha-
IV. buit. Hinc gubernante Rempublicā Athenis Praxi-
ergo, Romani Consules creant Aulum Verginium Trico-
stū, & Caiū Seruilium Structum. Tum Elei qui plura minu-
taq; oppidula sparsim inhabitauerant in vnum (ex omnib. cō-
flatum) migrant, q̄ Elidem nuncupant. Lacedęmonii autem
cernentes, Spartam ob ducis sui Pausaniæ proditionem malè
audire & contemni; Atheniensium verò nomen & existima-
tionem inclarescere; propterea quòd nullus dum ipsorum ci-
uis proditionis insimulatus aut conuictus esset; parem nomi-
ni Atheniensi ignominiæ notam inurere properant. Ideò
cùm Themistocles maximi apud eos fieret, & magnâ virtutū
gloriâ fulgeret, proditionis eum incusant, summam cū Pau-
sania familiaritatem ei intercessisse: & tum consilia de proden
dâ Xerxi Græciâ cum eo communicasse hominē, criminan-
tes. Ad inimicos etiam Themistoclis disserere; eosq; ad ac-
cusationem instigare; largitionibus insuper corrumpere; &
documentis nonnullis probare, Pausaniam conceptâ apud
animum suum Græciæ proditione, machinationes suas The-
mistocli reuelasse; & ad coniungendas secum rationes & ope-
ras illum inuitasse. Themistoclem tamen conditionem tum
quidem non accepisse: q̄uis nec deferre hominem amicū de
scelere, officii sui duxerit. Tametsi verò tantis auctoribus
Themistocles accusaretur, à proditionis tamen crimine tunc
absoluitur. Ab huius igitur iudicii periculo initio quidē ma-
gnus & honorabilis erat apud populum Atheniensium. Ob
res enim preclarè gestas summo ciues illum amore cōplecte-

bantur. At pòst cùm excellentiam huius suspectam habere cœpissent, nonnulli etiam gloriam eius inuidiâ prosequerentur; meritorum obliti, potentiam illius accidere, & celsitudinem animi deprimere constituerunt. Primùm igitur ex vrbe summouetur, ostracismi suffragiis in eum latis. sancitus ille fuerat post exactos ex vrbe tyrannos à Pisistrato oriundos. & lex ad hunc se modum habebat. Ciuium vnusquisque testæ inscribebat nomen eius, qui plurimam habere virium ad euertendum popularem statum videretur. cui plures igitur testæ nomine ipsius inscriptæ obuenissent, is patriâ excedere ad annos quinque iubebatur. Hanc legem non idcirco instituisse videntur Athenienses, vt improbitatem hoc modo punirent, sed vt sublimes hominum ad fastigia euectorum animi submissiores hac relegatione facerent. Themistocles igitur, hac Ostracismi censura patriâ eiectus, Argos confugit. Quo Lacedæmonii cognito, opportunam euertendi Themistoclis occasionem sibi nunc à fortunâ subministratam rati, legatos rursus Athenas mittunt, qui cum Pausaniâ de proditione conspirasse illum criminentur. Tum in publicas, aiunt, Græciæ totius iniurias non priuato Atheniensium iudicio animaduertendum, sed in communi Græcorum conuentu, qui Spartæ illâ tempestate agitari solebat, de causis illis cognoscendum esse. Themistocles ergò animaduertens, Spartanos id vnicè operam dare, vt Atheniensium gloriæ & potentiæ, Athenienses verò ad refellendum crimen obiectum paratos esse, publico se consessui & iudicio deditum iri facilè coniectauit. In hoc verò non ad iustitiæ & æquitatis normam, sed ad gratiam omnia referri à Lacedæmoniis, compertum habebat, cùm ex aliis documentis, tum ex his, quæ iudicio de Argiuis & Atheniensibus paullò antè ediderant. Eâ namque inuidiâ erga populum Atheniensem flagrauerant iudicii illius præsides, vt cùm plures illi triremes quàm vniuersi Græci ad bellum nauale contulissent, nullo tamen honore præ cæteris Græcis dignos Athenienses censuissent. His rationibus motus Themistocles, Senatui illi minimè fidendum arbitrabatur. Etenim ex defensione illius nuper Athenis habitâ, ansam denuò accusandi illum arripuerant Lacedæmonii. In purgatione enim sui confessus erat Themistocles, à Pausaniâ literas, quibus ad commune proditionis facinus solicitaretur, missas esse. Et

hoc

hoc vel maximè argumento causæ suæ probabilitatem ad-
struebat, quòd Pausanias nunquam tàm solicitâ & operosâ
adhortatione vsurus fuisset, nisi ipse postulatis ac cœptis eius
tàm fortiter se opposuisset. Has ob causas, vt iam di-
ctum est, Argis ad Molossorum regem Admetum profugit,
& ad forum eius supplex se abiecit. Rex illum principio hu-
maniter ac benignè excepit, bonâque spe iniectâ, salutem e-
ius sibi curæ fore promisit. At cùm Lacedæmonii nobilis-
simis ciuium illuc missis ad supplicium Themistoclem ex-
poscerent, proditorem & exitium totius Græciæ ipsum vo-
citantes; regi etiam nisi illum traderet, bellum ab vniuersis
Græcis inferendum denuntiarent: tum demum rex minis
perterritus, & nihilominus supplicis vicem miserans, &
proditionis ignominiam deuitare studens, Themistoclem
hortatur, vt quàm celerrimè clam Spartanis inde se prori-
piat, & aliquam pecuniæ vim in subsidium fugæ, illi suppedi-
tat. Ille viatico accepto, cùm nusquam receptum inueniret,
noctu ex Molossorum terrâ cunctis ad fugiendum necessa-
riis à rege instructus, profugit. duosque tum iuuenes natio-
ne Ligures, mercaturæ operam dantes, ac propterea itine-
rum gnaros forte fortuna nactus, cum his fugam intendit.
Cúmque noctu iter faceret, Lacedæmonios fefellit, ac iuue-
num illorum beneuolentiâ studioque indefesso adiutus, in
Asiam tandem euasit. Priuatum ibi hospitem nomine Ly-
sitheiden habebat, nominis celebritate opibusque conspi-
cuum; ad hunc se recepit. Lysitheides ille Xerxi Persarum
regi amicus erat, omnémque in transitu exercitum eius con-
uiuio exceptum lautè tractauerat. Inde conciliatâ sibi Re-
gis familiaritate ac gratiâ, Themistoclis fortunam misera-
tus, salutem eius tuendam suscepit, omniaque ipsius causâ
facturum, promisit. Rogante autem Themistocle, vt ad
regem duceretur, principio recusauit; supplicium capitis
aditurum prædicens, quòd res Persis tum funestas gessisset:
Pòst vbi in rem id fore cognouerat, morem illi gessit, ac su-
bitò tutum innoxiumque in Persiam iter ei conciliauit. Mos
tum Persis erat, vt pellicem regi adducens in curru vndique
obtecto illam veheret, neque in viâ occurrentium quisquam
scrutari quod veheretur, aut contemplari fas erat. Hanc tum
occasionem, ad peragendum quod instituerat, Lysitheides
arripiebat. Currum enim ad hoc adornatum sumtuosissimis

velis ac ſtragulis intexit, collocatumq; in eo Themiſtoclem cum omni ſecuritate incolumẽ ad regem perduxit, & in ſecreto colloquio verbis de illo ad regem factis, fidem accepit, nullam viro iniuriam inferri paſſurum. Tum ad regem introductus, cùm impetrata dicendi copiâ illum edocuiſſet, nullâ à ſe Perſas iniuriâ affectos, à diſcrimine capitis abſoluitur.

LVI Cúmq; ita præter ſpem hoſtis beneficio ſalutem impetraſſet; nouo & maiori periculo inuoluitur. idque hoc modo. Mandone Darii, qui magos ſuſtulerat filia, & Xerxis germana, in magna apud Perſas exiſtimatione habebatur. Hæc liberis ſuis orbata, quo tempore claſſem Perſarum nauali certamine profligauit, indigniſſimè cædem illorum ferebat, vulgique animos ad miſericordiam hac calamitatis magnitudine inflexerat. Cognito itaq; Themiſtoclis in regiam aduentu, veſte lugubri multisq; cũ lacrymis ſupplex fratrem orat, precatur, obteſtatur, vt ſuppliciũ de Themiſtocle ſumat. Sed cùm ille preces non admitteret, optimos quoſque Perſarum multis precibus ambit & ſollicitat, & multitudinem tandem ad irrogandum Themiſtocli ſupplicium concitat. Illa concurſu in regiam facto, magnis clamoribus ad meritas Themiſtoclẽ pœnas depoſcit. Rex Perſarũ optimatibus, Senatũ ſe conuocaturũ, & quicquid illi ſtatuerint, id ratum fore, reſpondet. Hæc ſententia tum approbatur. Tempore igitur ſat longo ad præparationem iudicii conceſſo, Themiſtocles interim linguam Perſicam addiſcit, eâque in crimine diluendo percommode vtens, noxæ & pœnæ eximitur. Rex ipſe ſalute viri gauiſus, præclaris eum donis cohoneſtauit. Vxorem enim Perſicam in matrimonii ſocietatem ei iunxit, nobilitate ac formâ præcellentem, nec non morum honeſtate & virtute celebrem. Seruorum præterea numerum ad miniſteria, & poculorum omnis generis copiam, cæteraque ad vſus quotidianos, imò ad voluptates etiam & delitias accommoda, largitus eſt. Quin tres etiam vrbes ad neceſſariam lautamque vitæ ſuſtentationem idoneas illi donauit: Magneſiam ad Mæandrum, frumento inter omnes alias Aſiæ vrbes exuberantiſſimam, ad panes illi ſuggerendos: Mynutem deinde ad obſonia: mari enim piſcoſo adiacet: & Lampſacum tandem vineis prædiuitem, ad vini inde prouentum.

LVII Themiſtocles itaque à Græcorum metu liber, poſtquàm inſperato ab his, quos ſummis beneficiis ornauerat, exſilio

exſilio multatus,& ab illis, quos extremis cladibus affecerat, omnibus liberalitatis officiis cumulatus eſſet, in vrbibus illis vitam omnium bonorum copia adfluentem exegit. Defunctus tandem Magneſiæ, ſepulturam honorificam ſortitus eſt, eiuſque monimentum adhuc reſtat. Auctores nonnulli tradunt, Xerxem, nouæ in Græciam expeditionis percupidum, à Themiſtocle poſtulaſſe, vt huius belli ſe ducem præberet: Illum verò ita aſſenſum, ſi fidem iureiurando confirmatam daret, ſe Græcis abſque Themiſtocle bellum non illaturum. Poſt immolatum ergò taurum, iuramento præſtito, Themiſtoclem poculum taurino ſanguine plenum hauſiſſe, atque illicò exſpiraſſe. Ita Xerxem à propoſito illo reuocatum, & Themiſtoclem eo mortis genere honeſtiſſimum reliquiſſe documentum, res Græciæ præclarè à ſe adminiſtratas eſſe. Ad mortem itaque ſummi inter omnes Græcos viri nunc acceſſimus. De quo multi ambigunt, vtrum cum iniuria patriæ aliorumque Græcorum fugam ad Perſas arripuerit; an verò è contrario ciuitas Attica & omnes Græci, magnis ab eo beneficiis decorati, gratiæ referendæ memoriam abiecerint, & benefactorem ſuum in extremum ſalutis & fortunarum diſcrimen iniuſtè compulerint. Si quis verò abſq; inuidia ingenium & res geſtas viri examinauerit, vtroque inter omnes, quorum mentionem facimus, principem gloriæ locum meruiſſe Themiſtoclem, deprehendemus. Admiratione igitur non immeritò dignum hoc alicui videatur, tam excellentis ingenii viro ſponte ſe priuare maluiſſe Athenienſes. Quis

X. alius, cùm Sparta plus omnib. aliis polleret, ſummũq; claſſis imperium penes Eurybiadē Spartanum eſſet, conſiliis & factis ſuis gloriam illā Spartæ è manibus extorſit? Quem vnq̃ accepimus vno facinore id peregiſſe, vt ipſe imperatores vniuerſos, & ciuitas ſua omnes in Græciā reliquas & Græcia Barbariā gloriā ſupgrederetur? Cui exercitus prætori minor occaſionum facultas, & maior periculorum moles ſeſe obtulit? Quis totius Aſiæ viribus cum deſolatæ vrbis ciuibus, ſeſe obiectans, tam illuſtri victoriā potitus eſt? Quis tā magnificis in pace operibus ad eam potentiç amplitudinem ſuam patriam prouexit? Quis maximā belli tempeſtate obruente, ita ſeruauit? Vno certò commento diruendi pontis terreſtres hoſtium copias media ſui parte adflixit, vt a Græcis facilius deinde profligari poſſent. Itaque ſi rerum ab eo geſtarū magni-

tudinem contemplemur, & singula exactè inspiciamus; haud obscurè nobis constabit, illum à ciuitate, quam virtute suâ ad summum gloriæ fastigium extulerit, indignis modis projectum ac dehonestatum, & ciuitatem eius, quæ aliàs sapientissima omnium & æquissima putatur, sæuissimam illi se exhibuisse, reperiemus. In Themistoclis ergò laudem, etsi longiùs euagati sumus, tam incomparabilem tamen eius virtutem silentio præterire indignum equidem videbatur. Inter hæc in Italiâ Micythus Rhegii & Zancles Dynasta, vrbem Teuxûnta condidit.

Summum autem Athenis magistratum gerente Demotione, Romani Consules fecerunt Publium Valerium Publicolam, & Caium Nautium Rufum. Hoc magistratu, Athenienses imperatorem deligunt Cimonem Miltiadis filium, traditoque exercitu egregio, in maritima Asiæ traiicere iubent: vt sociis vrbibus auxilium ferat, & quæ Persicis adhuc præsidis tenebantur, in libertatem vindicet. Hic assumptâ classe ac Byzantium itinere directo, Eionem vrbem Persarum iugo adhuc pressam cepit; & Scyrum, quam Pelasgi & Dolopes incolebant, expugnauit; & instauratore ex Atheniensibus illuc constituto, agrum sorte diuisit. Hinc maioribus negotiis animum adiiciens, in Piræeum nauigat, & maiori triremium numero, ac sufficienti commeatu instructus, cum cc. triremium classe egreditur. Postea Ionum & quotquot erant, sociorum nauibus adscitis, trecentarum numerum expleuit. cum totâ igitur classe Cariam petit. Ibi accidit, vt quicquid maritimarum erat vrbium, à Græcis illuc deductarum, à Persis subitò deficeret. cæteras ab indigenis possessas, & præsidiis adhuc Persicis obnoxias, vi summâ Cimon oppugnabat. Subactis igitur vrbibus Cariæ, quæcunq; in Lycia erant eodem victoriæ cursu in fidem recepit. Cúmque subinde illis qui ad societatem Atheniensium se adiunxerant, naues imperaret, factum est, vt magno classis numero augeretur. Cæterùm Persæ copias terrestres ex gentibus sui nominis conscribebant: nauticarum verò è Phœnicia, Cypro & Ciliciâ, delectus agebant. Sũmus Persici exercitus imperator erat Tithraustes Xerxis filius nothus. Cimon ergò exploratum habens, Persarum classem iuxta Cyprum versari, directo illuc cursu, CCL. nauibus aduersus CCCXL. prælium inceptat. Certatur animosè &

sè & fortiter, vtraq; classe præclarè rem gerente, ad extremum victoria Atheniensibus cedit; qui multis hostium nauibus afflictis & pessumdatis, plures quàm centum cum ipsis classiariis in potestatem redigunt Reliquis ad Cyprum fugâ dilapsis, milites quidem in terram euaserunt; at naues propugnatoribus vacuæ in manus hostium venêre. Nec satis tantâ victoriâ effectum ratus Cimon, mox totam classem in terrestres Persarum copias ducit, ad Eurymedontum flumen tum statiua habentes. Cúmq; arte Barbaros circumuenire statuisset, in naues nuper expugnatas fortissimos quosque suorum, tiaris & reliquo ornatu Persico instructos, collocat. Barbari, veluti iam recens suorum classis aduentet, figurâ & apparatu nauium Persicarum decepti, pro suis illas triremibus agnoscunt, & Athenienses non aliter quàm amicos excipiunt. Cimon igitur, nocte iam obortâ, milites exponit, & pro amico receptus, in castra Barbarorum incursat. magnoque inter Persas tumultu & pauore excitato, Cimonis milites obuium quenque cædunt, & alterum Barbarorum ducem Pheredatem, regis ex fratre nepotem, in tabernaculo oppressum, trucidant. Ex reliquâ turbâ alios obtruncant; alios vulneribus fœdè multant; omnesque tandem, non opinatâ irruptione consternatos, in fugam disiiciunt. Tantusque pauor, tantus error, Persas incesserat, vt plerique, à quibusnam irruptio illa fieret ignorarent. nequaquam enim à Græcis, quos nullo pedestri instructos exercitu persuasum habebant, se inuadi crediderunt. sed Pisidas finitimos, sibi iampridem infensos, armatâ se manu adortos opinabantur. quare cùm ex continenti hanc impressionem fieri suspicerent, ad naues vti socias refugiebant. At quia tum nox illunis, densissimisq; tenebris inuoluta erat, error multò magis augescebat, nec quisquam quid tum gereretur, verè cognoscere poterat. Dum ingens ergò Barbarorum in tanta rerum confusione strages editur; Cimon, qui milites antè præmonuerat, vt quàm primùm facem ipse extulisset, omnes eò concurrerent, signum iuxta naues edidit, veritus ne dispersis procul militibus, & ad prædam hîc illic properantibus, aliquid aduersi contingeret. Ad facis igitur conspectum, omissa prædæ venatione, omnes congregati in naues se iterum receperunt. Postera dein luce tropæo illic erecto, in Cyprum renauigant duabus victoriis pulcerrimis, alterâ na-

uali, alterâ terrestri certamine, potiti. Nunquam enim memoriæ proditum est, res tantas ab vno exercitu terrâ mariq; confectas esse. Cimon dehinc, ob rerum magnitudinem, quas peritiâ militari ac virtute dextrè ac strenuè gesserat celebre, non tantùm inter ciues, sed reliquos etiam Græcos, nomen habuit. Triremes enim CCCXL. in potestatem redegerat, captis insuper XX. millibus virorum, & memorabili pecuniæ summâ. Persæ tamen hac insigni clade affecti, triremibus aliis, & quidem ampliori numero construendis, operam dederunt. Atheniensium enim successus subinde maiores formidinem illis incutiebant. Ab hoc enim tempore ciuitas illorum magnos ad potentiam progressus fecit: cùm & opibus cumularetur, ac fortitudinis ac militaris scientiæ gloriâ maximè illustris fieret. Tum populus Atheniensis decimâ è spoliis delectâ, deo conseruauit, donarioque inde conflato hoc Epigramma adiecit:

Europen Asiamq; ex quo maris vnda dirimit,
Gradiuusq; hominum per genus ense furit,
Tale simul terras & salsa per æquora nunquam
Sol facinus supero vidit ab axe geri.
Naues hi centum Phœnicum è classe refertas
Milite cùm caperent, multa dedere neci
Millia Medorum: Sed & Asia triste sub horum
Armigerâ ingemuit, duriter icta, manu.

Hæc illo tum anno peracta fuere. Summo verò Archontis magistratu Athenis fungente Phædone, Romæ Consulatum inière Lucius Furius Medullinus, & Marcus Manlius Vulso. Tum sæua & improuisa Spartanis calamitas incubuit. Ingens enim terræmotus Spartæ exortus, domos funditus euertit & Lacedæmoniorum supra XX. millia obtriuit. cúmq; vrbs ad multum temporis quassaretur continuè; multa hominum corpora, ruentium parietum mole oppressa, miserè interierunt. nec parum supellectilis & opum omnis generis tremor ille corrupit aut absorpsit. Hisq; malis, veluti numine quopiam irato pœnasq; exigente, affligebantur. Aliis inde periculis ab hominibus vexati sunt, ob hasce causas. Hilotes & Messenii, Lacedæmoniis iampridem infensi, principio quietè se continent: dum maiestatem & potentiam vrbis Spartanæ verentur. pòst, vbi maximam illorum partem concussione absumptam vident, contemptâ reliquo-

liquorum paucitate fœdus inter se ineunt, coniunctisq; viribus bellum Spartanis inferunt. At rex Archidamus, c l. inter medias terræmotus ruinas prudentia sua ciues conseruauerat, tũ bello ingruente fortiter resistit. Interim enim dum grauissimo terræmotu vrbs iactatur, Lacedæmoniorũ primus correptâ armaturâ in campum apertum prosiluerat, aliisq; vt idem facerent, mandârat. Qui cùm paruissent, quicunque adhuc superstites erant, incolumitatem suam retinuerunt. Hos ergò tum in ordinem redactos ad perduellium belli vim excipiendum armat.

V. Hilotes verò cum Messeniis coniuncti primo impetu versus Spartam mouent, se defensoribus vacuam haud difficulter occupaturos rati. sed cùm audirent ciuium reliquias cum Archidamo rege ad certamẽ pro tuendâ patriâ instructâ acie iam paratas esse, ab incepto destiterunt. Tũ munitum in Messeniâ locum occupantes, assiduis inde incursationibus Laconiam infestant. Ad opẽ ergò Atheniensium confugiunt Spartani, & auxiliares ab eis copias impetrant. nec segnius à reliquis etiam sociis auxilia petendo, vires tandem hostiũ bello pares colligunt. Ac principio quidem hostibus longè superiores erant. postmodùm verò Athenienses ad Messenios inclinare suspicati, subsidia illorũ dimittunt: cæterorum copias sociorum ad incumbens periculum satis sibi fore prætexentes. Athenienses, despectui se habitos rati, mussitatâ tum quidem indignatione abiêre. at paullò pòst, exulceratis aduersus Lacedæmonios animis, indies magis magisque odio & ira contra illos inflammabantur. & hæc prima fuit causa, quæ Athenienses à Spartanis alienauit. Hęc alienatio in hostiles pòst inimicitias erũpens, atrocissimis ciuitates bellis inter se commisit, quo grauissimis Græciam calamitatibus repleuerunt. verùm de his singulatim cõueniente deinceps tẽpore à nobis perscribetur. Tunc itaq; Lacedæmonii, cum suis ac sociorum copiis in Messeniam profecti, Ithomen obsêderunt. Vniuersa interim Hilotum multitudo, deserto Lacedæmoniorũ imperio, cum Messeniis armorum societatem coniunxerat. & nunc victores, nunc victi erant, mutuisq; se cladibus per integrum decennium atterentes bello finem imponere nequibant.

LXV. Sub hæc Athenis summæ rerum præerat Theagenidas, & Romæ Consules erant Lucius Æmilius Mamercus, & Lucius Vospicus Iulus. Olymp. tũ cœperat septuagesima octauâ

quâ ex ſtadio palmam retulit Parmenidas Poſidoniates. Eâ tempeſtate bellum inter Argiuos & Mycenæos his de cauſis ortum eſt. Mycenæi propter antiquã patriæ ſuæ dignitatem, Argiuorum imperium, vt reliquæ in Argolidæ vrbes, non admittebant, ſed ſuis ſe legibus & inſtitutis tenentes, cum Argiuorum republicâ nihil commune habebant. quin etiam de templo ſacriſq; Iunonis cum ipſis contendere, & ludorum Nemeæorum adminiſtrationem ſibi arrogare. Præterea cùm Argiui decretum feciſſent, Lacedæmoniis ad Thermopylas nihil ſuppetiarum ferendum eſſe, niſi partem aliquam imperii conceſſiſſent: ſoli Mycenæi ex toto Argelidem incolentium numero Lacedæmoniorum militiæ ſe adiunxerant. Poſtremò ſuſpicio quædam inuaſerat Argiuos, ne creſcente ſubinde potentiâ, priſtinâ animorum fiduciâ excitati, de principatu ſecum contenderent. Has ob cauſas Mycenæis infenſi, iam olim exſcindere illorum vrbem cupierant. tum verò commodiſſimam rei conficiendæ occaſionem ſibi oblatam rati, cùm ob res domi adflictas nihil ſubſidii Mycenæis commodare Spartanos viderent, ingenti tum ex Argis tum ex ſociis vrbibus contracto exercitu, in eos mouent. Et pugna victos mœnibuſque incluſos obſident illi oppugnationem per aliquod tempus fortiter ſuſtinent; ſed bello exhauſti, cùm Lacedæmonii ſuis occupati bellis & terræ motu in anguſtum redacti, ſuccurrere non poſſent; nec vlla ſociorum defenſio aliunde contingeret; inopiâ propugnatorum tandem ſuccubuerunt, ac vi capti ſunt. Argiui vrbe potiti ciues in ſeruitutem redigunt; & decimam ex illis coactam deo conſecrant; vrbemq; ſolo æquant. Hunc ciuitas antiquis temporibus felix, magnorumque parens ac nutrix virorum, & rebus à ſe præclarè geſtis nobiliſſima, exitum ſortita eſt. & ad noſtram vſque ætatem ab habitatoribus deſerta permanſit. His ille annus geſtis inclaruit.

LXII. Archonte verò Athenis Lyſiſtrato, Romani Conſules fecerunt Lucium Pinarium Mamertinum & Lucium Furium Fuſum. His rempublicam adminiſtrantibus, Hiero, Syracuſanorum rex, Anaxilai Zancles quondam domini, filios, honorificis ad ſe muneribus inuitatos, edocet, quanta Gelonis in parentum illorum beneficia exſtiterint, eoſque hortatur, vt quia iam ad virilem ætatem excreuerint, rationibus à Micytho ipſorum hactenus tutore exactis, imperii

perii ius & potestatem ad se reducant. Hi domum regressi, gestæ tutelæ rationes à tutore suo reposcunt. Micythus ergò, vir probus & integer, paternis iuuenum amicis conuocatis, rationes tàm liquidè reddit, vt omnes tum præsentes in iustitiæ fideique suæ admirationem raperet. Iuuenes ergò pœnitentiâ ducti, Micythum obtestari, vti dominationis rursus curam susciperet, patrisque loco & potestate omnia principatus negotia moderetur ac gubernet. At Micythus nequaquam voluntatem suam huc accommodans, restitutis exactè omnibus, facultates suas naui imponit, & Rhegio soluentem summo totus populus fauore prosequitur. In Græciam ergò profectus Tegeæ in Arcadiâ vitam non sine laude transegit. Hiero autem Catanæ defunctus, heroicos, vt vrbis huius conditor, honores præmii loco recepit. Hic imperio per annos vndecim gesto, regnum Thrasybulo fratri reliquit, quod per vnum de hinc annum administrauit.

VII. Iam Archontis munus Athenis habebat Lysanias, & Roman. Consules reipublicæ præfecerant Appium Claudium, & Titum Quintium Capitolinum. Horum in magistratu Thrasybulus regno Syracusanorum excidit. de quo, cùm speciatim relationem instituerimus, necesse habemus, vt ad superiora paullulùm regressi, ab initio cuncta disertè exponamus. Gelo Dinomenis filius, virtute & imperatoriæ scientiæ facultate longè aliis præcellens singulari quadam arte Carthaginenses delusos magnificè (vti dictum est) prælio vicerat. Cúmq; modestè victoria vteretur in deuictos, & singularem finitimis humanitatem exhiberet, magnam sibi auctoritatem & gloriam apud Siculos comparauit. Hic ergò in summâ omnium caritate propter benignitatem habitus, vitam pacificè ac tranquillè peregit. Regni clauum ab ipso accepit Hiero fratrum natu primus, longè aliam imperandi rationem sequens. auarus namque erat, atq; violentus & a fratris candore atque integritate alienissimus, has ob causas plurimi iam defectionis percupidi & studiosi erant, sed magnifica Gelonis celebritas, & beneuolentiæ vniuersis Siculis testatæ memoria, conatus impetusq; illorum inhibebat Sublato è viuis Hierone, inito Thrasybulus regno, improbitate germanum ante se regem excessit. cùm enim ad vim & cædes maiorē in modum propensus esset, multos ciuium præter ius & æquum è medio tollebat, nec paucis

per falſas criminationes in exilium actis, damnatorũ facultates in fiſcum referebat. Ad extremum odio ciuium ardẽs, & illorum contrà, quibus iniurias faciebat, odia erga ſe accendens, numeroſam militum ſtipendia facientium manum contraxit, vt hoc ſe præſidio contra vim ciuiũ muniret. Cũq; indies magno ciuium contra ſe odio aggrauaretur, multos contumelioſè tractans, nec paucos iniuſtâ cæde opprimens; iniuriarum tandem impatientes à ſe deficere coëgit. Ideoq; Syracuſii nouis ſibi ducibus creatis, tyrannicæ dominationis iugum excutere coniunctis viribus properant, & à ducibus in ordinem diſtributi armis libertatem aſſerunt. Thraſybulus ergò totam in ſe armari ciuitatem videns, primò verbis ſeditionem comprimere nititur. Vbi verò tantoperè concitatum ſenſit populum, vt nullâ ratione placari poſſet, ciues, ex Catanâ, non ita pridem in coloniam ab Hierone illuc miſſos, reliquosq; ſocios, & mercenariorum non exiguas copias accerſit, & ad xv. millia exercitum cogit. Tũ eam vrbis partẽ, quæ Achradina vocatur, inſulamq; probè munitam occupat: inde crebris hoſtem eruptionibus laceſſit. At Syracuſani principio illum vrbis tractum inſederant, qui Itycâ nomine inſignis eſt, vnde ipſi bellum cient. miſſisq; Gelam, Agrigentum, Selinuntem & Himeram, ceteraſq; Siculorũ vrbes mediterraneas, legatis, orant, vt ſuppeditatis quàm primũ auxiliis, operam in recuperandâ Syracuſorum libertate ſibi nauarent. Hi promptè obſecuti, maturè ſubſidia mittunt, alii peditum cohortes & equitum turmas, alii naues longas, omni ad bellum nauale apparatu ſtructas. Ita breui non contemnendis aucti copiis Syracuſani, tum claſſe ad bellum inſtructâ, tum terreſtri exercitu in aciem explicato, ſe tàm mari quàm terrâ hoſti pugnandi copiã facturos, oſtendunt. Thraſybulus igitur à ſociis deſtitutus, omnemq; ſpem in militibus ære conductis repoſitam habens, Achradinam quidem & inſulam in poteſtate tenebat; ſed reliqua vrbis loca Syracuſii occuparunt. Sub hæc Thraſybulus nauali hoſtes prælio inuadit, & victoriâ fruſtratus, magno triremium numero amiſſo, cum reliquis in inſulam fugâ euaſit. Mox copiis etiam terreſtribus Achradinâ eductis, in ſuburbio cum hoſte congreſſus ſuccumbit, & magno ſuorum numero cæſo, rurſus inter Achradinam compellitur. Ad poſtremum ſpe tuendæ dominationis abiectâ, legationem ad Syracuſanos mittit, certiſq;

LXV

certisque cum hoste conditionibus pactus, datâ fide accे-
ptaque, in Locros exsulatum abit. Ad hunc Syracusii mo-
dum patriâ in libertatem vindicata, liberum etiam condu-
ctitiis militibus discessum permittunt. Reliquas inde respu-
blicas, tyrannicis adhuc imperiis & præsidiis occupatas libe-
rant, & popularem vbiq; reipublicæ formam restituunt. Ex
eo deinceps tempore Syracusanorum ciuitas pace fruens,
magnos ad felicitatem successus habuit, & popularis im-
perii statum per LX. annos, vsque ad Dionysii dominatio-
nem conseruauit. Thrasybulus itaque regnum honestissi-
mis substructum fundamentis cùm accepisset, suâ tamen
improbitate turpiter illud amisit, & exsul apud Locros pri-
uatum deinceps vitæ statum exegit. Dum hæc in Siciliâ
geruntur, Romæ tum primùm quatuor tribuni plebis Ca-
ius Sicinius, Lucius Numitorius, Marcus Duillius & Spu-
rius Aquilius creantur.

LIX. Anno hoc elapso, Athenis Senatui præerat Lysitheus &
Romæ Consulatum administrabant Lucius Valerius Pu-
blicola & Titus Æmylius Mamercus. Horum tempore, in
Asiâ, plurimùm apud Xerxem pollens Artabanus, vtpote sa-
tellitum eius princeps, natione autem Hyrcanus, regis ne-
candi, regniq; in se transferendi consilia init. Hanc insidiarũ
fabricam cum Mithridate Eunucho, regisque cubiculario
(summam is fidei existimationem habebat, amicitiæ insu-
per & cognationis necessitudine Artabano obstrictus) com-
municat, assensumq; facilè impetrat. ab hoc igitur in cubicu-
lum introductus Artabanus, statim Xerxem obtruncat, eo-
dẽq; ardore filios etiam regis petit; qui tres erant, Darius na-
tu maximus, & Artaxerxes, qui ambo in regia versabantur.
tertius autem Hystaspes tunc absens Satrapiam Bactrianorũ
illâ tempestate gerebat. Tũ Artabanus profunda adhuc no-
cte ad Artaxerxem properans, Darium parenti necẽ intulis-
se, regnũq; sibi vsurpare constituisse nunciat. suadet idcircò,
priusquàm ille rerum summã ad se traxerit, maturè sibi con-
sulat, ne per socordiam fratri seruiat: sed vltione de patricida
potiùs sumpta regnum ipse occupet. ad quod facinus perpe-
trandum regios stipatores in auxilium se adhibiturum pol-
licetur. Facilè in sententiam pertrahitur Artaxerxes, & sa-
tellitum operâ mox fratrem obtruncat. Artabanus ergò for-
tunam insidiis adspirare cernens, liberis ad se vocatis iam

capessendi regni tempus venisse dictitat:& ex improuiso stricto Artaxerxem gladio ferit. is ex vulnere accepto non magnum incommodum passus, strenuè contra Artabanum se tutatur, & lethali vulnere eum inflicto perimit. Ereptus ad hunc modum è periculo vitæ præter omnem opinionem Artaxerxes, cædemque patris vltus, imperii Persici gubernacula accepit. Hoc ergò fato Xerxes vitam clausit, postquàm vltra xx annos Persarum regno præfuisset. Successor autem eius XLIV. annos regnauit.

Sequens annus quo Archon erat Athenis Archedemides, Romani Consulari imperio præfecerunt Aulum Verginium,& Titum Numicium. Olympias tum agebatur nona & septuagesima, quâ ex stadio victoriã retulit Xenopho Corinthius. Eo tempore Thasii ab Atheniensibus deficiunt,cõtrouersiâ de metallis obortâ, quos illi expugnantes suæ iterũ ditioni subiunxêre. Cúmq; Æginetas etiam rebelles domuissent,ad vrbis illorum obsidionem sese conuertunt. hæc enim ob felices in naualibus pugnis successus, turgidos habebat animos,diuitiis præterea & triremiũ instructissimâ classe abundabat,&,quod maximum semper inimica Atheniensibus fuerat. proptérea ducto in Insulam exercitu, agros eius populantur, Æginamq; obsidione cinctam funditus euertere properant. nam auctis confirmatisq; viribus, Athenienses non iã vsitatam priùs humanitatem sociis declarare sed violenter & superbè illis dominari. Ideò sociorum magna pars, fastũ illum & imperii asperitatem non ampliùs ferendam & tolerandam rati, defectionis consilia inter sese agitare; nonnulli etiam publico neglecto cõuentu, suo rem arbitrio instituere. Dum hæc ita geruntur Athenienses, maris iam longè lateq; domini, coloniam decies mille hominum Amphipolin mittunt, delectu partim ex ciuibus, partim ex sociis habito, agrũque inter illos sorte diuidunt. Hi ad tempus sanè Thraces finitimos sub ditione tenuêre. sed pòst, cùm in superiorem Thraciæ partem progrederentur, quicunq; in Thracum regionem impressionem fecerunt, ab Edonorum, vt vocantur, gente sunt deleti.

Summo Athenis prætore Tlepolemo, Romani Consules fecerunt, Titum Quintium & Quintum Seruiliũ Structũ. Tũ Artaxerxes rex Persarum, vindicato nuper imperio, cædis paternæ reos supplicio adficit, & regni statum, prout rerum

rerum suarum commoditas exigere videbatur, componit. nam Satrapas minùs sibi beneuolos abdicat; & idoneos sibi visos in locum illorum substituit. vectigalium præterea & copiarum & bellici apparatus curam suscepit, & totam denique gubernationem ad æquitatem instituens, magnam apud Persas auctoritatem sibi cōparat. Ægyptii interim auditâ Xerxis morte, totoq; conatu & perturbatione, quâ regnum Persarum fluctuabat, recuperandę libertatis consilia ineunt. Copiis ergò statim coactis, à Persis deficiunt, & quæstoribus Ægypto eiectis, regem sibi creant nomine Inarum. Hic ex indigenis primò milites conscribit, pòst externorum quoque auxilia, mercede conducens, non contemnendo exercitu se instruit. Athenas quoq; de iungendâ legatos societate mittit, cum promissis, si in libertatem Ægyptios vindicârint, ad communes ipsorum vtilitates expositum fore regnum, & multiplicem se illis gratiam relaturum. Athenienses equidem magno sibi emolumento futurum arbitrati, si quantis possent viribus, Persarum opes imminuerent, Ægyptiosque benè merendo sui iuris, ad quoscunque fortunæ euentus, facerent; trecentis triremibus auxilium illis ferre decreuêre. In classem igitur parandam magnâ animorum propensione incumbunt. Artaxerxes verò nunciatâ Ægyptiorum defectione, belli apparatu, & magnitudine copiarum, illos superare instituit. Confestim ergò ex omnibus regni prçfecturis militum delectus agit, classemque adornat, ac nullius apparatus curam prætermittit. Ac res Asiæ sanè Ægyptique in hoc erant statu.

XXII. In Siciliâ verò abrogato nuper Tyrannorum dominatu, & restitutâ per omnes vrbes libertate, magna ad felicitatem incrementa fecit insula vniuersa. Dum enim in summa pace Siculi agrum colunt fertilissimum, breui fructuum vbertas magnas illis opes accumulauit, terraque mancipiis, & pecoribus, omnique felicitatis genere referta est. Magni enim subinde prouentus accedebant, nihilque in bellorum vsus expendebatur. Sed paullò pòst rursus in bella & seditiones inciderunt; cuius mali hæc fuit origo. Sublatâ Thrasybuli dominatione, comitia agebant, in quibus de popularis gubernationis ratione consilia tractantes, vnâ omnes sententiâ decreuerant, Ioui liberatori statuam ad colossi altitudinem adornare, & quotannis sacra libertatis peragere, solennesque

eo die ludos celebrare; quo profligato tyranno patriæ libertatem vindicassent. CCCC. præterea & quinquaginta tauros diis immolandos, & in commune ciuibus epulum impendendos vouerant. Magistratus etiam omnes ciuibus pro antiquo more distribuerant. Sed alienigenas Gelonis tempore in ciuitatem adscriptos ad munera publica & honores ciuiles non admiserant, vel indignos rati, vel metuentes, ne quando tyrannicis imperiis à pueritiâ adsueti, & Monarchæ (*vnius principis*) militiam sectati, aliquid innouare conarentur. quod non vanum esse euentus tandem docuit. Nam Gelo supra CCIↃↃ. peregrinorum, qui stipendia meruerant, ciuitate donârat: eorumque IↃↃ CIↃ CIↃ. & plures ad eam vsque tempestatem superant.

Hi ergò se à magistratuum creandorum suffragiis exclusos indignè ferentes, conspirant, & secessione à reliquis Syracusanis factâ; Achradinam, vrbis partem, & insulam occupant; vterque enim locus murum egregiè constructum habebat. Ad hunc modum Syracusani rebus iterum perturbatis, alteram vrbis partem, imprimis quæ ad Epipolas vergit, insident, muroque circumducto firmis se præsidiis muniunt. Exitu enim seditiosis intercluso, mox omnem commeatuum facultatem haud magno negotio ademerunt. Erant sanè inquilini Syracusanis inferiores numero, sed militari peritiâ illis longè præstabant. si quando igitur eruptionibus factis particulares inter se pugnas committerent, peregrini superiores euadebant. at exitu prohibiti, difficultate victus premebantur. Et hæc tum per Siciliam conditio rerum fuit.

LXXIII.

Prætore hinc Athenis Conone, Consulatum Romæ gesserunt Quintus Fabius Vibulanus, & Titus Æmilius Mamercus. Sub hoc tempus Artaxerxes rex Persarum ducem belli Ægyptiis inferendi constituit Achæmenem Darii filium, magnumque suum patruum, & plusquam CCC. equitum, peditumque millia tradens, Ægyptum expugnare iussit. Is in Ægyptum profectus prope Nilum castra posuit, & refectis ab itineris labore militibus, ad pugnam sese comparat. Ægyptii verò copiis ex Africâ & Ægypto accitis; subsidia Atheniensium exspectabant. hi ducentarum nauium classe in Ægyptum adductâ, vires cum Ægyptiis coniungunt. Pugnâ consertâ, summis vtrinque viribus certatur. & ad tem-

LXXIV.

pus

pus quidem Persæ multitudine suâ præpollebant. at cùm strenuè in illos Athenienses inferrentur, & aduersum sibi cornu pellerent, plurimis in acie trucidatis, reliqua etiam Barbarorum multitudo fugam arripit. Magna tum strages inter fugiendum editur, & Persæ tandem maiore exercitus parte amissâ, in album, vti vocant, murum confugiunt. Athenienses igitur suâ victoriam strenuitate adepti, cùm ad munitionem illam Barbaris institissent, expugnare locum nitebantur. Artaxerxes de clade suorum edoctus, familiares quosdam cum magnâ pecuniæ vi Lacedæmonem mittit, qui de bello Atheniensibus inferendo Spartanos sollicitent, reuersuros hoc pacto ad succurrendum patriæ, victores Atheniensium ratus. At Lacedæmonii neque pecunias accipiunt, neque aliâs postulatis Persarum aures præbent. Desperatis igitur Lacedæmoniorum suppetiis, Artaxerxes nouis se copiis instruit; quibus Artabazum & Megabyzum præficit, viros excellenti virtute præditos, eosque in Ægyptios expeditionem facere iubet.

LXXV. Athenis dein Rempublicam administrante Euippo, Romæ Consules facti Quintus Seruilius & Spurius Postumius Albus. Tum Artabazus & Megabyzus, ad bellum Ægyptium imperatores designati, ex patriâ equestres & pedestres copias, vltra ccc. hominum millia educunt. Vbi in Ciliciam & Phœniciam ventum erat ab itineris molestiâ exercitum recreant: & tum Cyprios, Phœnices & Cilices classem instruere iubent. ccc. ergò triremibus ædificatis classiarios imponunt fortissimos armis telisque, & cunctis rebus ad certamen nauale idoneis instructos. In hoc belli apparatu, dum assiduè milites exercent, & ad rei militaris industriam & artes vnumquemque adsuefaciunt, totum propè annum consumunt. Athenienses interea obsidionem illorum, qui in album murum refugerant, vrgent. Sed cùm Persæ fortiter se tutarentur, nec capi locus ille posset, obsidio per annum continuatur.

LXXVI. In Siciliâ verò, Syracusani cum defectoribus belligerantes, Achradinam cum adiunctâ insulâ, summâ vi assiduè impugnabant: & quamuis prælio nauali rebelles vicissent, terrestri tamen acie ex vrbe, locorum munitione adiunctos pellere nequibant. Sed pòst, eductis in apertum copiis cùm animosè certaretur, multi vtrinque cade-

bant,& victoria tandem Syracusanis cessit. Finito hoc prælio Syracusani delectos quosdam viros numero sexcentos, quorum potissimùm virtute victoriam obtinuerant, coronis donant, & vnicuique præmii loco minam argenti pendunt. Dum hæc geruntur, Deucetius Siculorum dux, incolis Catanæ, ob ereptum Siculis agrum infensus, arma in eos monet. A Syracusanis præterea bello petuntur. hi enim communi agros illos sorte in coloniam illuc ab Hierone principe ducti, obtinuerant, ideoque bello ius suum persequebantur. Sed cùm aciem Catanenses opponerent, multis deuicti præliis, tandem Catanâ excessêre, vrbemque nunc Ætnam, priùs Enesiam vocitatam, occupârunt. veteresque Catanæ ciues post longum temporis interuallum patrias sedes receperunt. His ita gestis, quicunque Hieronis tempore ex vrbibus suis pulsi, exsulauerant, iam opitulatores nacti, postliminio redierunt, & per iniuriam alienis vrbibus petitis eiecêre. ex horum numero erant Geloi. Acragantini & Himerenses. Eodem modo etiam Rhegini cum Zanclæis, Anaxilæ filiis dominatu excussis, patriæ libertatem asseruerunt. Post hæc Camarinam Geloi occupantes, de nouo agros inter se distribuunt. Vrbes tandem pleræque omnes ad delendum hostes concitatæ communi decreto aduersus inquilinos facto inter se paciscuntur, & receptis exsulibus pristinis ciuitates incolis restituunt. peregrinos verò omnes qui dominatum in aliena sibi vsurpârant, Messanam transtulerant. Ad hunc itaque modum seditiones ac tumultus per Siciliæ ciuitates finem habuêre, vrbesque ferè omnes ex alienâ potestate sibi redditæ, instauratâ pristinæ reipublicæ formâ, quicquid agri publici erat, ciuibus viritim diuiserunt.

Iam Athenis Phasiclides rerum summæ præerat; & Olympias octuagesima celebrabatur; in quâ ex stadio victoriâ adeptus est Tæryllas Thessalus. Romanique Consules instituerunt Quintum Fabium & Titum Quintium Capitolinum Tum Persarum in Asiâ duces in Ciliciam transgressi, CCC. nauium classem parauerant ad belli vsus præclarè instructam; assumptoque terrestri exercitu, per Syriam & Phœniciam iter faciebant. Præternauigante verò ad latus classe, ad Memphim tandem cùm peruenissent, obsidionem Albi muri illicò soluunt, perterrefactis aduentu hostium Ægyptiis pariter & Atheniensibus. Mox consilio prudenter inito, col-

LXXXVII.

latâ

latâ quidem acie pugnare declinant, sed arte militari finem bello imponere contendunt. Quapropter cum naues Atticæ ad Prosopitidem Insulam stationem haberent, fluuio qui insulam cingebat per fossas aliô diuerso, ex insulâ continentem fecerunt. Quamprimùm ergò classis in siccâ terrâ subsedit, Ægyptii timore perculsi, posthabitis Atheniensibus, cum Persis in gratiam redeunt. Athenienses verò à sociis destituti, vbi naues ad vsum deinceps incommodas viderunt, subiecto igne omnes concremant, ne in hostium potestatem venirent. nec quicquam circumstantis periculi difficultate exsternati, se mutuò exhortantur, ne pristinorum virtute certaminum aliquid indignum committant. Ideò virtute illos supergressi, qui ad Thermopylas pro salute Græciæ vitã profuderant, paratis ad confligendum cum hoste erant animis. At ductores Persarum Artabazus & Megabyzus, Græcorum audaciâ tam egregiâ conspectâ, æstimatis etiam cladibus suorum, quòd multa hominum millia priùs amisissent, fœdus hac conditione cum Atheniensibus faciunt, vt absque periculo incolumes Ægypto excederent. Suâ igitur virtute Athenienses salutem consequuti, Ægyptum relinquunt, & per Africam Cyrenen vsq; progressi, salui dehinc in patriam, contrà quàm sperassent, reuertuntur. Dum hæc geruntur, Ephialtes Athenis Simonichi filius tribunus plebis in Areopagitas multitudinem concitauit; vtque publico decreto Senatus in Martio colle auctoritatem imminuerent, & laudatissimæ patriæ instituta abrogarent, persuasit. Tam nefariis tamen cœptis animum adiecisse, haud impunè habuit. incerto enim auctore per noctem interemtus, obscurum vitæ exitum sortitus est.

LXXVII. XXIII.

Exacto illo anno Athenis summum magistratum gerebat Philocles; & Romæ consulatum inierunt Aulus Postumius Regillensis, Et Spurius Furius Medullinus. Horum tempore bellum Corinthiis Epidauriisque contra Atheniéses excitatum est. expeditionem igitur in illos faciunt Athenienses, & pugnâ acriter conserta, Athenienses vincunt; & ingenti classe ad Halienses (vti vocantur) prouecti, Peloponnesum inuadunt, magnasque hostium strages edunt. Conuersi autem Peloponnesii, validâ rursus manu coactâ prælium cũ Atheniensibus iterant ad Cecryphaliam quam nominant, & rursus Athenienses victoria potiuntur. His successibus con-

firmati cùm Æginetas, rerũ priùs gestarũ gloriâ tumefactos, alienis à se animis esse cernerent, bellum ipsis facere decreuerunt. magnâ proinde classe contra illos missâ, Æginæ incolæ singulari peritiâ instructi, & certaminum naualium gloriâ freti, præpotentes Atheniensium vires non extimescunt; sed mediocri triremium copiâ instructi, aliisque nuper ædificatis aucti, fortunam belli naualis experiuntur, victique LXX iacturam triremium faciunt. Fractis itaque tantâ calamitate animis ipsorum, Atheniensium se ditioni submittere coguntur. Hæc Leocrates imperator Atheniensibus confecit, postquàm per nouem menses cum Æginetis bellum continuasset. Interea dum ista geruntur, Deucetius Siculorum rex, genere apprimè nobilis, & opibus plurimùm illa tempestate pollens, Menænum vrbem condit, & finitimum, colonis eò deductis, agrum distribuit. Tum infesto Morgantinam vrbem exercitu oppugnatam capit, & gloriã haud vulgarem inter gentiles suos adeptus est.

Anno tum elapso Athenis magistratum gerebat Bion & Romæ in consulatu successerunt Publius Seruilius Structus, & Lucius Æbutius Eluas. Horum tempore orta inter Corinthios & Megarenses de finibus controuersia, in apertum vrbibus bellum erupit. Principio itaque agros mutuis populationibus vexare; mox paucorum congressu parttas inter se pugnas velitando ciere; tandem gliscente magis subinde dissidio ac certamine; Megarenses viribus inferiores metu Corinthiorum societatem cum Atheniensibus ineunt. Vnde æquatis iam viribus, cùm instructissimum Corinthii Peloponnesiorum exercitum in Megarensium terram expediuissent, subsidia Megarensibus mittunt, quorum dux erat Myronides, vir perspectæ ac mirificæ virtutis. Cúmq; signis de hinc collatis fortissimè dimicaretur, & ob parem animorum vim ac pertinaciam diu in ancipiti momentum pugnæ staret, victores ad extremum Athenienses magnam hostium turbam cædunt. Et paucis diebus pòst in Cimoliâ, quam dicunt, iterum cum hoste congressi, iterum victores cum ingenti hostium cæde abeũt. Nec multi interuenêre dies, cùm Phocenses aduersus Dores arma mouent. Hi ductâ à Lacedæmoniis origine tres vrbes colli, quem Parnassum vocant, subiectas, Cytinium, Boium & Erineum incolunt. Ac primum quidem Doriensibus vi subactis, vrbes illorum occuparunt.

LXXX

IX.

pârunt. post id , Lacedæmonii Nicomedem Doriensibus, quòd gens hæc sanguine ipsis iuncta esset, ad auxilia ferenda mittunt. Ducebat ille mille quingentos Lacedæmonios, & ex Peloponneso hinc inde collectos decem millia. Tutor hic Pleistonactis regis adhuc pueri, tantis cum copiis Doriensium defensionem suscipiebat. Victis igitur acie Phocensibus & recuperatis vrbibus, bellum vtriusque gentis pacificè composuit. Vt verò Athenienses cognouêre, Phocensium bello finem iam impositum à Lacedæmoniis, eosq; domum iam remeaturos esse, de opprimendis in transitu rationes inierunt. expeditione igitur in eos susceptâ, Argiuos & Thessalos, in societatem acceperunt, nauibus quinquaginta & armatorum cccc. supra decies mille exercitu in illos educto, transitus per Geraneam obsident. Lacedæmonii interea auditis Atheniensium molitionibus, versus Tanagram Bœotiæ deflectunt. Properant illuc etiam Athenienses; & valida vtrinque acie instructâ prælium committitur. Et licèt in medio pugnæ feruore Thessali ad Spartanos transirent, nihilominus tamen Athenienses & Argiui in certamine fortiter persistunt, & cadentibus vtrinque non paucis, noctis interuentu vix tandé dirimuntur. Sub hæc cùm Atheniensibus magna cibariorum copia ex Attica adueheretur, Thessali eo ipso momento rem aggrediendam rati, curatis corporibus venalia apportantibus obuiam eunt. Sed quia Atheniense præsidium commeatui tutando adiunctum doli inscium erat, & Thessalos amicorum loco admittebat, multifariam inter illos de præda vel amittendâ vel retinendâ disceptatum est. Initio enim Thessali per errorem ab hostibus recepti, quotquot habebant obuios, interficiunt. & bene compositis ordinibus cum perturbatis conserti, non mediocres cædes faciunt. Athenienses in castris versantes, compertis Thessalorum insidiis, citato itinere accelerant, & primo Thessalis accursu in fugam conuersis, prolixa in eos strage desæuiunt. interim Lacedæmonii Thessalis succurrunt. Explicitâ igitur vtriusque exercitus acie, ad iustum res prælium deuenit. quod cùm summâ contentione ageretur, multi vtrinque cecidêre. Sed cùm anceps pugnæ euentus esset, accidit, vt Lacedæmonii de victoria cum Atheniensibus disceptarent. qua in ambiguo permanente, per legatos vltro citroque missos, quatuor mensium inducias inter se pepigêre.

Finito iam anno, summum Athenis magistratum gerebat Mnesitheides; & Romæ consulatum administrabat Lucius Lucretius & Titius Veturius Cicurinus. Dum hi reipublicæ gubernacula tenuerunt, Thebani, ob societatem Xerxi præstitam non parum deiecti, patrii tandem imperii vires & gloriam quomodo recuperarent, solicitè disquirebant. Cũque Bœoti extremo illos contemptui haberent vniuersi, nec vllâ ampliùs auctoritate dignarentur, à Lacedæmoniis ipsi contendunt, vti Bœotiæ totius imperium vrbi Thebanæ vẽdicent. Pro hoc beneficio priuatis se opibus bellum ab Athenis illatum sustentaturos, ne Spartanos extra Peloponnesum copias educere terrestres deinceps sit necessum. Lacedæmonii petitionem Thebanorum ex commodo sibi fore, & Thebas opibus iterum confirmatas propugnaculum contra Athenienses præbituras, arbitrati, cùm iam amplum & expeditum circa Tanagram exercitum haberent: ambitum vrbis Thebanæ longiùs producunt, & oppida Bœotiæ Thebanorum ditioni subesse cogunt. Athenienses igitur conatus Lacedæmoniorum excutere properantes, exercitum non adspernandum cogunt, cui Myroniden Calliæ filium præficiunt. is mediocri ciuium delectu habito, per edictum sacramento iam adstrictis militibus certum determinauit diem, quo copias ex vrbe educturus esset. Vbi tempus indictũ aduenit, & pars militum, vti imperatum erat, non comparuit; assumptis, qui tum conuenerant militibus in Bœotiam perrexit. Ex tribunis militum nonnulli & amicis suadebant, præstolandos esse, qui hactenus cunctarentur. at Myronides prudens simul & strenuus rerum effector, imperatori minimè tardandum, subiiciebat. Ratio hæc erat; Qui moras circa expeditionis tempus nexuissent, etiam in præliorum discrimine animo degeneri & timido futuros; ideóque pericula pro gloria patriæ non quâ decet promptitudine subituros. Qui verò ad constitutum alacres diem conuenissent, hoc ipso manifestum edere virtutis argumentum dixit quòd suum in acie ordinem neutiquam deserere velint id quod euentus statim declarauit. Non numerosam ille quidem militum copiam, fortitudine tamen longè præstabiliorem, aduersus Thebanos numero multò superiores in aciem educebat. Commisso igitur prælio summam adeoque capitalem de hostibus victoriam reportauit, ideò prælium hoc nulli superiorum temporum

LXXI.

LXXXII.

rum

rum ab Atheniensibus gesto est secundum. nam victoria in Marathone parta; & res ad Platæas contra Persas feliciter gestæ; & cætera Atheniensium facinora, cum insigni Attici nominis gloriâ peracta; neutiquam Myronidis pugnæ aduersus Thebanos industriè ac feliciter confectæ, anteponenda censentur. illa enim de Barbaris relata fuit, ista sociorum præsidio ad exitum deducta. Hoc prælio soli Athenienses sua periculis capita obiectantes, cum strenuissimis omniũ Græcorum de summâ rerum disceptantes vicerunt. Bœoti enim subeundis bellorum periculis aliisque difficultatibus, nullis Græcorum populis inferiores videntur. pòst vtique ad Leuctra & Mantineam Thebani, cum Lacedæmoniis vniuersis eorumque sociis soli in aciem descendere ausi, magnam fortitudinis gloriam adepti sunt, & Græciæ totius principes nec opinatò euaserunt. Pugna ista quamuis longè clarissima extiterit, modum tamen eius atque ordinem nemo scriptorum literis commendauit. Maronides igitur, de Bœotis tam insigni prælio victor, illustrissimos ante se duces, Themistoclem Miltiadem & Cimonem celebritate nominis exæquauit. Et à partâ statim victoriâ Tanagram vi capit; eamque mœnibus exuit. deniq; vniuersam inuadens Bœotiã, omnia populationibus deuastat; & distributâ militibus prædâ, magnis illos opibus exornat. Bœoti ergò peruastatione agrorum vehementer commoti, omnes vndiq; coeunt & magnis instructi copiis expeditionem faciunt. Tum prælio in vinetis Bœotiæ commisso, obfirmatis ad resistendum animis, vtrinque per integrum diem acriter dimicatur, & vix tandem virtute Atheniensium Bœotorum inclinata fugataq; acies. Mox victor Myronides cunctas Bœotiæ vrbes, Thebis solummodò exceptis, in potestatẽ suam redegit. Et motis inde castris, Locros qui Opuntii vocantur, infesto exercitu petit. quos primo statim impetu domat, obsidibusque acceptis, in Pharsaliam irruptionem facit. Nec maiore quàm Locros negotio Phocenses subigit; traditisque obsidibus in Thessaliam contendit, proditionis crimen illis obiiciens, impetransque, vt, quos expulerant, exsules reciperent. sed Pharsaliis imperata detrectantibus vrbem obsidione cingit. quam cùm vi expugnare nequiret; Pharsaliis obsidionem per multum temporis fortiter tolerantibus, de occupatione Thessaliæ desperans, Athenas retrocedit. Myronides igitur clarissimis breui

tempore rebus confectis magnis inter ciues laudibus vehebatur. Et his sanè gestis ille tum annus claruit. Tum prætore Athenis Calliâ, apud Eleôs acta fuit Olympias octogesima prima, in quâ ex stadio coronam retulit Polymnastus Cyrenæus. Romæ autem imperium consulare susceperunt Seruius Sulpitius & Publius Volumnius Amintinus. Tum classis Atticæ præfectus Tolmides virtutem ac gloriam Myronidæ æmulatus, memorabile quippiam & ipse designare animum induxit. Ideò cùm nemo ad illud vsq; tempus Laconiæ fines incursasset, ad infestandum Spartanorum agros populum exhortatur, pollicitus, si mille armatos triremibus suis imponerent, se manu illâ Laconiam depopulaturum, & ingens Spartiatarum gloriæ detrimentum allaturum. Impetrato populi consensu, cùm plures occultè ciues educere cuperet, vafrum hoc consilium init. Erant in hac opinione ciues, iuuenes ætate floridos ac robustos corpore delectum iri. at Tolmides longè plures quàm mille, quos iussus erat, expeditioni suæ adiungere properans, robustissimum quenq; accedit; & se illum militiæ adscripturum, indicat. præstabilius namq; esse, si sponte se adiungat, quàm si delectus necessitate coactus ad arma videatur. Cùm itaque pluribus quàm ter mille hac ratione, vt nomina vltrò profiterentur, persuasisset, & reliquos haud iam ita promptos esse cerneret, tum mille consensu populi sibi promissos ex cæterâ multitudine deligit. Et postquàm alia expeditioni necessaria iam parata erant, cum quinquaginta triremium classe & quatuor mille armatis soluit; mox ad Methonen Laconiæ delatus, locum illum capit. Sed auxiliis Spartanorum accelerantibus retrograditur, Gythiumque portum Lacedæmoniorum petens, & vrbem occupat, & naualia cum deprehensis ibi nauibus accendit, totamq; regionem peruastat. Inde Zacynthum Cephaleniæ cursum intendens, vrbem capit; & omnibus Cephaleniæ oppidis in ditionem acceptis, ad littus oppositum traiiciens, Naupacto classem aduertit; quâ prima mox aggressione potitus, nobiles Messeniorum familias, quas data fide Lacedæmonii dimiserant, in eam collocauit. Illâ enim tempestate cum Hilotibus & Messeniis aliquandiu belligerati, iam maximam illorum partem in ditionem pristinam redegerant. Et Ithomæos sanè sub fide publicâ discedere passi sunt, vt antea dictum. De Hilotibus

autem

autem, cum defectionis autores supplicio adfecissent, seruitute cæteros multarunt.

Summo Athenis prætore Sosistrato, Romani Consules instituerunt Publium Valerium Publicolam & Caium Clodium Rhegillanum. Horum tempore Tolmides in Bœotia versabatur. At Periclem Xanthippi filium optimis viris imperatorem Athenienses præficiunt, & commissis quinquaginta triremibus cum mille armatis, Peloponesum inuadere iubent. Is magnam eius partem populatus in Acarnaniam prope Oeniades insulas transmittit, & omnes illic vrbes in fidem suam adigit. Athenienses itaque illo anno & plurimas sub imperio vrbes habebant, & eximia fortitudinis peritiæq; militaris gloria illustres erant.

Magistratum Athenis principem gerente Aristone, Romani Consules sibi deligunt Quintum Fabium Vibulanum, & Lucium Cornelium Curetinum. His rempublicam gubernantibus, quinquennes inter Athenienses & Spartanos induciæ factæ sunt, Cimone Atheniensi conciliatore.

In Sicilia verò inter Ægestanos & Lilybæos bellum exarsit, de agro ad Mazarum flumen sito. Ad acre igitur prælium re deducta, cùm multi vtrinq; oppeterent; tũ quidem disceptandi feruor aliquantulum restinctus fuit, sed post nouam ciuium vtrobiq; recensionem, & agri distributionem, cùm multi temerè, & vtcunq; sors tulerat, adscripsissent, intestino iterum morbo laborabant ciuitates, & dissidiis inter se ac factionibus turbulentis vexabantur. quod malum Syracusis maximè incruduit. Quidam enim Tyndarides nomine homo temeritate ac confidentia turgidus, multos pauperum in clientelam adsciscendo, & corpora illorum vegetando, paratam satellitum manum ad dominatus præsidium sibi comparare instituit. Sed post affecti regni manifesta indicia capitali iudicio cùm sisteretur, reus peragitur. Dũ itaq; in carcerem abducitur, illi, quos magnis impendiorum curis fouerat, inter se conglobati violentas lictoribus manus iniiciunt. Hinc tumultu per ciuitatem excitato, gratiosissimi quiq; ciuium agmine suorum facto, res nouas tentare ausos comprehendunt, vnaq; cum Tyndarida supplicio adficiunt. Hoc sæpius iterato, cùm tyrannidis occupandæ libidine plures titillarentur; populus Syracusanorum hac tandem adactus est, vt Atheniensium exemplo, legem ostra-

cismo illorum non dissentaneam, sciscerent atq; confirmarent. Nam apud Athenienses in testam vnumquemq; ciuium inscribere oportebat eius nomen qui ad tyrannidem occupandam maximè potens videretur. Sic apud Syracusanos in oliuæ folium, qui inter ciues opibus maximè valeret, referendus erat. Recensitis ergò foliis, qui numero illorum superabat, ei quinquenne exilium irrogabatur. Hoc tum quidem pacto animos potentiorum elatiores ad moderationem se reuocaturos existimabant. Nequaquam enim pœnas scelerum exigendas, sed nimiâ opum ac potentiæ incremẽta deminuenda, hoc equidem rigore censebant. Quod Athenienses igitur ab ipsius rei causa Ostracismum dixere, id Syracusani pro suâ Reipublicæ ratione Petalismum nuncupârunt. Hæc lex Atheniensibus ad longum sanè tempus durauit; sed apud Syracusanos non ita multò post abolita fuit, has ob causas. Summis exsilium viris cùm irrogaretur, reliqui inter ciues gratiâ & auctoritate pollentes, qui virtute ac prudentiâ Reipublicæ non parum commodare poterant à negotiis publicis abstinebant, & metu legis in priuatâ se vitâ continebant. sed rei familiaris tantùm studio addicti cùm essent, in luxum toti prolabebantur. Interea pessimus ciuium quisque & audacissimus Reipublicæ curam suscipere, ad resque innouandas ac perturbandas vulgus concitare. Gliscentibus ergò denuò seditionibus, & vulgo ciuium in factiones distracto; ingenti iterum assiduaque turbarum procella ciuitas agitata est. Oriebantur enim multi & stulti oratorculi (populi scilicet ductores) & calumniatores. Argutè enim loquendi facultas vnicum iuuenibus exercitium habebatur. & quæ summa rei est, plerique pro strenuâ vetustæ honestatis disciplinâ; improba morum studiorumque instituta mercabantur. Opum quidem in lautâ pace incrementa faciebant. sed concordiæ iustitiæque inter se exercendæ ac seruandæ parum omninò curæ. Idcircò petalismi decretum ad accuratiorem consiliorum trutinam reuocatum, pro irrito deinceps habuerũt; cùm exiguo id tempore ratum ipsis mansisset. Et in hoc quidem Siculorum res statu tum erant.

Cum Lysicrates Athenis Reipublicæ præesset, Romæ creati sunt consules Caius Nautius Rutilus, & Lucius Minutius Augurinus. Horum tempore dux Athenis Pericles, in Peloponnesum irruptione facta, Sicyoniorum agros populatur.

LXXVI. (margin)

LXXVII. (margin)

latur in quem cùm vniuersas illi copias eduxissent,inito præ-
lio vincit Pericles,& multis in fugâ trucidatis, reliquos intra
mœnia conclusos obsidet. Verùm vbi tentatâ fortiter oppu-
gnatione.vrbem capere nõ posset,quod & Lacedæmonii ob-
sessis auxilia misissent,à Sicyone exercitum abducit; & in A-
carnaniam transmittit. Oeniadum agros incursat, & magnâ
ditatus prædâ,ex Acarnaniâ discedit. Post hæc in Chersone-
sum profectus inter mille ciues agrum illis distribuit. Inter
hæc Tolmides alter ducum in Eubœam profectus,aliis mil-
le ciuibus Naxiorum terram colendam assignat.In Sicilia ve-
rò, Tyrrhenis mare latrociniis infestum reddentibus, Syra-
cusii classis prætorem deligunt Phaylum quendam,eumque
in Tyrrheniam transire iubent.Is cum instructâ classe profe-
ctus,primo incursu insulam nomine Æthaliam populatur:
sed clam pecuniâ ab Etruscis acceptâ,in Siciliam, nullâ re me
morabili gesta, recedit.quem, Syracusani proditionis dãna-
tum, exsilio multant:& aliũ nomine Apellem classi præfe-
ctum,cum LX.triremibus contra Tyrrhenos mittunt.Is ma-
ritima Tyrrheniæ populatus in Corsicam,illâ tempestate E-
truscis subiectam,transmittit, & plerisq; Insulæ locis perua-
statis ac direptis, Æthalia etiam in potestatem redactâ, Syra-
cusas cum magno captiuorum numero & opibus non paucis
reuertitur.Posthæc Deucetius Siculorum princeps, omnes
eiusdem gentis vrbes,præter Hyblam,in vnam ciuitatis com
munionem redegit.& quia acri vir ingenio ac strenuus erat,
nouis & magnificis rebus animum adiecit. Ex publico enim
Siculorum ærario magnis instructus opibus, vrbem Neas,
quæ patria eius erat,in æquum & apertum campum transtu-
lit & iuxta fanum Palicorum (vt vocantur) vrbem præcla-
ram exstruxit, quam à diis iam dictis Palicon nuncupauit.

XXXIII. Hîc quia de diis istis mentio incidit, haud equidem dignũ
foret,templi illius vetustatem & incredibilem rerum illic cõ-
tingentium insolentiam,ac inprimis singulare Craterum il-
lic,quos vocant,miraculum. Nam fanum hoc tum antiqui-
tate,tum religiosâ veneratione,quòd multa in eo rara & stu-
penda eueniant,cæteris longè præferendum esse dictitant. Ac
primùm crateres in illo exsistunt,amplitudine quidem non i-
ta vasti,sed qui ex profunditate inenarrabili scintillas ingen-
tes eructant,lebetum naturam referentes vi igneâ æstuantiũ,
vnde feruens aqua ebullit. Speciem quidem ignei feruoris a-

qua illa subsultans præbet; sed nihil dum certi exploratum habetur; cùm nemo hactenus contingere eam ausit. Tanto enim cũ stupore exæstuatio illius humoris coniuncta est, vt à diuina quadam necessitate prouenire existimetur. Aqua tamen sulphuris odorem exuberantis præbet:& vorago illa rugitum ingentem ac horrendum emittit. Tũ, quod longè admirabilius, humor ille neq; supereffunditur, neq; subsidit; sed perpetuo agitatus motu, stupendà profluxus vi in altũ se extollit. Cùm itaq; tàm diuina sacrariũ illud maiestas obtineat, sanctissima illic iuramẽta præstantur: & repentina Numinis vindicta peierantibus incumbit, nonnulli enim oculis capti delubro excedunt. Ingens ergò religio loci efficit, vt arduis intricati controuersiis, quando superioris potentiæ iniuriâ premuntur, iuris tandem iurandi religione interpositâ, exitũ causæ inueniant. Fanum deniq; hoc per aliquod tempus inuiolatissimum est Asylum, quod seruis calamitate oppressis, præsertim verò dominos inclementes nactis, plurimũ auxilia præbet. nam qui illuc confugerint, illos per vim heris abducere non licet, sed inuiolati illic tamdiu permanent, dum per benignos domini arbitros persuasi, fide securitatis iuramento confirmatâ, illis reconcilientur. nec vllus memoriæ proditus inuenitur, qui datam seruis fidem violârit. adeò deorum metus iurata seruis fideliter seruare dominos cogit. Situm verò est hoc templum in campo amœnissimo & deorũ maiestate digno, porticibus atq; aliis diuersoriis magnificè exornatum. De his itaq; satis dictum esto. nunc ad narrationẽ superioribus connexam reuertemur. Ducetius itaq; cum Palicam à se conditam muro egregio cinxisset, agros circumiacentes diuisit. quæ tum propter soli vbertatem, tum incolarum multitudinem breui mirum in modum creuit. Non diuturna tamen fuit illa felicitas. diruta enim ad hoc vsq; tempus deserta & irreparata mansit. De quo suo deinceps loco singulatim dicetur. Porrò in Italiâ, post excidium Sybaris à Crotoniatis peractum, anno LIIX. Thessalus quidã, collectis Sybaritarum reliquiis, Sybarim instaurauit inter duos amnes Sybarim & Crathim collocatam. qui ob fertilitatẽ agrorũ subitò magnis opibus collectis iterũ vrbe illâ eiecti sunt, cùm per annos sex eam possedissent, quæ libro sequente exactiùs memorare instituimus. Prætore Athenis Antidoto, Romani Consules legerunt Lucium

LXXIX.

XC

Postu-

Postumiū & Marcū Horatium. Tum Ducetius, Siculorū ductor, Ætnam occupauit, dolo principe eius interfecto. ductisq; in Acragantinorum regionem copiis, Motyum, Acragantinorum præsidio munitam, oppugnare adoritur. Mox Acragantinis opem ferentibus occurrit, consertoq; prælio victor, vtrosq; castris exuit. Et tunc quidem ingruẽte hyeme, domos quisq; suas reuersi sunt. Syracusani autem copiarum præfectum Bilconem, cladis illius auctorem, proditionis requisitum, vt qui clam cum Ducetio collusisse crederetur, capitali supplicio adfecerunt. Ineunte verò æstate, imperatorem aliū creant, cui exercitu satis valido adiuncto, vt omninò Ducetium debellet, seuerè mandant. Is expeditione susceptâ Ducetium circa Nomas castra metatum offendit, & collatis inde signis cùm multi vtrinq; occumberent, vix tandẽ vi Syracusanorū Siculi ad fugā adiguntur. Tū prolixa fugientium cædes facta est. Qui tamen euaserant pleriq; in castella Siculorum se receperunt. Paucis admodum, eadem spe subnixis, eandem cū Ducetio fortunā experiri placuit. Dum hæc ita geruntur, Acragantini Motyum castellum, ꝙ à Ducetiano adhuc præsidio tenebatur, expugnant, tum copiis ad Syracusanos iam victores abductis, castra castris iungunt. At Ducetius opibus suis illâ pugnâ fractis, cū milites eū partim desererent, partim insidias molirentur, ad extremam desperationẽ adigitur.

CI. Tandem vbi huc rẽ deductam vidit, vt amici qui adhuc remanserant, manus ipsi iniecturi essent; anteuertens illorū insidias, noctu fugâ arreptâ Syracusas citato equi cursu aduolat. Et obscura adhuc nocte in forum sese transferens, ad aras se ꝓsternit, & ciuitati vniuersæ supplex factus, semetipsum & prouinciam suæ ditioni hactenus subditam, Syracusanorum in manus & fidem tradit. Magnus inde populi ob rei nouitatem in forum concursus agitur, & aduocatâ magistratus concione sententiarum rogationem de Ducetio ꝓponit, quid hac in re potissimùm facto opus sit. Nonnulli equidem ad populum verba facere soliti, hostis loco habendū, & digno factis hostilibus supplicio adficiendū suadebant. At Senatores auctoritate morumq; gratiâ pollentes, qui tū aderant, tuendam supplicis incolumitatem, fortunamq; & Ne-
» mesin deorū reuerenter habendam esse censebant. Non e-
» nim quid meritus fuerit Ducetius, sed quid agere deceat
» Syracusanos, spectandum esse. Interficere enim à for-
» tunâ profligatum haud æquum esse: ac pietatis erga deos

& humanitatis erga ſupplices ius tueri. Id verò magnificentiæ populi Syracuſani conuenire. A populo igitur vnanimi voce acclamatum eſt, ſaluum & incolumem debere eſſe ſupplicem. Deucetium ergò ſupplicio liberatum Syracuſii Corinthum relegant, ibique ſuppeditatis ad victum neceſſariis, reliquum ætatis exigere iubent. Et nos exacto, qui expeditionem Athenienſium ductore Cimone in Cyprum præcedit, anno, promiſſa exſecuti, librum hunc concludemus.

CATALOGVS EORVM quæ XII. Diodori libro continentur.

Torone, Atheniensium vi capta, solo æquatur.
Priuato inter Atheniensium & Lacedæmoniorum fœdere inito, cæteræ ab illorum fide vrbes alienantur.
Delii Atheniensium ope in patriam reducuntur.
Lacedæmonii contra Mantinæos & Argiuos belligerantur.
Byzantiorum & Carthaginiensium in Bithyniam expeditio.
Causæ recensentur, quibus moti Athenienses bellum Syracusis intulerint.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE Liber XII.

SI quis ad inæquabilem vitæ humanæ conditionem animum aduertat, circa perplexitatem rei meritò hæsitabit. Nihil enim illorum quæ bona æstimantur, integrum & sincerum hominibus contingere, nec quicquam malorum absolutè perfectum esse, omniq; vtilitate carere, deprehendet. Cuius rei documẽta ex rebus hactenus gestis, si probè expẽderimus, capere licet. Nam Xerxis Persarum regis expeditio in Græciam, propter stupẽdam exercitus multitudinem, summum Græcis terrorem incussit: quibus nimirum extremæ seruitutis periculum hoc bello subeundum esset: & ne subactis iam pridem Græcis in Asiâ ciuitatibus, eandẽ quoq; fortunam Græcia experiretur, metuendum. Sed mirum contra omnium expectationem bello euentum sortito: non à discrimine tantùm illo Græcorum gens liberata est, sed ingentem præterea gloriam obtinuit; & tantis vnaquæque Græciæ ciuitas tunc opibus repleta fuit, vt cuncti relapsas in contrarium fortunæ vices demirarentur. Ex eo namque tempore per annos quinquaginta Græcia prolixa ad felicitatem incrementa fecit. Interim enim bonæ artes, propter opum abundantiam, magnoperè excultæ, & artifices excellentissimi per seculum hoc floruisse memorantur. è quorum numero Phidias est egregius statuarum fictor. ita cæterarũ quoq; doctrina-

doctrinarum studia eximios progressus fecêre. Præcipuus tamen honor philosophiæ tributus est & eloquentiæ, cùm apud omnes Græcos populos, tum Athenienses imprimis. inter Philosophos excelluerunt Socrates, Plato, Aristoteles. inter Oratores Pericles, Isocrates, & discipuli ab hoc instituti. Nec minus disciplinâ militari, & imperatoriis artibus inclaruêre Miltiades, Themistocles, Aristides, Cimon, Myronides, aliiq; complures, de quibus narrationem instituere prolixum foret.

II. Maximè verò Athenienses virtutis & gloriæ incrementis celeberrimum sibi per vniuersum propè terrarum orbē nomen pepererunt. imperii enim sui vires tantoperè auxerunt & confirmârunt, vt sine Lacedæmoniorum & Peloponesiorum auxiliis (suis tantummodò copiis subnixi) magnos Persarum exercitus terrâ mariq; profligârint, & celebratissimum illud Persarum imperium adeò labefactârint, vt vniuersas per Asiam ciuitates Græcorum liberas dimittere per transactionem cogerentur. quæ singula accuratiùs & fusiùs per duo volumina, hoc quod nunc ingredimur, & proximè antecedens à nobis explicata sunt. Nunc ergò ad rerum propositarum tractationem nos conuertemus, si certū prius tempus illi definierimus. In proximo igitur libro à Xerxis in Græciam transitu exorsi, res vbiq; gestas ad annum, qui expeditionem Atheniensium in Cyprum Cimone duce institutam antecedit, perduximus. In hoc sumpto ab expeditione in Cyprum initio, ad bellum contra Syracusanos ab Atheniensibus decretum narrationem persequemur.

III. Prætore Athenis Euthydemo Romani Consules legarunt Luciū Quintium Cincinatū & Marcū Fabium Vibulanum. Sub hoc tempus Athenienses parum feliciter aduersus Persas pro Ægyptiis belligerati, naues omnes in Prosopitide insula amiserunt; breuiq; interiecto tempore, nouum Persis bellum pro libertate Græcorum in Asiâ mouere constituunt. Instaurata igitur ducentarum triremium classe, Cimonem Miltiadis filiū imperatorem creant, eumq;, directo in Cyprum cursu, Persis bellum facessere iubent. Is statim cum classe, fortissimorum virorum copiis, & largo victus aliorumq; necessariorum apparatu instructissimâ in Cyprum transmittit. Persicis tū copiis præerant Artabazus & Megabyzus. classis prætor cum ccc. triremibus ad Cyprū stationē habebat; Megabyzus autem terrestribus copiis (ad ccc.

hominum millia erant) præfectus, in Ciliciâ statiua habebat. Cimon igitur cùm maris imperium sibi vendicasset, expositis in Cypro militibus, Citium Malumq; expugnat; & summâ in victos humanitate vtitur. Post verò quàm triremes è Phœniciâ & Ciliciâ auxilio insulanis venire cognouit, ipse in altum subuectus, consertis cùm hoste manibus, plurimas triremium demergit, & centum cum ipsis militibus capit, cæteras ad Phœniciam vsque insectans. Persæ verò cum parte nauium adhuc reliquâ in terram, quo loco Megabyzus in castris exercitum continebat, refugerunt. Sed Athenienses citato illuc itinere profecti, exposito in littus milite, prælio hostes adoriuntur, in quo Anaxicrates alter classis præfectus egregiè decertans, heroico mortis genere occumbit. Cæteri prælio victores, magnâ strage editâ, in naues se recipiunt, atque inde in Cyprum reuertuntur. Hæc primo sanè belli Cyprii anno gesta sunt.

IV.

Archonte dehinc Athenis Pedieo, Romani Consulare imperium deuoluunt ad Marcum Valerium Lactucam, & Spurium Verginium Tricostum. Horum magistratu Cimon Atheniensium ductor, maris imperium tenens, Cypri vrbes in potestatem redigebat. Cùm verò Salamin à valido Persarum præsidio defenderetur, armorumque & telorum omnis generis, frumenti etiam aliarumque rerum copiâ referta esset, ex Reipublicæ commodo fore statuit, si vrbem illam subigeret. hoc enim pacto euenturum coniiciebat, vt Cyprus tota facilè in ditionem veniret, animique Persarum omni fiduciâ exuerentur; & cùm propter infessum ab Atheniensibus mare, Salaminios tutari nequierint, à sociis vndique deserti, omnium contemptui exponerentur. de summâ denique belli transactum fore, si vi armorum tota Cyprus in potestatem redacta fuerit. nec aliter res euenit. Athenienses enim copiis vrbi admotis, omni vi & machinâ quotidie illam oppugnant. At milites oppidani telis, aliisque ad præsentem vsum necessariis, affatim instructi, contrà vim obsidentium non difficulter de muris sese tuentur. Interim Rex Artaxerxes suorum in Cypro cladibus auditis, de bello consilium cum amicis init. Ibi pax vt ineatur cum Græcis, ex vsu Reipublicæ esse decernitur. Per literas ergò Ducibus & Satrapis bello Cyprico præfectis edicit, vt quibuscunq; possint conditionibus bellum cum Græcis componant. Artabazus

itaque

itáque & Megabyzus legatos Athenas de pace verba facturos mittunt: in quorum conditiones cùm consentirent Athenienses, legatos & ipsi plenâ cum potestate mittunt, quorum princeps erat Callias Hipponici. Pacis ergò fœdus inter Athenienses horumque socios & Persas, his equidem legibus sancitur: VT GRÆCIS PER ASIAM CIVITATIBVS VNIVERSIS LIBERTATE AC SVO IVRE VTI PERMITTATVR. NE SATRAPÆ PERSARVM TRIVM DIERVM ITINERE INFERIVS AD MARE DESCENDANT. NE LONGA NAVI INTRA PHASELIDEM ET CYANEAS EXCVRRATVR. Hæc vbi Rex & militiæ præfecti rata habuerunt, Athenienses contra iurârunt, SE IN PROVINCIAS ARTAXERXIS ARMA NON EXPEDITVROS. Fœdere his pactis sancito, Athenienses copias ex Cypro abduxêre, & victoriæ tam fortiter partæ, & fœderis tam vtiliter confecti, gloriâ insignes. Interea dum in Cypro moram agit Cimon, morbo correptus obit.

V. Hinc præsidente Athenis Philiscô, Romani Consules designant Titum Romiliũ Vaticanũ & Caiũ Veturium Cicurinum. Tum octuagesimam tertiam Olympiadem celebrarunt Elei, in quâ ex stadio victoriam reportauit Crison Himeræus. Ibi Megarenses à fide Atheniensium desciscunt, missáq; Spartam legatione, societatem cum illis iungũt. Quâ perfidiâ commoti Athenienses militem agris illorum immittunt; direptisq; passim facultatibus ingenti prædâ onusti domum redeunt. Oppidani quidem ad defensionem agrorũ excurrunt, sed vbi ad prælium res deuenit, Athenienses victoriam adepti, intra mœnia hostem fugâ compellunt.

VI. Athenis præturam gerente Timarchide, Romæ Cõsules creati Spurius Tarpeius & Aulus Aterius Fontinalis. Horum tempore Lacedæmonii, factâ in Atticam irruptione, regionem longè lateq; populando vastârunt, & expugnatis quibusdam castellis, in Peloponnesum regressi sunt. Tolmides verò dux Atheniensium Chæroneam cepit. Sed coniuncti inter se Bœoti, insidiis Tolmidem excipiunt ibi atrox ad Coroneam oritur prælium, quo Tolmides fortiter pugnans cadit, & Atheniensium cęteri partim concisi, partim viui in hostium manus peruenêre. Hac tam insigni clade populus Atheniensiũ coactus est, vt pro captiuorum redẽptionẽ

omnes Bœotiæ vrbes imperio suo exemtas antiquo libertatis iuri restituerent.

VII. Tūc Archonte Athenis Callimacho, & Romæ Consulatū gerentibus Sexto Quinctilio Tergemino & P. Curiatio, in Græcia valde debilitatis clade ad Chæroneam Atheniēsium opibus, pleræque ab illis ciuitates deficiunt, maximè vero Eubœæ incolæ nouis rebus studebant. Pericles ergò dux creatus magnis in Eubœam copiis mouet; & Hestiæorum vrbe per vim expugnata, ciues ex patriis sedibus aliò trāsfert, & cæteros timore perculsos ad recipiendum populi Atheniensis imperium adigit. Tum induciæ ad annos xxx. inter ipsos factæ, pacisq; leges à Callia & Charete scriptæ & confirmatæ sunt.

VIII. In Sicilia inter Syracusanos & Acragātinos his de causis bellū est conflatum. Postquam Ducetii Siculorum reguli opes fregerant Syracusani, ꝙ supplex populi misericordiā implorasset, à noxâ absolutū Corinthi priuatam agere vitam iusserunt. Is verò ad exiguum illic tēpus moratus, pactorum fidem soluit, & oraculo se iussum simulans, vt pulcram in Siciliâ Acten, id est *oram*, incolis frequentaret, cum magnâ hominum nouas sedes quærentium turbâ in insulam transmisit. Adiunxerunt se etiam Siculorum nonnulli, & inter hos Archonides Erbitæorum princeps. Dum is ergo coloniæ in littore illo pulcro intentus est, Acragantini simul inuidiâ erga Syracusanos concitati, simul etiam ꝙ Ducetium communem omnium hostem præter Acragantinorum consensum vitâ donassent, improperantes, bellum Syracusiis intulerunt. Scissis propterea in diuersa studia ciuitatibus Siculorū, cùm pars Acragantinis, pars Syracusanis adhæreret, ingens vtrobiq; manus cogitur, & magno vrbes nixu in bellum incumbunt. Cúmq; castra castris ad Himeram flumen opposuissent, infestis tandem signis concurrerunt. Ibi victoriam adepti Syracusani plusquàm mille Acragantinos eo conflictu cædunt. Sed statim à pugnâ legatis Acragantinorum de componendo bello missis, pacem Syracusani certis conditionibus cum illis fecerunt.

IX. Dumq; res Siculorum in hoc statū vertuntur Thuriorum vrbs in Italiâ conditur. id verò hac occasione euenit. Cùm anteactis temporibus Græci Sybarim in Italiâ exstruxissent, fœcunditate soli effectum est, vt breui opes vrbis coalescerent. quia enim inter duo flumina Crathim atque Sybarim (à quo nomen accepit) sita est, & ciues agrum longè lateque patentem & frugum

gum feracissimum colunt, magnas subitò diuitias collegerunt, multisque in ciuitatis communionem receptis, eò prouecti sunt, vt longè cæteros Italiæ incolas antecedere viderentur. hominum certè multitudine ita exuberârunt, vt vna ciuitas ccc. hominum millia contineret. Erat verò illâ tempestate ductor quidam populi nomine Telys. is potentissimum quemque ad populum criminando hoc tandem apud Sybaritas obtinuit, vt ciuium quingentos opibus instructissimos vrbe eiicerent, fortunasque eorum publicarent. Exsules hi Crotonem petunt, & ad aras in foro erectas supplicum ritu confugiunt. Mox Telys legatos Crotonem mittit, qui denuncient, vt vel dedant exsules, vel bellum à Sybaritis exspectent. Aduocatâ igitur concione, & deliberatione popositâ, vtrum dedi supplices, an verò bellum suscipere contra potentiores expediret, non parum à senatu & populo dubitatum fuit. Ac primùm quidem eò sententia populi inclinauit, vt propter belli discrimen supplices redderentur. Ast vbi Pythagoras philosophus exsules, qui fidei ipsorum se credidissent, protegendos esse suasit, reuocatâ demum sententiâ, salutem supplicum armis se tutari velle, decreuerunt. Sybaritis ergò, ccc. armatorum millia ducentibus; Crotoniatæ centum millibus instructi occurrunt, duce Milone Athleta: qui etiam primus hostium cornu sibi in acie oppositum (nam inuicto corporis robore præditus erat) in fugam vertit. Hic vir cùm vires animi naturæ corporis consentaneas haberet, sexies ad Olympiam victor exstiterat: & tum Olympicis redimitus corollis, Herculisque ritu leoninâ pelle ac clauâ insignis, pugnæ certamen adibat: & quod victoriæ popularibus causa fuisset, magnæ illis admirationi fuit. X. Fusis itaque hostibus, cùm nulli eorum quos ceperant, vitam Crotoniatæ donarent, sed omnes in fugâ comprehensos trucidarent; maior exercitus pars concisa interiit, & vrbs post fœdam direptionem ad solitudinem est redacta. Sed interlapsis IIX. & L annis Thessali quidam in eam habitandam concesserunt, sed paullò post, quinquennio vix transacto, post instaurationem à Crotoniatis eiecti sunt. Callimacho enim Athenis summæ rerum præfecto vrbs illa inhabitari cœperat: sed breui in alium transposita locum, aliud etiam nomen accepit, Lampone & Xenocrate conditoribus. quod hoc mo-

do gestum est. Sybaritæ, qui secundò è patriâ exacti profugerant, missis in Græciam legatis, à Spartanis & Atheniensibus contendunt, vt & reditus adiutores, & coloniæ participes esse velint. Lacedæmonii quidem petitionem illorum non admittunt, sed Athenienses decretis auxiliis, decem naues milite completas Sybaritis mittunt, quarum Lampon & Xenocrates præfecti. Præconibus ergo huc illuc per vrbes Peloponnesi missis, publicè denunciant liberam se copiam facere omnibus coloniæ se nouæ aggregandi. Non exiguus inde numerus assensum præbet: cùm Apollinis oraculo nō parum mouerentur; qui monebat, illic loci vrbem condendam esse, vbi modicæ aquæ potus, panis verò citra mensuram comestus suppeteret. Cùm igitur susceptâ in Italiam nauigatione, Sybarim appulissent, locum habitationis à deo iussum diligenter inquirunt. & scaturigine non procul à Sybari inuentâ (cui nomen Thuriæ) per æneum canaliculum (quem Medimnum, id est, *modium* accolæ vocitabant) latices effundente, sedem hanc esse à deo præmonstratam interpretati, circumductis pomœriis oppidum ibi statuunt; quod de fonte Thurium indigetant. Tum vrbis longitudine in quatuor plateas exporrectâ, vnam Heracleam vocitant, secundam Aphrodisiadem; tertiam Olympiadis, & quartam Dionysiadis nomine insigniunt. Latitudine autem in tres plateas diuisâ, primam Heroam, alteram Thuriam, postremamq; Thurinam appellarunt. Cùmque vicos his interiectos domibus expleuissent, vrbs commodè digesta, & pulcrè exædificata videbatur. XI. Ad exiguum verò tempus concordia inter Thurios viguit, grauique admodum respublica seditione, non absque causâ, vexari cœpit. Nam antiqui loci possessores Sybaritæ, præcipuos magistratuum honores sibi vsurpare, inferiores autem minusque conspicuos nuper adscriptis ciuibus attribuere. Tum ad sacra deûm primo loco admittendas antiquorum ciuium matronas, postremo illorum, qui postea in ius ciuitatis venerant, censere. Ad hæc vicinum vrbi agrum inter se partiti nobiles, remotiorem hospitibus adscriptitiis relinquere. Cùm hic dissidiorum ignis in funestum seditionis incendium erupisset; adoptati in ciuitatem nuper, cùm numero tum viribus potiores vetustos Sybaritas propè omnes ad internecionem delent, & suo vrbem arbitrio administrandam vendicant.

vrbem arbitrio administrandam vendicant. Sed cùm multum adhuc fertilis & elegantis agri superesset, cultores ex Græcia non paucos accersunt, inter quos & reliquas in vrbe sedes, & agrorum fundos æquali sorte distribuunt. Residua ergo ciuium frequentia magnas breui diuitias accumulauit; initoque cum Crotoniatis amicitiæ fœdere, præclarè rempublicam deinceps administrauit; eaque ad statum popularem confirmatâ, ciues in decem tribus digesserunt; quibus à suâ cuique gente nomina indiderunt. tres è Pelopōneso collectas nominarunt, Arcadem, Achaidem, & Elean. totidem ex remotioribus inde populis cuique tribui cognatis Bœoticam, Amphyctionida, & Doriensem. quatuor inde reliquas ex aliis gentibus Iadem, Athenaidem, Euboidem, & Insularem. Tùm legislatorem, ex ciuibus eruditæ scientiæ cultu spectatissimis optimum, Charondam delegerunt. Hic inspectis diligenter & probè consideratis omnium aliorum sanctionibus, optima quæque inde excerpta in legum suarum corpus redegit. Plurima tamen à se inuenta & industriè excogitata adiecit, de quibus memoriæ aliquid prodere, lectoris institutioni non incongruum fuerit.

II. Primum igitur est, vt qui nouercam liberis superinduxisset, è Senatu consilioque patriæ omninò submoueatur. Nunquam enim fore existimabat, vt is bonum patriæ consilium daret, qui liberis ex se natis perperam consuluisset. Nam quibus primæ nuptiæ bene successerunt, iis hac felicitate perfunctis acquiescendum; qui verò infelix matrimonium experti, idem erratum denuò committerent, insipientibus meritò accensendos esse. Calumniæ, seu falsæ criminationis conuictis hanc pœnam irrogauit, vt myricâ coronati per vrbem circumducerentur; quò manifestè ad summū nequitiæ gradum illos peruenisse, ciuibus appareret. Nonnullos ergò ob hoc flagitium condemnatos, quòd tantæ ignominiæ decus perferre non possent, violentis sibi manibus sponte vitam abrupisse, tradunt. Hac itaq; legis seueritate effectū est, vt cùm fugâ ex vrbe dissiparentur calumniis adsueti, Respublica ab illâ peste repurgatâ, beatam deinceps vitā ciues agerent. Scripsit etiam Charondas legem de malorū consuetudine planè nouam; ab aliis quippe legumlatoribus prætermissam. Existimabat enim virorum quantumuis bonorum ingenia & mores per amicitiam & consuetudinem

cum prauis nonnunquam peruerti, & ab honestatis viâ, ad vitiorum turpitudinem seduci, & improbitatis luem, non secus ac pestem, in hominum vitam grassari, & vel integerrimorum sæpe animos, veluti morbi aliqua contagione, infici & corrumpi. Decliuis enim ad peiora callis est descensum habens perquàm facilem. quo factum, vt multi non exiguâ morum integritate præditi, occultis voluptatum blanditiis inescati, in deterrima sæpe flagitia prolapsi sint. Hanc labem & corruptelam amoliri cupiens legislator, seuerè interdixit, ne quis malorum consortio ac familiaritate vteretur. Actionem insuper prauæ societatis instituit, grauemq; huius delicti reis multam imposuit. Aliam præterea legem, iam recitatâ præstabiliorem, sed à vetustis legumlatoribus etiam posthabitam, sanciuit, vt omnes ciuium filii in bonis literis instituerentur, ciuitate stipendia magistris erogante. prospexerat enim illos, qui præ inopiâ rei familiaris mineruali solui nequirent, honestissimo institutionis fructu carituros. XI Literarum enim scientiam cæteris disciplinis haud immeritò præferendam censuit. huius enim adiumento res plurimæ & communi vitæ maximè conducibiles, vt suffragia; epistolæ; testamenta; leges; aliaq; ad rectam vitæ institutionem necessaria, conficiuntur. Quis verò dignis literarum disciplinam laudibus prosequatur? hæ solæ efficiunt, vt defunctorum memoria inter viuos perduret. his internunciis, qui longissimis terrarum interuallis separati, cum procul absentibus, tanquam prope adstantibus, colloquia miscent. harum certitudo ad fœderum & pactorum, cum populis aut regibus initorum, fidem sanctè conseruandam, magnopere conducit. hæ deniq; pulcerrimas virorum prudentum sententias, Deûmq; responsa & Philosophiæ dogmata, & breuiter totum disciplinarum orbem, solæ conseruant, & posterorum memoriæ vsq; ad omnem æternitatem commendant. Idcirco vitam quidem à naturâ tribui; bene autem beateq; viuendi rationem literarum disciplinæ acceptam esse referendam, statui debet. Vnde homines illiteratos, vt summis bonis destitutos, ad meliorem ille cultum hac sanctione reuocauit, & publica illos cura impensaq; erudiendos censuit. Itaq; tanto superiores legumlatores, qui publicâ mercede medicos sanandis priuatorum morbis conducendos esse sanxerunt, (prudentiâ) antegressus est, vt illi corporibus

medelam adhibendam censuerint; ipse animos inscitiæ mor-
bo vexatos curârit. Et sanè medicorum ope nunquam nos
opus habere optamus: at cum eruditionis magistris per o-
XIV. mnem versari ætatem maximè cupimus. Vtramq; le-
gem suprà expositam multi poëtarum in carminibus suis ci-
tant. De prauorum consuetudine hi versus extant;

Si quis malorum se aggregat consortio,
Non quæro qualis ille; sed noui statim
Quales amici, quis adhæret, talis est.

Nouercalis autem legis mentio fit his verbis:

Legislatorem, aiunt, Charondam in sanctione quadam,
Cum alia, tum etiam hæc promulgare:
Suis nouercam liberis qui induxerit,
Nullo sit ille dignitatis in gradu,
Nullum capessat munus ille ciuium,
Nouum suis nam rebus accersit malum.
Si fortè res primò tibi successerit,
" *Desiste felix. vota sin fefellerint,*
" *Insanus es, faciens periculum denuò.*

Reuerâ enim qui bis in eadem re impingit, demens is
meritò censeatur. Nam quod Philemon Comicus de sæpius
nauigationis pericula adeuntibus pronunciat;

Miror profectò, non quòd ingressus mare
Hic nauigauit, sed quòd id bis ausus est;

Id huc aliquis accommodauerit Non mirum videri
" si quis vxorem duxerit, sed quod bis duxerit. Satius enim
" esse bis mari se committere, quàm vxori. Maximæ enim
" sæuissimæque in familiis discordiæ nouercarum machinis
" inter parentes & liberos excitantur. Hinc tam crebra nefa-
XV. riaq; in theatro facinora à Tragœdis exhibentur. Cha-
rondas aliam porrò legem approbatione dignam de accu-
ratâ orphanorum tutela perrogauit. Hæc quidem si obi-
ter tantum intuearis, nihil excellens aut singulari approba-
tione dignum in se habere videtur: at si penitiùs inspe-
xeris, & diligentiùs examinaueris, cum singulari quo-
dam studio raraque sapientiæ gloria coniunctam deprehē-
des. Hæreditaria enim orphanorum bona agnatorum (pa-
ternorum consanguineorum) tutelæ & administrationi; pu-
pillorum verò educationem cognatorum (propinquorū ma-
ternorum) fidei & curæ subiecit. Prima igitur fronte nihil

prudentiæ & rationis eximiæ in lege istâ apparet. At si profundius expiſceris, omni laude inſtitutũ illud meritò adficiendum eſſe, animaduertes. Si enim cauſa inueſtigatur, quare alteris patrimonii curam; alteris educationis fidem, adſignârit, mirifica legislatoris induſtria ac prouidẽtia elucebit. Cõſanguinei enim materni, ad quorum ſucceſſionẽ hæreditas pupillorũ non pertinet, nullas eis inſidias molientur. paternis verò propinquis inſidiarum facultas præerepta eſt: ꝙ corpus illis non creditum. Interim cùm patrimonium ad illos reditutũ ſit, quando orphani vel morbo vel alio caſu prædeceſſerint; fortunas maiori curâ fideq; ſpe propriæ (ſi quando ſors ita tulerit) ſucceſſionis adminiſtrabant. Aliam inſuper legem poſuit contra ſignorum ordinumq; in bellis deſertores, aut arma pro patriæ tutelâ omnino detrectantes. Vbi enim cæteri legum conditores capitis ſupplicium his irrogarunt; ipſe edixit, vt id genus viri muliebri veſtitu amicti triduum in foro deſidêrent. quæ conſtitutio, cùm leges alibi ſancitas humanitate præſtat, tum diſſimulanter probri magnitudine eiuſmodi ingenio præditos ab effœminatâ mollitie deterret. Siquidem mortem oppetere longè præſtat, q̃ tantum ignominiæ dedecus in patriâ experiri. Hoc præterea cõſilio reos ſupplicio non addixit, vt ad futuras bellorum neceſſitates illos ciuitati reſeruaret: rectiùs haud dubiè poſt irrogatã ignominiæ multam ſeſe geſturos, & adſperſam dedecoris maculã omni virtutis conatu eluituros. Seueritate autẽ legũ auctor effecit, vt diuturnum illæ vigorem obtinerent. Nã à legis pſcripto (licèt malè admodũ ſcripta eſſet) vt nullo modo diſcederetur, vetuit. ſed tamen corrigendi poteſtatẽ fecit, ſi quâ correctione indigeret. Nam auctoritati legumlatoris cedere " honeſtum, argutias verò priuati hominis præualere, etiamſi " ad publicum illæ bonum tẽderent, omninò abſurdum repu- " tabat. Et hoc inprimis modo illos qui in criminalibus iudiciis prætextus & ſenſus pro expreſſis verbis introducunt, cõpeſcuit; ne cauillationibus ſuis legum auctoritatem labefactarent. Idcirco nonnullos cauſarum actores ad iudices, in capitalia delicta inquirentes dixiſſe traditũ eſt, aut legẽ aut virum ſeruari neceſſum eſſe. Charondas itaq; quiddã proſus inuſitatum de legum emendatione ſanciuit Cùm enim in " pleriſq; ciuitatibus multos inueniri cerneret, qui temerario " legum corrigendarum auſu conatuq; nihil aliud efficerent,

XVI

XVII

quàm

quàm ꝙ corruptâ legum priorum integritate, seditionibus vulgus implicarent; singularem hanc legem & ab omnium institutis discrepantem promulgauit. Sanxit enim si quis legi cuipiam correctionem adhibere vellet, vt proposito hac de re consiliō, interim guttur laqueo insertum haberet,& expectaret, dum populus de mutatione legis suffragia pertulisset. quòd si comitia populi legem posteriùs scriptā recepissent, auctorem eius solui; sin irritam haberent abrogationē, laqueo confestim gulam frangi iussit. Tam seuerâ legum innouandarum cautione, nouis legislatoribus absterritis, nemo de reformatione sancitorum vel hiscere audebat. Toto igitur tēporis deinceps apud Thurios decursu tres omninò ad suadendum abrogationem quarundam: necessariis impulsos causis,in medium processisse.

Lex erat, si quis oculum alteri excussisset, vt illi oculus vicissim erueretur. Sed accidit, vt quis vno captus oculo alterum quoq; per vim illatam amitteret,& sic facultate videndi prorsus orbaretur. Hic etsi auctori facinoris vnus contrà oculus excussus sit, minus pœnæ tamen (quàm par sit) illum exsoluisse arbitratur. Qui enim ciuem excœcauerit, etiamsi sat luisse pro lege scripta videatur, non pari tamen damno affectum contendit. Æquum igitur esse,vt illi, qui vno prædictum oculo totâ visione priuarit, ambo simul oculi effodiantur, si æqualis iniuriæ pœna luenda sit. Dolore igitur & indignitate rei perpulsus ille cœcus,ad populum de calamitate suâ verba facere ausus, tam calamitosam vitæ suæ conditionem deplorat: tum vt legem illam corrigant, multitudini suadet. Tandem inserto in funem collo, cùm felicem suasionis euentum impetrasset,lex illa abolita fuit, emēdatiorq; in eius locum surrogata: & ipse strangulationis necem effugit.

VIII. Alteri quoque legi moderatio adhibita fuit, quâ vxori nuncium viro remittendi, & virū quemcunq; libuerit in matrimonium adsciscendi, potestas conceditur. Maritus enim quidā ętate prouectior,cùm ab vxore iuuenculâ desertus,correctionis populo legis rationē hanc proponit, vt illud saltem adiicerent. Licere vxori diuortium cū viro facturæ, inire matrimonii fœdus cum quocunq; velit,modò ne iunior sit marito priori.eademq; ratione, si quis coniugē vir eiecerit, nullam dimissa iuniorē sibi iungat. Et huic suasio non infeliciter cessit.abrogatâ enim per hanc lege, non modò laquei pe-

riculum euasit, sed hoc quoq; obtinuit, vt coniunx florentioris ætate thorum appetens ad pristinum relicti viri matrimonium rediret. Tertia etiam lex de Epicleris (sic vltimos hæredes Græci vocant) quam & Solon promulgauit, censoriam reformationis virgulam experta est. Iubebat enim, vt gentilitatis gradu proximus puellam in successionem totius patrimonii relictam, iure in matrimonium deposceret, & vicissim orba puella genere maximè propinqui nuptias lege vendicaret. Atq; huic orbā ducendi vel si paupercula esset, quingētas drachmas loco dotis erogandi necessitas incumbebat. Orphana igitur quædā ex hoc genere hæredū relicta fuerat, honesto quidē loco nata, sed extremā paupertate laborās. quę cū propter inopiā collocari in matrimonium nō posset, ad populi auxilium confugit, suamq; multis cū lacrymis orbitatē, & contemptam vitæ conditionem exponens, correctionem legis petit, in hanc formulam, vt pro quingentarum drachmarum solutione necessitas proximo cognato pupillam, quæ lege sibi hæreditatem illius vendicaret, in matrimonium ducendi imponeretur. Tū populus misericordiā adductus, legis emendationem sciscit, & pupillam è laquei periculo ereptam, quantumuis inopem, diues ille propinquus absque dote vxorem ducere cogitur. Nunc reliquum nobis est, vt Charondæ interitum exponamus; circa quem singularis quidam & mirificus casus euenit. nam cùm in agrum gladio accinctus propter latronum incursationes exiuisset, interim dum ille reuertitur, accidit, vt populus in concionem aduocatus inter se tumultus excitaret. Curiosius ergò seditionem peruestigaturus, in medium procedit. Legem autem tulerat, ne quis ad concionē cum armis prodiret. Immemor ergò gladii, quem femori subligatum habebat, cùm in concionē aduolasset, ansam maleuolis criminandi præbuit, è quorū numero vnus exclamat; legem abs te conditam ipse destruis. Minimè hercle inquit, sed ratam faciam, & stricto confestim gladio seipsum transfigit. Nonnulli scriptorum facinus istud Diocli, Syracusiorum legumlatori, adscribunt. Sed cùm satis de Charonda à nobis dictum sit, de Zaleuco etiā, legum conditore, strictim verba faciemus, propter vitæ studiorumq; similitudinem, & quia in vicinis hi viri oppidis floruêre. Zaleucus ex Italiā genus duxit, natione Locrensis, vir stirpe clarus & ob eruditionem admirandus, Pythagoræ

XIX

XX

goræ philosophi discipulus. Is magnæ in patriâ auctoritatis & obseruationis, ad leges componendas à populo delectus, & nouas sanctiones aggressus, statim à diis cœlestibus initiū fecit. In ipso enim noui operis exordio hæc præfatur: Ab incolis suæ vrbis requiri, vt ante omnia certò persuasum habe-
» ant, credantq; esse deos, & mente cœlum intuentes, & miri-
» ficum eius ornatum atq; ordinem, non casus fortuiti, nec ho-
» minum illud opificium esse, iudicent. Idcircò deos colant ac
» venerentur, quib. auctoribus omnia honesta & bona morta-
» libus exsistant. Animos prӕterea ab omni vitiorū labe expur
» gatos habeant: siquidē dii non sacrificiis & impensis, sed iustis
» ac bonorum virorum honestis moribus & institutis gaudēt.

Præfatione igitur hac, ciues ad pietatem & iustitiam exhortatus, subiungit præceptum: ne quis ciuiū implacabili inimicum odio persequatur: sed ita inimicitias cum illo suscipiat tanquam breui in gratiam cum illo & amicitiā rediturus. Si quis.a. secus fecerit, vt pro immitis ferocisq; ingenii homine censeatur. Magistratib. prӕcipit, ne sint arrogantes & superbi, neq; ad vllius odium aut amicitiam iudicia accommodent. In aliis quæ particulatim cōstituit, multa subtili ingenii acumine inuenit & sapiēter admodū egregieq; promulgauit. Cū

XXI.

n. apud omnes alias gentes delictis mulierū, argenteæ multę sint irrogatæ: hic ingenioso pœnæ genere incontinentiā illarū emendauit. Ita enim scripsit: Mulierem ingenuā, nisi fortè ebria sit, non plus vnâ ancillâ comitator. Extra vrbem noctu pedem ne efferto, nisi cùm mœchū fortè accedit. Aureum ornatum & intertextas auro vestes ne circumdato, nisi meretricem agere velit. Vir annulum subaureum, aut vestem Milesiæ parē ne gestato, nisi qui scortatione vel adulterio se cōtaminat. Proinde fœdis pœnarū exceptionibus, seu probrosis conditionibus pœnæ annexis, à noxio ciues luxu & intemperantiæ studio facillimè auertit. nemo enim tā turpis probri confessione se ludibrio ciuium exponi sustinebat. Multa etiā alia quæ contractus & cæteras vitæ controuersias spectant, legibus pulchrè definiuit, quę singula persequi prolixū nimis, & ab historiæ nostræ instituto alienum foret. ideò ad narrationis suprà interruptæ continuationē stylum reflectemus.

XXII.

Ius Athenis moderante Lysimachide Romani cōsulare imperium tradunt Tito Menenio & P. Sestio Capitolino. Horū tēpore, Sybaritæ, qui seditionis periculum euaserant,

ad Truentum flumen consederunt; & aliquandiu ibi cõmorati, à Brutiis postea eiecti deletiq; sunt. In Græcia interim Athenienses recuperatâ Eubœâ Hestiæos vrbe excusserunt, & mille ciuium suorum coloniâ illuc missa, vrbem agrumq; sorte diuiserunt. Athenis principatum tenente Praxitele, LXXXIV. Olympias celebrata fuit, in quâ stadii coronam meruit Crison Himeræus. Romæ autem Xviri nouis scribendis legibus creantur. Appius Clodius Regillanus, Titus Genucius, Spurius Veturius, Caius Iulius, Seruius Sulpitius, Publicus Sestius, Titus Romilius, Spurius Postumius, Aulus Manlius, Publius Horatius. Ab his leges conditæ sunt. Sub hæc inter Thurios & Tarentinos bello exorto, mutuis vtrinq; populationibus agri vastantur, à terra mariq; infestati: Multæ quidem leues pugnæ conferuntur & velitationes, sed nihil memoratu dignum efficitur. XXI

Athenis hinc Archonte Lysania, Romani rursus perferendis legibus X. viros creant, Appium Clodium, Marcum Cornelium, Luciũ Minucium, Caium Sergium, Quintum Petilium, Marcum Rabuleium, Titum Antonium Merendam, Quintum Fabium Vibulanum, Caium Duilium & Spurium Oppium. Verùm hi leges absoluere non potuêre, nam vnus ex horum collegio amore virginis cuiusdam nobilis, sed tenuis fortunæ, exarsit. Principio igitur illam precio corrumpere adortus est: sed cùm illa muneribus se expugnari non sineret, Sycophantam (id est *Calumniatorem*) subornat, cui negotium dedit, vt puellam in seruitutem assereret. Ille seruam hanc suam appellare, eaque ad tribunal X-viri pertractâ, vindicias secundùm seruitutem petere, & fabulam apud iudicem, huius argumenti auctorem, facile peragere. puellam enim ab illo in manus traditam, vt mancipium suum nebulo abducit. Interim parens virginis accelerarat, & graui super indignitate huius facti dolore commotus, vbi à nemine se audiri & subleuari animaduertit; à tergo filiam comitans, oblatũ fortè in taberna lanii, quam præteribat, cultrum accipit, eoq; filiam transfixam interimit: ne contumeliam tàm indignam experiri cogeretur. Et confestim ex vrbe se proripiens ad exercitũ tum in castris ad Algidũ versantẽ tendit, & multis cum lacrymis infelicissimam rerum suarum conditionem exponens, multitudinis auxilium implorat. Et subitò omnem erga se commiserationem, & intimum super hac calamitate dolorem XXII

lorem

lorem, accendit. Concitatis itaq; animis omnium ad opitulandum miseris, armati noctu Romam irrumpunt, collemq; occupant, qui Auetinus illis nuncupatur. Quamprimum illuxit, cognito militum odio aduersus nefariam improbitatem; decemuiri vt armata manu Collegam tutarentur, magnam iuuenum cateruam adsciscunt ferro cum aduersariis disceptaturi. Iamq; ad ingens & funestum certamen res spectare videbatur; cùm ciuium ornatissimi periculorum magnitudine prospectâ, legatos ad vtrosq; mittunt, qui de componendo pacificè dissidio agerent. summoq; studio rogant & obtestantur, vt à discordia intestinâ desistant, nec grauissimis patriam cladibus intricare pergant. Persuasis tandem omnibus, res his conditionibus transacta est, vt x. tribuni plebis, summam præ cæteris in vrbe magistratibus potestatem habentes, creentur, qui sartam tectamq; ciuium deinceps libertatem conseruent. & vt alter Consulum in singulos annos sufficiendorum ex patritiis, alter ex plebe deligatur, imò vt populo vtrumque ex plebe Consulem creandi sit potestas. quod ideò sic statutum est, vt nimiam patriciorũ potentiam infringerent. Hi enim ob generis claritatem, & circumfulgentem ipsos maiorum gloriam, elatis animis, omniũ rerum potestatem & quasi dominium vrbis sibi arrogabant. Inter verò conditiones pacis etiam hoc adiectum erat, vt Tribuni plebis anno magistratus sui exacto, totidem in sequentem annum surrogarent; aut eo neglecto, viui cremarentur. quod si fortè dissensio inter Tribunos oriatur, non impediri hoc illos, quò minùs interea temporis magistratu fungantur. Romana igitur discordia hunc finem habuit.

XVI. Archonte porrò Athenis Diphilo, Romæ Consules creantur Marcus Horatius & Lucius Valerius Potitus. Hi leges seditione interpellatas tandem pertulerunt, duodecim enim tabularum (vti vocant) decem solummodò perfectæ erant, duas igitur reliquas Consules suppleuêre. Iura igitur populi Romani sic absoluta, XII. tabulis æneis inciderunt, easq; pro Curiâ rostris adfixêre. Et hæc legum descriptio breuis admodũ omnisq; apparatus verborum expers, ad nostrã hanc tempestatem perdurat. Dum hæc aguntur, pleræq; per orbem gentes quietæ erant, siquidem omnes ferè pace fruebantur. Persæ enim geminum cum Græcis fœdus constitutũ habebant; vnum cum Atheniensibus horumq; sociis, quo

sua iurisdictionis libertas Asiæ vrbibus restituta erat. alterum cum Lacedæmoniis, in quo contrarium erat perscriptum, vt illæ ciuitates imperio Persarum obnoxiæ essent. Similiter etiam Græci pacem inter se colebant, fœdere tricennali inter Athenienses & Spartanos icto. Tranquillus preterea in Siciliâ status erat: quod Carthaginienses cum Gelone fœdus iniissent, & Græcæ per Siciliã vrbes Syracusanis imperii summam concessissent. Acragantini quoq; post cladem ad Himeram pacis leges acceperant. Tum & gentes per Italiam, Galliam, Hispaniam, & maximam orbis partẽ quietè se continebant. Idcirco nulla memorabilis res hoc quidem tempore bello gesta legitur. sed vnâ pace omnes fruebantur, conuentusq; solennes cum ludis & sacris deorum epulis; nec non alia ad felicitatem societatis humanæ pertinentia, vbiq; vigebant.

XX

Hinc Archontis magistratum Athenis gerente Timocle, Romæ Consules facti Lars Herminius, & Titus Verginius Tricostus. Hoc tempore Samii contendentes de Priene cum Milesiis, bellum ipsis facessunt. Cũq; Athenienses Milesiorum partes magis fouere cernerent, etiam ab illis desciscunt. qui Periclẽ imperatorem ad hoc creatum, cũ XL triremium classe bellum Samiis inferre iubent. Is copiis vrbi admotis, non magno negotio illam in potestatem redigit, & populare regimen in eâ instituit, & LXXX. talentûm stipendio illis imposito, totidem pueros obsides ab illis acceptos, Lemniorum fidei permittit; totoq; negotio inter paucos dies feliciter expedito, Athenas redit. Grauis dehinc seditio in Samo oritur: dum alii popularem statum tuentur, alii optimatum administrationem magis probant. vnde ingenti vrbs tumultu agitatur. Hi ergo quibus Democratia aduersa erat ad Pissuthinen, Satrapam Persarum, in Asiam profecti, auxilia inde petunt. is septingentos eis milites tradit; hoc pacto suam in ditionem Samum venturam sperans. Hoc militum præsidio ex Asiâ in Samum transportato, Samii furtim noctu, à complicum suorum factione adiuti, vrbem ingrediuntur, eâq; facilè potiti aduersam sibi factionem eiiciunt. Mox obsides ex Lemno surreptos abducunt, & Samo præsidiis firmata, apertos sese hostes Atheniensibus profitentur. Hi denuò imperium militare Pericli committunt, eumq; nauibus LX contra Samios instruunt. is cum LXX hostium triremibus confligẽs Samios vincit. Accersitis inde à Chiis & Mityleneis XXV nauibus, harũ ope Sami obsidionem adgreditur. Paucis

verò interiectis diebus, parte copiarum ad obsidionē relictâ, cum reliquis inde soluens, Phœnicum nauibus, quas Persæ auxilio Samiis mittebant, occurrit. Samii igitur discessum Periclis idoneum sibi tempus attulisse, quo reliquas eius naues inuaderent, eruptionē in eas faciunt, & prælio nauali superiores, animis haud mediocriter intumescunt. Pericles autem, suorum clade audita, sine mora regressus, classem numerosā ac validam contrahit, hostiū classē funditus euertere cōstitutum habens. Cúmq; subitò Athenienses LX, Chii autem & Mitylenæi XXX triremes misissent, iam magnis instructus copiis, obsidionem terrâ mariq; intentat, adsiduisq; vrbē oppugnationibus fatigat. Machinas etiam bellicas primus omniū, qui ad hæc vsq; tempora inclaruissent, ducum, adornauit, arietes videlicet & testudines, vt vocant; Artemone Lacedæmonio ingeniosam hîc illi operā nauante. Et quia summis oppugnationi viribus instabat, mœnibus impulsu machinarum deiectis, factum est, vt Samus in eius potestatem veniret. Affectis ergo supplicio defectionis auctoribus, in cōpensationē belli sumptuum CC talentorū multā à Samiis exēgit. Naues quoq; illis ademit, ac muros destruxit. Democratiâ tandem in pristinū restitutâ, in patriā remeauit. Huc vsq; tricennales induciæ Athenienses & Lacedæmoniis illabefactatæ permanserunt. Et his ille annus gestis clarus fuit.

XIX. Prætore dein Athenis Myrichide, Romani consulari imperio præfecerunt Lucium Iulium & Marcum Geganium. Elei LXXXV Olympiadē tunc egerunt; quâ Criso Himeræus iterum stadio vicit. Sub hæc in Sicilia Ducetius; qui vrbiū Sicularum dux fuerat, Callatinorum patriā condidit, & magnâ colonorum frequentiâ illuc deducta, imperium Siculorū sibi vendicare cœpit. sed morbo præuentus, vitâ & ausis excidit. Hinc cū Syracusani cunctas p̄ Siciliā vrbes suo imperio subdidissent; Trinacriâ duntaxat exceptâ hāc quoq; bello adoriri statuerūt. valde.n. opes Trinacriorū suspectas habebāt, veriti ne quādo Siculorū gentis cognatę imperiū ad se trāsferrēt. Hęc vrbs multos & magnæ virtutis viros sēp. habet. ideoq; principatū inter vrbes Siculas semper obtinuit. viris.n. ad gerēda imperia idoneis, & celsos ob fortitudinē spiritus habētibus plena erat. ideo cūctas è Syracusis & sociis vrbib⁹ copias cōtrahūt, easq; in Trinacrios educūt. At hi externo sociorū præsidio destituti, ꝑpter cęteras vrbes, quę Syracusanis parebant, ingens certamen commiserunt, & animosē

fortiterq; sese periculis obiectantes, heroicè dimicando vniuersi oppetierunt. maior etiã pars sauciorum, quòd captiuitatis ignominiam subire nollent, vltrò se vitâ abdicârunt. Syracusani ergò tam illustri de his, qui inuicti hactenus fuerant, victoriam adepti, incolis in seruitutem redactis, vrbem solo æquarunt. Ex manubiis verò preciosissima quæq;, ad grates deo persoluendas, Delphos transmisêre. Præposito rerum summæ Athenis Glaucide, & creatis Romæ Consulibus Tito Quintio & Agrippa Furio, Syracusani re (vt dictum est) feliciter gestâ, triremes exstruxerunt, & numero equitum conduplicato, terrestribus etiam copiis operam dederunt. Vt verò magnam vim pecuniæ conficerent, ampliora subditis per Siciliam tributa imperarunt. id propterea ab iis factum, quòd totam Siciliam suo imperio paulatim subiungere meditarentur. Dum hæc ita geruntur, bellum quod Corinthiacum appellatur, his de causis exarsit. Epidamnii, Hadriæ maris accolæ, à Corcyrensibus & Corinthiis illuc in coloniam deducti, seditione laborabant. Cúmq; pars viribus superior multos aduersæ factionis vrbe eiecisset, exules in vnum congregati, accitis in societatem Illyriis, communi Epidamnum classe petunt. Quia verò magnæ Barbarorum erant copiæ, facilè & regionem occupant, & ipsam vrbẽ circumsident. Sed cùm Epidamnii tanto hosti ad resistendũ pares non essent, missis Corcyram legatis, auxilia inde, q cognati essent, deposcunt. Ab his neglecti, Corinthios ad societatem belli inuitant, eamq; solam Metropolim sibi constituunt, nouos etiam ciues, eiectis sufficiendos, ab eis petũt. Corinthii simul Epidamniorum miserti, simul Corcyręis iam pridem infensi, quòd soli ex coloniis à se eò deductis consueta Metropoli sacra non mitterent, Epidamniis auxilium ferre decernunt. Idcircò & ciuium supplementa, & militum præsidium, quantum vrbi tutandæ sat esset, illuc mittunt. His Corcyrenses grauiter commoti, triremium quinquaginta classem cum prætore in eos expediunt. Is cum nauibus ad vrbẽ appulsus Epidamniis imperat, vti exules in ciuitatem recipiant. Tũ per legatos Corinthiorum præsidio denunciat, vt legitimo potius iudicio, quàm bello de coloniâ disceptare velint. Sed abnuentibus Corinthiis, ad bellum tandem deuentum est; & magnas vtrinq; copias nauales colligi, sociorumq; auxilia adiungi cœptum. Has igitur ob causas Corinthiacũ illud

illud bellum excitatum fuit. Interea Romani cũ Volscis belligerantes primò leuibus pugnis hostẽ lacessebant. Sed postmodùm iustâ congressi acie, victoriâ potiuntur & maximam deuictorũ partem concidunt. XXXI. Cùm Athenis præesset nomine Archontis Theodorus, & Romani Consules fecissent Marcum Genucium, & Agrippam Curtium Chilonem, in Italiâ gens Campanorum coaluit, id cognomenti sortita à fertilitate camporum circumiacentium. In Asiâ verò Cimmerii Bospori regnum Archæanactidæ qui vocantur iã per annos XLII. tenuerant, quibus in imperio successit Spartacus & VII. annos regnauit. In Græciâ Corinthii & Corcyrenses, armis inter se disceptantes nauticas vtrinq; copias ad pugnã naualem expediunt. Corinthii nauibus LXX. eleganter instructis in hostem tendunt. His Corcyræi triremibus LXXX. occurrunt, prælioq; superiores Epidamnum vi expugnant, & cæteros quidem omnes captiuos trucidant; sed Corinthios vinctos in custodiam tradunt. Corinthii ergò ob rem infeliciter mari gestam fractis animis renauigant in Pelopõnesũ; Corcyræi autem redacto in potestatem illo maris tractu, in socios quoq; Corinthiorum expeditione facta, terram illorũ infestam reddunt. XXXII. Anno hoc elapso Archontis magistratum Athenis gerebat Euthymenes, Romæ autem tribuni militares tres consulari potestate creantur Aulus Sẽpronius, Lucius Atilius, & Titus Cœlius. Tũ Corinthii, prælio nauali non ita pridem victi, classem aliam priore magnificentiorẽ adornare constituunt. Ideo comparatâ vndiq; materiâ & fabris ex vrbibus mercede conductis, enixâ ope studioq; triremes conficiunt, armaq; & tela omnis generis quicquid deniq; belli vsus exigere videbatur, affatim apparant. Triremium alias de integro construunt: alias quæ vitium fecissent resarciunt, nonnullas à sociis commodatò petunt. Nec segnius à Corcyræis res geritur. Hi enim studii ac laboris contentione hosti nihil cedebant. vnde quantæ molis bellum istud futurũ esset, liquidò apparebat. Inter hæc Athenienses coloniã Amphipolim deducunt, delectu partim ex ciuibus, partim finitimis castellis habito. XXXIII. Archonte pòst Athenis Nausimacho Romani Consul. elegerunt Titum Quintium & Marcum Geganium Macerinum. Elei autem Olympiadẽ octuagesimam sextam agebant: quã ex stadio coronã retulit Theopompus Thessalus. Tum Corcyræi auditâ copiarum contra

se armatarum multitudine, per legatos de suppetiis ferendis Athenienses solicitant. quod idem Corinthii etiam petunt. Auditis ergò legatis, populus in concionem aduocatus, cum Corcyræis socia arma coniungenda sciuit. Nec mora, decem extemplò triremes bene instructas auxilio mittunt, pòst, vbi res postulet, plures se missuros pollicentur. Corinthii verò societatem Atheniensium non consecuti xc ipsi triremes cō-plent, & lx à sociis hinc illinc acceptis, centum & quinquaginta nauium classem instruunt; quā prætoribus selectissimorum commendata, versus Corcyram illicò contendunt, quamprimùm nauali pugnā decernere parati. Vbi Corcyræis nunciatum fuit, hostiū classem non procul abesse, cum cxx triremibus, connumeratis etiam Atticis, obuiam procedunt, pugnaq; non segniter initā, primò Corinthiorum res superior fuit. Sed mox vbi classis Attica xx nauium, quas in secundā belli societate miserant, in conspectum se dedit, victoriā Corcyræi obtinuêre. Posterā die cùm totā explicuissēt aciem Corcyræi Corinthii ex statione non procurrere ausi, pugnā detrectant. Antilochide hinc præside Athenis, Romani consules fecerunt Marcū Fabiū & Postumium Æbutiū Elbam. Horum tempore Corinthii societatē Atheniensium cùm Corcyræis & victoriam, illorum subsidio partā, ægerrimè ferebant: itaq; in eos concitati, vt quocunq; modo vltionem parerent, coloniam illorum Potidæam ad defectionem ab illis impulêre. Pari modo etiam Perdiccas, rex Macedonū, Atheniensibus infensus, Chalcidensibus suasor fuit, vt excusso Athe. imperio, vrbes in mari desererent, & in vnā quandā Olynth nomine commigrarent. Athe. igitur cognita Potidæarū defectione; xxx naues mittunt cū mandato, vt agros rebelliū populati, vrbi expugnandæ sint intenti. Hi instituto in Macedonia cursu, prout iusserat populus faciunt, vrbēq; obsidione cingunt. Ibi cùm CIↃ CIↃ à Corinthiis auxilio obsessis venissent, totidē etiam Athe. populus suis in subsidiū misit. consertoq; ad Isthmū iuxta Pallenen prçlio, victoria penes Athen. stetit, & hostium plures trecentis cecidêre. Exinde arctiori Potidæenses obsidione coarctantur. Dū hæc geruntur, Athenienses in Propontide nouam vrbem Letanum vndecunq; dictam exstruunt. In Italiā verò Romani, missis Ardeam nouis colonis, agrum illis sorte adsignant.

XXIV.

Iam Archontis munus penes Charetem erat Athenis, & Romani Quintum Furium Fusum ac Maniū Papyrium

XX

Crassum Consules designauerant; cùm in Italiâ Thurii incolæ, ex variis hinc inde locis collecti, dissidere cœperunt, cuius potissimùm vrbis colonia vocitanda sit ciuitas Thuriorũ, & quem agnoscere conditorem par sit. Nam primo Athenienses coloniã illam sibi vendicantes, plurimos Athenis habitatores illuc venisse affirmabãt. Deinde Peloponnesii, quòd vrbes non paucæ ex se ad condendam Thuriorum vrbem colonos suppeditassent, cõditorum titulum sibi meritò adscribendum esse, contẽdebant. Sic cùm multi præstantes viri colonię huic se adiunxissent, multumq; præclaræ ad hanc operæ contulissent, magna erat disceptatio, vnoquoq; eam sibi tribui dignitatem postulante. Tandem verò Thuriis Delphos percunctatum mittentibus, quis oraculo conditor ipsis nominetur, deus se pro conditore Thuriorum habendum esse, respõdit. Ad hunc igitur modum soluto ambiguitatis nodo, conditor Thuriis Apollo declaratur, & plebs dissidio sublato, ad pristinã concordiã reuertitur.

XX-I. In Græciã tum Lacedæmoniorum rex Archidamus fato concedit, expletis XLII in regno annis, cui Agis succedens, per XLVII annos regnum administrauit. Archon tum erat Athenis Apseudes, & Romæ consules, Titus Menenius & Proculus Geganius Macerinus: cum Spartacus rex Bosphori vitã reliquit, postquàm annos XVII regnasset, quẽ subsecutus in regno Seleucus, IV tantũ annos illud tenuit. Athenis verò Meton Pausaniæ filius scientiâ astrologicâ clarus, Enneadeceteridem quã vocant, id est *nouẽdecennalis circuli* tabulã, promulgauit à decimo tertio Scirrophorionis Attici mensis (hic apud Romanos Iunio & Iulio respondet) die exorsus. Tot .n. annis in eundem statum astra reuertuntur, & magni quasi anni circumuolutionẽ absoluũt. Idcirco à quibusdam *Metonis annus* hic nuncupatur. Vir iste prædictione hac & descriptione mirificè veritatẽ adsecutus videtur. Astra .n. motum & significationes descriptioni huic cõgruẽtes efficiũt. Ideo Græcorũ pleriq; Enneadeceterідos rationẽ amplexi, ad hęc vsq; tempora à veritate non aberrant. Porrò in Italia Tarentini Siris oppidi incolas aliò migrare cogunt, & coloniá suorum illuc deductâ, vrbẽ cui nũc Heraclee nomẽ est, condunt.

XXX-VII. Cũ Athenis Archon Pythodorus, Romæ a. T. Quintius & T. (Agrippa) Menenius cons. Reip. præessent, Eleis LXXXVII celebrata fuit Olymp. qua stadii victor exstitit Sophrõ Ampraciotes. Tũ Romæ Sp. Melius regnũ affectans, necatur. Athe. inter hæc illustri apud Potidæ-

prælio victores, Calliam ducem inter dimicãdum amiserant. In cuius locum Phormio suffectus quamprimùm ad exercitum venit redintegratâ vrbis obsidione, perpetuâ illam oppugnatione vrget. Sed cùm obsessi fortiter vim intentatã ꝓpulsarent, in longiùs obsidio tempus extracta est. Hinc Thucydides Atheniensium ductor historiæ suæ exordio, bellum deinceps Atheniensiũ cum Lacedæmoniis, ꝙ Peloponesiaci nomine celebratur, descripsit. Durauit hoc ad XXVII. annos. At Thucydides XX tantùm duos libris IIX. vel vt alii numerant, IX. complexus est.

XXVII

Cùm Athenis deinde munere Archontis fungeretur Euthydemus, Romani tribunos militũ consulari potestate tres crearunt, Manium Æmilium Mamercum, Caium Iulium & Lucium Quintium. Tum inter Athenienses & Lacedæmonios coortum est bellum, ꝙ Peloponesiacum vocatur, omnium, quæ historiis celebrata nouimus, diuturnissimum. Historię autẽ nostrę instituto conueniens est, initio causas illius exponere. Athenienses iam maris imperium sibi vendicantes, coactas ex communi Græcorum contributione pecunias in Delo ad IↃↃ.cIↃ.cIↃ.cIↃ. talentûm Athenas transtulerunt, easq; Periclis fidei custodiendas tradidere. vir ille generis nobilitate, gloria & differendi facultate, ciues alios longè anteibat. sed aliquantò pòst, magnâ eius parte in priuatos vsus expensâ, cùm rationem populo reddere iussus, satisfacere non posset, in ægritudinem incidit: animiq; dubium & mœrore conturbatum, ꝙ soluendo non esset, Alcibiades auunculi Periclis nepos qui orphanus tunc apud illum puerilis adhuc ætatis educabatur, rationem, quâ peculatus crimen dilueret, suggessit. Nam auunculum mœrore adfectum cernens, causam tristitiæ quærebat, Respondet ille, Rationem pecuniarum expedire iussus, quánam viâ illã reddere possim mecũ disquiro. Ad ꝙ ille, potiùs quomodo non reddat, consiliũ ineundũ esse subiecit. Pericles igitur sententiam pueri amplexus, quo pacto Atheniẽses graui alicui bello implicaret, meditari cœpit. Sic.n. futurũ ꝓspiciebat vt perturbatã variisq; negotiis distracta, metu etiam perculsa ciuitate, exactũ ipse calculũ subterfugeret. His consiliorũ initiis casus quidã fortuitus se accommodauit: hoc equidẽ modo & his de causis.

XXXIX.

Phidias statuam Mineruæ elaborauerat, Pericle Xanthippi filio operis curatore. Nõnulli v. ex operariis & administris Phidiæ, dissidio quodam orto ab inimicis Periclis instigati, ad aras deûm confugiunt. qui cùm pro-

pter rei nouitatem incepti sui causam exponere iuberentur, magnam pecuniæ vim à Phidiâ surreptam, sciente & adiuuãte Pericle operis locatore, se demonstraturos aiunt. Aduocatâ igitur ob hoc cõcione, maleuoli Periclis suasores populo exsistunt, vt Phidiam comprehendant, ipsumq; Periclem sacrilegii requirãt. Anaxagoram præterea sophistam, qui præceptor Periclis erat, quòd impiè de diis sentiat, criminantur. Eisdem interim criminibus & calumniis etiam Periclem inuoluunt, hoc vnicè agentes, vt excellentem viri auctoritatem & gloriam calumniis suis conuellerent ac labefactarent. At Pericles, cui probè cognita erat vulgi natura, quòd vrgentibus belli negotiis viros præstãtes in precio habeat, cùm præsens necessitas id omnino exigat: in pace contrà ocio diffluens, & inuidiæ frena laxans, eosdẽ criminibus obnoxios reddat: consultissimum id fore rebus suis ratus est, si ciuitatem in bellum aliquod ingens coniiceret, vt operâ Periclis indigens calumnias ipsi intentatas non admitteret, neque ocium aut tempus haberet accuratam pecuniarum rationem exquirendi. Decretum iampridem Atheniensium erat, Megarenses foro ac portubus arcendos esse. quamobrem isti ad Lacedæmoniorum intercessionem confugerant. Hi postulatis Megarensium assensi, palam de communi totius conuentus sententiâ legatos Athenas expediunt, cum mandato, vt decretum contra Megarenses rescindant. Quod si dicto audientes non sint, bellum cùm suo tum sociorum nomine illis indicunt. Conuocato igitur ad harum deliberationẽ rerum populo; Pericles, qui orationis vi & acrimoniâ cæteris omnibus præcellebat, decreti non abrogandi suasionẽ proponit; initium seruitutis fore confirmans, si contra vtilitatem Reipublicæ Lacedæmoniorum postulatis cederent. Addit præterea cõsilium, vt res ex agris hinc inde in vrbem conuehant, & confirmato maris imperio cum Lacedæmoniis strenuè belligerentur. De bello etiam accuratè ac prudẽter

XL. disserens, quanta vrbi sit sociorum multitudo, quàm eximius nauticarum copiarum apparatus exponit: adhæc quanta vis opum ex DELO Athenas transuectarum, quas ex communi vrbium pensione collegissent: summã harum esse ad CC ƆƆ talentûm. vnde licèt Propylæorum nuper exstructionem & totidem ad Potideæ obsidionem sint expensa; singulis tamẽ annis ex confœderatorum stipendiis CCCCLX referri talen-

ta. & præter hæc omnia pomparum ornatum & ſpolia Medica I Ↄ talentis æſtimari. in templis quoq; aliisque ciuitatis operibus magnam donariorum copiam haberi:adeoq; vnicum Mineruæ ſimulacrum quinquaginta auri talenta pendêre:cuius ornatus ita ſit circumiectus, vt detrahi aliquando poſſit.hæc omnia, ſi aliqua neceſſitas ingruerit, cõmodato à dea ſumi, dum recuperatâ pace, commodè reſtituãtur, poſſe. Quod ad facultates præterea ciuiũ attinet, per diuturnæ pacis tempora, ciuitatem ad magna felicitatis incrementa prouectam eſſe. His præterea adiecit, quantæ militum copię vrbi ſuppeterent, quòd præter ſocios & præſidia caſtellorum CCIↃↃ CIↃ CIↃ bene armatorum eſſent; præſidiariis verò & inquilinis vltra CCIↃↃ IↃↃ CIↃ CIↃ cenſerẽtur. triremes præterea in promptu haberi trecentas. Sed è cõtrario Spartanos pecuniæ inopiâ laborare, & nauticis copiis longè poſt Athenienſes relinqui, oſtendebat. Harum commemoratione rerum, cùm ad bellũ ciuium animos accendiſſet, populo hortator eſt, ne imperioſis Lacedæmoniorum poſtulatis ſeſe attemperent. Hæc orationis vehementia facilè perfecta dedit. quam ob cauſam *Olympius* audire meruit. Meminit horum etiam Ariſtophanes veteris Comœdiæ poëta, qui Periclis ætate floruit, in his equidem verſibus tetrametris.

Pauperes & ruſtici perpendite hæc quæ proloquor
Verba, ſi velitis hæc cognoſcere vti ſit perdita;
Paruulam ſcintillulam ſciti Megarici proferens
Sufflat, & tanti ciet fumum duelli, vt omnibus
Hic & illic lacrymas Græcis perennes mouerit.

Itemque in aliis Eupolis poëta Comicus Pericles, quem Olympium vocant:

Fulgur ciens tonitruq; miſcet Græciam.
Nam ſuada labris inſidens cor omnibus
Mulcebat, vnus inter ergò Rhetores
Infixa liquit ſpicula auditoribus.

XLI. Cauſæ igitur belli Peloponneſiaci (vt ab Ephoro refertur) hę fuerunt. Cúmque principes Græciæ vrbes ad hunc modum bello ciuili ardere cepiſſent, Lacedæmonii cũ Peloponneſiis conuentu habito, bellum Athenienſibus inferendum decernunt, & confeſtim regẽ Perſarum de armorum ſocietate per legatos ſollicitant. à confœderatis etiam Siciliæ & Italiæ vrbibus, CC triremes, miſſis eò legatis impetrant. Tum ipſi cũ

Peloponnesiis coniuncti, terrestribus vndique copiis contractis, cæterisq; ad bellum necessariis apparatis, primi bellum inceptant. In Bœotiâ tunc Platæensium vrbs sui iuris erat, & amicitiæ fœdus cum Atheniensibus colebat. sed nonnulli in ea ciues, abrogandæ libertatis cupidi, re cũ Bœotiis cõmunicatâ, vrbẽ illorum iurisdictioni subiecturos se pollicentur, si militum eò præsidiũ miserint. Delectos igitur milites Bœoti numero CCC noctu illuc expediunt, quibus intra mœnia receptis, proditores vrbẽ in potestatẽ tradunt. At Platæenses societatem Atheniensium fartã tectamq; esse volentes, cùm initio omnes Thebanorum copias adesse putarẽt, legatos de induciis secum faciendis ad eos qui vrbẽ occuparant, mittũt. Sed vbi nocte interim elapsâ hostium paucitatẽ cognoscunt: mox vno agmine in illos cõuersi, pro libertate animosè propugnârunt. Sed quia pugna intra vicos cõmittebatur; initio Thebani virtute superiores, aduersariorum nõ paucos interemerunt. postquàm domestici, adeòque pueri ipsi, tegulas de fastigiis domorũ in capita hostium deuoluentes, Thebanos grauiter sauciarent, in fugã se dare cõpelluntur; quorum pars ex vrbe elapsa hostiles manus euadit; pars in domiciliũ quoddã cùm se recepisset, tandẽ se hostis arbitrio permittere cogitur. De hoc igitur casu Thebani ab his qui ex conflictu illo effugerant edocti, mox omni ciuiũ robore accelerãt, cúmq; propter repentinã hanc incursionẽ, qui in agris versabantur, imparati essent, multi horũ cæsi, nec pauci viui in hostiũ manus peruenerunt. Tota deniq; regio trepidationis & direptionis plena erat. LII. Platæenses interim legatis ad Thebanos missis, vti finibus suis excedant, petunt & cõtendunt, seq; captiuos illis reddituros pollicẽtur. His igitur pactis re compositâ, Thebani receptis captiuis, & restitutâ Platæensibus prędâ, Thebas reuertuntur. Miserant quidẽ iã pridem Athenas de suppetiis ferendis legatos Platæenses; & pleraq; rure in vrbẽ cõgesserant: Atheniẽses etiã auditã Platæensium vexatione, extemplò mediocrem militum vim illuc expediuerant: Sed hi, quamuis citato itinere profecti, cùm Thebanos non præuertissent; quicquid in agris reliquum erat, in oppidum comportarunt: liberos autem & fœminas reliquamque turbam imbellem, in agmen coire iussam, Athenas traduxerunt. Tum Lacedæmonii fœdus ab Atheniensibus ruptum arbitrati, ingentes vndique copias tum è Spartâ, tũ ex cæteris

Peloponnesiis contrahunt. Bellorum tum socii Lacedæmoniis erant Peloponnesii vniuersi, præter Argiuos. nam hi tũ ab armis quiescebant. extra autem Peloponnesum, Megarenses, Ambraciotæ, Leucadii, Phocenses, Bœoti, Locrensiũ ad Eubœam conuersorum plerique: & ex reliquis Amphissenses. Atheniensium verò partes adiutabant Asiatici maris accolæ, Cares, Dorienses, Iones, Hellespontii & omnes insulani, exceptis qui Melum & Theram inhabitant. Accedebant huc etiã Thraces, demptis Chalcidensibus & Potidæatis. ad hæc Messenii Naupactum incolentes, & Corcyræi. Alii verò omnes terrestres exercitus emittebant. Hi tum vtrisque socii adhærebant. Tandem Lacedæmonii magnarum delectu copiarum acto, imperium Archidamo regi cõmittunt. Is cum exercitu in Atticam irrumpens, castella oppugnationibus vexat, & magnam terræ partem populationib⁹ infestat. Hac regionis suæ vastatione irritatis Atheniensès animis, & ad confligendum cum hoste accensis, Pericles summus militiæ præfectus & imperator iuuẽtutem hortatur, vti paulisper quietem agant, se citrà pugnæ discrimen ex Atticâ Spartanos eiecturum pollicitus. Instructis ergò triremibus centũ, insigniq; militum numero repletis, Carcinum ducem & quosdã alios præficit, eosq; in Peloponnesum traiicere iubet. Hi peruastato magno agrorum maritimorum tractu, & castellis quibusdã expugnatis, ingentẽ Lacedæmoniis pauorem incusserunt. Extemplò igitur reuocato ex Attica exercitu ad Peloponnesum tutandam omne studium conuertunt. Hoc ingenio liberatâ ab hostili incursione Atticâ, Pericles magnã apud ciues existimationem consecutus est, vt qui solerter imperio fungi, & bellũ cum hostibus cõtinuare posset.

XLI. Principe Athenis Apollodoro, Romani Cõsules crearunt Marcũ Geganiũ & Luciũ Sergiũ. Interim Atheniensiũ prętor nõn destitit oras Pelopõnesiorum prædis agendis infestare, & obuia quæque vastare, castella etiam oppugnare. Auctus deinde quinquaginta triremibus è Corcyrâ, multò perniciosius Peloponnesiorũ terras incursauit; maximè verò Acten, quã vocant, in continente maritima hostilem in modum adflixit, villis passim exustis. Tum Methonen Laconię vrbem petẽs, direptis & vastatis primùm agris, vrbẽ tandem ipsam oppugnãdo tentat. Ibi Brasidas Spartanus ætate quidem adolescens, sed robore corporis animique excellens, vbi

Methonen

Methonen non procul ab expugnationis periculo abesse videt; adiunctis aliquot Spartanis per medias hostiũ hinc illinc diffusorum stationes, manu viam sibi confidenter facit, multisque illorum cæsis in castellum euasit. Cúmque sæpius iterata oppugnatione, in adeundis Brasidas periculis eximiè se gereret; Athenienses loci capiendi spe frustrati, ad naues recedunt. Sed Brasidas qui suâ virtute & constantiâ virili Methonen cõseruauerat, magnam inter Spartanos gloriam est adeptus. & per hoc egregium factum animosior factus, insecutis deinde temporibus sæpenumerò audacissimè dimicando magnam fortitudinis gloriam reportauit. Athenienses inde ad Eleam circumuecti, regionẽ populantur, & Pheriam castellum Eleorum obsident. Ad cuius defensionem quamuis Elei accurrerent, pugnâ tamen congressi victores magnâ cum hostium cæde euadunt Athenienses, & Pheras vi capiunt. Sed cùm paulò pòst omnes in aciem copias Elei eduxissent, in naues repelluntur. & in Cephaleniam digressi,

IV. acceptis in societatis fidẽ incolis, Athenas reuertũtur. Sub hæc Athenienses Cleopompo duce classis designato, XXX cum ipso naues in Eubœam proficisci iubent: vt & insulam tueretur, & Locris bellum faceret. Is cum classe profectus, maritimos Locridis tractus hostiliter infestat, ac Thronium vrbẽ expugnat, & infestâ cum Locris acie concurrens, ad Alopen oppidum illos vincit. Tum adiectam Locridi insulã, cui Atalantæ nomen est, muniit, vt propugnaculum aduersus Locros foret, vnde in accolas incursiones commodè facere posset. Per idem tempus Athenienses crimini dantes Æginetis, quòd cum Lacedæmoniis facerent, omnes vrbe eiiciunt, & è suis illuc ciuibus nouam coloniam transportant, cui & vrbem & agros sorte distribuerunt. At Lacedæmonii expulsis Thyræas (quas vocant) ad inhabitandũ concesserunt, exẽplo Atheniensiũ, qui Messeniis à se eiectis olim Naupactum ad incolendũ tribuerant. Tum Athenienses Periclem cum exercitu, ad bellũ Megarensibus inferendũ, emiserunt. Is agro peruastato, & possessionibus illorum direptis aut cor-

LV. ruptis; cum magnis opibus Athenas inde rediit. Mox Lacedæmonii cum Peloponnesiorum aliorumq; sociorum auxiliis secundam expeditionem in Atticam faciunt, eaque irruptione & arbores exscindunt; & villas passim incendiis abolent; & totã propè regionẽ ad vastitatem fœdissimã redi-

gunt, solâ Tetrapoli, vt nominant exceptâ. ab hac propterea abstinēt, quòd progenitoribus olim suis hospitium præbuisset, qui Eurystheum armis hinc adorti superassent. nam bene de maioribus meritos debitis contrà beneficiis prosequi æquum esse censebant. Athenienses verò in aciem descendere non ausi, intra muros se continebant. vnde factum, vt in pestilentis morbi contagia inciderent. Cùm enim ingens hominum diuersi generis colluuies in vrbem recepta esset, probabili equidem ratione accidit, vt angusto constipati loco vitiosum inspirantes aëra, morbis adfligerentur. Quocirca eiiciendis è regione suâ hostibus impares, classem rursus in Pelopōnesum, Periclis ductu, expediunt. Is hostiliter maritimas terras incursando nonnullas etiam vrbes expugnando, efficit vt Lacedæmonii ex Atticâ tandem excederēt. Post hæc Athenienses ob agros excidio arborum vastatos, & magnam populi stragem à lue pestiferâ illatā, animi sese excruciant, & Pericli, in quem accensi belli culpam transferebant, infensis animis irascuntur, eique magistratu abire iusso, leues quasdam criminandi occasiones nacti, LXXX talentorū multam irrogant. Legatis deinde ad componendum bellum Spartam missis, dum nusquam æquas sibi præberi aures animaduertunt, necessitate adacti, Periclem rursus imperatorem creant. Et hæc illo quidem anno gesta sunt.

XL

Archon deinde fuit Athenis Epaminondas, & Romæ consulatum gesserunt Lucius Papyrius Crassus & Marcus Cornelius Maluginensis; cùm Athenis Pericles exercituum dux interiit, vir genere, opibus, eloquentiâ, & arte imperatoriâ ciuibus alijs longè antecellens. Populus verò Atheniensis summâ cupiditate Potidæā vi capiendi ardens, Hagnonē ducē cū exercitu quē Pericles antea ductauerat, illuc mittit.

Is cum vniuersa classe vrbem petēs, omni apparatu in obsidionem incumbit. machinas enim ad expugnandum vtiles varii generis, & magnam armorum telorumq; vim, frumēti etiam, quantum toti exercitui satis foret, præparat. Etsi autē crebris quotidie impressionibus vrbem quassabat: multum tamen frustrà temporis cōsumpsit, quo eam capere nequiuit. Nam obsessos expugnationis metus ad fortiter repugnādū, & murorum altitudo, quâ in portu versantes supereminebāt, fiduciam illis addit. Morbus interim multos obsidētium extinguit: quo factū, vt animos exercitus despanderet. Hagno

tamen compertum habens plus mille talentis Athenienses obsidioni impendisse,& grauissimâ Potidæatas irâ prosequi, quòd primi ad Lacedęmonios desciuissent,obsidionē solue-re nō audebat. sed in incepto perstare,& milites ad vim vrbi inferendā etiā vltra vires instigare cogebatur. vbi verò ma-gnā ciuiū turbā tum oppugnationū vi, tum cōtagione mor-bi absumptā vidit;parte copiarū ad obsidionem relictā, ipse cum cæteris Athenas regressus est,plus mille militibus amis-sis.post cuius discessum Potidæani,iam extremā annonę dif-ficultate laborātes,& ad summā desperationem adacti,cadu-ceatores ad pacis cōditiones petendum mittunt. Quod cùm obuiis(vt dicitur)brachiis exciperent obsidentes,hac lege cū obsessis paciscuntur:vt vniuersa Potidęatarum multitudo vr-be excedat,& nihil omninò præter vnam viri,duasq; fœminę vestes secū asportent. Induciis ergò hac cōditione factis,Po-tidæatæ cum vxoribus & liberis omnes,vti conuenerat,vrbē deserunt: & ad Chalcidenses in Thraciā profecti, habitatio-nis inter eos locū acceperunt. Atheniēses verò mille suorum Potidæam missis, domicilia vrbis & agrorum fundos sorte assignârunt.

LVII. Porrò Athenis Phormio dux classis creatus, cū xx triremibꝰ expeditionē suscipit,& circumnauigatâ Pe-loponneso ad Naupactū subsistit:vbi Crisæo sinu in potesta-tē redacto, Lacedæmoniis transitum intercludit. Hi verò Ar-chidamum Regem cū numeroso exercitu nouam instituere expeditionem iubent. Is promotis in Bœotiā castris,ad Pla-tæas consedit. ibi procincto iam ad vastationem exercitu, ad defectionē ab Atheniēsibꝰ Platęenses solicitari priùs placuit. Qui cùm assensum non præberent, agros desolare, & quic-quid facultatum obuiam fuit, diripere ac pessundare insti-tit. Pòst vrbe circumuallatâ,commeatus inopiâ se Platæen-ses defatigaturum confidebat. nec segnius machinis etiam adactis muros concutere, atq; indesinenter oppugnare per-gebat. Sed cùm nulla oppugnationis vi vrbē capere posset, relictâ mediocri illic manu,in Peloponnesum remeauit. Sub hæc Athenienses Xenophontem & Phanomachum Duces creāt,& cum mille armatorum manu in Thraciam expedi-tionem facere iubēt. Hi ad Pactolum Botticæ progressi,re-gionē vrendo,exscindendo,& prædas agendo vastāt,& sege-tes adhuc in herba corrumpunt. Sed cùm Bottiæis Olynthii succurrerēt,pugnâ initâ ꝓfligātur Atheniēses;ibiq; maxima

pars militum cũ ipsis ductoribus cæsa est. Inter hæc Lacedæmonii, Ambraciotarum hortatu inducti, cũ mille militibus & paucis nauibus, Duce Cnemo, in Acarnaniã mouent. Is nõ contemnendâ sociorũ manu sibi adiunctâ expeditionẽ in Acarnaniã suscipit, & ad vrbẽ cui Strato nomen castra ponit. Sed Acarnanes subitò in aciem conglobati, hostem insidiis excipiunt, & plurimis interfectis Cnemum in Oeniadarum, quos vocant, terrã, copias abducere cogunt. Sub idem tẽpus Phormio Athen. prætor militaris, cũ XX suis triremibus in XLVII Lacedæm. naues incidit, & pugnâ cũ illis conſertâ nauem Prætoriam cum ipsis hostibus demersit, & multas de cæteris nauigationi inutiles reddidit, captisq; XII cum ipsis viris, reliquas ad cõtinentẽ vsq; persecutus est. Hoc modo Lacedæmonii præter spem victi, cũ parte nauiũ adhuc saluâ Patras Achaiæ refugerunt. Hæc pugna ad Rhium, vti nominant, cõmissa fuit. Tum Atheniẽses tropæum, victoriæ monimentũ erigunt. Neptuno etiã nauẽ in Isthmo dedicãt, & sociam inde vrbẽ Naupactum repetunt. At Lacedæmonii alias hærentibus ad Patras naues submittunt, hæ cũ superstitibus ex pugnâ nauali triremibus coniunctæ, ad Rhium cõuenerunt. quo ipso loco etiã terrestris Lacedæmoniorũ exercit⁹ occurrit, & castra proximè classem metatur. Phormio autẽ superiore victoriâ elatũ gerens spiritũ, cum hostili classe, quæ suam numero longè vincebat, confligere non veretur, multisq; hostium nauibus suppressis, nonnullis etiã suarum amissis, victoriam ancipitem reportat. Sed post cùm XX triremes Athenis illi accessissent, Lacedæmonii Corinthum renauigant, nec prælii naualis fortunam ampliùs tentare audent. Et hæ res illo anno confectæ traduntur.

XLI

Summo Athenis magistratu fungẽte Diotimo, Romani Consules Reipubl. præfecerunt Caium Iuliũ, & Proculum Verginium Tricostum. Tum Elei octogesimam octauam Olympiadẽ egerunt, in quâ stadii victoriam obtinuit Symmachus Messenius ex Siciliâ. Cnemus autẽ Lacedæmoniorum nauarchus, dũ ad Corinthum in statione est, Pyræei per occasionẽ occupandi consiliũ cepit. Exploratorum namq; indiciis compertum habebat, nihil ibi nauium esse deductũ, nec quicquam præsidii ad defensionem eius dispositum. Ab Atheniensibus præterea loci custodiã negligi, quòd neminem eò processurum confidant, vt inuadere illum ausit. Me-

XLII

garis

garis itaque XL triremes antea subductas, in mare deuoluit, hisq; completis noctu in Salaminē traiicit. vbi castellū, quod Budorium appellatur, ex improuiso adortus, tres naues abstrahit, & reliquam Salamina passim incursat. At signo per accensas faces à Salaminiis dato, Athenienses Piræum iam captum suspicati, raptis properè armis ad loci defensionem magno cum pauore ac tumultu excurrunt. Sed de tota re meliùs edocti, in Salaminem contendunt. Peloponesii igitur conatu & incepto frustrati, ex Salamine domum se recipiunt. post quorum discessum accuratiorem Salaminis custodiam Athenienses instituunt, sat firmo illam præsidio munientes. Piræeum etiam claustris & excubiis hîc illic dispositis, quantum satis esset, confirmant.

L. Circa idipsum tempus, Sitalces Thracum rex angusti quidem agri regnum accepit, sed propriâ virtute ac prudentiâ ad præclaram illud amplitudinem longè latéque prouexit: dum æquum & benignum subditis, & in bellis strenuum ac solertē sese præbet; vectigalium præterea diligentissimè curam gerit, & ad tantas denique opes peruenit, vt plus quàm omnes ante ipsum reges terrarum in Thraciâ suo dominatu complecteretur. Nam maritima eius regio à finibus Abderitarum incipiens ad Istrum vsque fluuiū excurrebat. A mari verò in mediterranea tanto patebat interuallo, quantum expeditus aliquis terrâ iter faciens intra tredecim dies conficere posset. Tam latè patentis regni Princeps cùm esset, plus quàm mille quotannis talenta ex vectigalibus accipiebat. Sub hæc verò tempora, exorto ipsi bello, è Thracia militum delectus instituens peditum plus quàm CXX millia, & equitum quinquaginta millia coëgit. Sed causæ belli nobis hîc explicādæ veniunt. vt perspicua lectoribus fiat narratio. Sitalces amicitiæ fœdere cum Atheniensibus inito, inter alia pacta etim hoc receperat: se fidum ipsis socium in bello Thracico futurum. Chalcidenses igitur Atheniensium ope expugnare volens, exercitum instruxit validissimum, sed cùm simul infenso erga Perdiccam Macedoniæ regem animo esset, Amyntam Philippi in regnum paternum reducere constituit. Has duas ob causas ingens omninò exercitus ei contrahendus erat. Cùm itaque omnia ad expeditionem necessaria prouisa procurataque essent, copias vniuersas eduxit, & Thraciam emensus, in Macedoniam ir-

ruptionem fecit. At Macedones hostium multitudine perterrefacti, obuiam prodire non audebant: sed frugibus, aliisque opibus (quas transferre poterant) in castella munitissima congestis, intra munitiones quietè se continebant. Thraces autem reducto in regnum Amyntâ, primùm verbis & legationibus pacificis vrbes sibi conciliare tentabant: sed cùm nemo aures illis accommodaret; castellum quod primum sese obtulit aggressi, vi expugnant. Mox aliæ etiam vrbes & munitiones terrore perculsæ, vltrò se dedunt. Pertentata igitur tota Macedonia, pingui onusti præda, ad Græcas Chalcidensium vrbes transeunt.

L I.

Interea dum Sitalces circa hæc occupatus est, Thessali, Achæi, Magnetes, & cæteri Græci omnes, qui intra Macedoniam & Thermopylas sedes habent, conspiratione factâ, communi delectu exercitum ingentem conscripsere. Verebantur enim, ne tam numerosis millibus Thraces in regiones ipsorum impressione factâ, patrias singulorum suo dominatui subiicerent. Quod idem cùm à Chalcidensibus quoque fieret, Sitalces de Græcorum apparatu, quòd validas aduersum se copias armassent, edoctus, milites quoque suos molestè hyemis asperitatem ferre sentiens, cum Perdiccâ reconciliatur, & affinitate cum illo contractâ, agmen in Thraciam reducit.

L I I.

Interea, dum hæc geruntur, Lacedæmonii assumptis è Peloponneso belli sociis, Atticā rursus inuadunt, Archidamo Rege summum militiæ imperium gerente. Cúmque segetes in ipso virore corrupissent, & agros longè latéque vastassent; in suam quisque patriam redierunt. Atheniensibus verò aciem opponendi fiducia non erat, sed rebus pestilentiæ morbo, & frumenti penuriâ extremè afflictis, malas de reliquo belli euentu spes habebant. His ille annus gestis memorabilis fuit.

L I I I.

Inde Prætor Athenis fuit Eucleides, & Romani tres militares tribunos iterum pro Consulibus surrogarũt, Marcum Manlium, Quintum Sulpitium Prætextatum, & Seruium Cornelium Cossum. Quando in Sicilia Leontini, à Chalcidensibus illuc deducti, Atheniensium cognati, à Syracusanis bello impetuntur. Cuius mole fatigati, & præualescente Syracusiorum potentiâ, in periculum per vim capiendæ

endæ vrbis adducti; per legatos populum Athenienſium precibus ſolicitant,vt ſuppeditatis quàm maturrimè auxiliis, vrbem ex periculis eripiant. Princeps inter legatos erat Gorgias Orator, qui dicendi facultate eloquentiſſimum quemque ſuâ ætate ſupergreſſus eſt. Hic varias dicendi artes primus inuenit, & in ſapientis eloquentiæ ſtudio ac profeſſione adeò ſupra alios eminuit, vt mercedis loco centum à ſingulis diſcipulis minas acciperet. Ille tamen Athenas ingreſſus audientiâ apud populum impetratâ, de ſocietate iungendâ orationem habuit; & nouo peregrinoque dicendi artificio Athenienſes, ingenioſos alioquin & eloquentiæ deditos, adeò cepit, vt ſtupore quodam percellerentur. Primus namque eximias dictionis figuras, & ſingularis artificii antitheta, iſocola, pariſa, homœoteleuta (oppoſita, ſimilia & æqualia membra, vel ſimilia ſimilibus relata, ſimiliter cadentia & deſinentia nominaueris) & id genus alia quædam lenocinia orationi ſuæ adhibuit. Quæ tunc quidem propter cultus nouitatem admiratione digna habebantur: ſed nunc affectationem quandam nimis curioſam præ ſe ferre, riſuque proſequenda eſſe, præſertim cùm ſæpius & ad faſtidium quippiam iteres, iudicantur. Perſuaſis tandem Athenienſibus Leontinorum ſocietate, Gorgias, cùm magnam ſui admirationem dicendi ſolertiâ Athenis excitaſſet, reditum ad Leontinos inſtituit.

LIV. Athenienſes verò iam olim capeſſendæ Siciliæ cupiditas, ob incredibilem terræ fertilitatem, inceſſerat. lubenter ergò Gorgiæ ſuaſionem tunc amplexi, ſubſidia Leontinis ferenda decernunt. Prætextus quidam erant, vt gentilium neceſſitas & auxiliariorum imploratio, ſed re ipsâ Inſulam ſuæ poteſtatis facere properabant. Nam haud multis ante id tempus annis, bello inter Corinthios & Corcyræos excitato, cùm vtrique Athenienſium ſocietatem ambirent, Corcyræis auxilio veniendum eſſe populus ſciuit, quòd Corcyra peropportunò ad traiectum in Siciliam ſita eſſet. Summa rei eſt: Athenienſes imperio maris iam occupato, rebuſque magni momenti hic illic peractis, ſociorum multitudine abundabant, magniſque opum & militum copiis inſtructi, maximas ſub imperio vrbes habebant, magna etiam pecuniarum vis in promptu illis erat, quas ex communi Græcorum ærario in

Delo ad se transtulerant, quarum summa decem millia talentûm excedebat. quid? quod magnis & in re bellicâ probatissimis Ducibus vtebantur. His omnibus ergò inflatus Atheniensium populus, Spartanos se debellaturum, & sic acquisito totius Græciæ principatu, Siciliam quoque sibi vendicaturum confidebat. His igitur de caussis decreto Leontinis subsidio, centum in Siciliam naues, Lachete ac Chabria Ducibus mittunt. Hi Rhegium auecti centum naues, à Rheginis & Chalcidensibus coloni suis traditas, classi adiiciunt, & inde profecti Liparensium insulas excursatione vexant. Postea Locros petunt, & quinque nauibus Locrensium captis, quoddam illorum castellum obsident. Cumque Siculorum finitimi Mylæis auxilio venirent, conseritur pugna, in quâ superiores Athenienses mille hostium & amplius cædunt, nec pauciores sexcentis viros capiunt. Mox etiam castello per vim expugnato, potiuntur. Dum hæc geruntur, naues XL adueniunt, quas populus Atheniensis miserat, vt maiori bellum strenuitate gereretur. his præerant Eurymedon & Sophocles. Contractis igitur vnum in locum triremibus, classis haud contemnenda, vtpote CCL triremibus constans, instructa videbatur. Sed dum bellum diutius trahitur, Leontini per legatos cum Syracusanis rem componunt. Atheniensium proinde triremes domum renauigant. At Syracusani receptos in ciuitatem Leontinos, municipes suos fecerunt vniuersos, vrbe verò illorum pro castello deinceps vsi sunt. Et hic rerum in Siciliâ tum status erat.

LV. In Græciâ interim Lesbii ab Atheniensibus defecerunt. crimini enim illis dabant, quòd omnium in Lesbio vrbium commigratione decretâ Mitylenen illas transtulissent. Ob hanc etiam caussam missis ad Lacedæmonios legatis, initâque cum eis societate, vt maris imperium ad se pertrahant, consilium subiiciunt. Ad quod inceptum bello persequendum multas se illis triremes subministraturos pollicentur. Cupidis hæc auribus excipiunt Spartani, dúmque in apparandis triremibus occupati sunt, Athenienses conatus illorum anticipantes, completis XL nauibus, & Clinippide illis præfecto, sine morâ exercitum in Lesbum traiicere iubent. Ille sociorum auxiliis interim adscitis, versus Mytilenen vela facit. Commisso tunc prælio nauali Mitylenæi fusi victique

que obsidione cinguntur. Lacedæmonii quidem opem ferre Mitylenæis constituerant, & classem iam lectissimam adornârant. sed Athenienses aliis nauibus, cum mille armatorum manu in Lesbum transmissis præuenerunt. Dux huius expeditionis erat Paches Epicleri filius. Is Mitylenen delatus, assumpto priore exercitu, vrbem circumquaque arctiùs premit, & assiduo illam oppugnatu terrâ marique fatigat. Interim Lacedæmonii XLV triremes Prætore Alcidâ Mitylenæis subsidio mittunt: & Atticam cum sociorum auxiliis denuò inuadunt: adortique loca hactenus integra, cùm regionem hostili populatione fœdè deuastâssent, in sua remearunt. At Mitylenæi tàm fame quàm bello pressi, intestinis præterea dissidiis adflicti, certâ conditione vrbis deditionem faciunt. Tum Athenis à populo consultatio initur, quid Mitylenæis faciendum sit. Ibi Cleon Orator, homo crudelis & violentus, hac populum sententiâ concitat: Mitylenæos ad vnum omnes, qui pubertatis annos superassent, trucidandos, liberosque ipsorum & vxores venumdandos esse. Persuasi tandem Athenienses pro sententiâ Cleonis suffragia tulerunt, legatosque Mitylenen, qui decretum hoc ciuitatis præfecto nunciarent, misêre. Cúmque Paches iam plebiscitum legeret, aliud priori contrarium superuenit. Paches igitur cognitâ populi pœnitentiâ, non parum gauisus, Mitylenæos in concionem adductos, criminibus simul & maximis terroribus liberauit. Athenienses verò dirutis Mitylenes circumquaque mœnibus, Lesbum totam, exceptis Methymneorum agris sorte diuiserũt. Hunc igitur defectio Lesbiorum ab Atheniensibus exitum habuit.

VI. Per idem tempus Lacedæmonii Platæarum obsidione adhuc occupati, vrbem muro, castellisque cinxerant, & validis militum excubiis adseruabant. Sed obsidione longiùs extractâ, cùm nihil interim subsidii ab Atheniensibus veniret; cibariorum inopiâ obsessi premebantur; & magna ciuium pars inter crebras oppugnationes deperdita erat. Hæsitantibus igitur cunctis, ac de incolumitate suâ consilia capessentibus; multis quietem agere consultissimum videbatur. Aliis verò ducentis circiter placuit perruptis noctu vigiliis, Athenas fugam intendere. Illunem igitur noctem obseruantes aliis persuadent, vt murum hostilem alterâ ex parte oppugnent. ipsi interea præparatis ad hoc scalis, dum

hostes suis in diuersâ aggeris parte opitulantur; murum transcendunt, custodibusque interfectis, salui Athenas euadunt. Postridiè Lacedæmonii hoc obsessorum ex vrbe effugio grauiter commoti, mœnibus Platæensium copias admouent, & omne studium hûc conferunt, vt per vim obsessos quamprimùm subigant. Platæenses itaque ad tantam vim consternati, per legationem se & vrbem hostibus tradiderunt. Lacedæmoniorum autem Duces accersitum è Platæensibus vnumquemque interrogabant, quid vnquam boni Lacedæmoniis præstitisset? cùmque singuli ingenuè profiterentur, nullo Rempublicam Spartanam à se merito affectam: rursus percunctantur; Num quid mali ipsis intulisset? quod cùm nemo inficias iret, cunctis mortem adiudicant. quotquot igitur obsessorum reliqui manserant, necârunt, oppidoque exciso, agrum certo stipendio elocârunt. Ad hunc modum Platæenses dum Atheniensium societatem fide sanctissimâ tuentur, maximis circumuenti malis indignissimè perierunt. Interea dum hæc fiunt, ingens in Corcyrâ seditio & lis ciuilis exorta est, his de causis. In bello ad Epidamnum multi ex Corcyræis capti: dum in custodiâ publicâ detinentur, Corinthiis promittunt, se, modò vinculis exsoluti fuerint, Corcyram illis prodituros. gratus hic sermo ad animos Corinthiorum accidit. cùm igitur per hospites & procuratores suos pro multis talentis satisdedissent, dum precium redemptionis in se recipiunt; dimittuntur. Pactorum ergò fidei seruantes, quamprimùm in patriam rediêre, ductores populi, & in primis multitudinis patronos, in vincula coniectos iugulant, & popularem Reipublicæ statum euertunt. Sed non ita multò pòst, Atheniensium ope subleuatus Corcyrensis populus, libertatem recuperat, & meritas defectionis auctoribus pœnas intentat. hi suppliciorum metu, ad aras deorum confugiunt, & diis populoque supplices facti, culpam deprecantur. LVII.

LVIII. Præturam Athenis gerente Euthydemo, Romæ iterum Consulari potestate creati sunt Tribuni militares tres, Marcus Fabius, Marcus Foslius Flaccinator, & Lucius Sergius. Eo tempore Atheniensibus cùm vix dum aliquantisper a pestis grassatione respirâssent, idem morbus recruduit. Is tantopere illos adflixit, vt peditum vltra quatuor millia, equi-

tes CCCC, tum ex cætera multitudine & liberorum capitum, & seruitutem seruientium plusquàm decem millia amitterent. Iam, quia historiæ ratio huius etiam morbi tantoperè sæuientis causas exigit; explicandi eas necessitas hoc loco nobis incumbit. Cùm per hyemem magna vis imbrium decidisset, terra nimis humectata multis in locis, præsertim cauis, propter aquæ receptæ copiam, lacuum in modum stagnabat. Iacunis verò illis postea æstatis calore incalescentibus & putrefactis, crassæ hinc auræ, tetrique odoris nebulæ coalescebant, quibus sursum euaporantibus, vicinus circum aër corruptus fuit: quod circa pestiferas non rarò paludes accidere videtur. Luem præterea istam adiuuit nutrimenti vitium. Anno namque superiori humectæ nimiùm corruptæque naturæ, fruges prouenerunt. Accesserat etiam tertia mali causa, denegata Etesiarum perspiratio, quorum leni refrigeratione nimius aëris feruor perpetuò aliàs temperari solet. Intenso igitur supra modum calore, aëreque inflammato, corpora hominum, quòd refrigeratione solitâ carerent, vitium contrahebant. vnde morborum æstuantium omne genus, ob immodicam caloris vehementiam, exsistebat. Et hinc accidit, vt plerique morbo correpti restinguendi ardoris in corporibus suis desiderio, in puteos ac fontes se deiicerent. Athenienses sanè morbi tam atrociter grassantis causas in Numen retulerunt. Ideò, pro oraculi eiusdem admonitu, insulam Apollini sacram, (id est, Delum) quòd propter sepulta inibi defunctorum cadauera inquinata videretur, lustrârunt. Effossis igitur omnibus in Delo mortuorum conditoriis, vrnas in vicinam Delo insulam, quam Rhenæam appellitant, transtulêre: lege insuper sancitâ: ne, cui parere, neque sepelire in Delo fas esset. Deliorum etiam festum Panegyricum, iam longo tempore desitum, instaurârunt.

LVII

IX. Dum his religiosè procurandis Athenienses distinentur, Lacedæmonii accitis Peloponnesiorum auxiliis, ad Isthmum statiua habent, de inuadendâ rursus Atticâ rationes inter se tractantes. sed magnis interim obortis terræ motibus, metu Numinis deterriti, in suam quique patriam se receperunt. Tàm horrendæ verò tùm terræ concussiones passim in multis Græciæ partibus acciderunt, vt super

infusa maris vnda, multis per littora vrbibus vastissimam labem attulerit: & cùm Locridis antea tractus peninsula esset, perrupto violenter Isthmo insulam, quæ Atalantæ nomẽ gerit, effecerit. Interea dum hæc geruntur & accidunt, Lacedæmonii nouis Trachinem colonis instaurant, & mutato illam nomine Heracleam nuncupant. Causa autem hæc fuit: Trachinii cum Oeteis finitimis per multos annos bello disceptantes, maximam ciuium partem amiserant. Exhaustâ igitur iam & propè desolatâ ciuitate, precibus à Lacedæmoniis contendunt, vt quia coloni sui essent, curam frequentandæ vrbis susciperent. Illi quòd & gentiles essent; & Hercules progenitor ipsorum Trachinem priscis temporibus incoluisset; amplam ex eâ ciuitatem efficere statuerunt. ideò ex suæ ciuitatis & Peloponnesiorum cæterorum delectu, quatuor millibus conscriptis, ex reliqua etiam Græciâ, quicunque participes esse vellent, receptis, coloniam illuc miserunt. tota autem multitudo haud minor erat sex millibus. Trachinem denique ad eam prouexerunt amplitudinem, vt decem millia virorum caperet. tunc distributo per sortem agro, Heracleam ipsam denominârunt.

LX. Archonte pòst Athenis Stratocle, consulare rursus imperium commendatum est tribus militaribus Tribunis, Lucio Furio Medullino, Lucio Pinario Mamerco, & Sexto Postumo Albo. Quorum durante magistratu, ab Atheniensibus Demosthenes classis Prætor declaratus, cum nauibus XXX & delectis militum copiis, quibus Corcyræorum triremes XV, & auxiliares Cephalenum, Acarnanum & Messaniorum Naupactum incolentium adiunxerat, versus Leucadem contendit, agrosque Leucadiorum depopulatus, reflexo in Ætoliam cursu, multos eius pagos diripuit & euastauit; sed conuersis in eũ Ætolis, pugna conseritur, quâ superati Athenienses, Naupactum se recipiunt. Ætoli, recente victoriâ elati, tribus Lacedæmoniorum millibus adsumptis contra Naupactum arma mouent, quam tũc gens Messenia incolebat: sed repelluntur. Expeditione hinc in Molucriam factâ, vrbe potiuntur. Atheniensium igitur præfectus Demosthenes veritus, ne etiam Naupactum expugnarent, mille armatos ex Acarnaniâ accersitos, Naupactinis præsidio mittit. Ipse in Acarnaniâ versans, in mille Ambraciotas, castris locum deligentes incidit, quos prælio adortus omnes fermè

fermè deleuit. Cúmque tota Ambraciotarum ciuitas copias ſuas in eum expediſſet, maximam illorum multitudinẽ rurſus cædit: adeò vt tota propè vrbs exhauſta deſolaretur. Expugnandæ igitur Ambraciæ conſiliũ iniuit, facilè defenſoribus vacuâ ſe potiturum ſperans. Verùm Acarnanes veriti, ne Athenienſes, vrbe in poteſtatem illorum redactâ, grauiores Ambraciotis vicinos experiantur, ſequi Demoſthenem ampliùs recuſant. Seditione itaque excitatâ, cum Ambraciotis in gratiam redeunt Acarnanes, & pacem in annos centũ inter ſe faciunt. Demoſthenes igitur ab ſocietate Acarnanum deſertus, cum viginti nauibus Athenas remeauit. Tum Ambraciotæ calamitatem haud modicam experti, metu Athenienſium præſidium à Lacedæmoniis accerſunt. Demoſthenes autem educto ad Pylum exercitu, locum illorum in Peloponneſo muro circumdare inſtituit. valdè enim naturâ ſuâ munitus eſt; & à Meſſeniâ quadringentis ſtadiis abeſt. Quare cùm & naues multas, & numeroſas militum copias haberet, XX. dierum ſpacio Pylum communiuit. At Lacedæmonii auditâ Pyli munitione, non terreſtres tantùm, ſed etiam nauticas memorabili numero copias contraxerũt, cum XLV ergò triremibus præclarè inſtructis, & XII millibus terrâ militantium, contra Pylum tendunt. Turpe enim videbatur eos, qui Atticæ, fœdæ populationis damna experienti, non ſuccurrere auderent, nunc locum intra Peloponneſum occupare, muróque & propugnaculis obfirmare. Thraſymede ergo duce non procul à Pylo caſtra locant. Ingens autem cupido quoduis periculum ſubeundi, modò Pylum ſubigerent, multitudinem inceſſerat. Naues igitur obuerſis contra portus fauces proris ſtatuerunt, vt hac portus obſtructione omnem ingrediendi facultatem hoſtibus præriperent. Pedeſtri autem manu per vices murum adorti, contentione obſtinatiſſimâ certamina mirifica ſuſtinuerunt. In vicinam præterea inſulam, quæ Sphacteria indigetatur, in longum ita porrectam, vt tranquillitatem portui conciliet, viros fortiſſimos è Lacedæmoniorum ſociorumque delectu expoſuerunt; idque hoc conſilio, vt occupatione loci ad obſidionem commodiſſimi Athenienſes præuenirent. Tametſi verò continua per ſingulos dies oppugnatione ſe defatigarent, & crebris vulneribus, quippe ex eminentibus muri propugnaculis inceſſerentur; nihil tamen de conatus ſui vi

lentiâ remittebant. Hinc multos interire, nec paucos saucia-ri, dum vi locum munitissimum occupare nituntur, contigit: Athenienses verò, quòd locum naturâ firmum occupassent, telorumq; ac rerum cæterarum ad defensionem vtilium copiâ abundarent, strenuè hostem repellebant. Spes enim erat, si cœptum hoc absoluissent, fore, vt totam belli molem in Peloponnesum transferrent, ipsique agros hostium per partes deuastarent. Intereà dum summo in obsidione nixu res vtrinque geritur; omnemq; Spartani vim adhibent; cùm alii non pauci virtutis laudem sibi conciliant, tum summum gloriæ decus Brasidas est adeptus. Cùm enim cæteri classis præfecti triremes terræ appellere, ob difficultatem non auderent; ipse, Trierarchi partes gerens, magno vociferatu gubernatorem iubet, instigat, vrget, vt nihil nauigio parcens, quantâ vi possit triremem ad littus impellat. turpe enim fore Spartanis, si, cùm animas victoriæ impendāt, scaphis parcant, & per vim Athenienses Laconiâ potiri interim patiantur. Coactus ad extremum gubernator triremem terræ applicat, & Brasidas fixos in foris pedes habens, inde hostium in se concursantium agmen propulsat. Ac primò quidem aggressu multos necat: sed cùm multis deinde iaculis impeteretur, multos aduersò corpore ictus excipit: magnâque tādem sanguinis vi per vulnera erumpente, ipse exhaustus animo labascit, & prolapsante extra nauim brachio, clypeus à læua destitutus in mare decidit, eóque hostes potiuntur. Tū ipse inter aceruos hostium, quos sua manu confecerat, semianimis iacens à suis tandem naui exportatur. adeò cæteros virtute supergressus, vt cùm alii amissi clypei dedecus capite luerent, ipse summum ob hoc gloriæ decus retulerit. Nihilominus tamen Lacedæmonii assiduo Pylum conatu oppugnabant, & licèt magnam suorum iacturam facerent, in proposito tamen quamlibet infelici persistebāt. Heîc admirabilem fortunæ varietatem, & rei, quæ ad Pylum euenit, insolentiam, meritò quis obstupescat. Athenienses ab ipsâ Laconiâ Spartanos repellendo superiores erāt: Lacedæmonii suâ exclusi terrâ, mari cum hostibus conflictabantur: & terrestribus victoriis adsueti, in mari potentes fiebant: cōtrà, maris principatum consecuti, à terrâ hostes prohibebant.

LXI

Cæterùm obsidione longius productâ, cùm præualeſcēs Atheniensiū classis annonā terræ importari prohiberet, occlusi

LXII

occlusi in Insulà famis extremæ periculum incurrerunt. Lacedæmonii ergò de obsessis anxii, legatos de componendo bello Athenas mittunt. Populo verò non adsentiente: vt permutatio saltem fieret, & totidem captiuos suorum reciperent, petebant. Sed cùm nihil horum permitterent Athenienses, libero sermone inter ipsas Athenas Lacedæmonii protestati sunt, vel hoc confiteri Atheniensem populum, quod Spartanos se præstātiores æstiment, dū æquam captiuorum permutationem admittere nolint. Rerum itaq; necessariarū inopià debellatis in Sphacteriâ Lacedæmonios, in deditionem Athenienses receperunt. Fuére qui tum sese dederunt Spartani CXX, & sociorum CLXXX. Hi à Cleone tum classis Prætore vincti Athenas deportantur, eosque seruandos populus decreuit, si bellum soluere Lacedæmonii velint: sin paci bellum prætulerint; iugulandos esse vniuersos. Deinde Messeniorum, qui Naupactum incolebant, præstantissimos accersunt, & idoneâ his sociorum manu adiunctâ, Pylum vtrisque defendendum tradunt; Messenios, ob infixum erga Spartanos odium promtissimè Laconiam infestaturos rati: præsertim cùm ex validissimo castello eruptionem facerent.

LXIV. Et hoc tunc statu res ad Pylum erant. Artaxerxes verò Persarum Rex interim vitâ excessit, annis XL in regno completis, eique Xerxes in imperio ad vnum duntaxat annum successit. In Italiâ cùm Æqui Romanis rebellarent, Dictatorem ad hoc bellum crearunt Aulum Postumium, & Magistrum equitum Lucium Iulium, qui selectissimis copiis in hostium terras progressi, initio in agros & villas grassantur. Mox cùm Æqui instructâ acie se obiicerent, prælio victoriam obtinent Romani. Ingens tum hostium cædes edita, nec pauci manus victorum captiui subierunt: spoliorum etiam magna vis relata. Post conflictum statim Æqui clade illâ fracti Romanæ se fidei submiserunt. Postumius verò bellum hoc præclarè administrasse existimatus, ex more triumphum egit. Rarum quippiam & minimè credendum à Postumio perpetratum esse fabulantur. filium scilicet eius ardore quodam in pugnâ extra stationem à patre assignatam prosiluisse: illum verò patrii moris obseruantissimum, capitali filium, vt ordinis desertorem, supplicio multasse.

LXV. Exacto isto anno, Isarchus Athenis summi Prætoris mu-

nus gerebat,& Romæ Consules Rempublicam capesserant Titus Quintius & Caius Iulius:cùm LXXXIX Olympias apud Eleos celebraretur, quâ Symmachus iterum stadio vicit. Tum Athenienses classi præficiunt Niciã Nicerati filiũ, traditisq; LX triremibus,& tribus millibus armatorũ militũ. Lacedæmoniorum socios armis infestare iubent. Hic statim Melum insulam adortus,agros vastat, & vrbem per dies aliquot non paucos obsidet. Sola enim ex Cycladibus hæc in societate ac fide Lacedæm.firma perstabat, quòd inde cultores accepisset. Cùm igitur strenuè se defenderent, Nicias expugnandi facultatem sibi deesse intelligens,ad Oropũ Bœotiæ traiecit,& relictis ibi nauibus in Tanagræorum territorium copias promouit,vbi nouas Atheniensium copias assequitur, quibus Hipponicus Calliæ filius præerat. Vtroque igitur agmine cõiuncto depopulatum agros pergunt. Cúmq; ad defensionem suorum Thebani procurrerent, pugnâ cum illis commissâ Athenienses vincunt, nec exiguam profligatorum cædẽ faciunt. Pugnâ confectâ,suum Hipponicus exercitũ Athenas reduxit. Sed Nicias ad naues regressus,dum Locridis oras præterlegẽs,maritima loca vastat XL triremes à sociis accipit:quæ ad priores adiunctæ centum nauigiorum classem constituebant. Magno etiam militum delectu habito,insignem exercitum collegit; cum quo Corinthum petit: vbi cùm expositis militibus, suas Corinthii copias obiecissent, Atheniẽses bis hostẽ fundunt,multisq; interfectis Tropæum erigunt. Desiderati sunt eo prælio Atheniensiũ octo, Corinthiorũ CCC & plures. Nicias inde versus Crommyonem nauigans,& agros populatur, & castellum ipsum capit. Mox retrò motis copiis,& cõmunito Methones castello,validũ præsidiũ,defensionis causâ,imponit,& totam in propinquo regionẽ diripit:ac tandẽ euastatis tractibus maritimis, Athenas reuertitur. Nec longum in medio tempus,cùm populus LX naues & CIↃ CIↃ armatorum cõtra Cythera mittit,Niciâ cum quibusdam aliis imperium gerente. Is transuectis in Insulã copiis vrbem non diu oppugnatã deditione in potestatẽ accepit,& relicto ad custodiã Insulæ præsidio; in Peloponnesum traiicit & agros maritimos populationi infestos reddit. Thyreas etiã in confiniis Laconiæ & Argolicæ sitas ab expugnatione diruit, hominesq; seruituti mancipauit. Æginetas autẽ illic habitantes & Tantalum castelli præfectum

fectum Spartanum,captiuos Athenas mittit,quos cum aliis captiuis in vinculis Athenienses detinuerunt.

XVI. Dum hæc geruntur, Megarenses belli, quod & cũ Atheniensibus & cũ exsulibus gerendum erat,mole fatiscebant, cumq; legati inter ciues vltrò citroq; missitarentur,nonnulli ciues exsulibus infensi,Atheniensium ducibus vrbem se prodituros, pollicentur. Hippocrates ergò & Demosthenes Atheniensiũ imperatores proditionẽ cum Megarẽsibus pacti,sexcentos noctu milites ad vrbem mittunt,quos proditores intra mœnia recipiunt. Detectâ autẽ fraude,in duas plebs factiones scinditur.nam aliis Atheniensiũ societatem amplexari,aliis Lacedæmoniorum partes tueri placet. Interim suâ spõte quidã Præconis vicem subiens proclamat, vt arma cũ Atheniensibus & Megarensibus quicunq; velit,coniungat. Desertis igitur à Megarẽsibus hoc modo Lacedæmoniis,præsidiũ quod pro longis mœnibus excubabat , relictâ statione in Nisæã quam vocant (Megarensium hoc nauale est)confugit. Sed fossâ Athenienses circũductâ,castellum obsident. Nec multò pòst,accersitis ex vrbe fabris,muro Nisæã includunt. Veriti ergò Peloponnesii , ne per vim expugnati trucidarentur, certâ Nisæâ conditione Atheniensibus dedidêre. Et in hoc tũ statu res Megarensiũ erant.

XVII. Brasidas autem exercitu non modico è Sparta & cæteris Peloponnesi locis cõtracto, versus Megara contendit,& Athenienses tàm subito aduentu perterrefactos statim è Nisæâ exturbat,vrbemq; libertati redditã ad pristinam Lacedæmoniorum societatem reducit. Tum itinere per Thessaliã facto,Dium Macedoniæ peruenit. Inde Acanthum vsq; progressus, Chalcidensibus opem tulit,primamq; Acanthiorũ vrbem partim minarũ terrore, partim verborũ blandimentis,vt à fide Atheniensiũ desciscеret,adegit. Postea multos etiã alios Thraciæ populos ad iũgendã cũ Lacedæmoniis belli societatẽ induxit. Hinc Brasidas maiore bellũ conatu persequi cupiens,milites Lacedæmone euocat.firmiorẽ enim exercitũ cõtrahere properabat. Spartani ergò,quibus iampridẽ Hilorum optimos quosque delere cõstitutum erat, mille ex eis animorũ celsitudine præsignes,illi mittunt,plerosque inter tot conflictus occisum iri sperantes. Sed & aliud quoddã violentiæ & crudelitatis plenum facinus ab illis perpetratũ fuit,quo Hilotarum gentem extremè se profligaturos censebãt. Præconis voce edixerunt,

vt quicunque Hilotum aliquo Spartam bono demeruissent, nomina profiterentur. hos enim recensos libertate se donaturos promittebant. Cùm itaque ad CIↃ CIↃ in album relati essent, potentissimis inde intra priuatos cuique lares obtruncandi illos negotium datum est. Ingens enim metus illos ceperat; ne quando occasione arreptâ cum hostibus se coniungerent, & magnum Spartæ periculum crearent. Porrò cum CIↃ isti Hilotes, nouique è sociis delectus, Brasidæ accessissent, egregiū ille robur exercitus conflatum habebat.

LXV. Hoc igitur militum numero ac robore fretus, Amphipoli copias admouit. Hanc vrbē Aristagoras quondā Milesius colonis frequentare adorsus fuerat, cùm Darium Persarum regem fugeret. Sed illo exstincto, habitatores à gente Thracum, cui Edonorum nomen est, eiecti sunt. Post XXXII exinde annos Athenienses coloniā decem millium hominum illuc miserunt. Sed his etiā Thracū Marte deletis, circa Drabescum, interiecto biēnio, vrbem recuperarunt, Apione coloniæ ductore. Vrbem igitur crebrò armis tentatam, Brasidas in potestatem redigere tū properabat. Ideò validissimo illum exercitu petēs castra ad pontē (vrbi vicinū) collocat: & suburbio statim potitur. Postridie Amphipolitanis in summam trepidationem adductis, vrbem etiam ipsam his pactis in deditionem accipit, vt quicunq; vellet liberam exeundi cū rebus suis potestatem haberet. Mox plærasque etiam finitimorum vrbes subegit, inter quas præcipui nominis erant Sime & Galepsus, vtraque colonia Thasiorum, & Myrcinon, Edonorum oppidulum. Nouis etiam triremibus animum condendis adiecit iuxta Strymonem fluuium, & noua militum supplementa à Lacedæmone, cæterisque confœderatis acciuit. Multas præterea armaturas conficiendas curauit: quibus iuuentutem inermem instruxit, telorumque ac frumenti, nec non aliorum apparatu sibi prospexit. Omnibus tandem rectè procuratis, exercitum Amphipoli eduxit, & in locum cui Acte nomen, profectus, statiua habuit. Oppida hîc quinque erant, partim Græci nominis Andriorum coloniis frequentata, partim à promiscuâ Barbarorum turbâ, quos Bilingues Bissaltæ propagauerant, inhabitata. His sub iugum redactis, Toronem adortus est, à Chalcidensibus quidem conditam, sed Atheniensium iurisdictioni tunc subiectam. Vbi proditione quorundam factum est, vt noctu intromissus

tromissus

tromissus citra periculum Torone potiretur. Et expeditio Brasidæ eo quidem anno huc vsque prouecta est.

LXIX. Dum hæc ita peraguntur, ad Delium in Bœotia, Athenienses cum Bœotis collatis signis dimicârunt, ob has equidem causas. Nonnullis in Bœotiâ præsentis Reipublicæ status displicere cœperat. quòd populare igitur regimen in oppidis constituere percuperẽt; consilia sua Prætoribus Atheniensium Hippocrati & Demostheni exponunt, seque vrbes Bœotiæ ipsis tradituros, pollicentur. Non ingrata fuit hæc tàm commoda ducibus occasio. Vt igitur meliùs res institutæ administrarentur; diuisis inter se copiis, Demosthenes cũ maximâ exercitus parte in Bœotiam impressionem facit. sed cùm aduersus proditionis fabricas prudenter instructos ac præmunitos offenderet Bœotos, re infectâ discedit. Hippocrates interim cũ suâ Deliũ manu inuadens, locũ occupat, & præuerso Bœotorum aduentu, castellũ mœnibus firmat. Oropiæ illud adiacet, & terminos Bœotiæ, qua ad mõtes extollitur, attingit. At verò Pantœadas imperatoriâ tũ potestate fungẽs, cõuocato ex omnibus Bœotiæ vrbibus delectu, cũ numerosis ad Deliũ copiis accelerat. nã pedites haud multò pauciores viginti millibꝰ, & ad mille equitũ habebat. Athenienses contrà numero hostes superabant; sed dispar illis armatura erat. Cùm enim raptim & subito excursu ex vrbe suâ prouolassent, multis arma necessariusq; apparatus deerant.

LXX. Vtrisque igitur magno animorum feruore ad dimicandum procinctis, acies hoc modo instructę fuêre. Apud Bœotos dextrum obtinebant cornu Thebani, sinistrum Orchomenii, medium verò agmen stipabant Bœoti. In primâ acie fronte propugnatores erant, quos ipsi Heniochos & Parębates (hoc est, *aurigas & præliatores curules*) indigetant, viri omniũ lectissimi, numero CCC. Interim Athenienses adhuc in ordinãdâ acie occupati, manus cũ hoste conserere coguntur. Prælio itaq; summis viribus commisso, principio Atheniensium equites pręclarè dimicantes, obiectum sibi equitatum in fugam compellunt. Hinc peditum certamine inito, Atheniensiũ acies Thebanis aduersa, violẽto hostiũ impetu perruptâ funditur. At cæteri, quicquid præterea Bœotorum erat, in fugã agunt; & cum prolixâ strage ad sat longũ interuallum persequuntur. Sed Thebani robore corporum præstantes, ab insecutione hostium se recipiunt, & Athenienses

tergis suorum inhærentes adorti fundunt & huc illuc dissipant. Insigni ergò prælio victores magnā virtutis laudē retulerunt. Atheniensium verò alii ad Oropum, alii ad Deliū cōfugiendo saluti cōsuluerunt. Nonnulli contento ad mare cursū in naues se receperunt. alii aliò, vtcunq; sors locū obtulit, diffugerunt; donec nox insectationem hostium interrupit. Ceciderunt eo cōflictu Bœotorum nō plures quingēti. Atheniensiū numerus longè maior. Ac nisi nox cædē interpellasset, de maximâ Atheniensium parte actū fuisset. Illa enim, intercepto persequentiū impetu, salutē fugientibus prebuit. Tanta nihilominus cæsorū multitudo fuit, vt ex manubiarū precio magnā in foro stoam exstruerēt, æneisq; statuis exornarent. Templa etiā & porticus forēses, armis spoliatorum hostium adfixis, vndiq; velut ære obducerēt. Deliorum insuper ludos, opibus hoc bello partis agendos instituerunt.

Post huius pugnæ successum, Bœoti magnâ vi Delium adorti expugnârunt. E cuius præsidio maior pars strenuè propugnando occubuit: ducenti solùm capti. Reliqui ad naues elapsi, cum cæterâ multitudine in Atticā transmiserunt. In hanc ita calamitatem inciderunt Athenienses dum per insidias Bœotorum opes capessunt.

LXX. In Asiâ tum rex Persarum Xerxes, expleto vno imperii anno (vel, vt alii tradunt, vno atque altero tantùm mense) rebus humanis exemptus est. cui Sogdianus per menses VII successit. quo interfecto Darius regnum ad XIX annos tenuit. Cum hoc anno nobilis Sicilicarum rerum scriptor Antiochus Syracusanus historiæ suæ finem imponit, quā libris IX, à Cocalo inde Rege deduxit.

LXXI. Cùm summū Athenis magistratum gereret Amyntas, Romæ cōsulatum adierunt Caius Papyrius & Lucius Iuli⁹. Eâ tēpestate Scionæi cōtemto, Delianā ob cladē, Atheniensiū imperio, ad Lacedæmonios desciscunt, vrbemq; Braside, summo cū imperio bellū in Thraciâ tum administrāti, fidei cōmittunt. Ex Lesbo etiā, qui post captā ab Atheniēsib⁹ Mitylenen, profugi (quorū certè nō exiguus erat numerus) seruitutis iugum euaserant, reditū iampridē in patriā moliti, adunatis tū viribus Antandrum occupant, vnde per occasionē eruptione factâ præsidiū Atheniensium Mitylenæ impositū armis impetebāt. Quâ insultatione ad irā prouocat⁹ Atheniensis populus, Aristidē & Symmachū duces exercitū in eos

ducere

ducere iubet, q traiectis in Lesbū copiis post oppugnationes
aliquot Antandrum capiunt, & parte exsulum necatâ, reli-
quos vrbe expellunt, præsidioque illis ad tutandum locum
relicto, ex Lesbo discedunt. Postea Lamachus decem trire-
mium præfectus cum classe Pontum init, & statione ad He-
racleam delectâ, circa Cachetam flumen omnium nauium
iacturam fecit. Cùm enim magna vis imbrium effusa esset,
& amnis violento aquarum impetu se præcipitaret, naues ad
confragosa littorum vada illisæ pessum ierunt. Tum Athe-
nienses vnius anni inducias cum Lacedæmoniis his condi-
tionibus fecerunt, vt qui vtrique ditione tunc complexi es-
sent, retinerent: habitisque vltrò citróque colloquiis, vt so-
luto tandem bello, à funestis inter se certaminibus in perpe-
tuum quiescerent, consultum iudicârunt. Lacedæmonios e-
quidem recipiendi illos, qui in Sphacteriâ capti fuerant, cu-
piditas impellebat. Induciæ sanè ad hunc modum sancie-
bantur. cúmque in cæteris per omnia inter se conuenirent:
de Scione tamen vtrinque disceptatum est. Et quia lis in-
grauescebat, factum est, vt fœdere soluto de Scione armis
inter se decernerent. Per id tempus etiam Menda ad Lace-
dæmonios defecit, & contentioni de Scione ingens pondus
adiecit. Brasidas ergò liberis & coniugibus & vtilissima su-
pellectili ex Menda & Scione aliò transportatis, validis vrbes
præsidiis firmat. Sed Athenienses indignitate rei grauiter
commoti, publico decreto statuunt, se, quicquid Scionæo-
rum pubertatis initiâ superâsset, vrbe captâ internecioni da-
turos. Quinquaginta igitur nauium classem contra eos mit-
tunt, quam Nicias & Nicostratus Prætores ductitabant. Hi
Mendam priùs adorti, proditione quorūdam capiunt. Scio-
nem deinde circumuallant, & obsidionem vrgentes, conti-
nuâ oppugnatione irrumpere tentabant. At præsidiarii
Sciones milites, cùm & numero valerent, & telorum frumē-
tique, & aliarum rerum apparatu âffatim iustructi essent, A-
theniensibus facilè resistebant, & ex eminentiori depugnan-
tes loco, multos hostium sauciabant.

LXXIII.

Post hoc cùm Archon Athenis Alcæus, Coss. Romæ
Opiter Lucretius, & Lucius Sergius Fidenas essent, Atheni-
enses Delios in crimen vocatos, quod clanculariam cum
Lacedæmoniis societatem iniissent, Insulæ possessione de-
iecerunt, vrbemque sibi vendicârunt. Deliis autem patrio

solo expulsis, Pharnaces Adramyttium incolendam dedit. Tum Athenienses Cleonem (Tribunus is plebis erat) Prætorem creant, & validâ peditum manu traditâ, in oras Thraciæ proficisci iubent. Is ad Scionem appulsus, parte militum ab his, qui vrbem circumsederant, acceptâ, nauibus ad Toronen defertur. Per indicia enim cognouerat Brasidâ ex locis illis digresso, relictos ibi milites dimicando secum non esse. Castris igitur quàm proximè vrbem positis, terrâ marique oppugnationi instans, vi vrbem capit, puerisque ac fœminis seruituti addictis, præsidiarios milites in vincula coniectos, Athenas mittit. & modico ad vrbis defensionẽ præsidio relicto, cum eductis inde copiis ad Strymonẽ Thraciæ flumen processit, & castris Scioni vrbi, quæ XXX tantùm stadiis Amphipoli distat, admotis, magno eam conatu oppugnat. Hinc explorato, Brasidam cum exercitu ad Amphipolin hærere, expedito in eum agmine contendit. qui de hostium aduentu certior factus, bene compositâ acie Atheniensibus obuiam procedit. mox acre prælium committitur. Et dum strenuè vtrinque ordines decertant, initæ neutram in partem momenta pugnæ inclinare. At cùm suâ Imperatores virtute decerni victoriam annituntur, multi præclari viri cadere, eò quòd duces inuictam animorum cõtentionem secum circumferentes, in medium pugnæ feruorem eos secum raperent. Tandem Brasidas fortissimè pugnans inter magnas hostium à se trucidatorum strages, heroico vitam exitu terminauit. Cleon etiam in mediâ dimicantium turbâ cœcus occubuit. Tum consternatæ vtrinque acies ob amissos duces titubare: Lacedæmonii tamen ad extremum victores tropæum statuerunt. Athenienses verò receptis per inducias cadaueribus, terræque mandatis, domum renauigârunt. Ex hoc conflictu cùm quidam Lacedæmonem reuersi, victoriam simul & interitum Brasidæ nunciâssent, matrem eius, audito pugnæ euentu, percunctatam ferunt, qualem in acie se præbuisset? datoque responso, quòd omnium Lacedæmoniorum præstantissimus fuerit, matrem defuncti hoc regessisse: Filium suum Brasidam bonum quidem virum exstitisse, multis tamen aliis Spartanorum virtute inferiorem. Diuulgatis inde per vrbem hisce verbis, Ephori publicis matronam honoribus exornârunt, quòd patriæ laudem nati sui gloriæ præferen-

LXXIV.

dam.

dam sensisset. Post illam, quam memorauimus, pugnam, commodum Atheniensibus visum est, vt inducias quinquaginta annorum cum Lacedæmoniis sancirent, in has vtique conditiones: VT CAPTIVI VTRINQVE LIBERI DIMITTERENTVR: VTQVE VRBES BELLO OCCVPATÆ RESTITVERENTVR. Peloponnesiacum ergò bellum, quod ad hæc vsque tempora in annos decem fuerat protractum, illo modo paratur.

LXXV. Archonte hinc Athenis Aristone, cùm Romani consulare imperium tradidissent Tito Quinctio, & Aulo Cornelio Cosso, vix dum Peloponnesiaco bello aliquantulum sedato, noui denuò tumultus, bellorumque motus huiusmodi ob causas exorti sunt. Athenienses & Spartani communi quidem sociorum consensu induciarum fœdus inter se inierant: sed exclusis interim ciuitatibus, vtrique parti addictis, priuatā inter se belli societatem pacti erant. quo facto, suspicionem mouerunt, quasi ad seruitutem Græcis aliis imponendam priuata ista armorum coniunctio spectaret. Idcircò maximæ in Græciā ciuitates, per legationes vicissim missitatas, de concordiā & societate contra Athenienses & Lacedæmonios inter se iungendā colloqui & tractare cœperunt. Principes eius rei erant potentissimæ Græciæ vrbes quatuor, Argos, Thebæ, Corinthus, Elis. Nec absque ratione profectò ciuitates illæ duæ de cōspiratione aduersus Græciam suspectæ habebantur: propterea quòd in communi fœderis tabulā adscriptum esset, ATHENIENSIBVS ET LACEDÆMONIIS IVS AC POTESTATEM ESSE, QVODCVNQVE VTRIQVE POPVLO VISVM FORET, ADIICERE VEL DETRAHERE ANTEA SANCITIS. Præter hæc Athenienses publico decreto, Decemuiros crearant, quibus integra in commoda Reipublicæ consulendi potestas esset Idipsum, cùm & Lacedæmonii fecissent, in propatulo iam erat, quorsum inexplebilis vtriusque ciuitatis cupido tenderet. Complures igitur vrbes ad communem libertatem tutandam erectæ; quòd Atheniensiū potentia, ob acceptam ad Delion cladem contemni; & Lacedæmoniorum gloria, propter captos in Sphacteria viros

nobilissimi deminui cœpisset; conspiratione initâ inter se, summum belli imperium Argiuorum ciuitati deferunt. Magnam enim huic vrbi maiestatem & prærogatiuam antiqua præclaræ virtutis gesta conciliant. nam vsque ad Heraclidarum in Peloponnesum immigrationem, maximi quique reges ex Argiuorum gente prodierunt. adde, quòd longo tempore pace fruens, è vectigalibus magnas sibi opes collegerat, nec pecuniis tantùm, sed etiam viris pollebat. Argiui ergò sibi omnium rerum summam permissam esse rati, ex ciuium delectu mille iuuenes, corporum robore & opibus valentes segregant, quibus vacatione à publicis muneribus concessâ, & alimentis ex ærario publico subministratis, vt assidua se curâ, irremissóque labore exerceant, iniungunt. Hos impensa liberalis, studiumque perpetuum breui exercitatissimos bellatores effecit.

LXXVI. At cùm Lacedæmonii totam in se Peloponnesum conspirasse viderent, belli iam gliscentis mole perspectâ, imperii sui maiestatem, quibus tum licebat viribus, muniunt. Ante omnia igitur mille Hilotibus, qui sub Brasidæ imperio in Thraciâ militauerant, libertatem donârunt. postea ciues in Sphacteriâ sub iugum missos, quos ob ignominiæ notam patriæ inustam, omni honore exuerant, in pristinam dignitatem restituerunt. his accessit, quòd laudum, honorumque præmiis, ob rem bello fortiter gestã, suos excitabant, vt pristinæ virtutis facinora in sequentibus deinceps certaminum periculis supergredi studerent. quid? quòd maiorem sociis benignitatem exhibere, ac humanitate conciliare alienatos ab ipsis non neglexerunt. Athenienses verò contrariam inibant rationem. cùm enim terrore frangendos illorum animos esse censerent, quos defectionis suspectos haberent, vltionem de Scionæis sumptam illustre seueritatis exemplum omnibus proposuerunt. Expugnatâ enim vrbe, quicunque pubertatem attigissent, ad vnum omnes iugulârunt. Imbellem verò puerorum & mulierum turbam in seruitutem abduxerunt. Insula Platæensibus, qui propter illos patriâ expulsi vagabantur, ad inhabitandum concessa. Per idem tempus in Italiâ Campani magno aduersus Cumam exercitu ducto, oppidanos prælio fundunt, & maximam eorum, quos acies obtulerat, partem concîdunt. Hinc ad obsidionem conuersi, post crebras tandem oppugnationes, vi vrbem

ceperunt,

ceperunt, eâque direptâ, & incolis, quotquot inibi deprehenderant, seruituti addictis, ex suæ ciuitatis corpore, quantum satis esset colonorum, in illam transcripserunt.

LXVI. Senatus inde princeps Athenis erat Aristophilus, & Romæ consules Lucius Quinctius, & Aulus Sempronius; cùm Elei nonagesimam Olympiadem agitarunt: in quâ stadii coronâ insignitus fuit Hyperbius Syracusanus. Et Athenienses oraculi cuiusdam iussu Deliis insulam restituerant. Ergò qui Adramytium incoluerant hactenus, pristinæ patriæ sedes repetierunt. Cúmque Athenienses Pylum Lacedæmoniis non redderent, rursus ciuitates inter se dissidere, belliqne consilia tractare cœperunt. Quo populus Argiuorum audito, ad ineundum amicitiæ secum fœdus Athenienses inducunt. Crescente igitur simultate ac discordiâ, Corinthiis Lacedæmonii persuadent, vt relictâ confœderatarum ciuitatum societate, secum deinceps arma coniungant. In hoc equidem statu, rebus sine certo duce tumultuariè huc illuc fluctuantibus, Peloponnesus erat. In locis verò extra Peloponnesum iacentibus, Ænianes, Dolopes & Melienses, per conspirationẽ quandam magnis Heracleam in Trachiniâ copiis inuadunt. quos, cùm instructâ Heracliensès acie exciperent, prælio fortiter commisso, succumbunt, & magnâ militum parte amissâ, per fugam intra mœnia elapsi, præsidium à Bœotis accersunt. Mille igitur grauis armaturæ delecti mittuntur: qua manu ingruentem hostium vim repulerunt. Interea dum hæc peraguntur, Olynthii expeditione in Micybernam vrbem factâ, Athenienssum præsidio hactenus defensam, præsidio inde expulso, vrbem suæ iurisdictionis faciunt.

LXXVIII. Archon tum Athenis erat Archias, & Romæ Consules Lucius Papyrius Mugillanus, & Caius Seruilius Structus, cùm Argiui Lacedæmoniis, propter sacra ex more Apollini tum peracta, accusatis, bellum indixerunt. Quo tempore Alcibiades imperator Atheniensium cum exercitu suo in Argiuam regionem traiecit. Hoc confirmati Argiui Trœzenem Spartanis confœderatam inuadunt, direptisque agris, & incensis villis, demum regrediuntur. Lacedæmonii verò iniurias Trœzeniis præter ius & æquum illatas, indignè ferentes, bellum in Argiuos decernunt. Conscriptis ergò copiis Agin imperatorem præficiunt, Spartæ regem. hic

infesto Argiuos exercitu petens, agros hostili immanitate vastat, & ipsi tandem vrbi imminens, hostes ad pugnam lacessit. Argiui igitur adiunctis Eleorum ter mille, & Mantinæorum haud multò paucioribus, copias ex vrbe educunt. Et iam propè erat, vt explicita vtrinque acie in prælium ruerent: cùm Imperatores missis vtrinque legatis inducias quatuor mensium pepigerunt. Regressis ita re infecta copiis, ambæ ciuitates induciarum auctoribus irascebantur, vsque adeò, vt Argiui lapidibus impetitos duces necare instituerent, nisi multarum precum intercessione vita illis donata, bona tantùm in publicum redacta, domusque erutæ fuissent. Lacedæmonii etiam Agidi supplicium capitis intendebant. Sed cùm honestis se factis peccati huius maculã eluiturum sponderet, vix tum veniam impetrauit. In reliquum tamen indè tempus, decem probatæ sapientiæ consiliarios ei adiunxerunt, quibus (seuerè) imperatum, ne quid absque horum sententiâ deinceps ageret.

LXXIX. Post hæc cùm Athenienses mille classiarios apprimè delectos, & CC equites, ductu Lachetis & Nicostrati, (quibus Alcibiades, nihil tunc muneris gerens; propter Mantineorum, Eleorumque amicitiam sese adsociarat) expediissent: in communi omnium Argiuorum concilio decretum est, vt iussis valere induciis, omni in bellum contentione incumberent. ideò suos ducum quisque ad certamen accendit: quibus non impigrè obsequentibus, extra mœnia castris locum capessunt. Ibi consultissimum ipsis visum, versus Orchomenum Arcadiæ initium expeditionis facere. Promotis ergò in Arcadiam castris, circumsessæ vrbis illius mœnia quotidiano oppugnationis insultu fatigant. Et oppido in potestatem redacto, Tegeam castra transferunt, etiam illam oppugnare certi. Ibi cùm Tegeatæ Lacedæmoniorum opem quàm maturrimam implorassent, Lacedæmonii vniuersis tum ciuium, tum sociorum auxiliis in vnum contractis, Mantineam petunt, hac oppugnata, facilè Tegeæ obsessionem in suspenso futuram rati. At Mantineates sociorum auxiliis confirmati, omni ciuium iuuentute eductâ, ad resistendum Lacedæmoniis aciem expediunt. Consertâ igitur pugnâ, delecta Argiuorum iuuentus, quæ mille viris, in re militari egregiè exercitatis, constabat, primi hostem terga dare cogunt, & fugientes insecuti magnam stragem edunt.

At La-

At Lacedæmonii hostibus aliâ parte in fugam disiectis, à prolixâ illorum cæde reuersi illos adoriuntur: & multitudine circumfusâ, in medium conclusos ad vnum omnes se necaturos sperant. Cúmque egregii illi viri, licèt numero longè inferiores, virtute tamen hostibus præcellerent, Rex Lacedæmoniorum in prima fronte dimicans, omnes pugnæ difficultates fortiter excepit & euicit, cunctosque occidione occidisset, (Nam promissa ciuibus exsoluere, & magnifico quodam facinore prioris notam ignominiæ abolere festinabat) nisi conatus eius inhibitus fuisset. Pharax enim Spartanus, ex consiliariis vnus, vir summæ in vrbe Lacedæmone auctoritatis, suos Arcadibus exitum dare iussit: ne cum desperatæ salutis hominibus decernendo, quid virtus ad extremas angustias redacta posset, experimentum caperent. Eo coactus iussu, prout censuerat Pharax, hostibus perrumpendi viam patefecit. Mille igitur illi hoc modo dimissi incolumes abière: & Lacedæmonii insigni prælio victores, exacto tropæo domum redierunt.

XXX Exacto illo anno, rerum summæ Athenis Prætor Antipho, & Romæ pro Consulibus quatuor tribuni milites, Caius Furius, Titus Quinctius, Marcus Postumius, & Aulus Cornelius, imperium gerebant. Tum Argiui & Lacedæmonii missis vltrò citróque legatis de pace ac societate inter se colendâ, conuenerunt. idcircò Mantinenses, Argiuorum præsidio destituti imperium Lacedęmoniorum subire coacti sunt. Circa idipsum tempus in vrbe Argiuorum, CIↃ (quos diximus) ciues delecti, conspiratione inter se factâ de euertendo populari statu, & optimatum imperio ex se constituendo, rationes inierunt. cuius incepti cum multos haberent fautores atque socios, quòd cùm opibus tum virtute alios ciues antecederent, tribunos plebis (populi ductores) statim comprehensos necant, cæterisque metu perculsis, leges pristinas abrogarunt, & pro suo Rempublicam arbitrio tractare cœperunt. quam cùm per menses octo sic occupatam tenuissent, à concitato in eos populo deiecti sunt, iisque deletis, Democratiam populus recuperauit. Alius insuper motus in Græcia excitatus est. nam ortâ inter Phocenses & Locros controuersiâ, suis ipsi armis rem disceptauère. Phocenses enim prælio victores de Locris plus mille trucidârunt. Interim Athenienses ductore Niciâ duas vrbes Cythera & Nisæam occuparunt. Meloque expugnato,

omnes pueritiæ limitem egressos iugulârunt. teneram verò ætatem, sexumque fœmineum in seruitutem tradiderunt. Græcorum ergò status ita se tum habebat. In Italiâ verò Fidenates Romanorum legatos ad se profectos, leui de causâ necârunt. quam iniuriam, Romanorum populus vehementer commotus, bello vindicare decreuit. Dictatorem ergò dicunt Manium Æmilium, eique pro more Magistrum equitum Aulum Cornelium adiungunt. Is rebus omnibus ad bellum comparatis, Fidenates infesto exercitu petit. Quibus obuiam egressis, acerrimo prælio ad tempus bene longum disceptatur, & multis vtrinque fortiter oppetentibus, æquo tandem Marte discessum est.

Iam Athenis magistratuum Princeps erat Euphemus: & Romæ iterum consulari potestate fungebantur Tribuni militares Lucius Furius, Lucius Quinctiꝰ & Aulus Sempronius: cùm Lacedæmonii sociorum auxiliis instructi, expeditione in Argolidem factâ, oppidulum, quod Agias vocant, ceperunt, incolisque obtruncatis, castellum destruxerunt. Tum audito longum Argiuos murum vsque ad mare prouexisse, illum ipsum aggressi diruunt, & hinc domum se receperunt. Athenienses verò Imperatorem creant Alcibiadem, & traditis x x nauibus mandant, vt Argiuis in Republicâ instaurandâ operam nauet. nam adhuc turbulentus eius status erat, quod magna illorum multitudo supererat, qui Aristocratiam præferebant. Alcibiades igitur quamprimùm Argos peruenit, coacto Senatu illorum, quibus popularis Reipublicæ forma magis placebat, delectum illorum agit, qui maximè Lacedæmoniorum partes sequi videbātur. eosque ex vrbe relegat. & Democratiâ probè stabilitâ, Athenas retrogressus est. Sub exitum verò anni, Lacedæmonii magnis cum copiis Argolidem inuadunt, & regionem multis in locis depopulati, exsules Argiuorum Orneas in coloniam deducunt, & locum hunc in Argolide situm circommuniunt. ac præsidio satis valido illic relicto, mandant, vt terras Argiuorum excursionibus infestas reddant. Lacedæmonii inde digressis Atheniensibus triremes x L, & M C C milites armis instructos in subsidium mittunt. Cum his Argiui expeditione contra Orneas institutâ, vi oppidum capiunt, & præsidiarios cū exsulibus partim trucidāt, partim inde expellūt. Et hæc x v belli Peloponesiaci anno gesta sunt.

LXX. XI.

Decimo

X- I. Decimo hinc sexto, cùm Athenis Reipublicæ princeps esset Aristomnestes, & Romæ loco Consulum Tribuni militares Titus Claudius, Spurius Nautius, & Lucius Sergius, & Sextus Iulius magistratum gererent, apud Eleos Olympias XCI celebratur, quâ stadii victoriam obtinuit Exænetus Acragantinus. Tum Byzantini & Chalcedonii, adiunctis etiam Thracibus, magno cum exercitu in Bithyniam traiiciunt, agrisque peruastatis, multisque oppidulis per vim expugnatis; facinora supra modum crudelia perpetrarunt. Magno enim captiuorum agmine ex viris, mulieribus & pueris collecto, ad vnum omnes promiscuè iugularunt. Per idem tempus in Siciliâ inter Agestanes & Selinuntios de controuersis agrorum finibus bello disceptabatur. Etsi enim fluuius dissidentium territoria vrbium discernebat; Selinuntii tamen aduersam amnis ripam transgressi, solum fluuio adiacens per vim occupant. mox de proximis etiam campis parte non mediocri auulsâ, per ludibrium præterea iniuriâ adfectis insultãt. Quâ factorũ indignitate prouocati Ægestani verbis primùm dehortati illos, ne fundos alienos inuaderent, conantur. sed cùm nemo æquas ipsis aures accommodat, armatâ possessores manu, quotquot erant agris depellunt, & in pristinum eos ius vindicant. Quæ res cùm in magnum discordiæ incendium erupisset, militibus vtraque ciuitas conscriptis, remq́ ferro decernere constituit. Eductis igitur in aciem copiis, atrox pugna committitur, quâ Selinuntii victores haud exiguum Ægestani militis numerum occidunt. Quâ clade viribus Ægestanorum valdè deminutis, cùm per se hosti resistere non possent, Acragantinorum primò & Syracusanorum cõciliare sibi auxilia conantur. quibus frustrà tentatis, à Carthagine per legatos subsidia expetunt. detrectantibus etiam his, transmarinam inde societatem armorum quærunt. nec fortuna consiliis hisce defuit.

XX- XIII. Cùm enim Leontini ex vrbe suâ aliò translati simul & ciuitatem & agros amisissent; quotquot solo patrio extorres supererant, coniunctis opibus & consiliis, eorundem Atheniensium denuò propter necessitudinem gentilitiam societatem adiungere decreuerunt. Re itaque in publico gentium, quibuscum conuenerant Senatu disceptatâ, communi legatos decreto Athenas mittunt, qui vrbibus iniuriâ op-

pressis auxilia petant, & operam ad res in Siciliâ ex commodo illorum constituendas polliceantur. Cúmque legati Athenas venissent, Leontinis cognationem & pristinam belli societatem præferentibus; Ægestanis verò magnam pecuniæ vim ad belli sumptus, & strenuam contra Syracusanos operam pollicentibus: populo Atheniensi placuit, quosdam eximiæ prudentiæ & virtutis ciues illuc mittere, qui & insulæ, & Ægestanorum conditionem explorarent. His Ægestam profectis, Ægestani grandem pecuniæ summam, cùm ex ærario depromtam, tum à vicinis mutuò acceptam, inani ostentationis specie exhibent. Reuersis inde legatis, & opulentiam Ægestanæ vrbis renunciantibus, populus idcirco in concionem euocatur. propositoque tum in medium consilio de armis in Siciliam expediundis, Nicias Nicerati filius, cui virtus magnam inter ciues admirationem pepererat, de Siciliâ bello nequaquam tentanda prudenter disseruit. Fieri enim non posse, vt cum Lacedæmoniis simul bellum gererent, & magnas trans mare copias emitterent. Deinde cùm Græcorum hactenus principatum consequi nequierint, vanâ illos spe duci maximam toto orbe insulam sub iurisdictionem redigendi. His adiecit Carthaginenses magni imperii opibus instructos Siciliam, creberrimis hactenus expeditionibus tentatam, subigere non valuisse: num Athenienses viribus Carthaginēsibus longè inferiores, insulam potentissimam armis se domituros existiment? Postquam hæc & multa alia præsenti argumento accommodata perorasset; Alcibiades, Atheniensium illustrissimus, contrariæ sententiæ patronus suadendo populum ad bellum istud suscipiendum permouit. vir enim hic summâ inter ciues dicendi facultate præditus, natalium præterea splendore, opumque amplitudine, ac rei militaris peritiâ percelebris erat. Confestim igitur populus classem incepto dignam, nempe triginta triremes à sociis acceptas, & centum è suo nauali depromtas, instruxit. Hisque omni ad bellum conducibili apparatu exornatis, quinque armatorum millia habito delectu, imposuit, & tres ad hanc prouinciam duces, Alcibiaden, Niciam & Lamachum designarunt. Et his tum Athenienses negotiis occupati erant. Nos igitur ad bellum inter Athenienses & Syracusanos excitatum progressi,

LXXI

gressi, pro instituti nostri ab initio ratione, res, quæ sequuntur, in proximum inde librum digestas prosequemur.

HÆC TREDECIMO DIODORI LIBRO CONTINENTUR.

Syra-

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE Liber XIII.

I. SI historiam nostram ad aliorum institutum conformaremus, proximum erat in libri cuiusque præfatione de nonnullis, quoad opportunum illud esset, disserere: ac tum demum ad sequentiū negociorum seriem integrandam orationem transferre. exiguum enim scriptioni tempus subtrahendo, respirationem aliquam ex prooemiis, ceu fructum, caperemus. Sed quoniam paucis libris non tantùm res gestas pro virili nos descripturos, verùm & tempus vltra mille & centum annos nos simul comprehensuros polliciti

sumus: amandatis præfationum excursibus, ad res ipsas nos statim accedere necessum est: hoc tantùm præmisso, quod superioribus sex voluminibus rerum vbique gestarum recensio ad hoc vsque tempus deducta sit, quo de bello Syracusanis inferendo Athenienses suffragia tulerunt, ad quod à Troiæ captiuitate anni Iↄ c c L x effluxerũt. & quod in præsenti libro, proximi temporis continuationem, ab expeditione in Syracusanos exorsi, in secundi Carthaginiensium belli contra Dionysium Syracusanorum tyrannum suscepti, primordiis terminare velimus. Archontis enim officium gerente Athenis Chabria, & Romæ tribus iterum Tribunis Militaribus consulari potestate creatis Lucio Sergio, Marco Papyrio, & Marco Seruilio, Athenienses bello iam contra Syracusanos decreto, naues instaurant; pecunias cogunt enixo studio; quicquid ad expeditionem maturandam faceret, comparant. Tres igitur duces creant, Alcibiadem, Niciam & Lamachum, quibus plenariam totius belli potestatem tradunt. ex priuatis autem opulentissimi quique, vt populi studio gratificarentur alii suis triremes opibus armarunt alii pecunias in stipendia & commeatum se erogaturos, promiserunt. Multi etiam de plebe exterisque ac sociis, ad Prætores vltrò confluentes, nomina sua inter milites conscriptos referri iusserunt. adeò cuncti in spem erecti, paratissimam sibi fore Siciliæ per sortem distribuendo possessionem, festinabant. Iámq; classis ad nauigãdum expedita erat, cùm derepentè omnes per vrbẽ Hermæ (*statuæ Mercuriales*) quorum ingens erat numerus, fœdè truncati sunt. quod facinus non ab infimæ sortis hominibus, sed quibusdam auctoritate eminentibus, dissoluendi popularis status causâ, perpetratum ratus, magnâ in improbitatem eius facti irâ exarsit populus, amplisque indici muneribus propositis, obnixè auctores inuestigauit. Quidam interim priuatus Senatum accedens refert se circa noctis medium nonnullos in domum cuiusdam inquilini ingredientes vidisse: inter quos Alcibiades etiam fuerit. percũctante autem Senatu, quomodo nocte intempestâ facies dignoscere potuerit; ad Lunæ radios se id cognouisse, respondet. verùm hic dum semet ipse redarguit, in mendacio tunc deprehensus fuit, nec vllum facinoris vestigium à quoquam alio deinceps inueniri potuit. Cæterùm triremes Atheniensibus armatæ fuerant c x L. onerariarum

tariarum præterea hippaginumque, & earum quibus fru-
menta & reliquus necessariorum apparatus transueheretur,
ingens erat numerus. Armati & funditores, præterque hos
equites, & à sociis acciti septem millia, præter socios nauales,
excedebant. Tum Duces cum Senatu in arcano consessu de
administrandis in Siciliâ rebus, si insulâ potirentur, consilia
tractarunt. Visum tandem fuit, in Selinuntiis & Syracusa-
nis seruituti mancipatis, cæteris stipendia quolibet anno sol-
uenda Atheniensibus imperarent.

II. Postridie eius diei
præfecti cum militibus in Pyræeum descendunt: sequitur
promiscua ex Astu multitudo ciuium simul & peregrino-
rum, dum vnusquisque cognatos & necessarios aliquousque
comitari gaudet. Triremes autem statione suâ totum vn-
dique portum obtexerant, proræque epistematis (*erectis
pluteis*) & armorum splendore exornatæ erant. vniuersus
in circuitu portus margo in orbem acerris & crateris ar-
genteis refertus conspiciebatur: ex his aureis hausta scy-
phis libamenta diis offerebant, numen venerantes, orantes-
que suppliciter, vt felix esset expeditionis successus. E Pi-
ræeo tandem euecti, circumnauigatis Peloponnesi oris, ad
Corcyram deferuntur. hîc enim, vt subsisterent, quoad sub-
sidia à sociis in vicinia accepissent, imperatum illis fue-
rat. Coactis iam omnibus, Ionii maris tractum emen-
si, ad Iapygiæ promontorium appellunt. Hinc iam Italiam
præterlegentes, à Tarentinis non accipiuntur. Metapon-
tinis etiam & Heracliensibus præternauigatis, ad Thurios
profecti, summam illic humanitatem experiuntur. Inde
soluentes Crotonem petunt: & rerum venalium foro il-
lic præbito, Laciniæ Iunonis fanum præteruecti promon-
torium, Dioscuriadis nomine insignitum, transeunt. Post-
hæc Tescyletio, quod vocant, & Locris à tergo relictis, pro-
pe Rhegium ancoras iaciunt, & Rheginos ad iungendam
armorum societatem inuitant. à quibus, consilia priùs
cum aliis Italis capienda esse, responsum fuit.

IV. Syracu-
sani quamprimùm intra fretum esse classem Athenien-
sium cognouerunt, tres summâ potestate duces creant,
Hermocratem, Sicanum & Heracliden, qui conscriptis
militibus, per legatos Siciliæ vrbes solicitant atque ro-
gant, vt pro communi omnium salute arma secum capes-
sant. Athenienses enim prætextu belli Syracusanis infe-

rendi, nihil aliud constitutum habere, quàm vt totam suæ potestati insulam subiiciant. Ad quod Acragantini & Naxi se in Atheniensium societate permansuros, respondent. Camarinæi & Messenii se à bello vacaturos, protestantur, responso de socialibus armis in aliud tempus reiecto. Himeræi & Selinuntii, cumque his Geloi & Catanæi auxilia promittunt. Siculorum equidem vrbes, etsi beneuolentiâ quadam ad Syracusanorum partes inclinabant, quietem tamen amplexæ, quò tanta belli moles recasura esset, dubiis animis præstolabantur. Cæterùm cùm Ægestani, non plus triginta talentis se contributuros, apertè faterentur; Prætores Atheniensium fraudis eos incusant, & cum tota classe Rhegio digressi, Naxum Siciliæ appellunt. & amicè benignéque à ciuibus accepti, Catanam deinde contendunt. Sed Catanenses militibus vrbis ingressu prohibitis, Duces tantùm intromittunt, & conuocatis ad concionem ciuibus, Duces Atheniensium de sociali fœdere disserere cœperunt. Interea verò dum Alcibiades concionatur, milites portulâ quadam euulsâ in vrbem irruperant. quo facto, ad commune cum Atheniensibus contra Syracusanos gerendum bellum Catanæi adiguntur. Inter hæc externa belli negotia, qui propter simultates priuatas odio Alcibiadis inflammati erant, Athenis occasione de laceratis imaginibus arreptâ, calumniis inter conciones illum insectantur, quasi conspirationem aduersus populum (ad innouandum Reipublicæ statum) iniisset. Criminationem hanc adiuuit, quod recèns in Argiuorum vrbe acciderat. quidam enim priuatâ hospitum necessitudine potentes, quòd de euertendâ populi iurisdictione coniurassent, omnes ciuium armis oppressi trucidatique fuerant. Quo factum, vt populus Atticus tantò faciliùs accusationi fidem haberet. A concionatoribus ergò vehementer stimulati, nauem Salaminiam in Siciliam, ad dicendum causam reuocatum Alcibiadem mittunt. quæ Catanam vbi peruenit, Alcibiades de populi iussu à legatis certior factus, assumptis qui vnà cũ ipso delati fuerant, propriâ triremi cum Salaminiâ inde auehitur. vbi verò Thurios peruentum, cum sociis pariter reis Alcibiades, vel quòd violatæ religionis sibi cõscius esset, vel quòd magnitudinem periculi reformidaret, fugam arripiens è medio se subduxit. At qui in Salaminiâ vehebãtur, cùm elapsos

V.

aliquandiu

aliquandiu inuestigassent, nec tamen inuenirent, repetito Athenas cursu, quid gestum sit, populo renunciant. Tum Athenienses exhibitis iudicio Alcibiadis, aliorumque qui simul aufugerant nominibus, indictâ illos causâ, capite damnarunt. Alcibiades verò ex Italiâ traiiciens Spartam profugit, ibique Lacedæmonios ad denuò inuadendum Athenienses instigauit. At qui remanserant in Siciliâ Prætores, promotis ad Ægestam copiis, Hyccara Siculorum oppidulum capiunt, è cuius spoliis centum talenta confecêre. Exactis præterea xxx talentis ab Ægestanorum ciuitate, Catanam repetiêre. Cùm autem loca magno Syracusanorum portui vicina, citra dimicationis periculum occupare in animo haberent; quendam ex Catanensium numero, sibi fidum, & Syracusanis Ducibus non suspectum, eò mittunt, cum his mandatis, vt ducibus Syracusiorum nunciet, nonnullos Catanæorum ita inter se conuenisse, vt numerosâ Atheniensium manu, quæ sine armis noctu in vrbe diuersaretur, repentino incursu oppressâ, naues in portu subsistentes incenderent. Quæ, vt expeditius peragantur, rogant militiæ præfectos, vt cum exercitu se ostendant: ne cœptorum successus propositum ipsos frustraretur. Catanæus ergò cùm ad Syracusiorum Duces profectus, mandata exposuisset, illi verum hoc esse rati, noctem quâ copias educerent, constituunt, hominemque Catanam remittunt. tum nocte, quâ conuenerat, exercitum Catanam versus ducunt. Interea Athenienses summo classem silentio in magnum Syracusanorum portum appellunt, & Olympio in potestatem redacto, totâ circumuiciniâ potiti, castra ibi communiunt. At Syracusani præfecti, intellectâ fraude ocyus reuersi, castra hostium inuadunt. quibus contrà in aciem progressis, res ad pugnam venit, in quâ cæsis ex aduersâ parte CD reliquos in fugam Athenienses conuertunt. Sed cùm Duces Atheniensium hostem equitatu præualere cernerent, vt se contra obsidionem melius præmunirent, Catanam retrò vehuntur, missisque Athenas nunciis, per literas à populo contendunt, vt equitatu & pecuniis instruantur; quòd diuturnam fore obsidionem persuasum haberent. Trecenta igitur talenta & aliquot equitum turmæ à populo subsidii in Siciliam loco decernuntur. Dum hæc verò geruntur, Diagoras cognomento Atheus, ob intentatam sibi impietatis actionem, me-

tu populi, ex Atticâ profugit: quem qui occidisset, ei talentũ argenti præconis voce Athenienses (præmii loco) obtulerunt. In Italiâ Romani cum Æquis bellum gerentes Lauinium expugnarunt. Et has iste annus res gestas habuit.

VII. Cùm Archontis deinde munere fungeretur Athenis Pisander, Romani quatuor Tribunos militares consulari potestate crearunt, Publium Lucretium, Caium Seruilium, Agrippam Menenium & Spurium Veturium. Quo tempore Syracusani missis Corinthum & Lacedæmona legatis, auxilia petunt, & ne in extremum fortunas suas discrimen adduci patiantur, orant. Lacedæmonii quidem, patrocinante Syracusanis Alcibiade, statim auxilia decernunt, quorũ dux Gylippus creatur. Corinthii verò maiorem adornaturi classem, cum duabus duntaxat triremibus Pythen Gylippo adiunctum in Siciliam præmittunt. Ad Catanam verò Nicias & Lamachus Atheniensium præfecti, cc & L equitibus cum ccc talentûm summâ ex Atticâ aduectis, cum classe Syracusas versus mouent, & noctu ad vrbem appulsi non aduertentibus Syracusanis Epipolas occupant. Quod sentientes tandem Syracusani, properè ad propulsandum eos erumpunt. sed ccc militum suorum amissis, intra mœnia compelluntur. Posthæc cùm ccc ex Æginâ, & ccL ex Siciliâ equites Atheniensibus missi venissent, horumq; summa iam IↃ ccc excederet, ductâ circa Labdalum munitione, & interclusâ vrbe, in magnum Syracusanos pauorem coniecerunt. Mœnibus proinde effusi, exstructionem muri vrgentes prohibere conabantur. sed equestri certamine conserto, multis suorum desideratis, terga verterunt. Tum Athenienses cum parte quadam copiarum locum portui imminentem occupant, & Polichnâ, quam vocant, communitâ, Iouis etiam templum eidem muro includunt, ita vt ex vtraque Syracusas parte iam obsiderent. Tot igitur aduersis casibus animi Syracusanorum non parum debilitati sunt. sed posteaquàm renunciatum fuit, Gylippum, Himeræ appulsum, militem contrahere, fiducia in pectora ipsis rediit. Gylippus enim vbi cum quatuor triremibus Himeram attigerat, subductis nauibus, Himeræos ad societatem Syracusanorum adduxit, & ab his Geloisque, Selinuntiis prætereа & Sicanis, militem conscripsit. omnibusque in vnum coactis (erant autem tria millia peditũ, & equites ducenti) per me-

diterranea

diterranea mouens Syracusas ingreditur. Nec multos post dies, copias vnà cum Syracusis in hostem educit. initóque conflictu tum acerrimo, Lamachus Atheniensium Imperator pugnando cadit. Multis tandem vltrò citróque cæsis Athenienses vincunt. Post hoc verò prælium tredecim ex Corintho triremes aduenerunt. quarum classiariis Gylippus accitis, horum Syracusanorumque operâ hostium castra adortus, Epipolas oppugnat. Et licet erumperent Athenienses, commisso tamen prælio, multis suorum trucidatis à Syracusiis vincuntur: qui per totas inde Epipolas murum destruunt. Hoc ergò loco Athenienses deiecti, in alteram stationem copias deducunt. Hisque ita gestis, legatos Syracusani denuò Corinthum & Lacedæmonem suppetias accitum mittunt. Corinthii ergò cum Bœotis & Sicyoniis CIƆ, Spartiatæ autem IƆ C expediunt. Interim Gylippus per Siciliæ passim oppida circumuagatus, multos in societatem huius belli pertraxit; & tribus militum millibus ab Himerensibus & Sicanis auctus per mediterranea agmen promouit. quorum aduentu per explorationem cognito, Athenienses dimidium eorum, insidiis exceptum, trucidarunt: reliqui incolumes Syracusas peruenêre. Iamque nouis confirmati auxiliaribus Syracusani, naualis quoque certaminis fortunam tentare constituerunt. quicquid ergò nauium adhuc erat reliquum, deducunt, aliasque de nouo construunt, harumque in magno portu experimenta faciunt. Nicias verò prætor Atheniensium militaris, per literas populo Atheniensi denunciat, plurima Syracusanis auxilia recens accessisse, magnâque illos classe expeditâ, nauali quoque bello animos adiecisse. Triremes igitur & pecunias, nouosque collegas, qui belli secum munia obeant, subsidio mitti, petit. Alcibiade enim per fugam elapso, & Lamacho interemto, se vnum superesse, & valetudine quidem non satis firma. Athenienses igitur decem naues, duce Eurymedonte, cum CXL argenti talentis, circa solstitium æstiuum, in Siciliam expediunt; ad proximum ver classem instructiorem mittere parati. Quocirca militem vndique à sociis conscribunt, & vim pecuniarum colligunt. In Peloponneso autem Lacedæmonii, Alcibiadis concitatu, inducias cum Atheniensibus pactas soluunt: & incendium huius belli per XII annos flagrauit.

Exacto hoc anno Archontis munus Athenis gerebat Cleocritus,& Romæ quatuor Tribuni militares consulari imperio fungebātur, Aulus Sempronius, Marcus Papyrius, Quintus Fabius, & Spurius Nautius. Tum Lacedæmonii cum sociis in Atticam inuadunt, Agide ductore, & Alcibiade Atheniensi; Deceliamque (locum munitum præsidiisque inibi collocandis aptum) occupant, eamq; castello muniunt. vnde euenit, vt bellum hoc Decelianum nuncupetur. Ab Atheniensibus contrà XXX triremes duce Chaticle in Laconiam mittuntur. In Siciliam præterea LXXX triremes & V millia armatorum decernuntur. Intereà Syracusii pugnæ naualis decretum exsecuturi, triremibus LXXX armis & milite instructis hosti obuiam tendunt. quibus Athenienses cum LX nauium classe occurrunt. Valida tunc oritur concertatio. iamque vndique ex castellis & stationibus ad mare confluxerant Athenienses; alii quod conflictus spectandi cupidi essent; alii quod suis, si quid in pugnâ nauali aduersi cōtingeret, fugientibus opem se laturos, sperarent. Quod ita futurum ratiocinati Syracusani, suos ad præsidium vrbis relictos tacitè Atheniensium munitiones inuadere iubent, pecuniis, instrumentóque nautico & cætero apparatu refertas. easque facilè à paucis custoditas occupant, magnamque eorum, qui à mari auxilium ferebant, cædem faciunt. Tum ingenti circa castella & in castris clamore sublato, acies quoque Atheniensium iam confligens trepidare, inque fugam verti, seque ad reliquias statiuorum defendendas recipere. Insectantibus verò absque ordine Syracusanis, Athenienses, quibus nulla in terram euadendi facultas daretur, quod duo iam castella Syracusani tenerent, retrò conuersi pugnam redintegrare coguntur, confertâque classe in Syracusanos, qui ordinibus iam solutis inter persequendum disiecti erant, inuehuntur: horumque XI naues illicò demergunt; reliquas ad Insulam vsque persequendo compellunt. Finitâ hinc pugnâ, vtrique tropæum erigunt, Athenienses, quòd mari vicissent, Syracusani quòd rē terrâ feliciter gessissent. Hūc ergo euentum cùm nauale certamen accepisset, comperto, Demosthenis intra paucos dies cum classe aduentu, Athenienses fortunam belli quoad copiæ illæ præstò essent, non amplius experiri statuerunt. At contrarium Syracusanis consilium placuit, de summâ videlicet rerum armis disceptandum

IX.

X.

ptandum eſſe, priuſquàm Demoſthenis exercitus aduenìſſet.
Indies igitur contra naues Athenienſium inuecti pugnâi-
pſos laceſſebant. Tum Ariſtone gubernatore nauis Corin-
thio ſuadente, vt proras nauium breuiores facerent & demiſ-
ſiores, Syracuſani conſilio obtemperant. quod magno in
conflictibus deinceps ad victoriam emolumento ipſis fuit.
Atticæ enim triremes infirmioribus erant proris & elatis:
quò fiebat, vt roſtris ſuis nihil quàm eminentia ſuper mare
loca vulnerantes, non magnis hoſtem detrimentis adfice-
rent. At naues Syracuſiorum, firmis inſtructæ proris ac de-
preſſis vno ſępe roſtrórum incúrrentium ictu hoſtium trire-
mes ſupprimebant. Ad complures igitur dies Syracuſani
Athenienſium caſtra terrâ marique impetebant: ſed abſque
effectu; quòd Athenienſes in ſtatione ſe quietè continentes
nullam pugnandi copiam hoſti facerent. Verùm vbi non-
nulli triremium præfecti, Syracuſanorum (inſolenter quippe
illudentium) contemptum ampliùs ferre non poſſent, in ma-
gno tandem portu contra hoſtes euehuntur, totâque claſſe
certamen initur. Athenienſes quidem triremium velocitate,
rerúmque maritimarum peritià, & gubernatorum ſolertià
erant ſuperiores. ſed quia pugna in anguſto commiſſa fue-
rat loco, nulli hæc prærogatiua vſui illis fuit. Syracuſii itaque
cum hoſte conſerti, nulla quietis aut regreſſus facultate per-
miſsâ, propugnatores in tabulatis conſtitutos partim haſtis
inceſſunt, partim ſaxis petitos deturbant, prorasque deſerere
cogunt. Roſtris denique in occurſantes ſibi naues plurimas
inflictis, ſaltu in eas ſe tranſmittunt, atque intra naues terre-
ſtris ſpeciem pugnæ edunt. Rebus igitur vndique adflictis,
Athenienſes in fugam præcipites aguntur. A tergo verò
prementes Syracuſii de triremibus VII demergunt, multas-
que ad belli munia inutiles reddunt.

XI. Iamque elatis in præclaram rerum ſuarum ſpem Sy-
racuſanis, quippe, qui terra marique hoſtes profligaſſent; ec-
ce, Eurymedon & Demoſthenes cum magna ex Athenis
manu ſuperueniunt. In tranſcurſu etiam auxiliares à Thu-
riis & Meſſapiis copias ſibi adiunxerant. adducebantq; plu-
res, quàm CCCX triremes, & militum, præter remiges V M,
armaque & pecunias, & neceſſaria obſidioni inſtrumenta,
cæterumq; apparatum onerariis nauibus aduehebant. quo
rurſus animi Syracuſanorum fracti, ſpesque conciderunt:

quòd non facilè tanto se hosti pares deinceps esse posse iudi-carent. Demosthenes ergò persuasis ad inuadendum Epipo-las collegis (aliter enim circumuallari vrbs non poterat) de-cem millibus grauis, totidemque leuis armaturæ assumtis, noctu Syracusanos adoritur. Et quia improuisa hæc erat im-pressio, castella quædam subigunt, intráque munitionem ir-ruptione factâ, muri partem deiiciunt. At concursu Syracu-siorum vndique ad loca illa facto, & Hermocrate cum ele-ctâ iuuenum manu properè auxilium ferente, expelluntur il-linc Athenienses, & per noctis tenebras ob locorum impe-ritiam alii aliò dissipati feruntur. Syracusani verò cum auxi-liariis insecuti cIɔ cIɔ & Iɔ trucidant, nec exiguam fugi-entium partem sauciant, multisque armorum spoliis inde potiuntur. Post eam pugnam, Sicanum ex ducibus vnum cum triremibus XII ad cæteras vrbes mittunt Syracusani, qui & victoriam sociis annunciet, & auxilia noua postulet.

XII. Athenienses verò cùm res in peius ruerent, & pestis exer-citum, ob circumiacentis paludis exhalationem, corripuis-set, quid facto opus esset, inter se deliberabant. Demosthe-nis igitur sententia erat, quam celerrimè Athenas redeun-dum esse. nam præstabilius est, inquit, pro patriæ incolumi-tate ac gloria contra Lacedæmonios periculum adire, quàm in Sicilia residendo nullum operæ precium facere. At Ni-cias turpe fore contendit, si in hac triremium, militumque & pecuniarum abundantia obsidionem destituerent. Ad hæc non mediocre sibi periculum ab his ingruiturum, qui calu-mniis Duces premere soleant, si iniussu populi factâ cum Syracusanis pace, in patriam renauigarent. Tum, qui in Senatum adhibiti fuerant, alii Demosthenis consilium de reductione exercitus domum, probare; alii in Niciæ senten-tiam concedere. cúmque nihil certi fuisset decretum, quietè tum persistere. Interim non exigua Syracusanis auxilia à Siculis & Selinuntiis; itemque Gelois & Himerensibus, nec non Camarinæis accedunt. Quæ res fiduciam Syracusanis auxit, magnumque Atheniensibus metum incussit. Morbo præterea subinde magis sæuiente magna pars militum in-teribat. vnde cunctos pœnitentia incessit, quòd non pridem reditum in patriam instituissent. Multitudine igitur tumul-tuante, cæterisque omnibus ad naues properantibus, Nicias etiam in reditum consentire tandem coactus est. Iamque

eandem

eandem ducibus sententiam amplexis, milites impedimenta in naues congerunt, & triremibus completis antennas extollunt, prætores quoque multitudini edicunt, vt dato signo nemo cunctetur. relictum enim iri, si moras quis nexuerit. Verùm vt postridiè soluturi erant, interueniente nocte Luna defecit. quocirca Nicias & natura superstitionibus obnoxius, & tum ob luem in exercitu anxius, aruspices acciuit. à quibus responsum per tres adhuc dies (pro more aliàs solenni) abnauigationem differendam esse. in quam sententiam Demosthenes etiam cum suis ire, Numinis metu, perpulsus est.

XII. Syracusani autem de causa dilationis eius per transfugas edocti, quicquid habebant triremium (erant autem LXXIV) eas militibus complent. Pedestribus etiam copiis eductis, terrà marique hostem inuadunt. Athenienses contrà sex & LXXX triremibus completis, dextrum cornu Eurymedonti Prætori tradunt, cui obiectus erat Agatharchus Syracusiorum Prætor. In altera verò parte Euthydemum constituunt, cui Sicanus, ductor Syracusanorum, oppositus erat. Mediam verò aciem obtinet apud Athenienses Menander; à Syracusiorum autem parte Pythes Corinthius. Etsi autem longiùs extenta erat Atheniensium phalanx, quòd maiore triremium numero ad certamen venerant, tamen eo ipso, quo superiores esse videbantur, succubuerunt. nam Eurymedon cornu aduersum circumuenire properans, dum à reliquo se agmine auellit, à Syracusanis in eum conuersis in sinum, quem Dasconem vocitant, à Syracusanis occupatum, interceptus compellitur. In angustias ergò conclusus, dum terræ nauigia appellere cogitur, à quodam lethali vulnere confossus occumbit, septemque eius naues illic loci pessum dantur. Iamque pugna per totas vndique classes feruente, rumor de interfecto duce, & nonnullis cum eo nauibus perditis, diuulgatur. ibi primæ omnium triremes, quæ proximam nauibus amissis locum tenebant, inclinare cœperunt. Mox vrgentibus Syracusanis, & ob nouum successum ferocius pugnam capessentibus, summà vi adacti Athenienses fugam arripiunt: cumque hostis ad vadosa vsque portus stagna tergis fugientium instaret, non paucæ intra breuia triremes compulsæ substiterunt. Quo facto Sicanus Prætor Syracusiorū nauem

confestim onerariam sarmentis, tædis & pice complet, nauesque intra vada fluctuantes incendit; ardentium contra flammam Athenienses restinguunt, & cùm nullum præterea salutis præsidium inuenirent, fortiter è nauibus irruentem in se hostem depellunt. Pedestres interim copiæ ad eas littoris partes, quo naues suorum ex fugâ appulissent, ad opem ferendam præstò adsunt; cùmque strenuè periculis sese obiicerent, terrâ quidem Syracusani funduntur; sed mari victoriam adepti, in vrbem reuertuntur. quorum illo conflictu nõ admodum multi ceciderunt. Athenienses verò militum haud minus duo millia, & triremes XVIII amiserunt. Iãque Syracusani non ampliùs pro vrbe dimicandum esse, sed potiùs de eo certamen instare sibi arbitrati, vt castris hostiũ cum ipso exercitu captis potirentur, nauium coniugatione portus ostia obstruxerunt. Acatos enim triremesque & onerarias ancoris firmatas & catenis ferreis constrictas tabulatis pontibus insternunt, opusque intra triduum absoluunt. Athenienses igitur salutis viam vndique interclusam sibi cernentes, de complendis, quotquot restabant, triremibus, fortissimisque peditum in eas collocandis consilia tractarũt; vt & nauium multitudine, & audaciâ militum pro salute suâ ex desperatione propugnantium Syracusanis terrorem iniicerent. Præfectos idcircò ordinumque principes & è toto exercitu præstantissimos quosque triremibus imponentes, CXX, demptis V, triremes complent. reliquam copiarum partem in littore disponunt. At Syracusanis pedestri contrà acie pro vrbis mœnibus instructâ, LXXIV triremes milite referciunt; quas ingenua pubes in nauigiis actuariis comitatur, adolescentulorum ætatem nondum supergressi, vt parentibus in hoc certamine præstò forent. Muri etiam portum excipientes, & tota vrbis regio eminentior innumeris spectantium corporibus oppleta erant. nam matronæ, virginesque, quique per ætatem belli muniis idonei nondum essent, vt de extremo totius belli discrimine iudicium caperent, non absque multâ trepidatione pugnam contuebantur. Quo rerum momento Nicias Atheniensium Imperator, videns classem in procinctu iam stantem, & periculi magnitudinem considerans, suam in terrâ stationem tueri non contentus, sed relicto peditatu nauem conscendit, & triremes Atheniensium circumuehitur, vnumquenque trierar-

chorum

XIV.

XV.

chorum nominatim compellans, manibusque protensis obsecrans, vt quisque omnes alios præcellere studeat, eamque spem, quæ sola adhuc superfit, summis viribus tueatur. nam in virtute iam prælio nauali sese defensurorum suam virtutem & ipsius patriæ salutem repositam esse. quibus sua domi proles erat, hos pietatis liberis debitæ commonefacit. claris parentibus ortos, ne maiorum virtutes dedecorent, exhortatur. à populo ob merita honoribus adfectos, vt se coronis acceptis, nunc dignos præstent, inuitat. vniuersos denique tropæis ad Salaminem in memoriam reuocatis, orat & obtestatur, ne tam insignem patriæ gloriam prostituant, neque se mancipiorum ritu Syracusiis dedant. Hac oratione confirmatis vtrinque militibus, Nicias ad suum in acie pedestri munus retrocedit. Tum classiarii Pæane decantato, hoste citiùs ad claustra nauium constipatarum prouecti dissoluere ea properant. Sed repentè Syracusani triremibus ordine dispositis adnauigant, confertisque manibus, hostes à iugatis nauibus auersos ad dimicandum compellunt. Cùm igitur alii versus littus; alii medium in portum; nonnulli etiam ad mœnia; retrò naues impellerent; subitò factum est, vt laxatis ordinibus classis diuelleretur; summotisque à septo Atheniensibus, exiguo naues agmine per totum huc illuc portum dispersæ confligebant. Ibi pertinax vtrisque de victoria certamen incubuit. Athenienses multitudine nauium freti, quòd nullum salutis aliud refugium viderent, pericula intrepidè subire, mortemque pugnando fortiter oppetere. Syracusani ex aduerso quòd parentes & liberos certaminis spectatores haberent, omni conatu inter se contendere, & quisque pro virili suâ eniti, vt virtute suâ patriæ victoriam compararet.

Complures igitur fuêre; qui naui suâ hostium incursu transfixâ, in proras hostiles insilirent, & inter medios hostium cuneos excepti dimicarent. Ferrearum nonnulli manuum iniectu, pugnam pedestri similem facere secum congressos adigebant. nec pauci, quibus propriæ iam naues attritæ essent, in aduersarias transilientes, aliis interemptis, aliis in mare depulsis, triremes occupabant. postremò per totum vndique portum rostrorum inter se collisorum fragor & conflictantium vociferatus, dum vltrò citròque occumbunt, exaudiebatur. Nec raro accidit, vt nauis aliqua intercepta,

cùm à plurium vndique triremium rostris verberaretur, irrumpente per rimas fluctu, vnà cum viris à gurgitis profundo hauriretur. Nonnulli cùm è suppressis nauibus enatando salutem quærerent, sagittis traiecti, hastarumque inflictu saucii, miserè interibant. Nauium interim magistri tàm perturbatam, confusamque pugnæ faciem, omniaque circa se tumultus & consternationis plena conspicati; & quòd vna persæpe nauis à complurium agmine impeteretur; nec quod præciperent, aut significarent habere; cùm nō eadem omnibus tum conducerent; nec ad aliorum exhortationes propter iaculorum frequentiam respicere poterant. Et quid multa? nemo de imperatis quicquam exaudiuit: dum nauigia confringuntur: remi detergentur: clamor vndique præliantium ingrauescit; explicatæque in littore acies crebris hortatibus suos excitant. Totum enim littus hic Atheniensium, illic Syracusanorum copiis pedestribus occupatum erat. quo factum vt quos pugnæ naualis feruor propiùs ad terram prouexisset, interdum à sociorum in littore dispositorum manu adiuuarentur. Qui verò de muris pugnæ spectatores erant, quoties rem à suis prosperè geri vidissent, læto rumore acclamare: vbi verò periclitari ac premi cernerent, gemitus edere, deosque profusis cum lacrymis precando obtestari. Quandoque accidit, vt adflictis Syracusanorum triremibus propè mœnia nonnullis, cognatos ante ora suos obtruncari viderent: atque ita parentes liberorum interitum, vxores & germanę coniugum fratrumque miserabilē exitum, contuerentur.

XV Et quamuis ad lōgum tempus, cum vastâ plurimorum cæde disceptatum esset, pugnæ tamen finis nondum erat. nemo enim, licet extremè pressus, ad terram refugere audebat. Athenienses enim è pugnâ excedentes, terræque nauem admoturos, rogare num terrâ Athenas renauigaturos se existiment? Sic peditatus Syracusanorum proram aduertentes percunctari, quare, cùm se triremes conscendere paratos inhibuissent, ipsi nunc patriam eant proditum? an ideò occluso portus ostio, exitum hostibus negarent; vt ipsi ad littus refugerent? & cùm ex æquo cunctis moriendi necessitas incumbat, quam honestiorem quærāt mortem, quàm quæ pro patriâ oppetatur, quam præsentis conflictus testem fœdè ac turpiter destituant? Talibus à terrâ milites conuiciis & pro-

bris

bris adnauigantes inceſſebant. qui omiſsâ ad littus fugâ ad conflictum redibant, tametſi nauibus laceratis, & corpore vulneribus confecto, ægrè vitam tuerentur. Ad extremum Athenienſes, qui propiùs vrbem dimicabant, vi compulſi fugam arripiunt; mox proximi quique inclinatâ acie cedunt, donec tota claſſis breui in fugam ſe effundit. Ibi Syracuſani magno clamore fugientibus inſtant. Athenienſium verò, quotquot in altò non perierant, cùm ad breuia & vadoſa compulſi eſſent; è nauigiis iam peſſum euntibus ſaltu ſe demittentes ad pedeſtrem exercitum euadere properant. Refertum vndique armis & diſiectis naufragiorum tabulis cernere tunc portum erat. de claſſe enim Atticâ naues ſexaginta perierant; de Syracuſanâ octo penitus corruptæ, & vndecim conuulſæ, attritæque fuerant. Syracuſani igitur quot potuêre triremes ad littus pertrahunt, & ſublatâ ciuium ſociorumque hac pugnâ cæſorum cadauera publico ſepulturæ honore dignantur.

III. Athenienſes verò concurſu ad Ducum tentoria facto, orare vt militum, non nauium, propriæque ſalutis rationem habere vellent. Demoſthenes igitur triremes illicò complendas, nauiumque conſertarum vallum perrumpendum eſſe, conſulebat, non difficulter voti compotes euaſuros, ſi ex improuiſo rem aggrederentur, confirmans. Niciæ è diuerſo conſilium fuit, vt poſthabitis nauibus per mediterraneas regiones ad vrbes ſocietatis fœdere coniunctas retrogreſſum facerent. cuius ſententiæ cùm omnes adſtipularentur, nauibus quibuſdam incenſis ad diſceſſum ſeſe accingunt. Iamque ſatis cognito, noctu hoſtem abiturum, Hermocrates conſilii auctor exſiſtit Syracuſanis, vt vniuerſis noctu copiis vrbe eductis omnes paſſim vias inſideant. Sed contrà nolentibus præfectis; quòd magna pars militum ex vulneribus languida eſſet, omneſque corpora ab eo conflictu laſſa & defatigata haberent; ipſe certos quoſdam equites ad caſtra hoſtium mittit, qui Syracuſanos iam ad occupandum opportuniſſima quæque itineris loca præmiſſos renuncient. Hæc imperata dum equites ſerâ nocte exſequuntur, Athenienſes à Leontinis beneuolâ quadam affectione miſſos rati, non parum conturbantur, & tum quidem profectione illinc ſuperſederunt. quam in fraudem niſi illecti fuiſſent,

tuta illinc patuisset abitio. At quamprimùm dies illuxit, Syracusani, qui angustias viarum intercipiant, milites expediunt. Atheniensium verò Duces, distincto in duas partes exercitu, impedimenta & ægrotos in medio complectuntur, integros verò armisque vsurpandis idoneos in fronte & tergo agminis constituunt, Catanamque versus progrediuntur, hos Demosthene, illos Niciâ ductante. XI Interim Syracusii quinquaginta triremes ibi relictas funibus alligatas in vrbem pertrahunt. eductosque à suis triremibus classiarios armant. atq; ita cum vniuersis copiis hostem insequuntur, & postremum lacessendo agmen vlterius progredi non sinunt. Ad hunc modum per tres dies tergis miserorum inhærendo, & transitus vndique anticipando, rectà versus Catanam vrbem confœderatam progrediendi facultatem intercludunt. Tandem iter iam confectum relegere, illosque per campum Helorium coactos ad fluuium Asinarum vndique velut indagine concludunt, ibique octodecim millia trucidant; & Iↄ c c viuos capiunt; inter quos erant Demosthenes & Nicias Imperatores. Reliquum vulgus prædæ militum cessit. Athenienses enim omni salutis viâ præclusâ, & arma & se ipsos dedere cogebantur. His ita gestis, duo Syracusani tropæa exstruunt, adfixisque Imperatorum armis, in vrbem regrediuntur. Et tunc publicis vniuersa ciuitas sacris deos venerata est. Die postero aduocatâ concione, quid de captiuis sit constituendum, publicè disquiritur. Ibi Diocles quidam, inter populi ductores clarissimus, sententiam tulit, Atheniensium præfectos verberibus bene multatos capitali supplicio adficiendos; reliquam verò captiuorum turbam in lapidicinas detrudendam. tum quicunque sociam Atheniensibus operam nauassent, sub hasta vendendos: nec plus quàm binas farinæ chœnices Atheniensibus in ergastulo suppeditandas esse. Quod decretum cùm recitatum esset, Hermocrates in concionem progressus sermonem instituit, victoriam humaniter ferre longè satius esse quàm adipisci. Obstrepente autem & tumultuante populo, vt cui oratio hæc minimè ferenda videretur, Nicolaus quispiam, qui duos per hoc bellum natos amiserat, suggestum conscendit, à domesticis ob senectæ imbecillitatem, ministris sustentatus. quo conspecto, tumultuari populus desiit, captiuos accusaturum sperans. XX Facto igitur silentio huius-

huiusmodi orationem senior exorsus est. Calamitatum »
quas hoc bellum inflixit, viri Syracusani, partem non mini-
mam ipse expertus fui. nam cùm duorum parens filiorum
essem, ambos periculis pro patriâ subeundis obiicere non
dubitaui. sed pro illis nuncium, quo interitus vtriusque si-
gnificabatur, recepi. Nunc dum maiore indies conuictus i-
psorum desiderio adficior, & quâ morte defuncti sint, expen-
do; illorum quidem conditionem, vt beatam, prædico: sed
meæ contrà vitæ fortunam miseror, & calamitosissimam esse
duco. Illi enim vitam, quam aliàs naturæ necessitati debe-
bant, patriæ saluti impendendo, æternam virtutis suæ glo-
riam reliquerunt. Ego verò in hoc extremo ætatis limine
senectutis meæ præsidio destitutus, luctu conficior duplici;
dum & generis mei propagationem, & virtutis deinceps
fructum ne quicquam in filiis meis requiro. Etenim quan-
tò generosior ipsis vitæ exitus fuit, tantò exoptatiorem sui
memoriam reliquerunt. Quare non immeritò Athenien-
sium mihi nomen propter illos inuisissimum est, quem non
liberorum sed famulorum, vti videtis, manus ducunt atque
fulciunt. Atqui si præsens consilium, viri Syracusani, pro
incolumitate Atheniensium institutum viderem, non ab re
etiam ipse tùm ob illatas clades & patriæ calamitates publi-
cè, tùm meas quoque miserias, quàm acerbissime in eos in-
ueherer. Sed cùm de misericordiâ erga afflictos exercen-
dâ, déque communi bono & populi Syracusani gloriâ, inter
vniuersos mortales peruulgandâ, hoc iudicio disceptetur;
meam absque fuco de commodis Reipublicæ sententiam
XI. in medium adferam. Populus equidem Atheniensis
meritas dementiæ pœnas ante omnia diis immortalibus,
» posteà etiam nobis iniuriâ tantopere affectis, exsoluit. Bo-
» num profectò Numen est, quod iniusta bella inceptantes, &
» eximiam potentiæ suæ molem ferre nescientes, calamitati-
» bus obruit. Quis enim sperare vnquam ausus fuisset, A-
thenienses allatis ex Delo decem millibus talentûm & tri-
remibus CC in Siciliam expeditis, virisque plus quàm qua-
draginta mille ad bellum gerendum hùc missis, in tàm atro-
ces calamitates demersum iri? namque de tàm insigni ap-
paratu, neque nauis, neque vir vllus rediit. adeò, vt nec cladis
nuncius superstes manserit. Postquàm igitur compertum
habetis, viri Syracusani, superbos diis iuxta, hominibusque

odio esse,adorantes fortunam,nihil supra humanum,quæso,
modum committatis. Nam quid tantoperè magnificum,
profligatum iugulare? quænam gloria, vindictam acerbiùs
exigere? Nam qui implacabili in fortunam aduersam odio
sæuit, communi hominum imbecillitati vim iniuriamque
adfert Nemo tam prudens est, vt plus, quàm fortuna,pol-
leat;quæ suopte ingenio calamitatibus humanis quasi gau-
dens, repentinas rebus secundis calamitates inducit. Hic
nonnulli fortasse dixerint: Iniuria multis nos cladibus ad-
fecerunt; & plenam vindictæ de illis sumendæ potestatem
habemus. An non verò longè grauiores populus Atheni-
ensis pœnas luit,quàm deliquit? An non satis hoc vobis est
de captiuis supplicii? Cum armis se ipsos in manus vestras
tradidêre,victoris æquitati & clementiæ omnia commen-
dantes. Indignum ergò foret humanitatis vestræ fiduciâ &
spe illos fraudari. Sanè qui pertinax alioquin odium reti-
nent, pugnando ad extremum vsque spiritum perseuerant.
At hi deditione sui hostium loco supplices vobis se obtule-
runt. Enimuerò qui in pugnâ hosti corpus suum dedunt,sa-
lutis profectò spe tuendæ id faciunt. Quod si contra fiduciæ
suæ persuasionem ad supplicium rapientur,ipsi quidem cala-
mitatem,(quamuis insperatam) sustinebunt. At qui tàm a-
trociter egerint,vecordes & ab humanitatis sensu alieni me-
ritò vocentur. Eos verò, qui principes aliorum esse volunt,
viri Syracusani,non tàm se armis confirmare,quàm morum
humanitate probare decet. Nam qui metu potentio- XX
rum ad imperata faciendum adiguntur, hos obseruatâ tem-
poris opportunitate odium ad rebellãdum stimulat. At mã-
suetos nacti duces, amore illos prosequuntur, suisque impe-
rium studiis opibusque subinde magis amplificant. Quid
Medorum Imperium euertit? Crudelitas erga inferiores.
quamprimùm enim Persæ defecerunt, plurimæ simul cum
ipsis gentes rebellârunt. Nam quî aliâs fieri potuisset,vt Cy-
rus,priuatam antea vitam agens, Asiæ totius Imperium oc-
cuparet? Benignitate erga subditos illud effectum est. Crœ-
sum igitur bello captum non modò nõ incommodo aliquo
adfecit,sed multis etiam beneficiis cumulauit. Similiq; mo-
re cum aliis quoque regibus & populis egit. diuulgatâ igi-
tur per omnia passim loca regis mansuetudine & benignita-
te,omnes Asiæ incolæ mutuis certatim studiis ad societatem
illius

illius sese aggregârunt. At quid tam longè & locis & temporibus remota commemoro? cùm nostra in ciuitate Gelon ex homine plebeio Siciliæ totius Princeps euaserit, sponte in ditionem eius concedentibus oppidis. Comitas enim viri cunctos alliciebat, benignam præcipuè afflictis mentem declarans. Ex illo itaque tempore cùm Siciliæ principatum ciuitas nostra iuri suo vendicârit, ne maiorum, quæso, laudem abiiciamus, nec beluarum more truces & inexorabiles erga miserias humanas nos exhibeamus. Nequaquam enim inuidiæ traducendi nos ansam, quod rebus secundis indigni simus, præberi decet. Quàm enim honestum est, cùm fortuna aduersatur, habere qui vicem nostram doleant? & rursus, cùm prosperos illa successus largitur, alios nobiscum voluptate frui? „ Victoriæ enim armis partæ fortunæ plerun- „ que & occasioni adiudicantur; at mansuetudo & huma- „ nitas in felici rerum successu proprio virtutem fortunato- „ rum documento probant. Propterea hanc patriæ gloriam ne quæso inuideatis, quâ per omnes vbique mortales celebratur, quod vtique non armis tantùm, sed humanitate etiam Athenienses superârit. Apparebit enim, illos, qui summam comitatis laudem sibi tribuunt, ab æquitate vestrâ in precio, curâque habitos. Et qui Misericordiæ delubrum primi consecrarunt, in vrbe Syracusanorum idipsum inuenient. Quod cunctis vbique mortalibus perspicuum erit argumentum, illos meritò in clades istas incidisse, nosque iure fortunam habuisse propitiam: Siquidem eam illi ciuitatem extremis adficere iniuriis tentârint, quæ probitatem animi hostibus etiam inimicissimis exhibeat; nosque id genus hominum deuicerimus, qui populum, etiam infestissimis misericordiam impertiri doctum insidiis ausi fuerint appetere. Vnde eueniet, vt non aliorum duntaxat criminationibus exponantur Athenienses, verùm suo quoque iudicio se condemnent, quòd tales oppugnare viros iniusto bello fuerint conati.

XIII. Præclara equidem res est, viri Syracusani, primum nouæ amicitiæ exordium facere, „ & calamitosorum miseratione discordiam expiare. Bene- „ uolentia enim inter amicos ita tuenda est, vt immorta- „ lis sit: inimicitias verò cum aduersariis mortales esse o- „ portet. Hac enim ratione fit, vt sociorum numerus sub- „ inde augescat, hostium verò diminuatur. At lites & odia

in perpetuum retinere,& ad liberos, nepotesque transmitte- "
re,id nec æquum est,nec tutum. Quandoque enim accidit, "
vt quidam viribus aliis superiores visi, repentè vno tempo- "
ris momento,priùs à se deuictis & ad ima redactis,longè in- "
firmiores euadant. quod bellum nunc cum hoste confe- "
ctum satis attestatur. Qui enim ad obsidendum nos huc ve- "
nerant,iamque muro obstructam vrbem, pro virium sua-
rum excellentiâ vndique premebant; ecce mirabili fortunæ
vicissitudine captiui hîc vobis adsunt. Consultissimum igi- "
tur est,in aliorū calamitatibus mitem se exhibere; vt si quid "
humanitus contigerit, promptum aliorum vicissim miseri- "
cordiæ affectum erga te experiaris. Quàm enim multa præ- "
ter spem in hac vitæ inconstantiâ eueniunt? iam ciuilis sedi-
tio Rempublicam turbat;iam latrocinia infestant: iam bel-
la premunt. inter quæ non facilè periculum euadit huma-
næ naturæ particeps. Idcircò si deuictis misericordiam pre-
ciderimus,acerbam in nos ipsos, ad omne deinceps æuum,
legem statuemus. Fieri enim non potest, vt,qui immites,
sæuosque se aliis præstiterint, ab aliis humaniter ac beni-
gnè habeantur: & qui atrocia fecerint, moderatè tracten-
tur, & qui contra Græcorum mores tot viros trucidâ-
rint, commutato vitæ suæ statu communia omnium iu-
ra implorent. Quis enim Græcorum vnquam eos, qui be-
neuolâ victorum humanitate confisi sese vltrò dediderunt,
indeprecabili mactandos supplicio censuit? aut quis vnquam
crudelitati misericordiam & temeritati prudentiam postpo-
nendam statuit? Hoc cuncti equidem sunt ingenio, vt XXI
hostibus contra se instructis, quà possint, contentione
resistant: victis autem, prostratisque cedendo parcant.
Illic enim audacia subigitur, hîc misericordia exercetur.
Frangitur enim animi nostri concitatio, cùm is, qui iampri-
dem hostis fuerat, sorte mutatâ supplex, quicquid victori li-
buerit, patiendum exspectat. Inprimis autem misericordiæ "
sensu placidorum hominum animi capiuntur; quòd mutua "
quædam communis naturæ affectio exsistit. Enimuerò A- "
thenienses in bello Peloponnesiaco, cùm Lacedæmonio-
rum quamplurimos in Sphacteriâ insulâ cepissent, redem-
ptos inde Spartanis restituerunt. Lacedæmonii vicissim,
cùm multi Atheniensium sociorumque in manus ipsorum
venissent,eadem clementiâ vsi fuerunt. Et præclarè ab vtris-

que fa-

que factum est. Græcis enim inimicitiæ ad victoriam vsque
se extendant oportet,& pœnæ non diutius exposcãtur, quam
aduersarii fuerint in potestatem redacti.

Qui vlterius subactum, & ad benignam victoris fi-
dem tanquam asylum confugientem, vlciscitur, is non am-
pliùs hostem punit, sed humanæ potiùs imbecillitati per in-
iuriam insultat. in cuius tam obstinatam asperitatem rectè
quis has sapientum antiquorum sententias accommodaue-
rit: MI HOMO, NE NIMIS ALTVM SA-
PE. NOSCE TEIPSVM. INTVERE FOR-
TVNAM OMNIVM DOMINAM. Cuius
rei quæso gratiâ Græciæ vniuersæ progenitores in bellorum
victoriis non è saxis, sed vulgaribus lignis, tropæa statuenda
curauerunt? An non ideò, vt si ad exiguum tempus durarent,
breui inimicitiarum quoque monumenta exsolescerent?
Omninò, si æternas confirmare discordias in animo vobis
est, humanarum vos rerum infirmitatem & inconstantiam
contemnere, scitote. Vna sæpe occasio, & exiguum fortunæ
momentum superbissimorum hominum insolentiam euer-
tit. Quod si, vt credibile est, bello finem aliquando im-

XV.

ponere cogitatis, quæ vnquam pulcrior occasio se vobis da-
bit, quàm hæc ipsa, quâ per humanitatem deuictis exhibi-
tam nouæ amicitiæ fundamenta iacietis? Num existimatis
populum Atheniensem, ob cladem in Sicilia acceptam, pe-
nitus viribus exhaustum? quippe cuius imperio omnes pro-
pè Græciæ insulæ parent, & tum Europæ, tùm Asiæ mariti-
ma sub ditione habentur. Nam etiam pridem, tametsi CCC
in Ægypto triremes, vnà cum viris amisisset, regem tamen,
qui iam victor esse putabatur, ad conditiones pacis, non per
omnia honestas, secum paciscendas compulit. Et diruta
quondam vrbe ipsorum à Xerxe, paullò pòst & ipsum vicit,
& totius Græciæ Principatum acquisiuit. Hoc illa ciuitas
excellit; quòd in maximis calamitatibus maxima incremen-
ta facit, & nihil vnquam humile decernit ac molitur. Ho-
nestum igitur ac conducibile, vt potius quàm inimicitias
augeamus, parcendo captiuis societatem illorum nobis ad-
iungamus. Nam si illos necauerimus, sterili quadam volu-
ptate expletâ, animo tantùm morem geremus. Sin incolu-
mes seruauerimus, à merito isto adfectis luculentum gratiæ
fœnus, ab vniuersis insuper aliis, insignis gloriæ decus ad nos
redibit. Et certè ita se res habet,

At nonnulli Græcorum captiuos iugulârunt. quid tum? si facinoris huius immanitate laudem consecuti sunt, imitemur & nos eos, qui gloriæ curam habuêre. Sin à nobis omnium primis illi meritò vituperantur: nos eadem, quæ illi, quos enormiter peccasse constat nequaquam perpetremus. Quamdiu enim nihil funesti à nobis hi perpetientur, qui fidei se nostræ permisêre; omnes passim gentes populum Atheniensem meritò vituperabunt: sin verò audiuerint contra ius gentium violatâ pactorum fide in captiuos sæuitum esse, in vos omnem vituperationis molem deuoluent. Quod si quorumlibet merita aliorum respicienda sunt, Atheniensium profectò ciuitas maiestate suâ animos hominum ad se conuertit, vt ad gratiam pro meritis ipsi retribuendam obstrictos se fateantur. Hi enim sunt, qui principes humaniorem cum Græcis victum communicarunt: quem sibi à diis seorsum tributum publicis omnium vsibus exposuerunt. Hi leges repererunt, quibus vita communis, ex beluino & enormi viuendi consuetudine, ad mansuetam iustitiæque conformem societatem est traducta. Hi primi omnium confugientes ad fidem aliorum tutati, leges supplicum, vt apud omnes vbique gentes plurimùm valerent, effecêre: quorum præsidio nunc principes, auctoresque illarum destitui indignissimum herclè foret. Et hæc quidem in genere ad omnes dicta sunto. Nunc quosdam inter vos de humanitatis officiis commonefaciam. Vos enim quibuscunque eloquentiæ & eruditionis hac in ciuitate facultas aliqua parta est, vos, inquam, miserescite illorum, qui patriam suam communem honestæ institutionis officinam, vniuersis mortalibus præbent. Quicunque etiam sanctissimis deûm mysteriis inaugurati estis, seruate nunc, qui vos initiârunt, mystas. qui iam humanitatis fructum aliquem inde percepistis, gratiam nunc rependite benefactis. qui deinceps percepturi estis, ne spem irâ præcidatis. nam qui locus ad liberalem disciplinam exteris patebit, ciuitate Atheniensium sublatâ? Aliquod sane odium sed breue, culpâ suâ, conflârunt, sed multis contra præclarè factis amplam sibi beneuolentiam reposcunt. Præter hanc verò dignitatem vrbis meritò reuerendam, si quis priuatim captiuos æstimet, haud iniuriâ miseratione dignos esse deprehendet. Socii enim imperantium auctoritate ac iussu ad eiusdem belli communionem

XXVI

XXVI

XX-VIII.

nionem ſunt adacti. quocirca ſi in eos qui datâ operâ iniu-
rias intulerint, vindictam exercere par eſt; certè præter vo-
luntatem ſuam delinquentibus veniam tribuere conuenit.
Quid de Niciâ memorẽ: qui ab initio Syracuſanorm cauſæ
patrocinatus, expeditionem in Siciliam diſſuaſit. & perpe-
tuis Syracuſanos illuc peregrinantes ſtudiis proſecutus eſt,
publicumque hoſpitem egit. Quàm abſurdum igitur fue-
rit, ſi Nicias noſtram in Senatu Athenis cauſam tutatus, ſup-
plicio adficiatur, nullamque pro ſuâ in nos beneuolentiâ mi-
ſericordiam conſecutus, propter obſequium Reipublicæ
præſtitum vindictæ implacabilis rigorem experiatur? Etſi
Alcibiades, qui bellum hoc nobis concitauit, noſtram ſimul
& Athenienſium vltionem effugerit; hic verò, quem inter
cunctos Athenienſes humaniſſimum eſſe conſtat, ne vulgari
quidem miſericordiâ dignus æſtimetur. Quam ob rem ego
hanc vitæ conuerſionem intuens, fortunam tam deplora-
tam miſeror. Nam paulò antè cùm inter clariſſimos Græ-
ciæ conſpicuus, & ob ſingularem vitæ integritatem celebris
exſiſteret; in ore atque oculis vt vir beatus, toti ciuitati fere-
batur. At nunc exſtantibus lacertis reuinctus, deformi ſa-
nè intuitu miſerabilem captiuitatis ſortem experiri cogi-
tur; non ſecus ſi fortuna in hominis iſtius vitâ potentiam
ſuam oſtentare voluerit. Cuius liberalem in nos fauorem,
prout homines decet ferre, nec crudelitate barbarica, in ho-
mines gentiles ac eodem ſtirpe progenitos, deſæuire nos o-
portet. Hac tùm Nicolaus oratione habita, finem di-
cendi fecit, & miſericordiam in auditoribus excitauit. At Gy-
lyppus Laco, implacabili in Athenienſes odio flagrans, cùm
ſuggeſtum conſcendiſſet, his verbis loqui infit. Maiorem in
modum, viri Syracuſani, miror, quòd tàm ſubitò verbis aliter
perſuaderi vobis ſinitis, quàm reipsâ magnis cum cladibus
experti eſtis. Sic enim in ſummo excidii metu verſati animis
tam remiſſis eſtis in eos, qui ad exſcindendam vrbem ve-
ſtram hûc venerunt, quid nobis contentione nunc opus eſt,
qui nullâ ſcilicet iniuriâ aut damno affecti ſumus? Date
mihi per deos immortales obſecro, viri Syracuſani, ve-
niam, dum ingenuâ cum animi libertate ſententiam meam
vobis explicem. Spartanus enim cùm ſim, Spartanum quo-
que dicendi morem ſeruo. At primùm rogare quis poſ-
ſit, quânam ratione Nicolaus Athenienſium, qui ſenectâ e-

XXVIII.

ius ſublatâ prole tàm miſerabilem effecêre, miſertum ſe confirmet, dum miſerabili veſtitu in concionem progreſſus lacrymatur, & nihilominus miſericordiâ dignandos eſſe, à quibus liberi eius trucidati ſunt, perſuadere conatur? Certè vir bonus eſſe deſiit, qui coniunctiſſimorum interitum oblitus, crudeliſſimos hoſtes in vita conſeruandos eſſe cenſet. Quot verò in hoc frequentiſſimo populi conuentu nunc adeſtis, à quibus interempti per hoc bellum nati lugentur? ad quæ verba cùm magnus conſidentium numerus infremuiſſet; ille prioribus hæc adiiciens, Video, inquit, vos fremitu iſto & gemitu miſerias illatas teſtificari. Quot porrò fratres, cognatos, amicos in conflictibus hiſce amiſſos deſideratis? Tum multò plures ſignum dabant. Sed Gylippus, vidésne, ait, Nicolae, quantã Athenienſes multitudinem calamitoſam reddiderint? Hos omnes nulla in re malè de ipſis meritos, cariſſimis ſummaq; neceſſitudine iunctis priuauêre. qui tanto Athenienſium nomen odio proſequi debent, quanto ſuos quisque amore fuit complexus.

XXIX. Qui ergò non abſurdum & iniquum foret, ô Syracuſani, defunctos in bello, vltrò pro vobis mortem oppetiiſſe; at nos illorum gratiâ nec de infenſiſſimis vltionem exigere? & laudare quidem eos, qui ſuam ipſorum vitam communi libertati impenderunt, ſed pluris tamen hoſtium ſalutem, quàm præclarè meritorum de vobis honorem æſtimare? Publico à vobis decreto ſancitum eſt, vt ſepulcra denatorum publico ſumptu exornẽtur. quẽ igitur honeſtiorem inuenietis ornatum, quàm carnifices illorum afficere ſupplicio? niſi fortè, ſi diis placet, in ciuitatem adſcriptos animata hæc tropæa veſtris exanimatis ſtatuere vobis libet. At tranſmutato nomine pro hoſtibus hoſpites ac ſupplices vocantur. vnde hæc illis humanitas indulta? nam qui principio leges de his conſtitutas tulerunt, calamitoſis miſericordiam, & ſceleratè delinquentibus ſupplicium decreuerunt. Iam vtrum captiuis ordinem attribuemus? num calamitoſorum? At quis malus genius eos nulla priùs iniuriâ laceſſitos bellum inferre Syracuſanis, & pace quam ſummâ omnes laude vehunt, neglectâ ad vrbis veſtræ excidium arma expedire coëgit? Itáne igitur comparatum ſit? Quandoquidem iniuſtum ſponte ſuâ bellũ ſuſceperunt (perferant ſanè eius diſcrimina vel fortiter,

tiler,

titer, vel minimè) si victoriam obtinuerint, inexorabilem in nos sæuitiam exerceant; sin res malè cesserit, humanissimo supplicationis obtentu supplicium deprecantur? Quid? si redarguantur, quòd merâ nequitiâ, & plura subinde acquirendi cupiditate, in has se calamitates præcipitârint? Fortunam ergò ne incusent, nec honestissimum supplicationis nomen implorent. Hoc enim illis integrum reseruatur, qui puro & innocenti animo præditi fortunæ inclementiam experiuntur. At illi cùm vitam omnibus iniuriis refertam traphant; nullum ad miserationem aditum, nullum perfugium sibi reliquum fecerunt. Quid enim vspiam vel omnium turpissimum occurret, quod ipsi non excogitârint? quod vnquam immane facinus, quod non perpetrarint? Auaritiæ id maximè proprium est, suæ felicitatis sorte non contentum, ad longè remota, nihilque ad se pertinentia cupiditatem extendere suam. id quod ab his egregiè factum est. nam licèt Græcorum omnium essent beatissimi, fortunam tamen secundam, veluti onus quoddam nimis graue, non ferentes, Siciliamque tàm vasto mari seiunctam, incolis in seruitutem abstractis, sortitò inter se diuidere cupiuerunt. Graue quiddam est & atrox, nullâ iniuriâ prouocatos aliis bellum inferre. quod & ipsum illi commiserunt. qui enim pridem amicitiam nobiscum coluerant, tantis repentè copiis vrbem nostram circumsepserunt. Superbum certè est, præoccupatâ belli fortunâ, hostibus nondum victis supplicium decernere. Nec hoc ab illis prætermissum est. nam antequàm in Siciliam traiecissent; communibus hanc sententiam suffragiis ratam fecerunt, Syracusanos & Selinuntios mancipandos esse, reliquos verò ad tributorum pensionem adigendos. Cùm igitur in eosdem homines cadant hæc simul mala, auaritia inexplebilis, fraus insidiarum plena, & insolentia non tolerabilis: quisnam sanæ mentis illorum misereatur? præsertim cùm non obscurum sit, quàm clementer tractârint Mytilenæos. Postquàm enim hos debellârant, qui tamen nihil iniqui contra illos moliti, pristinæ tantùm libertatis desiderio tenebantur, de vniuersis in vrbe iugulandis decretum fecerunt. Crudele profectò ac barbaricum planè facinus. atque hoc in Græcos, in socios, in bene de se complurie smeritos; designarunt. Quocirca non ægrè ferant, si quas aliis pœnas inflixerint, easdem etiam ipsi luant. nam

æquum eſt, vt quam quis in alios legem ſtatuit, eandem "
non grauatim etiam ipſe ſubeat. Sed quid iſtud memoro? "
vrbe Meliorum expugnata, totam illic pubem miſerè trucidarunt. Scionæi quoque cognato Meliis ſanguine iuncti, eandem fortunæ iniquitatem experti ſunt. Ita duo ſimul populi, cùm ad furorẽ Atticum impegiſſent, adeò protriti ſunt, vt nec funebria cadaueribus iuſta perſoluens inde reſtaret. Talia verò, qui perpetrarunt, non Scythæ ſunt, ſed populus humanitate quouis alios præcellere ſe fingens, publico decreto vrbes illas funditus euertit. Nunc cogitate, quid in Syracuſiorum vrbem, vi expugnatam commiſſuri fuiſſent: profectò, qui tam efferata crudelitate in familiares debacchati ſunt, lõgè atrociùs in alieniores vindictæ genus inueniſſent.

XXXI

Iure igitur nihil his miſericordiæ reliquum eſt, quàm ipſimet in propriis ſibi calamitatibus amputarunt. Nam quò confugere illos conuenit? ad deóſne immortales? quibus cultus adimere patrios ſtuduerunt? an verò ad hominum fidem, quos ſeruitutis innectere iugo approperârunt? num Cereris & Proſerpinæ numẽ & myſteria implorabunt? cùm conſecratam ipſis inſulam exciſum & vaſtatum huc acceſſerint. Scilicet. Atqui plebs Athenienſis non in culpa eſt, ſed Alcibiades, horum omnium ſuaſor & concitator. quid verò? ſi conſultores plerunque ad ſuas de auditorum voluntate coniecturas orationem accommodare ſit compertum? nempe, vt ſuffragium laturus voluntati ſuæ congrua ad dicendum oratori ſubminiſtret. Non enim in concionantis poteſtate multitudinis conſiſtit arbitratus, ſed populus, quòd in rem eſt prudenter conſulens, oratorem ad optima diſſerendum adſuefacit. Quod, ſi nefariè delinquentibus veniam indulgebimus, ſi modò in conſultores errati culpam reiecerint, promptam cuiuis ſcelerato purgandi ſui facultatem porrigemus. vtque planiſſimè dicam, omnium hoc iniquiſſimum fuerit, beneſactorum gratiam non conſultoribus, ſed populo, à beneficio quopiam affectis haberi; iniuriarum verò pœnas in oratores transferri. Mirum verò nonnullos eò iam imprudentiæ delapſos, vt Alcibiadem, in quem nihil poteſtatis eſt nobis, plectendum, captiuos autem iam ad meritum ſupplicium adductos dimittendos eſſe cenſeant; vt omnibus ſcilicet palam fiat, quòd iuſto aduerſus ſceleratam improbitatem odio populus Syracuſanus

non

non adficiatur. Sed isti suasores huius belli omnem susti-
neant culpam. Accuset ergo illos multitudo, quòd tàm ma-
lignè ab oratoribus decepti fuerint. interim vos iure opti-
mo iniuriarum vindictam à multitudine reposcetis. quod-
que caput rei est, si prudentes & scientes tàm notoriâ vos in-
iuriâ adfecerunt, propter hoc ipsum nocendi propositum
vltione digni sunt. Sin temerariis bellum consiliis intule-
runt, nec hac ratione dimittantur; quippe, ne temerè alio-
rum vitæ pericula & damna inferre consuescant. Haud
quaquam enim par est per ignorantiam & temeritatem A-
theniensium exitium Syracusanis importari: nec vbi irrepa-
rabile facti damnum est, liberum auctoribus excusandi lo-
cum patefieri. XXII At verò, vti me Iupiter amet, Nicias in
Republicâ Syracusiorum causam egit, solusque belli dissua-
sor exstitit. Sanè quæ dum dicta illic fuerint, audimus: at
hîc facta coràm intuemur. nam qui illic contra expeditio-
nem disseruit, en hîc hostilis exercitus ductor fuit, & tum
Syracusanorum patronus, nunc vrbem illorum circumual-
lauit. Qui tàm humaniter erga vos adfectus dicitur, vnus,
Demosthene, cæterisque omnibus obsidionem soluere cu-
pientibus, manere, bellumque continuare iussit atque per-
pulit. Quapropter ego sic statuo, apud vos nec verba rebus,
nec pollicita experimentis, nec obscura & incerta palàm o-
mnium conspectui expositis, plus habere ponderis atque vi-
rium debere. At bone Iupiter, inimicitias non sempiternas
geri honestum est. An non post sumptum de violatoribus
pacis & iustitiæ supplicium inimicitias opportunè dissolue-
tis? Certè periniquum foret, illos bello superiores deuictis
tanquàm seruis abuti. superatos verò, ceu nihil iniustè com-
miserint, veniam adipisci. hoc enim facto fiet, vt malefacto-
rum pœnis exsoluti, amicitiæ eo duntaxat tempore sint me-
mores, quo ipsis cõducibile videatur. Vnum hoc insuper ad-
do; si consilium istud exsequemini, præter complures alios,
etiam Lacedæmonios iniuriâ adficietis, qui & illic promptè
vestrâ causâ bellum susceperunt, & huc suppetias pro iure
sociali transmiserunt: cùm in pace quiescere, ac Siciliam ho-
stibus diripiendam ac vastãdam permittere integrũ ipsis fo-
ret. Eam ob causam si captiuis impunè dimissis nouum cum
Atheniensibus amicitiæ fœdus connectetis, fidem societatis
vos prodidisse liquidò apparebit, & cùm in facultate vestrâ sit

communem nunc hostem omninò pessum dare, eum tot egregiis militibus restitutis denuò viribus instructiorẽ reddetis. Nunquam mihi persuaderi sinam, Athenienses tanto in vos odio concitatos, in amicitiæ fide constanter perseueraturos: sed quamdiu vires ipsis defuerint, tantisper beneuolentiam simulaturos; quãprimùm verò aliquid roboris collegerint, iam olim meditata ad finem promoturos. Ad extremum itaque, ô Iupiter diique vniuersi, vos omnes obtestor, ne hostes seruẽtur, ne sociorũ fides deseratur, ne nouum denuò periculum patriæ adducatur. At vobis, ô viri Syracusani, si dimissis hostibus molesti quippiam euenerit, nec speciem honestè vos excusandi reliquam habituri estis.

Hæc cùm disseruisset Laco, mutatis plebs animis sententiam Dioclis ratam esse iussit. Extemplò igitur summi exercitus duces cum sociorum turbâ necati; ciues autem Attici in lapidum fodinas detrusi fuêre. quorum nonnulli, liberaliùs in bonis artibus instituti, adolescentum fauore vinculis exempti, incolumes abiêre. Reliqui fermè omnes, indignis in carcere modis vexati, miserabili tandem vitæ exitu periêrunt. Bello dehinc finito, Diocles Syracusanis leges conscripsit. Sed insolens quiddam & memorabile circa hunc virum accidit. Cùm enim inexorabilis esset pœnarum exactor, & rigidâ in delinquentes seueritate animaduerteret, inter leges suas hoc etiam sanciuit, vt, si quis cum armis in forum prodiret, capite plecteretur, nec vllum imprudentiæ aut cuicunque circumstantiæ veniam concessit. Sed accidit quondam, vt hostium irruptione in agrum Syracusanum nunciatâ, etiam ipse gladio accinctus egrederetur. Interim tumultu per seditionem circa forum exorto, imprudens cum gladio illuc approperat. quod cùm priuatus quidam obseruatum reprehenderet, exclamaretque, proprias ab ipso leges antiquari: Non, per Iouem inquit, sed potiùs confirmabo; eductóque gladio se illicò transfixit. Hic rerum gestarum illo quidem anno cursus fuit.

XXXIII.

Archontis dehinc munus obeunte Athenis Callia, Romani tribunos militares consulari potestate quatuor fecerunt, Publium Cornelium, Caium Valerium, N. Fabium Vibulanum, & Quintium Cincinnatum. Tunc Olympias apud Eleos agebatur nonagesima secunda; quâ stadio vicit Exænetus Agrigentinus. Hoc tempore Atheniensis populi

XXXIV.

imperium,

imperium, ob res in Siciliâ malè gestas, contemni cœpit. statim namque Chii, Samii, Byzantii & bona pars sociorum, ad Lacedæmonios desciuêre. Perturbatus hac re populus, populari administratione sponte se abdicans, CCCC viros elegit, qui Reipublicæ negotia tractarent. Potestate igitur ad paucos redactâ, qui summæ rerum præerant, plures triremes exstruunt, & XL nauium classem expediunt. quæ orto inter præfectos dissidio, Oropum appellit: vbi hostium triremes in ancoris consistebant. Inito igitur certamine Lacedæmonii vincunt, & nauigiis XXII potiuntur. At Syracusani bello Atheniensium exstincto, Lacedæmonios armorum socios, quorum Dux Gylippus erat, spoliis eo bello captis remunerantur, cumque illis XXXV triremes in subsidium belli contra Athenienses suscepti mittunt; quarum Hermocrates Prætor erat, vir inter ciues primarius. Tum prædam eo bello acquisitam contrahunt, & selectis inde manubiis templa exornant: milites etiam, qui præclarum virtutis specimen ediderant, pro suo quemque merito, præmiis honestant. Posthæc Diocles, qui plurimùm inter populi ductores auctoritate valebat, nouam Reipublicæ rationem instituendi, vt sorte magistratus capessantur, populo auctor est. Legum præterea latores, ad componendum Reipublicæ statum, nouasque leges condendum illos designare iubet.

XX. Ex ciuibus ergò deligunt Syracusani, qui prudentiâ maximè præstare videbantur; quorum clarissimus fuit Diocles. Nam adeò mentis solertiâ & nominis celebritate alios supergressus est, vt leges communi omnium opera scriptæ Diocleæ tamen ab illo nuncuparentur. Nec viuus tantùm hic vir in admiratione habitus fuit Syracusanis, sed mortuo quoque heroicos tribuerunt honores; exstructo ad memoriam illius templo; quod à Dionysio postmodum in eductione noui muri est destructum. Quin cæteri quoque Siculi virum hunc magnifecerunt. Multæ igitur per insulam hanc ciuitates ad leges illius Rempublicam conformarunt: donec omnes Siciliæ populos Romani ciuitate suâ donarunt. Etiamsi autem posteris inde temporibus, cum Timoleon imperaret, Cephalus, & Hierone regnante, Polydorus, leges Syracusanis tulerint, neutrum tamen legislatorem, sed interpretem legislatoris nominârunt, propterea quòd leges priscâ linguâ conscriptæ intellectu difficiles essent. Cùm autem

multa sint in his legum institutis consideratione digna, inprimis acerrimum improbitatis odium hinc elucet, quòd amarissimas cunctis iustitiæ violatoribus pœnas irrogauit; ingensque rerum ciuilium peritia & vsus ex eo apparet, quòd vnamquamlibet actionem & causam, quæ priuatim aut publicè in disceptationem venit, certa mulcta determinauit. in dicendo concisus est, & multum disquisitionis lectori relinquit. virtutem eius, animique rigorem funestæ mortis casus attestatur. Hæc ad paullò diligentiùs persequendum studio quodam prouectus sum, quòd plærique scriptores non multa de ipso ante nos memoriæ prodiderint.

XXVI. Cæterùm Athenienses vbi copias suas in Siciliâ ad internecionem deletas cognouerunt, grauissimè cladis atrocitatem tulêre. nihilo tamen magis idcircò de imperio cum Lacedæmoniis contendere destiterunt. Quinimò classem instruxerunt maiorem, pecuniasque suis, ad extremam vsque spem de principatu contendere promptis, suppeditarunt. Quadringentis igitur viris à se delectis, plenariam Rempublicam administrandi potestatem tradiderunt. paucorum enim gubernationem præsenti rerum conditioni magis accommodam esse, quàm statum popularem, iudicabant. Res tamen nequaquam ex sententiâ illis euenit: sed longè infeliciore successu bellum inde gesserunt. Prætores enim duos inter se discordes cum XL nauium classe in hostem ire iubent. Etsi autem rebus Atheniensium tantopere afflictis tempus concordiam vel maximè flagitabat, illi tamen inimicitias & dissensiones mutuas alere perrexerunt. Ad postremum classe ad Oropum deflexâ, imparati cum Peloponnesiis cõflixêre: vbi, quòd & perperam instituissent pugnam, & ignauiter discrimina eius sustinerent, naues XXII amisêrunt, & reliquas vix saluas Eretriam reduxêre. His ita gestis, socii Atheniensium propter cladem in Sicilia acceptam, prauamque ductorum administrationem cum Lacedæmoniis sese coniunxêre. Et quia rex Persarum Darius, societatem cum Lacedæmoniis colebat, Pharnabazus, qui maritima sub imperio habebat, pecuniis tùm Lacedæmonios subleuabat. CCC etiam è Phœnicia naues accersiuit, quas ad Bœotiam illis mittere constituerat.

XXVII. Cùm tot igitur, tantisque detrimentis vno tempore concurrentibus, Athenienses obruerentur, omnes iam solutum esse bellum opinabantur. nemo enim

mo enim vel ad minimum tempus resistere posse Athenienses sperabat. verùm res longè aliũ, quàm vulgus animo præceperat, exitum sortitur; & in contrarium (tanta belligerantium erat præstantia) recidit. idq; hoc modo euenit. Alcibiades exsulans Athenis Lacedæmoniis per aliquod tempus in bellis operam commodans, magnum sui vsum præbuerat. nam eloquentiâ pollens, & audaciâ præ ciuibus aliis excellens, & nobilitatis splendore, opumque vi facilè primus erat. Is ergò in patriam reuocari cupiens, omnia molitur, vt insigne quippiam in commodum populi Atheniensis peragat, illâ maximè tempestate, quâ de summâ rerum decidisse viderentur. Cùm igitur Pharnabazo Darii Satrapæ amicitiâ iunctus esset, videns quòd CCC iam triremes Lacedæmoniis subsidio missurus esset, ab incepto hominem reuocat. Regi enim non expedire, si Lacedæmoniis opes nimiùm augeat & confirmet; nec ex re Persarum illud fore, docet. multoque satius esse, si duo inter se populi armis commissi æquis viribus quàm diutissimè conflictentur. Pharnabazus ergò Alcibiadē commodè locutum arbitratus, classem retrò in Phœniciā dimisit. & tunc quidem Alcibiades tātam subsidii vim Lacedæmoniis interuertit. Aliquantò verò pòst, impetrato domũ reditu, dux copiarum factus, multis Lacedæmonios præliis vicit, & res patriæ iam collapsas, in pristinum restituit. Verùm de his suo tempore accuratiùs disseremus, ne præter naturæ ordinem iustum scriptionis tempus anticipemus.

XXII. Anno hoc elapso Athenis præfecturam gerebat Theopompus, & Romani consulum loco iterum quatuor tribunos militares creabant, Tiberium Postumium, Caium Cornelium, Caium Valerium & Cæsonem Fabium. Hoc tempore Athenienses abrogato CCCC imperio, statum Reipublicæ ad ciuium auctoritatem reuocarunt. quorum omnium auctor & suasor fuit Theramenes, vir & vitâ modestus, & prudentiâ aliis præstantior habitus. Etenim solus hic Alcibiadis reuocandi consilium proposuit: cuius ductu vires vtcunque receperunt: multisque aliis ad commodum patriæ institutis, non exiguam sibi auctoritatem & gratiam comparauit. verùm hæc non ita multò pòst acciderunt. Tum verò ad bellum prosequendum, duo ab Atheniensibus duces creantur Thrasyllus & Thrasybulus, qui coactâ apud Samũ classe, assiduis militem tyrociniis ad nauales

pugnas exercebant. Mindarus interea Lacedæmoniorum nauarchus, aliquantum temporis ad Miletum consumens, auxilia Pharnabazi exspectabat. Cùm enim C C C ex Phœniciâ triremes aduentare audisset, in certam propè spem elatus, Atheniensibus imperium tantâ se classe adempturum, existimabat. Sed breui pòst audiens suasu Alcibiadis classem in Phœniciam esse remissam; desperatis Pharnabazi subsidiis, naues, quas ex Peloponneso, aliisque extrinsecus sociis habebat, adornat, & Dorieum cum tredecim nauibus (quas recèns nonnulli ex Italiâ Græci in subsidium miserāt) in Rhodum mittit. esse enim, qui ad res ibi nouandas conspirâsset, acceperat. Ipse cū reliquis omnibus, numero LXXXIII, in Hellespontum traiecit; quòd Atheniensium classem in Samo cōmorari audierat. Quo tempore duces Athenienses, hostes præternauigantes conspicati, cum LX nauibus in eos inuehuntur. Sed Lacedæmoniis ad Chium delatis, Atheniensium ducibus in Lesbum transmittere placuit, vt aliquot à sociis triremes sibi compararent, ne nauium multitudine ab hostibus superarentur. Dumque hæc ab illis agitantur, Mindarus Lacedæmonicæ classis Prætor, noctu cum classe vniuersâ soluens ad Hellespontum properè contendit: posteroque die ad Sigæum defertur. Athenienses igitur cognito illorum discessu, non omnes sociorum triremes præstolati, sed tribus tantùm aucti, Lacedæmonios insequuntur. Verùm ad Sigæum profecti classem Lacedæmoniorum inde soluisse comperiunt, tresque tantummodò ibi relictas inuadunt & capiunt illicò. Tum Eleuntem delati ad pugnam naualem se accingunt. Lacedæmonii contrà, vbi hostes ad conflictum se parare cernunt, etiam ipsi dies quinque, in exercendis explorandisque remigibus consumunt: tum classem, quę duodenonaginta nauium erat, in iustum aciei ordinem disponunt, nauesque horum latus Asiaticum obtinebant; Athenienses contrà ex Europæo limite suas eduxēre, numero quidem inferiores, sed rei nauticæ peritiâ hostibus præpollentes. Lacedæmonii autem in dextro cornu Syracusanos, quorum Hermocrates dux fuit, constituerant. sinistrum Peloponnesii cum Imperatore Mindaro tenebant. Atheniensibus verò in dextro collocatus erat Thrasyllus, læuam Thrasybulus regebat. Initio autem pars vtraque de loci commoditate disceptans id certatim cauere properabat, ne fluxum maris aduersum ha-

XXIX.

sum haberet. idcircò ad tempus non exiguum inter se vicissim obnauigantes, angustiis interclusis de statione opportunâ dimicabant. nam quia inter Abydum & Sestum pugna naualis instituta erat, maris affluxus non mediocre in faucibus illis impedimentum adferebat. Sed tamen Atticarũ nauium rectores, quòd peritiâ excellerent, multum ad victoriam momenti adiecêre.

L. Quanquam enim Peloponnesii nauiũ multitudine, & epibatarum virtute superiores essent, gubernatorũ tamẽ solertia inutilem hanc illis prærogatiuam effecit. nam quando Peloponnesii concitato nauium impetu ad feriendum incursabant, illi singulari naues arte ita constitutas habebant, vt nullâ eas parte alia contingere possent, sed in prætensa duntaxat rostra impingere cogerẽtur. Idcircò Mindarus animaduertens, frustra incursationem rostrorum tentari, paucas simul & singulas etiam pro se cum aduersariis committi iubet. verùm nec in hoc casu inefficax erat nautarum industria, sed facili declinatione nauium solerter euitatis rostrorum inflictibus, in obliqua triremium latera incursantes, multas vulnerabant. & mox feruore contentionis vtrinq; accensi, non rostris tantummodò se mutuò impetere, sed ipsi inter se classiarii conserti decertare. Neutri tamen victoriæ compotes fieri poterant. Ancipiti ergò prælio x x v naues vltra promontorium quoddam in conspectum se dedêre, Atheniensibus à sociis transmissæ. Harum aduentu consternati Peloponnesii, versus Abydum refugerũt, adhærescẽte Atheniensium classe, & pertinaciter insectationem vrgente. Hic pugnæ illius finis erat, quâ naues Chiorum octo, Corinthiorum quinque, Ambraciotarum duas, Syracusanorum verò & Pallenæorum, Leucadiorumque singulas Athenienses ceperunt. Ex suis interim quinq; amiserant, omnes à mari absorptas. Posthæc Thrasybuli exercitus victor tropæum erigit in promontorio, vbi Hecabæ monimentum est, & victoriæ nũcii Athenas mittuntur. ipse cũ totâ classe Cyzicum versus tendit. hæc enim vrbs, paullò ante nauale hoc prælium, ad Pharnabazum Darii præfectum, & Clearchum Ducem Lacedæmoniorum violatâ fide transierat. quam cùm nullis cinctam muris offendissent, nõ difficulter voti compotes fiũt, exactoque à Cyzicenis tributo, ad Sestum reuertuntur.

XLI. Interea Mindarus Lacedæmonicæ classis Prætor, à clade nauali fugâ in Abydum elapsus, naues concussas reficit, & in Eubœam, ad

triremes inde adducendas Epiclem Spartanum properare iubet. qui celeri illuc cursu transuectus, nauibus quinquaginta collectis citra moram pelago se committit. sed montem Atho præterlegens tempestate obruitur tantâ, vt nauium omnium iacturam faceret, & ex omni classiariorum numero XII duntaxat periculo superfuerint. id quod monimenti in templo ad Coroneam repositi inscriptio his verbis (vt Ephorus annotat) testatur;

E decies quinis fugêre triremibus Orcum,
Eiecta ad scopulos corpora montis Atho,
Ter quater. At reliquos fractis cum nauibus hausit
Horrificis grassans flatibus ira maris.

Per idem tempus Alcibiades cum triremibus XII ad eos qui in Samo commorantes subsistebant, traiecit. Hi iampridē ex fama cognouerant Pharnabazū monitu Alcibiadis inductū, CCC illis triremibus auxiliū Lacedæmoniis deinceps ferre nolle. Benignè igitur ab illis suscept⁹, de reditu suo disseruit, multisq; se promissis ad vtilem patriæ operā nauandā obstrinxit. crimina etiam sibi ingesta refellens, fortunæ suæ inclementiam deplorauit, quòd inimicorū fraude virtute suâ cōtra patriam abuti coactus esset. XLI Hæc oratio cùm militū vulgo perquàm accepta esset, & per nuncios Athenas referretur, visum tandē populo fuit, virū criminibus exsolutum in militaris imperii partē admitti nam cōsideratâ eius in rebus strenuè gerendis audaciâ, & apud Græcos passim auctoritate, non parū rebus suis momenti accessurū sperabant, si eū sibi denuò conciliarent. Reipubl. enim Princeps Theramenes (qui vir, si quisquam alius summā prudētiæ existimationem habebat) ad reducendum Alcibiadem populo hortator fuit. His renunciatis in Samum ad naues, quas XII in potestate habebat, IX insuper adiungens, ad Halicarnassum transmittit, ibique non exiguam pecuniæ vim extorquet. Inde Meropidem populatus, magna cū prȩda in Samum redit, & spolia illic in vnum contracta militibus, tam in Samo dispositis, quàm suis, vt communem expeditionis fructū distribuit, eoq; merito cūctos sibi beneuolos & addictos fecit. Sub idem tēpus Antādrii auxiliariâ Lacedæmonis manu accersitâ, præsidium, quo tenebantur expulerunt, iamque liberam suo iure patriam administrabant. nā Spartani de remissis in Phœniciam nauibus trecētis Pharnabazum criminantes in

societatis

societatis fidem Antandrios receperant. Hîc Thucydides historiam suam abrumpit; duorũ & x x annorum res libris I I X, quos nonnulli in nouem diuidere placet complexus. Xenophon autem & Theopompus, vbi desiit Thucydides, inde scribendi exordiũ sumunt. Xenophon equidẽ X L I I X annorum tempus includit. At Theopompus ad annos X V I I res Græcorum persequitur. Atque res Græciæ Asiæque tum in hoc erant statu. Romani interim, cum Æquis bellum gerentes, in agrum ipsorum magnis cum copiis expeditionem faciunt, & Volas, vrbem ipsorum obsessam expugnant.

X. III.

Rebus superioris anni ita finitis, iam Athenis munus Archontis gerebat Glaucippus, & Romæ denuò creati sunt Consules Marcus Cornelius, & Lucius Furius. Per hoc tempus Ægestani, quòd societatem cum Atheniensibus cōtra Syracusanos iunxissent, finito bello in magno erant metu, ne (quod facilè cōiici poterat) commissorum in Siculos pœnas luerent. quare cùm Selinuntii de territorio quodã ambiguo bellum ipsis facerent, vltrò cesserunt, veriti, ne hãc nacti occasionem Syracusani, arma cum Selinuntiis iungerent, & patriæ prorsus amittẽdæ periculũ eis crearent. vbi verò præter cōtrouersiam agrorum partem, magnum quoq; finitimę regionis tractum auferebãt; Ægestani missis Carthaginem legatis, auxilio subleuari se petunt, vrbemq; fidei ipsorũ cōmẽdant. Cùm ergò transuecti illuc legati ciuitatis suę postulata Senatui exponerẽt, non mediocris Carthaginienses dubitatio incessit. hinc enim vrbẽ tàm opportunã occupandi amor eos stimulat. illinc Syracusanorũ metus retrahit, à quibus nuper admodũ validissimas Atheniensium copias debellatas cernebant. sed tamen vrbis subiugãdæ cupido vicit. responsum ergo legatis est, auxilia suppeditatum iri. At eius rei administrationẽ, si bello opus foret, Prætorẽ deligunt Hannibalem, qui summũ tunc iuxta leges magistratum gerebat. Nepos hic erat Amilcaris, qui cũ Gelone bello disceptãs ad Himeram ceciderat: filiusq; Gesconis, qui ob patris cladẽ in exsilium actus Selinunte vitam traduxerat. Hannibal igitur, quòd naturà Græco nomini infensus esset, & maiorũ ignominiã suâ virtute abolere percuperet, suo Marte (quod dicitur) præclarũ aliquod patriæ emolumentum conciliare properabat. Quapropter cùm Selinũtios cōcessione agri, de quo disceptatũ fuerat, non cōtentos esse videret: legatos vnà cum

Ægestanis ad Syracusios mittit, totum litis arbitrium illis permittens. verbis æquum & bonum præ se ferens, re autem ipsâ hoc sibi persuadens, si cognitionem illam Selinuntii detrectarent, fore vt à societate illorum Syracusani discederent. Cùm Selinuntii igitur missis etiam suis legatis, disceptationẽ illam nõ admitterent, sed multum Carthaginiensium & Ægestanorum legatis contradicerent, Syracusanis tandẽ societatem cum Selinuntiis tuendam, & cum Carthaginiensibus pacem colendam sciscere placuit. Post legatorum ergò reditum, Ægestanis quinque millia Afrorum mittunt Carthaginenses & Campanorum D C C C. hos Chalcidenses ad belli contra Syracusanos operam stipendiis suis conduxerant Atheniensibus. sed post cladem illis inflictam nauibus auecti, sub quo stipendia facerent, non habebant. quibus singulis equos Carthaginienses emunt; tum stipendiis non vulgaribus in capita numeratis præsidium hoc Ægestæ collocant. At Selinusii, quos tunc abundantia opũ & eximia ciuiũ frequentia beatos fecerat, Ægestanos nec flocci pendere. ac primùm agmine composito regionem finitimam vastare, cùm numero militum longè superiores essent, mox hostium paucitate contemptâ, per totam longè latéque regionem dispersi vagantur. Ægestanorum itaque Duces, occasione captatâ, Carthaginensium & Campanorum subsidiis adiuti, temerè palantes inuadunt. quæ impressio cùm inopinatò fieret, leui negotio hostes fundunt, inque fugam agunt. cadunt eo conflictu ad mille armatorum, & præda omnis recuperatur. Post eam pugnam vtraque pars legatos suos mittit, Selinuntii ad Syracusanos, Ægestani Carthaginem, auxilia postulatum. quæ cùm liberaliter vtrinque promitterentur; bellum Carthaginiense hunc ad modum exarsit. Carthaginienses igitur belli magnitudine prospectâ, totam belli curã Hannibali tradunt, simulque potestatem quantum satis videatur exercitus contrahendi faciunt. ipsi interim cuncta propensè subministrant. Hannibal autem per æstatẽ illam hyememque subsequentem, magnas ex Hispaniâ mercenariorum copias colligit, nec exiguum ex ciuibus numerum conscribit. totam præterea Africam obiens, per vnamquamque vrbem præstantissimorum delectus agit; Naues etiam adornat, copias ineunte vere traiicere constitutum habens. Hæc tum conditione res in Siciliâ fuerunt.

XLI

In Græ-

XLV. In Græciâ interim Dorieus Rhodius, triremium ex Italia præfectus, simul ac tumultum in Rhodo sedauisset, ad Hellespontum transmisit, vt cum Mindaro se coniungeret. hic enim ad Abydum subsistens, naues Peloponnesiaci nominis socias vndique coëgit. Iamque ad Sigæum Troadis prouectus erat Dorieus, cùm Athenienses iuxta Sestum cõmorantes, explorato eius cursu, cum vniuersâ classe nauium LXXIV in eum feruntur. At Dorieus inscius ad tempus, quid contra se pararetur, alto securus pelago procedit. vbi verò, quanta in se classis tenderet animaduertit, non mediocri trepidatione percussus, cùm alium salutis exitum non videret, Dardanum confugit. expositisque militibus, & præsidio vrbis adsumpto, magnam confestim telorum vim eò transfert, militumque alios in proris constituit, alios per littus opportunè disponit. Athenienses verò concitato illuc cursu inuecti, naues à littore auellere nituntur, & multitudine suâ vndique circumfusâ, hostem non parum fatigãt. Quo cognito Mindarus Peloponnesiorum nauarchus extemplò totam Abydo classem educens, ad Dardaneum promontorium cum nauibus LXXXIV contendit, vt auxilium Dorieo ferret. Aderant quoque terrestres Pharnabazi copiæ ad classem Lacedæmoniorum subleuandam. Vbi classes inter se propinquârunt, acies vtrinque instruuntur. Mindarus XCVII naues sub imperio habens, in læuo cornu Syracusanos statuit, dextrum ipse regit. Dextrum Atheniensiũ cornu Thrasybulus, sinistrum Thrasyllus ducit. Acie ad hunc modum vtrinque digestâ & signo certaminis à Ducibus edito, classicum à buccinatoribus, ad vnum veluti iussum, cani cœptum est. Dumque remiges nihil studii omittunt, gubernatores clauo quisque suo, solerter vtuntur, horribilis ingrauescit cõflictus. Quoties enim triremes ad feriendum irruebant, toties magistri nauium eodem temporis momento industriè naues ita obuertebant, vt rostris ictus exciperent. epibatæ ergò cum naues suas hosti latus præbere cernerent, de suâ quisque salute anxius trepidare; sed statim vbi hostiũ incursus rectorum peritiâ elusos viderunt, lætitia iterum perfundi, & ad bonam spem erigi. Nec segne interea studium fuit

XLVI. illorum, qui per catastromata dispositi dimicabant. nam lõgioribus interuallis remoti continuis hostem sagittis petere, vsque adeò, vt totus ibi locus spiculis confertus, inhorre-

ſceret. Qui propiùs ſubibant, lanceas eiaculari, nunc propugnatores, nunc gubernatores ipſos tranſuerberare connitẽtes. Si naues inter ſe colliderentur, haſtis decertare. non rarò quàm proximè inuecti, in triremes hoſtium tranſilire, & gladiis ſe mutuò propulſare. Si qui ſuccumberent, lætus victorũ plauſus, & triſtis auxilio ſuis accurrentium fremitus, exoriebatur, adeò, vt confuſus omnem pugnæ locum vociferatus longè latéque obtineret. Ad longum itaque tempus peruicaci vtriuſq; partis contentione prælium extrahebatur. donec repente ex Samo XX triremibus Alcibiades fortè fortunâ in Helleſpontum nauigans, ſe cõſpiciendum præbuit. Sed cùm procul adhuc eſſet, vtriſque ſubſidii iam aduentantis ſpes erat. quâ confirmati, maiore ſe fiducia & alacritate periculis offerebant. claſſe verò iam approximante, cùm Lacedæmoniis nihil indicii appareret, Athenienſibus verò purpureum Alcibiades ſignum è naui ſuâ (vti conſtitutum erat) exhiberet, Lacedæmonii metu perculſi, in fugam vertuntur. Sed Athenienſes hoc elati ſucceſſu, fugientes ocyus inſequuntur; & decem confeſtim nauibus potiuntur. Exortâ dehinc tempeſtate, & magnâ ventorum procellâ, multa circa perſecutionem impedimẽta obiiciuntur. nam ob magnitudinẽ fluctuũ nec gubernaculis nauigia parebant, nec roſtrorum incurſu aliquid efficiebant: cùm perculſæ naues fluctuando retrocederent. Ad extremum Lacedæmonii ad littus incolumes elapſi, ad terreſtres Pharnabazi copias ſe receperunt. Athenienſes interim naues inde vacuas abſtrahere conati, magnâ rẽ periculoſam fiduciâ vrgent. Sed ab exercitu Perſico repulſi ad Seſtũ retrocedere coguntur. Pharnabazus enim propterea maiore Atheniẽſibus conatu reſiſtebat, vt Lacedæmoniis, cùm de aliis, quorum inſimulabatur, tum etiam de triremib⁹ CCC in Phœniciam remiſſis, ſe purgaret. hoc enim propterea ab ſe factum oſtendit, quòd ab Arabum & Ægyptiorum rege Phœniciæ inſidias parari cognouiſſet. Cùm naualis ergo pugna talem ſortita euẽtum fuiſſet, claſſis Athenienſiũ iam apperẽte nocte Seſtum repetit. & quamprimùm illuxit, collectis naufragiorum reliquiis, priori tropæo alterum adiiciunt. Et Mindarus circa primam noctis vigiliam Abydum reuectus, naues prælio concuſſas & laceratas reſarcit & confirmat, & ad Lacedæmonios tã pedeſtres copias, quàm ſupplementa nautica poſtulatum mittit. interea enim, dum ad inſtruen-

XLVII

instruendam classem necessaria pararentur, terrestribus cum Pharnabazo copiis socias Atheniẽsium in Asia vrbes oppugnare decreuerat. Chalcidenses autem & vniuersi propè Eubœæ incolæ Atheniensium fidem deseruerant. Metu idcircò angebantur, ne se qui Insulam habitarent, Atheniẽses maris imperium tenentes expugnarent. A Bœotis igitur contendunt, vt communi secum ope & labore Euripum obstruant; quo cum Bœotiæ cõtinente Eubœa connectatur. cõsentiunt ad hoc Bœoti, quod ex re ipsorum foret Eubœam aliis insulam, sibi verò continentem esse. Vniuersæ igitur vrbes ad aggressionem illam sese accingunt, mutuisq; studiis opus maturare certant, non enim ciuibus tantùm, sed alienigenis etiam inquilinis, vt omni frequentia adessent, edixerant. Operantium itaque multitudine effectum est, vt cœptum opus celeriter absolueretur. In Eubœa Chalcis, in Bœotia Aulis, ducendi aggeris initium fuit. nam hîc interstitium loci angustissimum erat. In his antea faucibus perpetua maris æstuatio & crebræ subinde reciprocationes fuerant. tunc verò longè magis vndæ se violentia intendit; cùm mare in angustum nimis exitum coarctaretur. nam vni tantùm nauigio intercursus erat relictus. In extremitate vtriusq; molis turres extructæ, ligneique pontes interstitiis applicati fuerant. Theramenes quidem initio cum XXX nauibus eò missus, institutum opus impedire moliebatur: at cùm à numerosa præsidiariorum manu operi incumbentes defenderentur, ab incepto desistens ad insulas cursum direxit. Cumq; ciues & socios à contributionum onere subleuare animum induxisset, peruastatis hostium agris, ingenti præda onustus rediit. Confœderatas etiam vrbes accessit, & res nouas inibi molientes pecunia non exigua multat. Inde in Parũ deuectus, cùm paucorum arbitrio Rempublicam inuenisset subiectam, restituta populo Iurisdictionis libertate, ab auctoribus paucorũ dominatus magnam pecuniæ vim exegit.

LIIX Per idem tempus atrox in Corcyra seditio & laniena exoritur. Quæ cùm aliis causis, tum intestinis simultatibus & odiis, accepta fertur. in nulla enim tunc vrbe tam horrendæ ciuium cædes patratæ, nec maior vspiam contentionis rabies ad perniciem hominum exæstuans, desæuiit. nam antè hanc quondam seditionem mutuis inter se grassationibus trucidati existimãtur CIↃ IↃ, iique omnes primariæ inter ci-

ues dignitatis. his verò cladibus insecutis aliam fortuna calamitatem adiecit, pristinas discordiarum flammas iterum ventilans & exaugens. Nam qui auctoritate inter Corcyræos eminebant, ad statum paucorum adspirantes, Lacedæmoniorum partes fouebant: at plebs Atheniensium societatem amplectebatur. hæ enim gentes, de principatu inter se bello decernentes studiis tenebantur diuersis. Lacedæmonii enim primores ciuitatum sociarum administrationi Reipublicæ præficere; Athenienses verò popularem vbique statum in vrbibus confirmare solebant. Corcyræi ergò cùm potentissimos suæ ciuitatis in hoc esse viderent, vt in Lacedæmoniorũ manus vrbem traderent; præsidiũ Athenis, quo vrbem tuerentur, accersunt. Conon igitur Dux Atheniensiũ in Corcyram profectus, IↃ c è Naupacto Messenios ad vrbis custodiam reliquit, ipse cum classe prætervectus ad delubrum Iunonis ancoras iecit. Interea sexcenti cum plebeiorum factione occupato repentè foro impetum in eos faciũt, qui Lacedæmoniis adhærerent, quos partim in vincula coniiciunt, partim trucidant, & supra cIↃ vrbe exigunt. Tum seruos manumittunt, & peregrinos ciuitate donant, multitudinem & potentiam exsulum reformidantes. Expulsi verò sedibus patriis in continentem, (Epirum) è regione sitam, profugiunt. Post aliquot inde dies oppidanorum nonnulli, causæ exsulum fauentes, forum armatâ manu insident, accitisque in vrbem exsulibus de summâ rerum dimicant. tandem noctis interuentu cohibiti ad fœdus inter se paciscendum descendunt. & lite consopitâ, æquo tandem iure patriam incoluêre. Hoc itaque exitu fuga exsulum è Corçyrâ se terminauit. Tum etiam Archelaus, Macedonum rex, Pydnæos imperium detrectãtes bello aggressus, magno vrbem exercitu circumsedit: cui Theramenes etiam cum classe auxilium tulit: qui tamen obsidioni diutius protractâ in Thraciam ad Thrasybulum vniuersæ classis ducem renauigauit. Archelaus verò Pydnam, obsidione arctiùs pressam, in potestatem tandem redigit, & xx stadiorum à mari interuallo habitationis sedes transponit. Mindarus autem, hyeme iam exeunte, suas vndique triremes contraxit. nam & è Peloponneso & ab aliis itidem sociis multæ accesserant. Atheniensium verò duces, qui apud Sestum in statione erant, auditâ classis ab hostibus coactæ magnitudine, metus haud modi-

XLIX

cus incessit;ne si fortè à toto simul agmine inuaderentur, o-
mnes suæ naues in hostis potestatem venirent. Deuolutis
ergò quas subductas in Sesto habebant nauibus Cherso ne-
sum circumnauigant, & iuxta Cardiam anchoras iaciunt, &
missis in Thraciam ad Thrasybulum & Theramenem re-
locibus, vt cum vniuersa quamprimùm naui accelerent, ex-
hortantur. Alcibiadem quoque cum nauibus suis è Lesbo
reuocant. Ita breui tota classis in vnum locum congregata
venit: quòd ductores de summâ rerum dimicare properarét.
Mindarus interea classis Lacedæmoniæ Imperator, directâ
Cyzicum versus nauigatione, cum omnibus illic copiis ex-
scensum facit, castrisque suis vrbem circumdat. Accedit eo
non minimo cum exercitu Pharnabazus, cuius auxilio op-
pugnatam Cyzici vrbem vi capit. Atheniensium itaque du-
cibus ad Cyzicum ducere placuit, cunctisque euecti nauibus
circumitâ Chersoneso, Eleuntē perueniunt. Tum Abyde-
norum vrbem noctu præteruehi contendunt, ne nauium
suarum numerus hosti innotescat. Ad Præconnesum inde
progressi, ibidem pernoctârunt. Postridie militem classia-
rium in agros Cyzicenos transportant, horumque Duci
Chæreæ, vt exercitū vrbi admoueat, demandatur. Tum

L. classe in tres partes diuisâ, vni Alcibiades, alteri Therame-
nes, tertiæ Thrasybulus præficitur. Alcibiades igitur cum
agmine suo longè ante cæteros excurrens, ad pugnam Lace-
dæmonios prouocare maturabat. Theramenes autem &
Thrasybulus omni artis industriâ nitebantur vt hoste cir-
cumuento, prouectos ex vrbe receptu prohiberent. Minda-
rus vbi solam Alcibiadis classem accedere vidit, de cæteris
nihil compertum habens, paucitate illius contemptâ, cum
LXXX nauibus confidenter occurrit. Cumque iam immine-
ret Alcibiadéis, Athenienses, prout iussi erant, fugam simu-
lant; Peloponnesii verò lætitiâ arrecti, veluti iam victores,
concitatis remis instant. Quos vbi longiùs ab vrbe auulsos
cernit Alcibiades, suis è naui signum extulit. quo conspecto,
vno confestim momento triremes Alcibiadis in hostē pro-
ras obuertunt. Theramenes autem & Thrasybulus ad vr-
bem adnauigantes regressum Lacedæmoniis præcludunt.
Tum Mindari animaduersâ hosticæ classis multitudine,
cùm imperatoriâ se arte delusos cernerent, maiorem in mo-
dum expauerunt. tandem vndique prodeunte Atheniensium

multitudine,& intercepto Peloponnesiorum reditu ad vrbẽ, Mindarus ad quendam illius oræ locum (*cleros* vtique vocant) refugere cogitur: vbi suas etiam Pharnabazus in statione copias habebat. Alcibiades verò non segniter fugientibus instans, triremes partim mergit; partim saucias in potestatem accipit. Plerásque dehinc terræ appulsas adsecutus, ferreis manibus iniectis, à littore abstrahere conatur. Sed dum pedestres à terrà copiæ Peloponnesiis auxiliantur, non exigua hinc inde cędes patratur. Siquidem Athenienses successu freti, audaciùs quàm consultiùs decertant; Peloponnesii verò numero longè superant. Nam Pharnabazi exercitus fortiter Lacedæmonios ope subleuat,& à terrà pugnans firmiùs pedem insistit. At vbi Thrasybulus cernit, hostibus à terrestri agmine succurri, reliquam epibatarum multitudinem in littus exponens, suppetias Alcibiadi ferre properat. Theramenem quoque iubet, vt adiuncto sibi Charetis peditatu, quàm primùm acceleret, vt terrâ depugnetur. Dum in hoc sunt Athenienses, Mindarus Lacedæmoniorũ Imperator in certamine cum Alcibiade pro tutandis nauib⁹, quas ille vellicabat, persistit. Clearchũ tamẽ Spartanum, cùm Peloponesiorũ manu Thrasybulo opponit, mercenariis Pharnabazi simul eò missis. Thrasybulus equidẽ cũ classiariis & sagittatorib⁹ hostis impetũ ad tempus fortiter sustinet, multosq; ex ipsis necat: at nec paucos sociorũ occumbẽtes cernit. Sed à conductitio Pharnabazi milite circumuẽti Atheniẽses iã vndique à multitudine obsessi tenebantur, cùm repentè Theramenes suo & Charetis peditatu instructus, apparuit. Thrasybulani igitur iã propè debellati,& ad desperationem salutis redacti, cùm tantis subsidiis cõfirmarẽtur, animos illicò erexerunt. Postquã ad longũ inde tẽpus acriter dimicatũ esset, à mercenariis Pharnabazi fugæ initiũ factũ est,& connexa aciei series subinde magis laxari ac diuelli cœpit. donec Clearchus cũ Pelopõnesiis ab aliis destituti, post multas hinc inde illatas & acceptas clades loco pulsi cesserunt. quibus fusis fugatisque, Theramenis agmen ad opitulandũ Alcibiadi, nõ mediocre periculũ sustinenti, properat. Quanquã verò omnes Atheniensiũ copiæ in vnũ iã locũ confluxissent. Mindarus tamẽ hoc Theramenis aduentu nequaquã consternatur: sed Peloponnesiis bifariam diuisis, dimidiũ hosti recèns imminenti obuiã procedere iubet, reliquos secũ retinens, ro-

gat &

gat & obtestatur, ne maiestatem Spartani nominis dedeco-
rent, præsertim cùm pedestri iã certamine res geratur, atque
ita cum Alcibiade cõgreditur. Et redintegrata, heroico planè
animo, pro nauibus pugnâ, ipse pro omnibus in prima acie
periculis sese obiectans, plurimos hostiũ obtruncat. postre-
mò fortiter, & vt patriæ gloriâ dignũ erat, præliatus, à militi-
bus Alcibiadis interficitur. Hoc prostrato, Peloponnesii, so-
ciiq; omnes cõglobati, consternatis pauore animis, fugã ar-
ripuêre. quos aliquotenus Atheniẽses insectati, vbi Pharna-
bazum magno cũ equitatu accelerare cognouerunt, ad na-
ues reuertuntur, receptâq; vrbe duo ex vtraque victoriâ tro-
pæa; vnũ pugnæ naualis, in Polydori insulâ, vti vocatur; alte-
rum pedestris conflictus, vbi primùm hostes in fugam con-
iecerant, excitârunt. Peloponnesii igitur ad vrbis præsidium
relicti, & quotquot è prælio fugâ seruati fuerant, ad Pharna-
bazi castra se receperunt. Atheniensiũ verò duces nauibus v-
niuersis, cum magna captiuorum turbâ in potestatem reda-
ctis, vim spoliorum innumerabilem cõtraxêre: quippe duo-
bus tantæ potentiæ exercitibus à se deuictis. Nuncio de
hac Athenas victoriâ perlato, populus insperatos ciuitati suc-
cessus, post clades superiores, obtigisse videns, ob tã benignas
fortunæ vices exsultare, & per omnes passim tribus, & curias
sacra diis offerre, cõgressusq; festos instituere. Tũ CIↃ for-
tissimos ciuium, & equites centum ad persequendum bel-
lum, delegit. Triremes insuper XXX Alcibiadi in supple-
mentum misit, vt addictas Lacedæmoniis vrbes, cum mare
iam in potestate ipsorum esset, tantò maiore cum fiduciâ op-
pugnarent. At Lacedæmonii de clade ad Cyzicum certiores
redditi, de pace legatos Athenas mittunt, quorum Princeps
erat Endius. is audientiâ sibi factâ, in medium progressus
breuiter & Laconicè disseruit, quam orationem propterea
non prætermittendam esse censui. Pacem vobiscum colere,
viri Athenienses, nobis decretum est, eâ conditione, vt quas
vtrinque in potestate vrbes habemus, retineantur, præsidia-
que vltrò & citrò dimittantur, in captiuorum redemptione
pro vno Atheniensium vnus Laco restituatur. Non enim
ignoramus bellum quidem vtrisque, multò verò magis vo-
bis damnosum esse. quod verbis meis tantisper sequestratis,
ex rebus ipsis discite. Nobis Peloponesus vniuersa, vobis At-
ticæ pars non ita magna rustico opere exercetur. Multos

Laconibus socios bellum conciliauit: Atheniensibus contrà tot abstraxit, quot nobis adiunxit. Nobis opulentissimus per vniuersum terrarum orbem rex stipendia largitur: vobis à gentium omnium tenuissimis belli sumptus erogantur. ideò nostri ob stipendiorum largitatem promptissimè militant: vestri ex suis quisque fortunis contribuentes, tum labores, tum etiam impensas fugiunt. Præterea nos classe per mare expeditâ, nauigiorum magis, quàm ciuium discrimen subimus: at vos maiorem ciuium partem in nauibus habetis. & quod maximum est, nos, etiamsi in rebus, quæ mari geruntur succumbamus, Principatum nihilominus in terra consensu omnium tenemus: Spartanus enim terrestri prælio certans fugere nescit: vos contrà in mari non de imperio terrestri, sed de salute vestrâ, ne extrema patiamini, solicitè dimicatis. Restat, vt vos doceam, qui fiat, vt cùm ad hunc modum ac tantoperè in bellis præcellamus, ad pacem tamen nobiscum colendam vos exhortemur. Ego sanè, etsi nihil hoc bello Spartam iuuari concesserim, minus tamen damni facere, quàm Athenienses, affirmârim. Extremę verò dementiæ est, infortunio, quod hosti tecum est commune, delectari; cùm nullum omninò experiri liceat. Neque enim tantum hostis interitus lætitiæ adfert, quanto cum mœrore tuorum calamitas est coniuncta. At non ob hæc tantummodò bellum dissolui properamus: sed patrio quoque more huc impellimur. cùm enim dissidiis bellicis multas & atrocissimas excitari clades videamus, nostrum esse duximus, diis & hominibus vniuersis palàm testatum facere, quòd minimè omnium illis causam præbeamus. Hæc & his affinia cùm disseruisset Laco, Atheniensium modestissimi ad pacem animis inclinabant: at bellis serendis & ducendis adsueti, & ex publicis tumultibus quæstum facientes, bellum præferebant. Hanc sententiam quoque Cleopho, maximæ inter populi ductores auctoritatis, comprobauit. qui in concionem progressus, cùm multa ad rem propositam idonea commodè dixisset, vulgi animos hoc maximè argumento arrexit, quòd magnitudinem rerum prosperè gestarum exaggeraret: perinde ac si fortuna, iam moris sui oblita belli successus per vices ampliùs temperare nesciret. Sed Athenienses praui consilii tum demum pœnituit, cùm nihil omnino id prodesset, & blandimẽtis ad gratiam compositis decepti, adeò ex summo

LIII.

rerum fastigio corruerunt, vt nunquam deinceps pristinas resumere vires potuerint. verùm hæc postmodum gesta suo dehinc loco exponentur. Tunc igitur Athenienses, successibus elati, plurimumque spei in eo repositum habentes, quòd Alcibiades nunc copiarum ductor esset, breui se pristinam imperii dignitatem recuperaturos confidebant.

LII. Rebus huius anni ad finem ita perductis, Athenis magistratum iniit Diocles, Romæ verò consulatum gesserunt Quintus Fabius, & Caius Furius: eo tẽpore Hannibal Carthaginensium Imperator peregrinum ex Hispaniâ militem & ex Africâ hinc inde conscriptum in vnum coëgit, eóq; LX naues longas compleuit. onerarias præterea CIↃCIↃ ad copias, & obsidioni necessarias machinas, telaque & rerum omnium apparatum traiiciendum instruxerat. Transmisso igitur cum sua classe Africano pelago ad promontoriũ Siciliæ quod Libyam è regione spectat (Lilybæo nomen est) appellit. sub idem tempus nonnulli Selinuntiorum equites illis in locis versantes, vbi classis aduentantis magnitudinem prospexerunt, citato demum cursu popularibus aduentum hostis renunciant. Selinuntii ergò tabellariis illicò ad Syracusanos transmissis, auxilium inde petunt. Interim Hannibal expositis in terram copiis castrametatur, à puteo illic exorsus, cui tempestate illâ Lilybæo nomen erat: sed multis pòst annis oppido iuxtà condito nominis causam præbuit. Vniuersus Hannibalis exercitus (vt Ephorus recenset) ducentis peditum, & quatuor equitum millibus constabat. Timæus non multò plures CCCIↃↃↃ fuisse tradit. LIII. Naues itaque in sinu circa Motyen subduxit: significare volens hoc pacto Syracusanis, se non vt ipsis bellum moueret, aut nautico Syracusas exercitu inuaderet, Siciliam ingressum esse. Tum Ægestanorum aliorumque sociorum militibus adsumptis, castra ex Lilybæo mouens, versus Selinuntẽ iter facit. vbi ad Mazarum flumen peruenit, Emporium illic situm primo insultu capit. pòst ad vrbem propiùs accedens, in duas exercitũ partes distribuit, castrisque circumfusis admotisque machinis, omni studio oppugnationem aggreditur. Sex enim summæ altitudinis turres propè erexit, totidemq; ferratis frontibus arietes ad muros adegit. & præter hæc magna sagittariorum, funditorumque multitudine instructos oppidanos è propugnaculis facilè submouit. LIV. Selinusii autem iam per

longum tempus oppugnationum rudes, quòd Carthaginensibus in bello contra Gelonem è cunctis Siciliæ populis soli operam auxiliarem nauassent, in tantum se pauoris conclusum iri ab iis, quos beneficiis sibi deuinctos habebāt, nequaquam sperauerant. Cùm itaque tàm grandes machinarum moles, tamque stupendam hostium multitudinem conspicarentur, periculi circumstantis magnitudine perculsi, vehementer trepidabant. nec tamen propterea omnem salutis tuendæ spem abiecêre: sed cùm auxilii propediē à Syracusanis, aliisq; confœderatis vrbibus maturandi spes subesset, cōiunctis totius populi viribus hostem à mœnibus propulsarunt. iuuenes enim & quibus florida adhuc ætas, sumptis armis pericula fortiter subire: seniores necessaria defensioni accurare, & mœnia passim obeuntes iuuentutem orare, ne hostium se manibus capi sinerent. adhæc fœminæ cum pueris cibaria & tela suis, pro patria dimicantibus, apportare, nullâ pudoris ac verecundiæ, quam pacis tempore alias tueri solebant, habita ratione. Tantus ibi pauor, tanta trepidatio incubuerat, vt periculorum magnitudo etiam mulierum subsidia flagitaret. Hannibal itaque vrbem direptioni militibus se traditurum pollicitus, machinas suas mœnibus applicat, & militibus omnium fortissimis per successionem delectis, oppugnationem adoritur. vnoque momento & tubæ classicum insonant, & ad vnum totus exercitus iussum, sublato clamore bellico accurrunt; impactuque arietum mœnia cōquassantur; & de præcelsis turribus depugnantes multos Selinusiorum iaculis configunt. quòd enim diuturnâ fruentes pace nihil omninò curæ mœnibus adhibuerant, facilè deturbari loco poterant, cùm turres ligneæ supra muros longè eminerent. Procumbente interim parte muri, Campani, præclarum aliquod facinus edere properantes, in vrbem subitò irrumpunt, & primo quidem impetu resistentes eâ parte, quorum non magnus erat numerus, perterrefaciunt: mox concursu à pluribus ad ferendam opem facto, multis suorum amissis, repelluntur. quia enim per ruinas muri nondum satis repurgatas, irrumpebant, ad iniqua ingressus loca delati, facilè opprimebantur. Nocte verò ingruente Carthaginienses ab oppugnatione desistunt. Interea LVI. Selinuntii fortissimos quosdam ex equitibus delectos partim Agrigentum, partim Gelam & Syracusas nocte illâ dimittunt

mittunt

mittunt oratum, vt quàm citiſſimè ad opem ferendam accelerent; vrbem enim ſuam diutius hoſtium viribus ſuſtinendis haud parem eſſe. Agrigentinis equidem & Gelois, Syracuſanorum præſidia exſpectanda eſſe, vt coniunctis Carthaginenſes viribus inuaderent, conſultum videbatur. At Syracuſani de obſidione Selinuntii certiores facti, bellum, quod cum Chalcidenſibus tùm gerebant, componunt, & copias ex agris vndique contrahunt. Sed quia vrbem obſidione tantummodò cinctum, non autem direptioni expoſitum iri putabant, diutius magnos faciendo apparatus immorantur. Interim Hannibal quamprimùm nocte tranſactâ diurnâ lux ſe oſtendit, vndequaque oppugnationem redintegrat. Et mox eam muri partem, quæ iam procubuerat, aliamque illi cohærentem, machinis dirutam occupat, & ſummotis muri prolapſi ruderibus cum militum fortiſſimis, qui recentes defatigatis ſucceſſerant, impreſſione factâ, Selinuntios paullatim ſtationem deſerere cogit: vi tamen eos depellere, cùm poſtremum de ſuâ rerumque omnium ſalute certamen ſuſtinerent, non valuit. Cadentibus igitur vtrinque plurimis, Carthaginenſibus ſubinde noui per vices ſufficiebantur: Selinuntiis verò nemo erat, qui auxilii quippiam adferret. Atque ita oppugnatione per nouem dies, cum inuictâ vtriuſque partis contentione, protractâ, multum damni Carthaginienſes acceperunt, multum quoque intulerunt. Poſtremò cùm Iberorum manus deiectam muri partem ſuperare inciperent, mulieres è domorum tectis planctu vlulatuque omnia complere. & Selinuntii vrbem iam captam ſuſpicantes, conſternatis animis anguſtos viarum aditus conglobati occupare, tranſituſque obſtruere moliti, ad longum tempus hoſtibus reſiſtere. Et quia vi perrumpere Carthaginienſes conabantur, fœminarum & puerorum turba, faſtigiis domorum raptim conſcenſis, ſaxa & tegulas in hoſtes inde præcipitare. quo factum, vt per tempus non exiguum Pœnorum acies, cùm nec circumſiſtere in faucibus propugnantes ob parietes vtrinque bene munitos, nec æquo Marte cõgredi, propter iaculantium deſuper è tectis vexationes, poſſet, incommodè rem gereret. donec certamine ad veſperam vſque producto, tela de culmine domorum propugnantes deiecêre. Et quia à Carthaginienſibus integri ſubinde laborãtibus & defeſſis ſubſtituti certamen integrabãt, decreſcẽte

oppidanorum agmine,& maiore ſemper hoſtiũ turbâ in vrbem irruente, Selinuntii tandẽ anguſtiis excedere coguntur.

LVII. Vrbe ad hunc modum captâ,nihil quàm lachrymas & eiulatus apud Græcos cernere erat. apud barbaros contra hoſtilis barritus,& permixtus exſultationi fremitus, exauditur. Illos enim circumfuſæ calamitatis magnitudo ante oculos poſita perterrefacit. hi victoriæ ſucceſſu efferati, mactare quoſuis iubent. Ad extremum Selinuſii in foro conglomerati,dimicando ceciderunt omnes. Barbari verò per totam vndique vrbem dilapſi, quicquid fortunarum in ædibus fuit, diripiunt;deprehenſos ibidem partim vnà cum domibus cõcremant;partim in plateas extruſos,nullo prorſus, neque ſexus neque ætatis diſcrimine habito, ſiue pueri eſſent, & infantes,ſiue mulieres & ſenes,promiſcuè, abſque vllo miſericordiæ affectu,trucidant. patrio etiam ritu cadauera mutilant.nonnulli crebras corpori manus adaptatas circumgeſtant.alii transfixa gæſis, ſauniisque (haſtæ ſunt Barbaricæ) capita oſtentant. Matronis tantùm quas cum liberis ad delubra confugiſſe deprehenderunt,parci iubent. hisque ſolis fides data; non ſanè, quòd vlla infeliciſſimorum hominum miſericordia adficerentur,ſed id ſolum veriti, ne abiectâ ſpe ſalutis mulieres templa incenderent, ipſisque res precioſiſſimas ibi conſecratas expilandi facultas adimeretur. nam adeò crudeli impietate cæteris mortalibus hi barbari præcellebant,vt cùm alii, ne quid nefariè in Numen committant, ad templa confugientes impunitate donent, Pœni ratione contraria ab hoſtibus ideò ſibi temperarint, quo fana deûm ſacrilegis manibus deprædarentur. Ad ſeram igitur noctem vſque vrbs diripitur: ædificia partim incendio,partim ruinis vaſtata. omnis tùm locus cruore fœdatus cadauerumq; ſtrage repletus erat. Ad ſexdecim millia tum cęſa,& captiuorum Iↄↄ abducta.

LVII[I] Hanc miſerabilem vitæ inconſtantiam Græci Carthaginienſium auxiliares tum videntes, calamitoſiſſimorum hominum ſortem commiſerantur. Namque matronæ à conſueto victus more, ad longè diuerſiſſimum abreptæ,inter contumelias infenſiſſimi victoris noctem illam tranſigebant,ærumnas ſuſtinentes atrociſſimas. pars filias iam nubiles ea pati cogebantur adſpicere, quæ ætatem illam minimè decebant. nam crudelis Barbarorum libido nec pueris ingenuis,nec virginibus parcens, extremis miſe-

ros

ros cladibus inuoluebat. Matronæ igitur dum futuram in Libya seruitutem animo perpendunt, seque cum liberis in summo dedecore & contumeliâ indignissimâ superbis dominis obtemperare coactas vident, vocemque non intelligendam, & mores prorsus beluinos considerant; natorum adhuc superstitum vicem lugent, & ad vnam quamlibet contumeliam illis præter ius & fas illatam, non secus adficiuntur, ac si in animam ipsam ictus accipiant, fortunamq; suam multis gemitibus & lamentis deplorant. At contrà parentes & germanos qui pro patriâ dimicando cecidissent, perbeatos appellant, qui nihil virtute suâ indignum spectassent. Ad cIↃ cIↃ tamen & IↃ c erant, qui à captiuitate immunes, Agrigentum salui peruenêre, ibique omnia humanitatis officia experti sunt. nam Agrigentini frumentum ex publico præbitum per familias illis distribuerunt, priuatos insuper hortati alias satis propensos, vt quæ ad vitæ necessitatem requiri viderentur, omnia liberaliter suppeditarent.

LIX.

Hæc dum fiunt, cIↃ cIↃ cIↃ lectissimi roboris milites, à Syracusanis properè ad opitulandum Selinuntiis præmissa, Acragantem veniunt. Auditâ verò vrbis expugnatione legatos ad Hannibalem mittunt, postulatum vti captiuos redimendi potestatem faceret, deorumque fanis abstineret. Hi responsum ab Hannibale ferunt, Selinusiis qui libertatem tueri nequiuissent, seruitutis conditionem nunc meritò experiundam esse: deos verò incolis infensos Selinunte iam excessisse, vbi tamen Empedionem legatum denuò miserunt, huic equidem Hannibal facultates integras restituit. semper enim à Carthaginiensium partibus steterat: & pridem antequàm vrbs obsideretur, cum ciuibus conuenerat, ne bellum cum Carthaginiensibus susciperent. Condonauit illi pręterea quotquot inter captiuos habebat, gentiles & cognatos; & Selinuntiis per fugam elapsis, vt vrbem habitarēt, agrosque colerent, denuò hac conditione permisit, vt Carthaginiensibus tributa penderēt. Vrbs igitur per CCXLII annos, ex quo primùm condi cœpit ciuibus frequentata, hunc ad modum tunc capta fuit. quam mœnibus circumquaq; nudatā relinquens Hannibal, copiis vniuersis Himeram inde petit, euertendæ huius vrbis cupiditate maximè incensus. propter hanc enim pater suus in exsilium pulsus fuerat. ad hanc auus olim Amilcar, Gelonis astu circumuentus, cæsis militum centum

& quinquaginta millibus, nec multo paucioribus eo prælio captis, occubuerat. quorum vltionem exigere festinãs Hannibal cum CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ in colle quodam procul ab vrbe castra locat, cum reliqua manu, cui Siculorũ Sicanorumque CCIↃↃ CCIↃↃ accesserant, oppidum circumsidet: adactisque machinis, compluribus simul locis mœnia verberat, magnâque hominum turbâ per vices succedentium rem gerens, obsessos defatigat, nec parum adiumenti militum alacritas, ex priori successu excitata, præbet. Murum etiam cuniculis suffossum trabibus fulcit, quibus succensis illicò magna pars muri concidit. Ibi demum certamen oritur validissimum; dum hi summâ vi irrumpere conãtur, illi ne eandem patiantur cladem, quam nuper Selinusii, pertimescunt. Quare extremum certamen pro liberis, & parentibus patriâque, omni contentione defendendâ aggressi, Barbaros inde propulsant, & prostratam muri partem haud cunctanter instaurant. auxilio enim ipsis venerat Syracusiorum ex Acragante manus, nonnullique ex aliis sociis numero CCCC circiter: quos omnes Diocles Syracusanus ductabat. Et tunc ardore, vlterius progrediendi per noctem compresso, oppugnatio intermissa fuit. quamprimùm verò nouæ diei lux ingruit, non eo vsque sibi cunctandum rati, dum, quod Selinuntiis obtigerat, per ignauiam prorsus includerentur; præsidia in muris disponunt: reliquas autem copias, adiunctis quotquot aderant sociis, ad CCIↃↃ educunt, & repentinâ hostes impressione adorti, magnum Barbaris pauorem incutiunt, quòd sociorum auxilia obsessis subuenire arbitrarentur. Audaciâ igitur manuumque promtitudine longè superiores, &, quod præcipuum erat, vnam salutis spem in felici huius pugnæ successu repositam habentes, primos quosque resistentes statim obtruncant. Mox licèt Barbarorum multitudo agmine incomposito accurreret, (eò namque audaciæ processuros fuisse obsessos nunquam sperauerant) non modico tamen inferiores erant. cùm enim LXXX millia hominum in vnum repente locum confluxissent, tumultuariè alii in alios incurrere, plusque sibi ipsis quàm hostibus detrimenti adferre. Himeræi interea, quòd parentes & liberos, omnesque suos domesticos è muris spectatores haberent, sua communi saluti corpora intrepidè obiectare. His igitur tàm strenuè dimicantibus, Barbari au-

LX.

dacia

daciâ simul hostium & casus inopinati stupore perculsi, terga obuertunt. quibus, sine vllo prorsus ordine ad castra suorum in colle refugientibus, Himeræi instant, & vt nemo hostium viuus capiatur, alter alterum hortatur: ibi supra IↃↃ cIↃ vt Timæus recenset, vel ccIↃↃ, vt Ephorus scriptum reliquit, trucidati. Hannibal igitur, vt suos efflictim laborantes vidit, milites, quos in castris habebat, deducit, & iam profligatis suppetias ferens, Himeræos perturbatis iam ordinibus insectantes, adoritur. Cumque denuò acriter dimicari cœptum esset, Himeræorum tandem agmen in fugam sese effundit. Ter mille tamen totam Carthaginiensium aciem sustinent; & post multa egregiæ virtutis facinora omnes ceciderunt.

LXI. Pugnâ verò iam peractâ, xxv triremes, à Siculis pridem Lacedæmoniis subsidio missæ, iamque domum reuersæ, appulerunt. Sed rumor tamen per vrbem diditur, Syracusanos totis Reipublicæ suæ viribus opitulatum Himeræis aduentare. interim verò Hannibalem, impositis in triremes ad Motyen fortissimis militibus, Syracusas petiturum, vt vrbem defensoribus vacuam adoriatur. Propterea Diocles, subsidiariorum Himeræ ductor, nauarchis consuluit, vt cursu quàm citissimo Syracusas contenderent: ne, cùm fortissimi in conflictu proximo viri occubuerint, vrbs sua per vim fortè capiatur. Conducibile itaque visum, vrbe tantisper relictâ, dimidium agminis sui triremibus imponere (quibus vtique vehantur donec fines Himeræos excesserint) & dimidium ad vrbis præsidium relinquere, quousque triremes reuertantur. Molestè hæc sententia Himerenses habuit: cùm tamen nihil quod facerent aliud haberent; triremes admixtis simul mulieribus & pueris, aliisque Messanam transportandis, properè complentur. Tum Diocles, assumptis quibus præerat, militibus, & posthabitis interim cadaueribus in prælio cæsorum, iter ad patrios lares faciendum insistit. quem multi simul Himerensium cum vxoribus & liberis comitantur, quòd tantæ multitudini triremes transportandæ non sufficerent.

LXII. Qui verò ad vrbis tutelam relicti fuerant, in armis pernoctantes, ad propugnacula murorum excubabant. Quamuis autem sub primam diei lucem Carthaginiẽses vrbi circumfusi, crebris oppugnationem insultibus vrgerent, præsidiarii tamen nulli parcendo labori certamẽ sustinent, cùm nauium paulò

post reditum exspectarēt. Ad illum igitur diem fortiter perseuerârunt. at postridiè, cùm triremes procul in conspectum venirent, iam impetu machinarum deiectus erat murus, & Hispanorum cohors conferto in vrbem agmine irruperat. Barbarorum itaque pars Himeræos vrbem tutantes repellit, pars, quæ mœnia iam occupârat suos intrò receptat. Tandem vrbe penitus captâ, barbari, citra vllam humanitatis rationem, in obuios quosque immani cæde grassantur: quoad Hannibalis edicto à laniens cessatum fuit. Interim beatissimas ædium copias hostis prædam sibi faciēs distrahit. Hannibal verò templa deûm cum sacris exspoliat, & abstractis inde supplicibus, qui illuc confugerant, incendio populatur. ipsam denique vrbem solo æquat, per CCXL annos habitatam. Tum ex captiuis fœminas atque pueros per exercitum distributos, sub custodiâ adseruari iussit; viros autem bello captos CIↃ CIↃ CIↃ circiter in collem illum subductos, vbi Amilcar olim auus ipsius à Gelone sublatus fuerat, omni contumeliæ genere adfectos iugulat. Exauctorato inde exercitu, Siculos etiam auxiliares dimittit, quibus Campani erant comites, de Carthaginiensium iniquitate conquerentes, quòd cùm plurimum ad successus illorum momenti attulissent, parem tamen meritis gratiam haud referrent. Cæterùm Hannibal exercitu nauibus tàm onerariis, quàm longis imposito, præsidioque mediocri sociis relicto, è Siciliâ cum classe soluit, cumque magnâ spoliorum vi onustus Carthaginem appulisset, tota in occursum eius ciuitas sese effudit, cum plausu lætisque acclamationibus eum excipiens & honorans, quòd breui temporis spacio res longè maiores, quàm alii priùs Duces, peregisset.

Tum Hermocrates Syracusanus in Siciliam rediit. is, quòd in bello aduersus Athen. prætor magno patriæ adiumento fuisset, multum inter Syracusanos auctoritate & gratiâ poterat. Prætor deinde cum XXXV triremibus ad suppetias Lacedæmoniis ferendum missus fuerat. sed contrariæ factionis annixu damnatus exsilioq; multatus fuit, surrogatis classem Ducibus in Peloponneso tradidit. cúmque Pharnabazi iampridem amicitiam sibi conciliasset, magnâ pecuniæ vi ab eo instructus Messanã traiecit, & quinq; triremib⁹ illic ædificatis, mille armatos suo ære conduxit. Himeræorũ præterea vrbe patriâ extorriũ, circiter mille adsumptis, redire

LXII

Syracu-

Syracusas amicis adiutantibus, tentabat. Verùm vbi hoc conatu frustratur. Per mediterranea properans Selinuntem occupat, & parte vrbis mœnibus inclusa, Selinuntios excidio superstites vndique conuocat. Aliis quoque compluribus in eum locum receptis IↃↃ CIↃ virûm agmen lectissimorum contrahit. Inde erumpẽs initio Motyenorum agros populatur; & egressos vrbe prælio vincens, non paucos ex illis occidit: reliquorum fugientium turbam insectatus intra mœnia compellit. Mox Panormitarum etiam fines excursionibus infestans ingenti prædâ potitur. Cúmque vniuersa ciuium multitudo instructa ante vrbem acie ipsi occurreret, circiter IↃ eorum cædit, cæteros mœnibus includit. Sic dum alias quoque regiones, quæ Carthaginiensium ditioni suberant, depopulatur omnes, magnam apud Siculos laudem meretur. Statim Syracusanos etiam plerosque pœnitentia incessit, vbi viderunt, se cõtrà quàm virtus tanta merebatur, exsilium Hermocrati irrogasse. Quare cùm crebri de illo sermones in conuentibus publicis iactarentur, voluntatem suam populus de reducendo viro, non obscuris indiciis testatam faciebat. Hermocrates igitur de celebri nominis sui famâ apud Syracusanos certior factus, ad reditum sese obnixo studio comparat, sciens æmulos & inimicos omni cõtentione refragaturos. Hoc equidem modò res tùm Siculæ se habebant.

XIV. In Græciâ verò Thrasybulus, cum nauibus triginta, magnaque armatorum manu, & centum equitum turmâ ab Atheniensibus emissus, Ephesum transmittit; & exercitu duobus in locis exposito, vrbem oppugnat. Erumpentibus autem oppidanis, atrox pugna committitur. & quia totius ciuitatis robore certabatur, de Atheniensibus CCCC cecidêre. cæteris intra naues receptis Thrasybulus ad Lesbum inde soluit. At ductores Atheniensium qui ad Cyzicum hærebant, Chalcedonem deuecti, castellum quoddam Chrysopolim condunt, eique præsidium, quod tutando loco sufficeret, imponunt. Præfectis insuper mandant, vt decimas à nauigantibus ex Ponto exigerent. Diuisis inde copiis, Theramenes cum quinquaginta nauibus ad Chalcedonem & Byzantium obsidẽdum relinquitur. Thrasybulus autẽ in Thraciam missus, regionis illius vrbes imperio Atheniensiũ subiungit. Tum Alcibiades Thrasybulo cum nauibus XXX dimisso, ipse Pharnabazi prouinciæ classem appellit. Ibi com-

muni excursione magnum eius tractum deprædantes, emolumentis militem amplissimis locupletant, ipsique duces magnam pecuniæ vim ex spoliorum venumdatione colligunt; eo nimirum consilio, vt populum contributionis onere leuarēt. Lacedæmonii interim audito, vniuersas circa Hellespontum copias adhuc morari, Pylum, quam Messenii tunc præsidio tenebant, infesto exercitu petunt; mari quidē naues XI; quarum quinque erant Siculæ, ciuibus Spartanis completæ; terrâ verò mediocre agmen expedierant. Tum castellum exercitu vndique cinctum terrâ simul & mari oppugnant. Quo nuncio accepto, populus Atheniensis XXX naues ad defensionem obsessorū mittit Anyto Prætore, Anthemionis filio. Hic iter ingressus, cùm aduersantibus maris procellis Maleā superare nequiret, Athenas reuertitur. Quo facto populus ad iram commotus, proditionis hominem incusat, diemq; illi dicit. In magnum igitur periculum Anytus adductus, pecuniâ vitam redemit. Et hic primus exstitisse fertur, qui largitionibus iudiciū Athenis corrupit. Interim circūsessi in Pylo Messenii hostis impetum ad tempus sustinent, auxiliū Athenis exspectantes. At cùm per nouas subinde successiones impugnarentur, & hinc vulneribus confecti occumberent, inde annonæ penuriâ affligerentur, salutem pacti loco excesserūt. Sic Pylus in Laced. potestatem rediit, cum XV. illam annis tenuissent Athen. ex quo Demosthenes locum illū muniuit.

LXV

Dum hæc geruntur Megarenses Nisæam, quæ sub Atheniensium iure tum erat, capiunt. Athenienses igitur contra illos Leotrophidem & Timarchum cum peditatu Іɔɔ, & CCCC equitatu mittūt. quibus vniuersa Megarensiū multitudo in armis occursat, & nonnullis è Siciliâ adsumptis, in collibus, qui cornua dicuntur, aciem suā instruunt. Ibi cùm strenuè ab Atheniensibus dimicaretur, hostem, qui tamē numero longè superabat, in fugam coniiciunt. Ingens tum Megarensium strages facta: de Lacedæmoniis autē XX tantùm ceciderūt. Athenienses enim Nisæā sibi ereptam permolestè ferētes, Lacedæmoniis omissis, totum persecutionis impetū in Megarenses cōuertunt, animisq; exacerbatis, magnū illorum numerū trucidāt. Lacedæmonii sub hæc Cratesippidam classis prętorem creatum, cum XXV nauibus, quas sociorum auxiliis complerāt, confœderatis succurrere iubent. hic nihil memorabile gerens, tempus aliquod circa Ioniam cōtriuit. Pòst

uit. Pòst eiectorum è Chio pecuniâ instructus tum illos re-
duxit, tum arcē Chiorum occupauit. Reuersi igitur, aduer-
sarios & exsilii sui auctores numero ıɔc vrbe expellunt qui
locū in opposita continente, naturâ suâ præclarè munitum,
(Atarneus illi nomen) occupant, & hinc deinceps præpoten-
tes in Chio bello lacessebant. In hoc negotiorum cur-
su Alcibiades & Thrasybulus munitâ Labdaco idoneum ibi
præsidiū relinquūt; & ad Theramenē, qui tunc Chalcedonē
oppugnabat, LXX naues & ıɔɔ milites sub imperio habens,
exercitum transducunt. Contractis igitur in vnum locū co-
piis, ligneo vrbē muro, ex mari ad mare ducto, incluserunt.
Hippocrates ergò Prætor à Lacedæmoniis illic constitutus,
(Harmosten illi vocant) & suos milites & Chalcedonios v-
niuersos in aciem eduxit. consertoq; prælio, cùm Alcibiades
cum suis fortissimè decertaret, Hippocrates cecidit, & reliqui
partim necati sunt, partim vulneribus confecti ad vrbē refu-
gēre. Hinc Alcibiades in Hellespontū & Chersonesum tra-
iecit, vt pecuniis colligēdis operā daret. At Theramenes cum
Chalcedoniis ita cōuenit, vt quantū stipendii priùs soluissent,
etiā deinceps contribuerēt, & abductis inde copiis ad Byzan-
tium, oppidū circūsedit, omniq; studio munimentis interclu-
dere exitū contendit. Alcibiades interim pecuniæ vi cōtractâ,
Thracū plurimos ad stipendia secum facienda adducit. Vni-
uersis quoq; Chersonesi incolis in societatē acceptis, cū toto
inde exercitu soluit, & statim Selymbriā deditione capiens,
ingentē ab illâ pecuniā extorquet, relictoq; illic præsidio, ci-
tato ad Theramenem cursu Byzantiū contendit. coactisque
denuò copiis ad oppugnationē se totos cōparant. subigenda
enim vrbs erat molis nō exiguę, & propugnatoribus strenuis
referta. Nā præter numerosam Byzantiorū multitudinem,
Clearchus Harmostes Lacedæmonius magnum ex Pelopō-
nesiis & mercenariis præsidiū in vrbe habebat. Ad tēpꝰ igitur
quamuis oppugnationē fortiter vrgerent, nullum tamē me-
morabile obsessis damnum inferre poterāt. Postquàm verò
ciuitatis Præfectus ad Pharnabazū, pecuniæ accipiendæ gra-
tia se contulisset, Byzantiorum nonnulli, quos imperii illius
odium, tœdiumq; ceperat (asper enim & immitis erat Clear-
chus) vrbē hoc modo Alcibiadi produnt. Hostes obsi-
dionē soluere, exercitumq; in Ioniam traiicere se velle simu-
lātes, ad vesperā cū totâ classe inde soluūt, & pedestri agmine

VI.

LXVII.

quodamtenus abducto, quamprimùm nox ingruit retrò se conuertunt, & intempesta nocte vrbi succedunt. Præmiserāt autem triremes cum his mandatis, vt nauigia Byzantio auellerent, & ingentem simul vociferatum excitarent. classiariis imperata exsequētibus, dum nauium aliæ incursu rostrorum frangūtur, aliæ ferrearum iniectu manuū trahuntur; & horrendus insuper clamor attollitur: Peloponnesii in vrbe milites, & cæteri fraudis nescii, ad defensionē vrbis in portus excurrunt. Interea proditores signo de muris ostenso, Alcibiadis militem per scalas in vrbē quàm tutissimè recipiunt, cùm omnis iam turba in portum se effudisset. At Peloponnesii, fraude intellectâ, diuisis repentè copiis dimidium in portu relinquunt, cū cæteris raptim ad muri iā occupati defensionem accurrunt. Quanquam verò totus iam Atheniensium exercitus irruperat, metu tamen nequaquam absterrentur, sed ad longum obnixi tempus, Athenienses magnâ roboris cōtentione reprimunt; auxiliantibus etiā Byzantinis, adeò, vt vrbs tandem in Atheniensium potestatem non venisset; nisi quid in rē tunc esset probè consideratum habens Alcibiades, præconis voce, nullâ Byzantios iniuriâ affectum iri, proclamasset. Ita mutatis oppidani animis in Lacedæmonios arma conuertunt. Ex his ergo plerique generosis animis dimicantes occubuerunt. reliqui circiter 5o ad aras deûm in templis supplices confugere. Tum restitutâ Byzantiis vrbe societatis fœdus cum illis renouatur. Supplices autem hac conditione in fidem recipiuntur, vt armis traditis Athenas transportentur, vbi populi arbitrio de ipsis statuatur.

LXVIII

Finito hoc anno, magistratum Euctemoni tradunt Athenienses, à Romanis verò M. Papirius & Spurius Nautius coss. creantur. Et tūc Olympias tertia supra nonagesimā celebrabatur, in quâ stadii victoriā adeptus est Eubatus Cyrenæus. Hoc tēpore Atheniensiū duces Byzantio potiti, Hellespōtum aggressi, cunctas in eo vrbes, præter Abydum, sub imperium suum redigunt. Tum Diodorum & Mantitheum cum præsidio satis valido ibi relinquunt: ipsi verò cum classe spoliis onustâ Athenas repetūt, multis & præclaris rebus pro salute ac gloriâ patriæ confectis. Iamque in propinquo erāt, cùm populus ob rem bene gestā lætitiâ exsultabūdus, in occursum illorum se effundit. magnusque simul aduenarum & puerorum, fœminarumque numerus excurrit, cùm omnes

præto-

prætorum reditus in admirationem ſui raperet. Naues enim
captas adducebant,non pauciores ducentis,magnamque a-
ptiuorum & ſpoliorum multitudinem, ſuas etiam triremes,
armis & coronis aureis manubiisq;, & id genus aliis magni-
ficè exornatas habebant. Alcibiadis inprimis viſendi ſtudio
maximus in portu confluxus hominũ fiebat, adeò quidem, vt
vrbs penè vacua relinqueretur, dum ſerui iuxta ac liberi ſpe-
ctaculi eius cupiditate flagrant. Illâ enim tempeſtate in tantã
nomẽ Alcibiadis admiratione habebatur, vt primores Athe-
nienſium vix parẽ huic viro inueniri poſſe iudicarent qui tàm
apertè & confidenter populi conatibus opponere ſe poſſet:
Inopes autem & capite cenſi optimum ſe propugnatorẽ ha-
bituros ſperabant, qui temerè perturbato Reipublicæ ſtatu
egeſtatis ſibi onus alleuaret. Singularis in homine præ cæ-
teris audaciâ erat, ſummaq; vis dicendi. In bellis tam miles,
quàm dux optimus, & ad res audacter gerẽdas apprimè ſtre-
nuus. Adſpectũ formæ dignitas eximia cõmendabat, animus
illi magnificus, & rerum maximarũ appetens. Eam denique
in omnium animis exſpectationem de ſe concitârat, fore ni-
mirum, vt cũ illius reditu ſimul etiam felicitas in vrbem red-
iret. Præterea quemadmodum Lacedæmonii adiutante illo
ſucceſſibus proſperis viciſſent; ita hoc bellorum ſocio tãdem
reddito res ſuas iterum meliùs habituras, ſperabant.

LXIX. Quamprimùm igitur claſſis portum ingreſſa eſt, Alci-
biadis naui tota ciuium multitudo ora aduertere, deſcẽſuque
facto, magnis plauſibus virum excipere, deq; reditu ac rebus
feliciter geſtis ipſi gratulari. Ille, perhumaniter multitudine
reſalutatâ, concionem aduocat, & prolixâ ſe defenſione per-
purgans, adeò in vulgi ſe beneuolẽtiam inſinuauit, vt omnes
culpã pſephiſmatũ contra eum in ciuitatẽ conferrent. Idcir-
cò facultates ipſi iàmpridẽ publicatas reſtituunt, & condẽna-
tionis tabulas mari ſubmergunt, reliqua etiam aduerſus illũ
rogata & ſancita abrogant. pſephiſma quoque factum eſt, vt
execrationẽ tollerent Eumolpidæ, quâ caput eius, cùm nefas
in myſteria commiſiſſe videbatur, deuouerant. Ad poſtremũ
dictatorem illũ eſſe iubent, plenumq; terrâ mariq; imperium
tradentes, vniuerſas illi copias committunt. Tum alios ille
præfectos pro arbitrio ſuo delegit. Adimantum ſcilicet &
Thraſybulum. Ipſe nauibus cẽtum ad expeditionem inſtru-
ctis in Andrum tranſmittit, & Gaurium caſtellum, à ſe tum

occupatum muro cingit. Cúmque Andrii cum vniuerso ciuitatis robore, præsidiariis etiam ex Peloponneso adiunctis, obuiam prodiissent, pugna initur, quâ victores abeunt Athenienses; oppidanorum verò bona pars trucidatur. de cæteris è pugna elapsis alii passim per agros dissipãtur, alii intra mœnia refugiunt. Tum Alcibiades cùm semel atque iterum oppugnando nihil efficeret: in castello à se prius munito præsidium (cui Thrasybulus Dux præficitur) iustũ relinquit. Ipse cũ reliquo exercitu inde vela faciens Côn & Rhodum populatur, multumq; ad alendos milites emolumenti sibi inde cõparat. Lacedæmonii autem etsi copias nauales, marisq; imperium, vnáque Mindarum Ducem amiserant: non tamen animos idcircò desponderunt: sed classis imperatorem sibi crearunt Lysandrum, qui & militaris rei peritiâ cæteris præstare videbatur, & prõptâ ad quiduis agẽdum per omnes casus audaciâ præditus erat. Is simul ac magistratum iniit, nõ exiguas ex tota Peloponneso militum copias conscripsit, & quot præsens facultas sinit naues classiariis refercit. Mox in Rhodum transuectus, cùm inde tùm à cæteris quoq; oppidis, nauibus, quot habebant adsumptis, Ephesum & Miletum contendit, adornatisq; etiam harum ciuitatum triremibus, tandem nauibus Chiensium accitis ex Epheso classem LXX circiter nauium expediuit. Postquã verò cognouit Cyrum Darii regis filium à patre missum, vt in bello persequẽdo Lacedæmonios adiuuaret, Sardeis ad eum se contulit, iuuenemque ad bellum exhortatus CCIↃↃ Daricorum in stipendia militum extemplò accepit in posterum quoque Cyrus eum sine cunctatione petere iubet. In mandatis enim à parente sibi datum, vt quicquid à Lacedæmoniis agitetur, ad hoc sumtus liberaliter suppeditet. Ephesum inde regressus, ex vrbibus vicinis potentissimos quosque accersit, initoque cum illis fœdere societatis, re bene gesta, suæ quenque vrbis principem se effecturum pollicetur. Hinc euenit, vt illi studiis inter se certantes plura imperatis subministrarent: & opinione celeriùs Lysander omnibus ad bellum cõducibilibus abundaret. Alcibiades verò, vbi Lysandrum classem Ephesi instruere cognouit, cùm omnibus eò nauibus trãsmittit, portusque ingressus, dum nemo occurrit, plerasq; naues circa Notium in ancoris sistit, illisq; Antiochũ Prætoriæ nauis gubernatorẽ præficit, seuerè mandans, ne priusquàm ipse

LXX[I]

LXX[II]

rediisset,

redisset, prælio nauali contendat. ipse interim cum militaribus nauigiis Clazomenas petit; quam vrbem in societate Atheniensium adhuc perstantem, exulum quorundam populationes grauiter affligebant. Tum Antiochus præceps naturà, suoq; Marte egregium aliquod facinus designare properans, Alcibiadis mandato susque deque habito, naues decẽ longè præstantissimas militibus complet, reliquas instructas paratasq; habere, si qua pugnãdi necessitas postulet, triremiũ præfectos iubet. In hostem itaque profectus ad pugnã illum prouocat. Lysander autẽ à transfugis quibusdam de Alcibiadis & lectissimorum cum ipso militum profectione edoctus, nunc cõmodum sibi dari tẽpus existimauit, quo dignum aliquid Spartâ perpetraret. Vniuersam igitur classem contra educens, statim vnã ex illis decẽ cæteras anteeuntẽ, in quâ Antiochus pugnã ciebat, deprimit, & reliquas in fugã actas insectatur; donec Atheniensium trierarchæ, cæteris nauibus vtrinque expeditis, nullo prorsus ordine auxilium illis ferunt. Cunctis itaq; nauibus prælio inter se commissis, non procul à terrà, Athenienses propter ordinis perturbationem XXII nauibus deperditis vincuntur. Non multi tamen è classiariis viui in hostis potestatem venerunt; reliqui ad littus enatarunt. De qua clade certior factus Alcibiades summa celeritate ad Notium retrò tendit, completisque triremibus vniuersis hostium portus intrat; sed non auso in aciem progredi Lysandro, Samum versus nauigationẽ instituit.

LXXII. Interea dũ hæc fiunt, Thrasybulus Atheniensiũ Prætor, XV nauibus Thasũ aggressus, oppidanos prælio vicit, cæsisq; ducẽtis circiter, & obsessos eò tandẽ adegit, vt exsules, qui Atheniensiũ partes fouebant, in vrbẽ reciperent, impositoq; præsidio Atheniensium societatẽ denuò colerent. Posthæc Abdera petit, vrbẽ Thraciæ potentissimis tunc annumeratam, eamque in partes suas pertraxit. Hæc tum Atheniensiũ duces, ex quo domo soluissent, effecère. Sub hæc Agis Lacedemon. rex ad Deceleã cũ exercitu statiua habuit. Is vbi accepit delectissimum Atheniensium robur per Alcibiadis expeditionem abductum, silente Lunâ, per obscuram noctem exercitum Athenis applicat. Sub signis autem habebat ccIↃↃ ccIↃↃ IↃↃ cIↃ cIↃ cIↃ; quorum pars dimidia selecti, armisque probè muniti, cæteri autem leuis armaturæ, minusque instructi erant. Sequebatur præterea ipsum ad cIↃ cc

equitum agmen, quorum ClↃ Bœoti ſuppeditarāt; reliquos Peloponneſii miſerant. Vbi propiùs ad vrbem acceſſit, procubiæ hoſtem adeſſe non ſentiunt: quas repentino impetu fugatas partim cædit, partim intra mœnia compellit. Fraude Athenienſes intellectâ, vniuerſos tum pueros grandiuſculos hoſti cum armis occurrere iubent. quibus extemplò imperata faceſſentibus breui totus murorum ambitus hominū plenus erat, qui ad repellendum commune periculum confluxerant. Vbi verò illuxit, duces Athenienſium agmen hoſtium in phalangem, altitudine ad homines quatuor, longitudine verò ad ſtadia octo extentam conſpicati, non mediocriter primùm territantur, præſertim cùm duas iam muri partes ab hoſte teneri cernerent. Pòſt equitatum numero hoſtibus parem emittunt. Equeſtri itaque pugnâ ante vrbem commiſsâ, ad tempus ſtrenuè decertatur. Phalanx enim ad quinque ſtadia à mœnibus adhuc aberat. Equites autem inter ſe conſerti ſub ipſis muris dimicabant. Bœoti igitur, qui ſuâ virtute ad Delium priùs Athenienſes vicerant, graue ducebant, ſi victis nunc inferiores eſſe viderentur. Athenienſes contrà, quòd teſtes virtutis ſuæ haberent in mœnibus diſpoſitos, & vnicuique illorum noti eſſent, pro victoriâ adipiſcendâ quiduis audebant & tolerabant. Tandem vi depulſis aduerſariis, magnam ipſorum cædem faciunt, & reliquos ad pedeſtrem vſq; phalangem inſequuntur. quâ paulatim imminente, in vrbem ſe recipiunt. Agis verò tempus illud obſidioni non ſatis idoneum ratus in Academia caſtra ponit. Cùmque poſtridiè Athenienſes tropæum excitarent, explicitâ acie oppidanos ad dimicandum pro tropæo laceſſunt. Cùm eductis ergò ſuis Athenienſes ſub mœnibus aciem inſtruxiſſent, Lacedæmonii pugnam primi capeſſunt. At cùm telorū multitudine deſuper è muris obruerētur, copias ab vrbe abducunt. Inde reliquam Atticæ terrā populati, in Peloponneſum regrediuntur. Alcibiade claſſe vniuerſa Cumam tranſportatâ, falſa in oppidanos crimina iactat, agros ipſorum prætextu aliquo diripere cupiens: magnamque captiuorum turbā primâ irruptione coactā, in naues ſuas abripit. At vbi coniūctis totius ciuitatis viribus Cumæi ex improuiſo ad defenſionē ſuorum hoſtē inuaderent, manus Alcibiadis aliquouſq; ſuſtinebat. Cùm verò ſubinde plures ex oppido & agro accurrerent, poſthabitis captiuis in

LXXI

naues

naues refugere cogebantur. Alcibiades igitur victum se ægrè ferens, armatorum cohortes ex Mitylene accersit, & instructâ ante vrbem acie Cumæos ad conflictum prouocat. sed nemine prodeunte, vastatis illorum agris, Mitylenen repetiuit. Cumæi verò legatis Athenas missis, actionem contra Alcibiadem instituunt, quòd socii nominis vrbem, quæ ipsos nullâ iniuriâ affecerit, populando vexasset. Multæ quoque aliæ de improbitate hominis querelæ tum afferebantur. Nonnulli enim præsidiariorum in Samo, Alcibiadi infensi, Athenas traiecerant, & in publicâ Alcibiadem concione criminabantur, quòd cum Lacedæmoniis colluderet, & familiarem cum Pharnabazo amicitiam contraxisset, in eam maximè spem, vt bello confecto, ciuibus ipse dominaretur. Cùm igitur facilè his calumniis fides à vulgo adhiberetur, ingens Alcibiadis gloria vulnus accepit, idque suspicionem auxit, quòd & malè pugnasset ad Ephesum, & quòd peccatum illud in Cumæos designasset. Hinc populus Atheniensis suspectam habens viri audaciam, decem alios exercitus ductores creauit; Cononem vtique, Lysaniam, Diomedontem, Periclem, Erasinidem, Aristocratem, Archestratum, Protomachum, Thrasybulum, Aristogenem. delectumq; præ cæteris Cononem ad Alcibiadem confestim mittunt, vt classem cum Imperio ab illo reposcat. Cedens ergò magistratu Alcibiades Cononi exercitum tradit: sed desperato Athenas reditu cum vnâ triremi Pactyen Thraciæ concessit. nam præter infestæ multitudinis iram, crimina quoque sibi ingesta reformidabat. Multi enim cùm fortunâ aduersâ ipsum iam conflictari videntes, criminibus vndecunque impingendis studebant. inter quæ tamen maximum illud erat de equis, quinquaginta talentis æstimatum. Cùm enim Diomedes eius amicus quadrigas cum ipso in Olympiam misisset, in nominis subscriptione vsitatâ equos sibi vendicârat, cùmque ille quadrigis victor exstitisset, ipse non tantùm gloriam eius victoriæ abstulit, sed equos insuper bonâ fide sibi creditos, non restituit. Hæc omnia mente reuoluens timuit, ne occasionem Athenienses nacti, omnium quæ prauè in ipsos commiserat, pœnas sibi irrogarent. Exsilii ergò pœnam sibi ipse indixit. Hac Olympiade Synoris (*equorum iugum* dixeris) insuper adiecta fuit. Apud Lacedæmonios verò Plistonax illorum rex fato concessit: cùm

annis quinquaginta regnasset. cui Pausanias succedens, XIV annos regno præfuit. Rhodi verò insulæ habitatores, ex Ialyso, Lindo & Camiro, in vnam vrbem, quæ Rhodi nomen iam obtinet, commigrarunt. Hermocrates autem cohortib⁹ suis Selinunte eductis, Himeram petiit, & in suburbio euersæ pridem ciuitatis castrametatus, cùm diligenter percunctãdo cognouisset, quo in loco Syracusiorum acies stetisset, defunctorum ossa collegit, & curribus magnificè instructis imposita Syracusas transportauit. Ipse quidem ad fines territorii substitit, quos transgredi exsulibus lege interdictum est: sed ex comitatu nonnullis transuehendorum Syracusas negocium commisit. Hoc eo consilio faciebat, vt Diocles reditum eius impediens, cùm in culpâ neglectæ funerationis esse deprehenderetur, odium multitudinis incurreret. ipse verò ob humanitatem mortuis præstitam, beneuolentiam vulgi pristinam recuperaret. Allatis demum ossibus, dissidium inter vulgus oritur; Diocles enim sepulturę sese opponit; at vulgus contrariam sententiam concorditer tuetur. Ad extremũ iusta mortuorum reliquiis peragenda decernunt, & tota ciuitas funebrem pompam frequentiâ suâ cohonestat. Tum Diocles exsilio multatus est. at nihilo tamen magis Hermocrates reuocatur. audaciam namq; viri suspectam habebant, ne, si quando magistratum adeptus foret, regnum occuparet. Cùm ergò ad vim experiundam, tempus minimè commodum tunc esse cerneret; Selinuntem se iterum recipit. Aliquantò verò pòst ab amicorum factione accitus, cum trib⁹ armatorum millibus approperauit. ductoq; per Geloam agmine, noctu ad locum ex composito præfinitum deuenit: cúmq; non omnes eum milites consequi tunc possent, ipse cũ paucis ad portam in Achradinâ progressus, vbi amicorum nonnullos inuenit, quòd loca illa iam occupâssent, tardiùs etiam subsecutos adsumit. At proditis Syracusani molitionibus armati in forum procurrunt, vbi magnâ hominum multitudine congregatâ Hermocratem, maioremq; complicum eius partem obtruncant. Cæteros, qui è pugna euaserant, ad iudicium citatos, exsilio damnant. Idcircò nonnulli ex ipsis, quòd multis vulneribus essent confixi, pro mortuis à cognatis proclamati sunt; ne multitudinis furori obiicerentur. inter quos fuit etiam Dionysius, qui dominatum in Syracusas postmodum sibi vsurpauit.

Rebus

Rebus per hunc annum ita confectis, Antigenes magistratum Athenis iniit, & Romæ Consules creati sunt Manius Æmilius, & Caius Valerius. Circa hoc tempus Conon Athen. dux acceptis in Samo copiis, naues, quę tum aderant, instaurat, & à sociis quas potest accersens, magnitudine classis cum hoste certare properat. Laced. autem Lysandro, præfectura nauali per statutum tempus defuncto, Callicratidē substituunt. Is in primo iuuentutis flore, vitæ innocentis & simplicis animi vir erat, moresq; peregrinos nondum expertus, summâ iustitiæ laude inter Spartanos excellebat. omniumq; confessione nihil præter ius & æquum, vel in ciuitatem, vel priuatum quemquam, commisit. quinimò si qui largitionibus ipsum corrumpere tentarent, molestissimè tulit, & seuerè in eius farinæ homines animaduertit. Hic ergo Ephesum profectus, naues à Lysandro accepit, quibus cæteris omnibus aggregatis, CXL sub imperio habebat. Delphinium tum in Chio Athenienses tenebant. in hos ergò cum totâ classe mouens, castellum oppugnare incipit. Sed Atheniense præsidium, in quo circiter IↃ milites erant magnitudine classis territatum, sub tuti commeatus fide, castello hostibus tradito, inde abscedit. Hoc in potestatem redactum Callicratides diruit, & aduersus Teios pergens, & noctu mœnibus illapsus, vrbem diripit. Inde ad Lesbum profectus Methymnæ exercitum admouet, in quâ Atticum tunc præsidium excubabat. Etsi verò assiduo oppugnationem conatu vrgebat, initio tamen nihil profecit. sed breui pòst proditione quorundam intra mœnia receptus, vrbem quidem diripit, sed à cæde hominum abstinet, & Methymnæis ciuitatem restituit. His prosperè gestis ad Mitylenen accelerat, & grauis armaturæ militibus Thoraci Laced. traditis, iubet vt pedestri exercitu non cunctanter accedat, ipse littus interim cum nauibus legit.

Interea Conon Athen. Imperator LXX naues ita instructas ad prælium nauale reddiderat, vt superiorū Ducum nemo classem instructam habuit. cùm his omnibus ad ferendum Methymnæ auxilium venerat: sed vbi captum offendit, tunc sanè in quadā ex numero illarum quæ centū vocantur, insulâ statiuā habuit. Sub insequentis diei ortum, vbi totā hostiū classem imminere vidit, periculosum fore ratus si cū duplo maiori numero fortunā belli tētaret, vlteriꝰ reductis nauib. certamen subterfugere, & nonnullis hostiū triremibus

obiter decerptis,ad Mitylenen confligere ſtatuit. ita futurum ratiocinatus, vt, ſi viciſſet idoneam ad inſequendum facultatem,ſin cedere cogeretur, in portu fugæ receptum haberet. Impoſitis ergò in naues militibus, remigia lentiùs agere iubet, vt propius hoſtium claſſis accederet. Lacedæmonii autem quò propiùs adnauigauerunt, eò magis nauigia impulerunt, omninò ſperantes, extremum ſe hoſtium agmen conſecuturos. At Conone paullatim ſe ſubducente, qui lectiſſimas Pelopõneſiorum naues ducebant, concitatis remis inſequebantur. quo factum, vt remiges labore defatigati langueſcerent, ipſique longiùs ab reliquis abſtraherentur. qua occaſione Conon obſeruatâ,cùm iam proximiùs ad Mitylenen proceſſiſſent, puniceum è naui Prætoria vexillum extulit. quæ pugnæ inceptandæ teſſera Trierarchis erat. Confeſtim igitur hoſtibus iam aſſecutis naues Athenienſiũ vno temporis momento ſe conuertunt: vulgus Pæanem ingeminat; tubicines claſſicum ſonant. quo facto Pelopõneſii exſternati ſubitò in iuſtum aciei ordinem naues diſtribuere properebant. cùm verò tantillum ocii ad conuertendum naues tempus haud permitteret, in magnâ perturbatione verſabantur; quòd naues tardiùs ſubſequentes ordinem inſtitutum reliquiſſent. Conon igitur occaſione illa dextrè vtens, rectâ illos inuadit, & aciei ſtructionem impediens, nauium alias ſauciat, aliis remos deterget. At ex nauibus Cononi oppoſitis nulla in fugam ſe conuertit, ſed inhibitâ remis puppi, omnes fortiter vno loco ſubſtiterunt, dum relicta à tergo claſſis aduentaret. At ſiniſtrum Athenienſium cornu, verſis in fugam quos oppoſitos habebant, ardentiùs perſequendo ad longum tempus fugientibus incubuit. Vbi verò tota Peloponneſiorum claſſis vndequaq; coiuit, Conon hoſtium multitudine deterritus, ab inſectando deſtitit, & cum nauibus XL. Mitylenen ſe recepit. Athenienſes interim qui fugientibus inſtiterant,omnes Peloponneſiorum naues circumfuſæ, in ſummum adduxerunt pauorem, & intercluſo ad vrbem reditu ad terram fugere compulerunt. Sed cùm tota Peloponneſiorum claſſis eos premeret, Athenienſes aliam euadendi ſpem non ſubeſſe cernentes,ad littus profugerunt, & nauigiis poſthabitis Mitylenen fugâ ſe receperunt. Sic XXX. nauibus potitus Callicratides, vbi claſſem hoſtium iam diſſolutam vidit, terrâ ſibi

deinde-

deinceps confligendum esse existimauit. Ad vrbem igitur
nauigationem intendit. cum quâ obsidionem simul exspe-
ctandam ratus Conô, quæ ad obstruendum portus ostium
facerent, procurat. nam quà parte b euia portus erant & va-
da, ibi nauigia parua saxis onusta demergit. in alto verò, vbi
maior aquæ profunditas, onerarias lapidibus refertas an-
coris firmat. Athenienses itaque & numerosâ Mitylenæo-
rum turba ex agris in vrbem metu belli confluens, repentè
ad obsidionem necessaria comparant. Callicratides autem
iussis descendere militibus, in vicino vrbis littore castris lo-
cum occupat, & tropæum victoriæ naualis extollit. Postri-
diæ validissimis nauium delectis, & ne longiùs à Prætoriâ
naui abscederent, iussis, versus vrbem tendit, intrare simul
portum, & impedimenta ab hostibus obiecta dissoluere
properans. At Conon partem militum triremibus imposi-
tam circa aditus obuersas hosti proras tenere iubet, partem
maioribus in nauigiis disponit. Nonnullos ad portus bra-
chia dimittit, vt vndique terrâ marique circumseptus foret.
Tum ipse interuallum loci vtrinque obstructi triremibus
suis occupans, pugnam ciebat. In maioribus autem naui-
giis collocati, ex antennis desuper lapidibus hostium naues
impetebant. Ad portus autem extremitates constituti è na-
uibus ad terram descendere conantes prohibebant.

At Peloponnesii studiorum viriumque contentione
nihilo hostibus inferiores erant. nam conferto nauium a-
gmine se inferentes, dispositis per foros fortissimis quibusq;,
nauale simul & terrestre certamen peragebant. Impetu enim
violento hostium naues aggressi, in proras ipsorũ transmit-
tere se non verentur, paullò antè victos, fugatosque discri-
men hoc nequaquam subituros arbitrantes. Athenienses &
Mitylenæi verò vnam in victoriâ salutis spem reliquam esse
videntes, strenuè potiùs mortem oppetere, quàm ordinis
stationem deserere prompti sunt. Tam pertinaci igitur con-
tentione, dum exercitus inter se rem gerunt, prolixum ori-
tur certamen: cùm quisq; intrepidè corpus periculis obiecta-
ret. pars de foris pugnantium multitudine iaculorum vndi-
que ingruentium sauciari: quorum nonnulli lethaliter vul-
nerati, in mare præcipites ibant: pars recentes adhuc ictus
non sentiens, in conflictu persistere. plurimi tamen ex an-
tennis, quæ lapides gerebant, icti cadere: quòd prægran-

des ex altiori loco lapides ab Athen. incuterentur. Tandem verò cùm prælio ad tempus bene longum extracto, plurimi vtrinq; cecidissent, receptui Callicratides suis cani iussit, vt datâ quiete illos recrearet. Aliquantò pòst naues rursus onerat, & certamine redintegrato, & ad longum tempus producto, multitudine nauium (quæ maxima fuit) & epibatarum robore peruicit, vt Athen. statione illâ depellerentur. qui cùm ad interiorem vrbis portum refugissent; ingressu per obstacula sibi patefacto, quàm proximè Mitylenæorum vrbẽ ancoras iecit. ostia enim, de quibus certamen fuerat, perelegans excepit portus, extra tamen mœnia situs. nam vetus vrbs parua quædam insula est. deinceps autem illi adiecta in aduersa Lesbi regione iacet. in medio harum strictus quidam est Euripus, quo vrbs redditur munitior. Callicratides igitur deductis in terram copiis, vrbem castris & stationibus cinctam ab omni parte oppugnabat. Et tùm res ad Mitylenen in hoc erant statu. In Sicilia verò Syracusii missis Carthaginem legatis, de bello proximè illato conqueruntur, vtq; ab istâ armorum contentione desistant, adhortantur. Quibus ambiguè à Carthag. responsum. Interim numerosum denuò exercitum cogunt, & in hoc omni studio & cupiditatis annixu toti sunt, vt omnes Siciliæ vrbes seruitutis iugo subiiciant. Antequàm verò copias in Siciliam transportassent, volonum ex ciuibus, aliisq; Afris delectu habito, nouam ad calidas aquas in Siciliâ vrbem, Therma vocatam, condunt.

LX.

Rebus anni illius ad exitum ita deductis, Athenis Archontis magistratum accepit Callias, Romæq; Cosules facti L. Furius & Cnæus Pōpeius. Hoc tempore Carthag. rebus per Siciliam prosperè gestis elati, totiusq; Insulæ possessionem affectantes, de ingentis exercitus apparatu decretum fecêre. Imperatorem ergò creant Hannibalem, qui Selinuntiorum & Himerensium vrbem exciderat, totiusq; belli administrandi potestatem ei tradunt. qui cùm ingrauescentis prætextu ætatis se excusaret, legatum ei adiungunt Imilconẽ filium Hannonis, ex eâdem prosapiâ ortum. Hi communi rem deliberantes consilio, quosdam è Carthag. numero præcipuæ dignitatis viros, cum magnâ pecuniæ vi, partim in Hispaniam, partim ad Balearicas Insulas dimittunt; quib. mandatum, vt quamplurimos mercede milites conducerent. Ipsi per Libyam, Afros & Pœnos militem conscribunt, & è ciui-

bus optimũ quemq; deligunt. A confœderatis etiam populis
& regibus, Mauros Numidasq; & nonnullos ex partibus ad
Cyrenen dissitis, ad militiæ societatem accersunt. Tum Cā-
panos, ex Italiâ stipendiis inuitatos, in Africam transportant.
Hos enim magno sibi vsui fore compertum habebant: cùm
illos, quos in Siciliâ reliquerant, propter simultates aduer-
sus Carthag. pridem susceptas, pro Siculis arma gesturos su-
spicarentur. Tandem vbi copiæ hinc inde Carthagine con-
uenissent, recensiti sunt, vt Timæus refert, haud multò plures
centum & xx millibus, vt Ephorus autem numerat millia
trecenta. Carthag. igitur, quæcunq; ad traiiciendum exerci-
tum requirerentur, præparant, triremesq; omnes instaurant,
& onerarias plus quàm mille cogunt. Hinc triremibus XL in
Siciliam præmissis, Syracusani haud cunctanter cum totidē
nauibus circa Erycem occurrunt; consertoq; prælio, cùm diu
acriter dimicatum esset, de Punicis XV naues interiere: Cæ-
teræ per noctis interuentum fugâ se in altum subduxêre.
Hac clade Carthaginem renunciatâ, Hannibal Imperator
cum quinquaginta nauium classe abnauigat, tùm vt vsum vi-
ctoriæ hosti præriperet, tùm vt tutiorem suis transitum pa-
raret, maturans. Diuulgato per Insulam Hannibalis
aduētu, hæc cunctos opinio suspensos tenebat, fore, vt omnes
statim copias transportaret. Ciuitates igitur magnitudine ap-
paratus cognitâ, cùm de summa rerum disceptandum sibi es-
se arbitrarentur, in solicitudine metuq; non mediocri erant.
Syracusani inprimis tum ad Græcos in Italiâ, tum ad Laced.
societatem & auxilia petitum, legatos mittunt. Per literas et-
iam huc illuc ad ciuitates missas à primoribus contendunt, vt
populum ad commune pro libertate omniũ certamen susci-
piendum exhortentur. Acrag. verò, consideratâ Carthag. po-
tentiâ, tantam belli molem sibi omnium primis excipiendā
esse, (vt verè etiā se res habebat) suspicantur. consultiss. igitur
visum, vt frumenta, aliosq; terræ fœtus, & opes vniuersas, ex
agris intra mœnia cōportarēt. nā tēpestate illa & regio Acrag.
& vrbs felici bonorũ copiâ exuberabāt. de quo, vt luculentius
disserā, haud incōueniēs hîc videtur. Nā vineta illis amplitu-
dinis spaciosæ, & amœnitatis eximiæ. maxima regionis pars
oliuis cōsita: vnde vberrima fructus copia venundatũ Carth.
asportabatur. nā quia tēporib. illis Africa nondũ plantis con-
sita erat, Acragantini territorii cultores ex permutatione

opes immenſas lucrabantur. Opulentiæ huius plurima etiamnum indicia illis reſtant; de quibus pauca referre non alienum eſſe arbitror. Nam templorum ſtructura & ornatus, inprimis verò Iouis fanum, magnificentiam illius ætatis hominum oſtendit. Cæteræ enim ædes ſacræ vel exuſtæ ſunt, vel funditus deſtructæ, per crebras vrbis expugnationes. Olympio cùm iam propè eſſet, vt tectum induceretur, bellum impedimento fuit. Ab eo deinceps tempore exciſo oppido, nunquam poſtea colophonem ædificiis imponere Acragantini valuerunt. Fanum illud pedum CCCXL. longitudine porrectum eſt; ad LX. verò latitudinem patet; & ad CXX. altitudinem, fundamento tamen excepto, attollitur. Maximum hoc omnium eſt, quæ per inſulam habentur, & magnitudine ſubſtructionum cum exteris quoque comparari meretur. nam etiamſi molitio iſta ad finem perducta non fuit, priſtina tamen deformatio adhuc in conſpectu eſt. Cùm enim alii ad parietes vſque templa educant, aut columnis ædes complectantur, vtriuſque ſtructuræ genus huic fano commune eſt. Nam vnà cum parietibus columnæ aſſurgunt rotundæ extrinſecus, ſed quadratâ intus formâ. Ambitus harum ab exteriori parte XX. pedes habet, tanta ſtrigum amplitudine, vt corpus humanum inſerere ſe aptè queat: intrinſecus verò XII. pedes continet. Magnitudo porticuum & ſublimitas ſtupenda eſt: in quarum parte Orientali, Gigantum conflictus eſt, cælatura, magnitudine & elegantia operis excellens. Ad occaſum, Troiæ expugnatio efficta habetur, vbi heroum vnumquemq; videre eſt, ad habitus ſui formam elaboratè fabricatum. Lacus etiam fuit tempeſtate illâ extra vrbem manu factus, ſeptem ſtadiorum ambitu, & profunditate XX. cubitorum. in quem deriuatis aquis, mirâ quadam arte effecerant, vt omnis generis piſces magnâ copiâ illic haberentur ad publicos conuiuiorum apparatus. Frequentes illic olores, aliæque magno numero volucres; quæ magnâ ſpectatores voluptate permulcebant. Faſtum & delitias ciuitatis etiam ſepulcrorum magnificentia declarat. quorum nonnulla equis in certamine quondam probatis exſtructa, quædam auiculis, quæ domi à virgunculis & puſionibus educantur, concinnata fuêre. eaque ſuâ etiamnum ætate reſtantia, Timæus ſe vidiſſe teſtatur. & proximâ ante hanc Olympiade, quæ ſecunda eſt

LXXXII.

poſt

post nonagesimam, Exænetum, Olympicis victorem, magnifico inuectum curru in vrbem, bigæ CCC. candidis equis omnes Acragantinæ festiuâ pompâ comitabantur. In summâ, à pueris inde vsque delicata illis vitæ ratio, vestitusque nimiùm quantum mollis: aurumque gestare, & ex auro argentoque strigiles & lecythos in vsu habere, mos illis erat.

LX-XII.

Ditissimus verò omnium inter Agrigentinos eo tempore Gellias erat. is compluribus domi suæ diuersoriis ad excipiendos hospites exstructis, ad portas ianitores constituit, quibus imperatum erat, vt quoscunque viderent aduenas, ad hospitium inuitarent. Exemplum hoc etiam alii imitati fuêre, quibus prisco more humaniter & benignè cum hominibus versari studium erat. Idcircò Empedocles hunc ad modum de illis canit:

Hospitibus sancti portus, sine labe malorum.

Contigit aliquando, vt IƆ. illuc equites hybernâ tempestate (vt Timæus libro XV. memorat) diuerterent. hos omnes liberaliter ille suscepit, & confestim singulis chlamydes, tunicasque ex arcis depromtas, distribuit. Et Polyclitus in historiis suis narrat de cellâ in ipsius domo vinariâ: quam se dum militans Agrigenti subsisteret, vidisse att estatur. quòd tum fuerint in illa CCC. dolia vno saxo excisa, quorum vnumquodque centum amphoras ceperit. Iuxta verò labrum exstitisse incrustatum CIƆ. amphorarum capax, ex quo liquor in vasa defluxerit. Forma Gellias exili & despectâ fuisse dicitur, sed ingenio & moribus admirandus. Cùm legati aliquando ad Centorippinos munere fungeretur, in concionem progresso, importunum in risum se vulgus effudit, formam nominis celebritati minimè parem videns. Ad quod ille respondit: Hoc tantoperè mirandum non esse: siquidem Acragantini pro more id obseruent, vt formâ præstantissimos ad inclyti nominis ciuitates mittant, ad humiles verò, nec magni faciendos, sibi similes.

LXX-XIV.

Nec verò Gelliæ tantùm sed multis quoque aliis Acragantinis tanta opum magnificentia contigit. Antisthene sanè, cui Rhodi cognomentum, cùm nuptias filiæ perageret, ciues in suis quosque vicis liberali conuiuio excepit, & vt plusquàm IƆ CCC. sponsam iuga comitarentur, procurauit. Adhæc non tantùm equites oppidani, sed è vicinis quoque multi ad nuptias accersiti, pompâ frequente nouæ nu-

ptam deduxerunt. Cum summâ verò magnificentiæ festiuæ in vrbe lucis apparatus fuit coniunctus. in omnib. enim templis aras, & quotquot per totius oppidi vicos erant, strue lignorum onustas, assulasq; præterea in tabernis & sarmenta, quamprimùm flammantem in arce ignem viderent, eodem vbiq; momento accendi iussit. Cui mandato cùm mos gereretur, illo ipso tempore, quo sponsa ingenti faces præferentium comitatu deducitur, tota vrbs ignibus vndequaq; excitatis reluxit; nec publicæ vrbis viæ tantam comitatus multitudinem capere poterant; adeò magnificentiam viri impẽso cuncti fauore prosequebantur. Per illud enim tempus Acragantinorum plures erãt quam ccIↄↄ ccIↄↄ: adiunctis verò inquilinis, non pauciores (cccIↄↄↄ ccIↄↄ) centum & xx millibus. De Antisthene hoc memorant, cùm filium infensiùs aliquando cum vicino pauperculo contendere, & ad vendendum sibi agellum cogere velle animaduerteret, obiurgando illum ad tempus deterruisse, cupiditate verò hominis subinde magis auctâ, monuisse tandem, ne vicinũ ad inopiã adigere properaret, sed locupletare potiùs eum studeret, ita enim plus agri illum affectaturum. quòd vbi parato sibi ære à vicino redimere nequiuerit, hunc ipsum, quem in possessione hactenus retinuerit, venditurum. Summa igitur ciuitatis opulentia effecit, vt tanto Agrigentini luxu diffluerent vsq; adeò etiã, vt breui pòst, licèt exitiali obsidione pressi, decreto tamen publico sciscerent, ne quis in excubiis pernoctantium plus quàm culcitram, peristroma (*velariũ*) gausape laneum, & duo ceruicalia haberet. Cùm hæc igitur durissima lecti sternendi ratio ipsis fuerit, facilè hinc æstimare licèt, quãtus in reliquâ vita luxus apud eos inualuerit. Hęc nec præterire libuit, nec prolixiùs tractare placet, ne magis necessaria prætermittantur. Carthag. ergo, copiis in Siciliam traiectis, in Acragantinos expeditionem faciunt, & bina in diuersis locis castra faciunt; altera in collib⁹ quibusdã; vbi Hispanos, & Afrorũ manum ad ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ collocant; altera non procul ab vrbe fossa profundâ valloq; circummuniunt. Initio autem per legatos ab Acrag. contendunt, inprimis, vt societatẽ & arma secũ iungant, sin id non placeret, vt quieti à bello abstinerent, & in pace amicitiã cum Carthag. colant. quũ neutra conditionũ ab oppidanis reciperetur, ad oppugnationẽ strenuè processum est. Acrag. LXXXV.

igitur

igitur armatis, quicunq; per ætatem arma ferre possent, & in ordinem digestis, partem horum ad defensionem mœnium constituunt, partem in subsidiis, ad succedendum fessis, collocant. Auxiliarem verò ipsis operam nauabat Dexippus Lacedæmonius; qui recèns à Gelâ cIↃ IↃ peregrinorum militum agmen ipsis adduxerat. Is enim sub id tempus, vt Timæus refert, Gelæ vitam agebat, in magnâ propter patriam dignatione habitus. Rogatus igitur fuerat à ciuitate Acragantinorum, vt numero militum, quàm maximo posset conducto, auxilium sibi ferret. Mercenariam præterea operam illis locabant, qui cum Amilcare priùs militauerant, Campani circiter IↃ CCC. Hi collem vrbi imminentem, quem Athenæũ vocitant, percommodo equidem situ, occupant. Tum Imilcar & Hannibal Carthag. Prætores exploratis vrbis mœnibus, cùm vno tantùm loco facilem esse irruptionẽ viderent, duas stupendæ magnitudinis turres illic applicãt. Primo igitur die ex his mœnia oppugnant, multisq; hostiũ interfectis, receptui cani iubent. Insequenti nocte, eruptione facta oppidani machinas incendunt. Hannibal verò, diuersis in locis oppugnationem intentare properans, sepulcra milites demoliri, & aggeres ad ipsos vsq; muros extollere iubet. Opus id subitò à tanta hominum multitudine perfectum datur. sed ingens tum religio exercitum inuadit. nã Theronis monimentum, magnificæ structuræ ac molis opus, fulminis ictu disiicitur. quod repurgari cœptum, nonnullorum qui tum præstò erant, vatum prouidentia inhibetur. Tum illicò pestis castra inuadit, quâ multi statim intereũt; non pauci atrocib. tormentis & miseriis corripiuntur. inter quos etiã Hannibal exstinctus est. Quidã ad excubias præmissi, simulacra defunctorũ per noctẽ à se conspecta renũciant. Imilcar igitur, deûm formidine vulgus pterritũ videns, primũ ab eruendis sepulcris abstinet. Hinc diis supplicationes ritu patrio instituens, puerũ Saturno mactãt, & Neptuno turbã sacerdotum in mare demergit. Nec tamen ab inceptis ppterea desistit; sed fluuio prope vrbẽ aggeribus ad mœnia vsq; obstructo, machinas statim omnes admouet, & de die in diẽ oppugnationẽ vrget. Interea Syracusani obsidione Acragan. consideratâ, ne eandẽ q̃ nuper Selinun. & Himeren. fortunã eperiãtur veriti, iã pridẽ ad ferendũ obsessis auxiliũ pmpti erãt. Tũc igitur sociorũ ab Italia & Mess. copiis aucti, Daph. Imper. designant, coactoq; ad expeditionem exercitu, in itinere Camarinæos

XXVI.

& Geloos, nonnullosque ex mediterraneis accersitos adsumunt, & continuatis itineribus Acragantem versus, classe xxx. nauium iuxta littus prҫterlegente, ducunt. plures autem quàm cIↃↃ cIↃↃ ↃIↃↃ. peditum, equitesque IↃↃ. non pauciores sub signis ille habebat. Imilcar explorato hostium aduentu, Iberos & Campanos & ex reliquâ turbâ, non multò minus cIↃↃ cIↃↃ cIↃc cIↃↃ. aduersum mittit. Iamque Himeram flumen transgressis Syracusanis, Barbari occurrunt, & collatis vtrinque aciebus post longi temporis conflictum, Syracusiis tandem victoria cessit: qui cæsis plusquàm IↃↃ cIc. totam aciem fundunt, dissipantque, & ad vrbem vsque insectantur. Sed ductor, laxato suos ordine instare fugientibus cernens, vereri cœpit, ne cum reliquo prorumpens agmine Imilco acceptum damnum repararet simili enim casu Himeræos rerum omnium iacturam fecisse meminerat. Tum Barbaris fugâ in vicina Acraganti castra dilapsis, milites oppidani cladem fugamque Pœnorum suspicati, duces, vt se educant orant & obtestantur, iam opprimendi delendique exercitum hostilem tempus percommodum esse, dictitantes. At illi, siue pecuniâ (vt rumor erat) corrupti, siue metu, ne desertã interea vrbem caperet Imilcar, retracti ab eruptione milites prohibuerunt. quo factum, vt in fugam versi, se tutos incolumesque in castra referrent. Daphnæus verò cum exercitu progressus, in castris Barbarorum pridem desertis statiua habuit. ad quem vbi extemplò milites ex oppido, quibus etiam Dexippus comes erat, sese aggregarent, mox è concursu illo ad concionem multitudo processit. Ibi omnes fremere ac permolestè ferre, quòd neglectâ occasione, de barbaris iam deuictis non meritas statim pœnas sumpsissent, & quòd ductores, cùm eruptione ex vrbe factâ hostiũ copias facilè ad internecionem redigere possent, tot dena millia tam impunè dimisissent. Tumultu igitur cum immani vociferatu per concionem exorto, Menes Camarinæus, præfecti munus gerens, in medium progressus Acragantinorum duces accusando, tantoperè omnium animos concitauit, vt reis defendere se paratis nullum dicendi locum præberent, & saxis repentè correptis quatuor ex ipsâ multitudine obruerentur. quintus verò Argeus nomine, propter iuuenilem planè ætatem dimissus fuit. Malè etiam audiebat

LXXXVII.

bat Dexippus Lacedæmonius; quòd cum imperio copiis
præfectus, & præ cæteris res bellicas intelligere existimatus,
proditionis causâ, tum fœdè deliquisset. Concione
dimissâ Daphnæus copiis eductis, castra Pœnorum obside-
re nititur: sed præclarè munita cernens, incepto supersedit.
Equitatu igitur suo vias insidens, & pabulatum exeuntes in-
tercipiens, commeatusque facultatem præcludens, in ma-
gnas hostem angustias deduxit. Cùm enim in aciem pro-
dire non auderent, & interim magnâ annonæ penuriâ labo-
rarent, maiorem in modum Pœni affliclabantur. Multosq;
fames absumpsit. Campani igitur cum reliquis mercena-
riis fermè omnes concursu ad Prætorium Imilcaris facto,
statutam frumenti mensuram exposcunt, quæ, si negetur, ad
hostem se transituros minitantur. Ad Imilcar per indicium
cuiusdam edoctus Syracusios magnam frumenti vim Acra-
gantem nauibus deportare; quòd vnica hæc spes superesset,
militibus persuasit, vt pauculos adhuc dies sese continerent,
poculis Carthaginensium militum ad maiorem rei fidem
pignori traditis. Tum ex Panormo & Motyâ triremibus
XL accersitis, insidias commeatum aduehentibus struit. Nã
Syracusii, quòd iam pridem maris imperio cessissent Pœni,
& iam hyems appeteret, nihil periculi à Carthaginiensibus,
quos minimè triremes conscendere ausuros putarent, me-
tuebant. Dum itaque incautiùs adnauigant, Imilcar cum XL.
triremibus occurrens, confestim longas naues IIX. depres-
sit, cæterasque ad littus vsque fugauit. Quibus omnibus in
potestatem redactis, adeò spes vtriusque partis immutauit,
vt Campani Agrigentinorum socii, rebus Græcorum despe-
ratis, XV. talentis se corrumpendos darent, & in Carthagi-
niensium castra transirent. Enimuerò Agrigentini sub obsi-
dionis principium cùm res Carthaginensibus non satis pro-
sperè succederent, frumento, cæterisque rebus ad victum ne-
cessariis liberiùs ac profusiùs vti. pòst vbi Barbarorum spes
denuò se erigere cœpit, tot millibus in vnum oppidum coä-
ctis, fruges incautis nec sentientibus illis absumi ac deficere.
Dexippum quoque aiunt XV. talentis fuisse corruptum. sta-
tim enim Italicorum præfectis respondit, præstare bellum
alio loco geri. hîc enim deficere alimenta. Idcircò eum du-
ces prætextum commenti, quasi definitum sui magistratus
tempus iam elapsum sit, copias suas ad fretum abducunt.

Post quorũ discessum Imperatores cum præfectis congressi, quicquid in vrbe supersit alimoniæ, exquirere instituunt vbi exiguum restare comperiunt, necessitatem vrbis deserendæ ingruere sibi vident. proximâ igitur nocte vniuersos ad discessum expeditos esse iubent. Cùm tanta igitur virorũ, mulierum, puerorum turba ad emigrationem sese accingeret, per omnes vbiq; ædes miserabilis lamentatio, & immodicus erat fletus. dum inde hostium terror percellit, inde charissimarum facultatum cura angit, quas raptim excedendo barbarorum direptioni prostituerent. ea quippe omnia quibus iampridem beatos sese existimauerant. Sed tamen, cùm tantam bonorum copiam à fortunâ sibi adimi viderent, boni consulendum esse ducebant, si corpora duntaxat ab interitu vindicarent. Tum verò non beatas modò tam magnificæ vrbis fortunas, sed magnam quoq; mortalium turbam relinqui, cernere erat. nam corporũ debilitate afflictos à domesticis suis negligi, dũ suę quisq; saluti prospicit. multi ętate provectiores ob senectutis infirmitatẽ relinqui. Nec pauci mortẽ emigrationi ex patriâ anteponentes, sibi ipsis manus inferre, vt cũ domib. vnâ paternis occumbentes animam efflarent. Multitudinẽ tamen ex vrbe properantẽ milites cũ armis Gelã deduxere. Omnis igitur via, omnisq; regio, Gelã versus ducens, promiscuâ fœminarũ & puerorũ multitudine feruebat. quos inter virgines, licèt consuetas; vitæ delitias cũ itineris cõtenti laborib. & ærumnis immodicis permutarent, patienter tamẽ quiduis, excutiẽte animos metu, sufferebant. Hæc ergò profugorũ turba incolumis Gelam peruenit, & Leontinorũ deinceps vrbem, Syracusiorũ beneficio, inhabitandã accepit.

LXXIX.

Imilcar verò non absq; metu intromissis in vrbẽ copiis, quotquot ibi relictos offendit, propè omnes interemit, vbi etiã illis qui intra tẽpla confugerant, ab aris & delubris abstractis, immaniter contrucidarunt. Ibi Gellias etiam, qui opũ magnificentiâ & vitæ integritate populares anteibat, eundẽ cum patriâ interitum expertus esse dicitur. nam perfugio in Mineruæ templum salutem sibi cum sociis tueri volebat; Carthag. à sanguinariâ in deos crudelitate sibi temperaturos sperans. At vbi nefandã hominũ impietatẽ vidit, ignem templo subiecit, & vnà cum sacris deũm opibus conflagrauit: vno facinore tribus se malis occursurum ratus, hostiũ impietati in deos, magnarũ illic opum rapinis, & quod maximũ, contumeliæ suo corpori aliàs inferendæ. Imilcar igitur domib. tum sacris

XC.

tũ profanis accuratâ inquiſitione diſpoliatis, tantũ ex prædâ
emolumenti contraxit, quantum facilè æſtimari poteſt vrbẽ
à cclɔɔ cclɔɔ habitatã, & nunquam à primordiis ſuis di-
reptam, & omnium propè Græcarum ciuitatum tunc opulẽ-
tiſſimã, poſſediſſe: præſertim cùm ciues miro elegantiæ ſtu-
dio in quorumuis operũ magnificentiam incumberent. Quã
plurimas enim picturas ſummo artificio elaboratas, & ſtatu-
as omnis generis, ſingulari ingenio fabricatas, infinito nu-
mero, tum victor illic inuenit. Et precioſiſſima quidem, (in-
ter quæ Phalaridis etiam taurus erat) Carthag. miſit. prædã
verò cæteram ſub haſtâ vendendam curauit. Taurum illum
vnquam fuiſſe magnâ contentione Timæus in hiſtoriis ſuis
negat, cùm tamen ab ipſo fortunæ euentu redarguatur. Nã
Scipio Africanus ducentis & LX annis poſt hoc excidium
Carthag. euersâ, inter alia quæ ad illud vſq; tempus ætatem
tulerant, etiam Taurum illum famoſum Acragantinis reſti-
tuit, qui etiam, cùm præſens hiſtoria contexeretur, Agrigenti
ſuperſtes erat. quâ de re ſtudioſiùs diſſerere mihi libuit; ꝙ
Timæus, cum magnâ acerbitate ſcriptores ætatem ſuam an-
tecedentes reprehendat, nullumq; hiſtoricis veniæ locum re-
linquat; ipſe tamen, vbi diligentiſſimum veritatis ſtudiũ pro-
fitetur, nugari & alucinari deprehendatur. Scriptorib. enim
in iis, quæ non aſſequuntur, veniam (meo quidẽ iudicio) tri-
bui æquum eſt, quippe, cùm homines ſint & temporũ præ-
terlapſorũ veritas difficulter è caligine eruatur. Contrà verò,
qui datâ operâ exactam inquiſitionẽ negligunt, hos meritò
accuſandos, arbitror, & quando nimirũ nonnullis adulando,
vel per odiũ virulentiùs alios impugnando, à regiâ veritatis
viâ exorbitant & aberrant. Imilcar porrò cùm poſt IIX

XCI.

menſiũ obſidionẽ, paulò ante hybernã ſolis conuerſionẽ, vr-
be potitus eſſet, non ſtatim illã euertit, vt milites in ædib' hy-
bernare poſſent. Hac tunc Agrigenti clade diuulgatâ, tantus
repente inſulam terror inuaſit, vt Siculorũ pars Syracuſas cõ-
migraret, pars in Italiã liberos, vxores & fortunas ſuas tranſ-
portarent. Acrag. verò ex captiuitatis periculo elapſi, cùm Sy-
racuſas perueniſſent, duces accuſarunt, proditione illorũ pa-
triã ſibi perditã, dictitantes. Quin apud alios etiã Siculos re-
prehenſionẽ incurrerunt Syracuſani, ꝙ eius farinæ Prætores
delegiſſent, qui totã improbitate ſuã Siciliam in extremum
diſcrimen adduxiſſent. Conuentu tamen Syracuſis inſtituto,
cùm ingens metus impenderet, nemo de bello referre aut

consulere quippiam ausus est. Hæsitantibus ergò cunctis, Dionysius Hermocratis filius accusare Duces instituit, quòd res Acragantinorum Carthaginensibus prodidissent, & populum ad supplicium de illis sumendum instigans, ne præstitutum à lege tempus exspectarent, sed continuò pœnas infligerent, exhortatus est. Cùm verò magistratus Dionysium, vt pacis turbatorem, secundùm leges multarent, Philistus, qui historiam postea conscripsit, vir opibus maximè pollens, multam pro illo exsoluit, quæq; animo conceperat, edisserere iussit, se licèt per totam illi diem multam irrogarent, argentum pro ipso expensurum esse, spondens. Hinc resumpta Dionysius fiduciâ, plebem concitat, magnoq; concionem tumultu replens duces criminatur, quòd pecuniis inescati, defensionem Acragantinorum destituissent. Insectatur etiam alios nobilissimorum ciuium, traducens illos, quòd paucorum dominatum amplexentur. Eligendos igitur duces censet, qui non potentiâ excellant, sed beneuolentiâ, studioque in populum sint probati. Illos enim dominatum sibi in ciues vsurpantes, despectui plebem habere, & è patriæ detrimentis quæstum sibi parare. Humilioris autem fortunæ homines, imbecillitatis suæ conscientiâ, horum nihil patraturos. Hæc cuncta, vbi ad vulgi libidinem, suumque ipsius institutum, accommodatè disseruisset, haud parum concionis animos erexit. Populus enim odio Ducum iampridem flagrans, quòd bello non fideliter præesse existimarentur, tunc Dionysii sermone magis irritatus, statim illos magistratu abire iubet, & alios sibi Prætores desumsit. Inter quos etiam Dionysius erat, propter virtutem in pugnis aduersus Carthaginienses probatam, magnæ apud Syracusios auctoritatis. In præclaram itaque spem erectus, omnes ad dominationem patriæ occupandam machinas intendit. Post initum namque magistratum, neque in Senatum præfectorum venit, nec vnquam congressibus illorum sese admiscuit. Interim rumores disseminauit, quòd internunciis missitandis illi cum hostibus colluderent. Ita enim futurum sibi pollicebatur, vt abrogatâ illis potestate, summum exercitus imperium sibi traderetur. Dum hæc ab eo fiunt, ciuium prudentissimi in suspicionem, illud vocant; perque omnes conuentus maledictis eum incessunt. vulgus contrà fraudis inscium, rem totam laudat, & constantem vbi pro-

XCII.

bi propugnatorem inuentum eſſe tandem, dictitat. Concio-
nibus verò de belli apparatu ſæpius iteratis, Syracuſios ho-
ſtium metu perculſos videns, conſilium de reuocandis exſu-
libus promulgat. nam abſurdum eſſe ab Italia & Pelopōne-
ſo auxilia peregrinorum contrahere, ciues verò ſuos ad com-
mune periculum adſciſcere non velle: qui magnis ab hoſte
munerum pollicitationibus, ſi vnà militare velint, ſolicitati,
inter exteros tamen huc illuc vagantes, mortem obire ma-
lint, quàm alieni quippiam à pietate in patriam ſuſcipere.
Etenim, ſi propter ſeditiones patrià expulſi hoc nunc benefi-
cio deuinciantur, fore, vt gratiæ referendæ ſtudio, quàm pro-
penſiſſimè pro patrià decertent. Cùm igitur multa ad inſti-
tutum hoc idonea diſſeruiſſet, Syracuſani tandem populi
ſuffragia conſecutus eſt. nam collegarum nemo quippiam
contra proferre audebat, quòd & multitudinis impetum re-
formidarent, & ad ſe præter inimicitias nihil, ad illum verò
pro meritis gratiæ plurimum inde rediturum proſpicerent.
Hoc propterea à Dionyſio factum eſt, quòd exſules ſibi ob-
noxios fore ſperaret, homines vtique mutationis cupidos, &
ad parandam ſibi dominationem aptos: qui inimicos ſuos
trucidari, bona ipſorum publicari, ſibique facultates reſtitui,
mirificà cum voluptate ſpectaturi eſſent. Sententià igitur de
reducendis exſulibus tandem perrogatâ, ſine mora in pa-
triam reuocantur.

XCIII. Tum literis ex Gelà de maiore il-
luc ſubſidio expediendo allatis, idoneam perſequendi conſilii
occaſionem Dionyſius accipit. Bis mille enim peditum
manu, & cccc equitum turmis inſtructus properato itine-
re Geloorum vrbem petit, cuius defenſioni tunc Dexippus
Lacedæmonius, cum præſidiariorum manu præfectus erat.
Cúmq; graui ciuitatem ſeditione locupletum aduerſus ple-
bem commotam Dionyſius offendiſſet, in publico accuſa-
tos conuentu damnat. ipſiſq; necatis, facultates in ærariũ re-
digit. Et ex his pecuniis debita iampridem ſtipendia præſidio
vrbis, quod ſub Dexippo militabat, exſoluit. cæteris, quos Sy-
racuſis adduxerat, ſtipendium à ciuitate condictũ, ſe duplica-
turum recepit. Hoc modo tũ qui Gelæ erant, tùm qui ductũ
eius ſequebantur, militum fauorem ſibi adſtrinxit. Geloi
præterea virũ laudibus extollunt, quippe, qui libertatis aſſer-
tor ipſis fuerit. Cùm enim inuidia potentiorum flagrarent,
eminentiã illorum dominatum in ſe nuncupabant. Legatos

igitur Syracusas mittũt, qui & viri laudes ad populũ referrẽt, & psephismata, quibus magnos illi honores decreuerant, exhiberent. Dionysius interim Dexippũ in sententiam suã pertrahere conatur: verùm illo refragante, cum sua manu Syracusas reuerti constituit. Geloi autem, cùm rumor increbuisset, Carthaginienses totius exercitus viribus vrbem suã omnium primam inuadere constituisse, preces Dionysio adhibent, ne abs se discedat, néve vrbem in eam demergi calamitatem patiatur, quàm Acragantini subierant. Quibus se breui cum maioribus adfuturũ copiis pollicitus Dionysius, Gela cum agmine suo discedit. Ludi tum agitabantur Syracusis, eaque commodùm horâ qua populus è theatro domum se recipiebat, Dionysius in vrbem redit. Concursu igitur multitudinis ad eum facto, cùm de Carthaginiensibus sciscitarentur, se quicquam scire negat, propterea ꝙ Reipub. præfectos hostibus ipsis habeant infestiores: quorum blanditiis inducti ciues iam festos agant dies, cùm ipsi Rempub. interim depeculantes, stipendiis milites defraudent. Iam hostes incredibiles in bellum apparatus facere, & cum infesto agmine finibus Syracusanis imminere: hoc verò susq; deq; ab illis haberi. Id, quo consilio faciant, iampridem mediocriter sibi intellectum, nunc verò penitus perspectum esse. Nã ab Imilcone caduceatorem ad se missum, qui captiuos quidem se redempturum simularit, clanculum tamen exhortatus sit, ne qui plus auctoritatis sibi comparasset, in ea, quę gererentur, curiosiùs inquireret, aut obsisteret, siquidem cũ ipsis facere non constituisset. Se igitur Imperatoris munere non ampliùs fungi velle, sed ad deponendum magistratum iam paratũ esse. Nequaquã enim tolerandum, aliis patriã vendentibus, se solùm cum ciuibus periculum sustinere. Imò proditionis etiã vnâ cũ illis insimulatum se iri, causatur. Accensâ his dictis plebe, ac sermone per totum exercitum diuulgato; tunc quidem suam quisq; domum, non absq; metu ac perturbatione, se recipit. Postridiè.a. indicto populi conuentu, multis Duces criminibus onerans, populumq; in eos concitans, fauorem non exiguum sibi conciliauit. Tandem in consessu nonnulli exclamare cœperunt, Dictatorem illũ creandũ, nec expectandũ, dum hostium armis mœnia quatiantur. magnitudinẽ belli eiusmodi Imperatorem deposcere qui magnis Repub. commodis locupletare queat. De proditorib. in aliã

deinceps

deinceps concione disquirendum. cũ id à præsenti tractatione alienũ videatur. Olim quoq; ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ Carthag. ad Himerã cum summum Gelo iperiũ teneret, deuicta esse. Ad hanc vocẽ multitudine subitò, vt ipsius mos est, in deterius inclinatã, Dionysius Imperator cum summâ potestate creatur.

XV. Cui posteaquã ex sententiã res successit, psephisma scripsit; vti duplum militib. stipendiũ numeretur. hoc. n. modo illos ad certamen tantò promptiores futuros. de pecuniis verò neutiq̃ sollicitos esse iubet. prouentũ. n. horũ nõ difficilem ipsis fore. Concione tamen dimissa non pauci Syracusanorũ erant, qui factum hoc culparent, ac si non ipsi rata illa esse iussissent. nã postq̃ ad maturiorẽ hęc considerationem reuocarent, principatũ hinc secuturum prospiciebant. Quare dum libertatẽ sibi confirmare cupiunt, imprudentes dominũ patriæ imponunt. Dionysius igitur, vt pœnitentiã vulgi anteuerteret, meditari secũ cœpit, quâ ratione corporis sui custodes sibi dari peteret. Hoc. n. impetrato, facilè tyrãnidẽ occupaturus erat. Omnib. igitur repentè mandat, qui per ætatem armis ferendis idonei erant XL ætatis annũ nondũ supergressi, vt XXX dierũ commeatu instructi cũ armis in Leontinorũ vrbem properẽt. hęc. n. præsidiarię tunc arcis loco Syracusanis erat, exsulib. & peregrinorũ hominum colluuie referta. Quos cõmodam sibi operã nauaturos sperabat, nouarũ quippe rerum studiosos: cũ maximã Syracusanorũ partem Leontium minimè venturam præuideret. Per noctem igitur in agro statiua habens, insidias parari sibi fingit, tumultuq; à famulitio suo magnis clamorib. excitato, in arcẽ confugit, vbi crebris accensis ignib. & militũ fortissimis ad se accersitis, noctem illam transigit. Simul verò ac dies illuxit, multitudine in vrbẽ congregatã, multa quæ ad propositũ argumentum facerent, probabiliter differens, & turbã adduxit, vt Iↄc quos ipse vellet eligendi potestatem ei facerent Pisistrati Athen. exemplo hoc factitasse Dionysius memoratur. is. n. vulnerib. sponte inflictis, veluti insidiis appetitus esset, concioni sese ostẽtãsse, atq; idcirco stipatores à ciuib. accepisse fertur: quorũ ope violentũ in ciuitatẽ imperiũ arripuerit. Simili tũc fallacię cõmento Dionysius plebẽ inescans, dominũ patriæ sese effecit.

CVI. Nã è vestigio ab opib. malè instructos, animorũq; robore pręstãtes, supra cIↄ deligit. armis insignib. munit, & pollicitis magnificis attollit. Tũ mercenarios etiam aduocatos perhumanis allocutus verbis, ad omne sibi

obſequium addictos facit. Ordinum quoq; rationẽ immutat fidiſſimo cuiq; præfecturæ munus commendans. Tum Dexippum Laced. in Græciam dimittit. ſuſpectus enim hic vir ipſi erat ne per occaſionem Syracuſani hoc duce libertatem recuperarent. Mercenarium etiam Gelà militem accerſit, & vndecunq; exſules & religionis violatæ damnatos contrahit, ſpe haud dubiâ, horum ope regnum ſe quàm firmiſſimè ſtabiliturum. Poſteaquàm verò Syracuſas fuit regreſſus, fixis in nauali tentoriis, apertum ſe tyrannum ciuitati demonſtrauit. Grauiſſimè hoc quidem Syracuſani tulerunt. at quid facerent? niſi vt quietè ſe continerent, cùm nihil amplius confieri iam ab ipſis poſſit. Namq; vrbs tota peregrinorũ armis obſeſſa tenebatur, & pauor à Carthag. incũbebat, qui tantas in procinctu copias haberent. Dionyſius ergò ſtatim Hermocratis, qui res Athen. in Siciliâ extremè adflixit, filiam matrimonio ſibi iunxit, germanamq; ſuam Polyxeno, qui Hermocratis vxoris frater erat, elocauit. Hoc eo conſilio fecit, vt nobilem affinitate domum ſibi adſtringeret, ad regnum ſtabilius confirmandum. Hinc populo ad conuentum accito, molitionibus ſuis aduerſantium potentiſſimos Daphnæũ & Demarchum è medio tollendos curauit. Ita Dionyſius, è ſcribâ & infimæ conditionis homine, vrbis inter Græcas ciuitatis maximæ dominatum conſecutus eſt; imperiumq; ad vitæ ſuæ finem per annos duo de quadraginta conſeruauit. Quas verò res ſuo deinceps tempore geſſerit, & quomodo regnum amplificàrit, conueniente nobis loco differetur. hic etenim ampliſſimam tyrannidem, & prolixiſſimo tempore continuatã, ſibi comparaſſe videtur. Carthaginiẽſes autem poſt captam vrbem donaria in templis repoſita, & ſtatuas, & res ibi precioſiſſimas Carthaginem tranſportarunt, faniſq; in cinerem redactis, & vrbe direptâ, illic hybernarunt. Interim machinas & tela omnis generis ſibi comparabant. ad proximum enim ver Geloorum vrbem omnium primam obſidere conſtituerant. Cæterùm Athen. continuis aduerſæ fortunæ cladibus debilitati, inquilinos aliosq; peregrinos, qui commune ſecum belli diſcrimen ſubire vellent, ciuitate donant. Cúmq; breui ingens multitudo in ciuium numerum cooptata eſſet, Prætores, quicunq; ad bellum idonei viderentur, conſcribũt LX præterea naues adornant quibus magnificè inſtructis, in Samum traiiciunt, vbi Duces cæteros

XCIII.

inue-

inueniunt, qui ex aliis iam Insulis xxc triremes collegerant; rogatisq; Samiis, vt & ipsi decem triremes complerent, cum vniuersa classe centum & quinquaginta nauiũ inde soluunt, & Arginusas insulas versus contendunt; vt Mitylenen obsidione quàm primùm liberarent. Callicratides autem Laced. Nauarchus de classis hosticæ aduentu certior factus Eteonicum magnis cum copiis ad persequendam obsidionem relinquit. Ipséq; centum & quadraginta nauibus completis raptim in alteram Arginusarum partem classe suâ prouehitur. Colebantur tunc hæ Insulæ, oppidulumq; habebant Æolicum. iacent autem inter Mitylenẽ & Cumam, exiguo planè interuallo à continente, & Catanide promontorio. Athen. quia non procul inde stationem habebant adnauigationem hostium maturè cognoscunt. sed quòd flatus tunc esset vehementior, pugnâ tum quidem supersedendum censent, ad ineundum verò postridiè certamen sese comparant. Idem & Laced. faciunt. vtrinq; autem vates prælium dissuadent. Nã Laced. victimæ caput in littore repositum subitò disparuit, impetu fluctus alluentis haustum. occubiturum ergò Prætorem classis aruspex prædixit. Ad quod respondisse Callicratidem ferunt, se Spartæ gloriam oppetendo non obscuriorem effecturum. Athen. verò Prætori, penes quem illo die summa potestas erat, Thrasybulo, nocte præcedente huiusmodi somnium occurrit. Videbatur sibi cum cæteris sex ducibus in frequenti Athenis theatro Euripidis Tragœdiam (quam *Phœnissas* inscripsit) agere; aduersariis contra fabulã, cui *Supplicum* nomen, repræsentantibus; & Cadmeam tandem victoriam sibi obtingere, cunctosq; exemplo illorum qui Thebas oppugnârunt, interire. Quod vbi hariolus audiuit, septem duces eo prælio casuros interpretatus est. Cùm exta tamen victoriã portenderent, de interitu suo amicis tantùm renunciari iubent, at victoriam faustis sacrorum indiciis promissam per totum exercitum diuulgant. Tum Callicratides concione militum aduocatâ, opportunis eos verbis exhortatur, & ad postremum addit: Ad discrimen pro patriâ subeundum tàm promptus sum & alacris, vt tametsi vates ex hostiæ prodigiis mihi interitum prænunciet: cùm vobis tamen victoriam simul prædicet, nullam in me moram esse patiar, quin statim mortem oppetam. Cúmq; me non fugiat Imperatorum morte acies perturbari, iam alium vobis na-

XCVIII.

uarchum renuncio, quippe Clearchum, qui,si quid humanitus mihi contigerit,in locum meũ ſuccedat,virum certè præclaris belli experimentis ſpectatum. His verbis non paucos Callicratides accendit,vt virtutem illam imitari properarent, & ad conflictum multò promtiores eſſent. Lacedęmonii mutuò ſeſe cohortantes, nauigia conſcendunt. Sic etiam Athen. à Ducibus ad ſtrenuè decertandum excitati,triremes occupant,& ſuum quiſq; ordinem capeſſit. Dextrum verò Thraſybulus, cum Pericle,Periclis illius, cui ſingularis dicendi vis Olympii cognomentum peperit, tenebat. Partem tamen in illo cornu gubernandã tradidit Therameni,qui inter gregarios initio milites ſtipendia fecerat, ſed poſtea non ſemel dux copiarum fuit. Cæteros autem præfectos per totam diſtribuit phalangem,& Arginuſas(vt vocantur)ſimul inſulas acie ſuâ complexus,quàm longiſſimo claſſem ſpacio extendere maturauit. Callicratides autem in altum euectus, dexterum cornu regebat. ſiniſtrum Bœotis commiſerat; quorũ Thraſondas Thebanus ductor erat. Cùm verò non poſſet aciem hoſtium æquare, quòd amplum nimis ſpacium obtinerẽt inſulæ:copias diuiſit,& bipartitâ claſſe duobus vtrinq; locis pugnam cum hoſte conſeruit. Magnum ea res ſtuporem vbiq; intuentibus obiecit,veluti quatuor claſſes nauibus haud minus ccc in vnum locũ coactis,inter ſe concurriſſent. hęc enim pugna omnium maxima fuiſſe memoratur,quas Græci cum Græcis vnq̃ conſeruerint. Tum vno momento à nauarchis claſſicũ inſonare tubicines iubentur, & exſultans vtrinq; multitudo immenſum clamorẽ alternatim tollit,verberatiſq; haud ſegniter remorum impulſu fluctibus,magno ſtudio inter ſeſe certant,dum quiſq; primus inceptare conflictũ properat. Pleriq; .n. ob belli diuturnitatem bellicorum diſcriminũ haud imperiti erant,& pertinaciſſimâ tũ res contentione geritur:quò d ad diſceptationẽ de ſummâ rerum lectiſſimorum hominũ robur conueniſſet. Nemini.n. dubiũ erat, quin vtricunq; hoc prælio victores abirent, ii bello finem impoſituri eſſent. Cęterùm Callicratides, necem ſibi imminere ex vatis indicio compertũ habens,quàm glorioſiſſimam ſibi mortem conciliare properat. Ideò primus in Nauſiæ Prætoris triremem incurrens,eam cum propè adiunctis primo ſtatim impetu perfringens, demergit. cæteras partim roſtris feriens, inhabiles ad nauigandum reddit,partim deterſis remis inutiles

tres ad pugnam facit, ad extremum Periclis nauem, violento rostri incursu adortus, bonam eius partem lacerat. Sed quia frons aduersariæ nauis mucroni tàm firmiter infixa erat, vt retrò agi triremis nequiret, Pericles ferream naui Callicratidæ manum iniicit. Quam vi adductã circumglomerati Athen. vndiq; assiliunt, & turbam illic circumuentam iugulãt. Hîc Callicratidam perhibent, cùm egregiè dimicans diu restitisset, vulneribus tandem plurimis vndiq; confossum, procidisse. Hoc Nauarchi casu diuulgato, Peloponnesiorũ acies timore perculsa, repentè inclinari cœpit. Quamuis ergò dextrũ Peloponnesiorum cornu in fugam actũ esset, in sinistro tamen Bœoti ad tempus aliquod fortiter dimicantes resistebant: Eubœenses .n. in cõmuni periculo versantes, reuerentiâ horum tenebantur, & alioqui metus angebat rebelles Athen. ne imperio rursus Athen. potiti, defectionis pœnas ab illis exigerent. At cùm maximã nauium partẽ transfossam, victorumq; multitudinem in se conuersam cernerent, fugæ se dare coguntur. Peloponnesiorũ itaq; alii in Chium, alii Cumam euaserunt. Athen verò victos, fugatosq; ad longum interuallum persecuti, totam in propinquo maris regionẽ cadaueribus & nauium fragmentis repleuerunt. Post hęc Ducũ alii cæsorum cadauera tollenda esse censebant, propterea ꝙ grauiter Athen. in eos, qui defunctorũ sepulturam negligũt, vindicare soleant; aliis potiùs videbatur, Mitylenẽ confestim renauigandum, eamq; obsidione quamprimùm liberandam esse. Tum ingens repentè tempestas oritur; quâ & triremes concussæ, & militum animos ex recentis pugnæ molestiâ & tempestatis magnitudine tantum inuasit tœdium, vt corpora defunctorum colligendi operam detrectarent. Tandem vsq; adeò tempestas inualuit, vt neq; Mitylenen petere, neq; mortuis iusta facere possent: sed procellis ventorũ retroacti, Arginusis classem aduerterẽt. Interierunt hac pugnâ naues Athẽ. xxv, & è classiariis pleriq;. Peloponnesii verò ad VII & LXX amiserunt. Tanto igitur nauiũ, hominumq; numero pessumdato, tota Cumæorum & Phocæensium regio littoralis cadaueribus & laceratarum nauium truncamentis offerta videbatur. Tũ Eteonicus Mitylenen obsidens, de Peloponnesiorum clade, à quodã certior factus, naues in Chiũ dimittit; ipse verò cũ terrestri exercitu in sociam Tyrrhæorum vrbem concedit, cũ metu vrgeretur, ne classe Athen. adproperante, & op-

pidanis erumpentibus in extremum occidionis periculum exercitus veniret. Dein Athen. Mitylenen profecti, Conone cum XL nauibus adſumpto, in Samum traiiciunt, & inde hoſtium agros populationibus vexant. Poſthæc Laced. in Æolide, & Ionia, Inſuliſq; hîc illic diſperſi, Epheſi conuentum agunt, & ſententiis vltrò citroq; dictis, tandem ſtatuunt, miſsâ Spartam legatione Lyſandrum ad Præturam claſſis depoſcendum eſſe. hic enim magiſtratus ſui tempore res multas præclarè geſſerat, & Imperatoria præ cæteris arte excellere videbatur. Atqui lege prohibebantur Laced. ne bis vni eundem magiſtratum committerent. Cùm patrium itaque morē abolere nollent, Arato claſſis Imperium tradunt, Lyſandrumq; priuatum illi adiungunt: cum his mandatis, ne dux à conſiliis eius vnquam diſcedat. Ad commune ergo imperiū dimiſſi, tùm è Peloponneſo, tùm à belli ſociis triremes quamplurimas poſſunt, hinc inde colligunt. Athenienſes C I. verò accepto rei tam feliciter geſtæ apud Arginuſas nuncio, duces ob victoriam laudare; ſed quòd inſepultos reliquiſsēt eos, qui pro defenſione Imperii occubuerant, grauiſſimè ferre. Cùm itaq; Theramenes & Thraſybulus ante illos reditū Athenas maturâſſent, reliqui duces, ab his ſe de neglectu mortuorum ad plebem traductum iri ſuſpicantes, literas cō- tra eos ad populum mittunt, quibus ſignificatur, his funerandi mortuos curā fuiſſe demandatam; quæ præcipua malorum cauſa ipſis exſtitit. Cùm enim facilè ipſis fuiſſet Theramenem, & reliquos ab eius partibus ſtantes, in iudicio iſto defenſores & patronos habere, viros vtiq; eloquentiâ & amicorum multitudine præſtantes, & quod maximum, qui cunctis eo prælio geſtis interfuerunt; contrarium euenit, quippe, vt aduerſarios illos & oppugnatores acerrimos haberent. Recitatis namque literis ad populum, confeſtim multitudo irâ in Theramenem exarſit. ſed vbi ille ſe purgauit, ira omnis rurſus in Duces eſt conuerſa. Diem ergò populus eis dixit, copiiſq; Cononi tradi iuſſis, quem ab hac actione exemerāt, cæteros abſq; omni cunctatione redire plebiſſcito quodam iubent. è quibus Ariſtogenes & Protomachus populi furorem extimeſcentes, fugâ ſibi conſulunt. Thraſyllus verò, Calliades, Lyſias, Pericles & Ariſtocrates, cum plæriſq; nauibus, Athenas reuertuntur, hac maximè ſpe adducti, fore, vt interceſſione illorum, quos magno numero aduexerant, in iudi-

iudicio subleuentur. Posteaquàm igitur multitudo in concionem venit, faciles criminationi aures præbuit, sermonesq; hominum ad gratiam loquentium gratos & ratos habuit; ad reorum contrà defensionem tumultuans, ne audire quidem voluit. Nec minimùm eis obfuêre cognati defunctorum. qui lugubri in concionem habitu progressi, & magnâ populum obtestatione rogabant, vt supplicium de ducibus sumeretur, quòd sepulturam illorum posthabuissent, qui vitam suã patriæ fortiter impendissent. Tandem igitur amici cæsorum, & Theramenis adstipulatores, quorum ingens illic numerus adstabat, præualuêre. Duces ergo capite condemnati sunt, & facultates eorum publicatæ.

CI. His ita decretis, cùm illi iam à lictoribus ad necem ducerentur; Diomedon prætorũ vnus, vir bellicis in rebus exercitatus, & iustitiâ, cæterisque virtutibus præcellere existimatus, in medium processit. Silentio igitur per totam concionem facto, hunc ad modũ infit: Viri Athen. quod in capita nostra iam decretum est, id faustum ac felix ciuitati huic eueniat. At vota ꝓ victoriâ diis nuncupatâ, quia fortuna reddere nos prohibuit, vos accurare pium & honestum est. Ioui igitur seruatori & Apollini & venerandis deabus illa persoluitote. horum enim numine inuocato hostes profligauimus. Hæc profatus Diomedon vnà cum cæteris Ducibus ad supplicium destinatum rapitur. magnam erga se commiserationem in optimorum ciuium animis non sine lachrymis excitans. nam eum qui supplicium iã adiret nullam prorsus mentionem sui casus facere, sed patriæ causâ nefariè tum agentis vota diis reddi, monere; pii & magnanimi viri, illoq; infortunio prorsus indigni; opus videbatur. Duces ergo vndecimuiri capitales lege creati necandos curauerunt; qui ne minimâ quidem iniuriâ ciuitatem læserant, sed ex pugna nauali omniũ maximâ quibus vnq̃ Græci cum Græcis dimicâssẽt, victoriã retulerant, & quorũ virtus aliis etiam præliis magnificè probata, præclara de fusis hostibus tropæa statuerat. Tam perditè tunc populus insaniuit, vt ab Oratoribus præter ius & fas exacerbatus, iram suam in viros, non modò nullâ pœnâ, sed magnis insuper laudibus & coronis dignos, exonerârit.

CIII. Atqui statim vtrosq;, tùm qui populũ concitârant, tùm qui calumniis fidẽ adhibuerant, pœnitudo facti incessit, ac si Numen ipsum scelus hoc detestaretur. Nã qui malignis his suasion. b⁹ decipiendos se præbue-

rant, digna ſtultitiæ præmia non diu pòſt accepêre; cùm non ab vno, ſed xxx dominis hoſtilem ad modum premerentur. Tum qui capitalẽ in reos ſententiam pertulerat Callixenus, mox à multitudine, pœnitentiâ rei ductâ, in crimen decepti per fraudem populi vocatus, negataq́; defenſionis copiá, in vincula coniectus eſt. publico dein carceri incluſus, nonnullorum ope, parietibus eius clàm perfoſſis, ad hoſtes Deceleã profugit: ſcilicet vt deuitata nece, non Athenis modò, ſed inter alios quoq; Græcos flagitioſa hominis improbitas digito per omnem deinceps vitam monſtraretur. Hæc ferè ſunt, quæ per annum illum geſta memorantur. Porrò inter ſcriptores Philiſtus primam rerum Sicularum partem cum hoc anno, captoq; Agrigento, concludit, ſeptẽ voluminibus plus quàm ꟾↄccc annorum tempora complexus. alterum verò hiſtoriæ ſuæ contextum à fine prioris exorditur, & per libros IV deducit. Circiter hoc tempus Sophocles Theophili filius, poëta Tragicus, mortem obiit, natus annos XC, duodeuiginti victoriis ornatus. De hoc viro proditum eſt, quòd vltimã exhibens fabulam & palmam adeptus, in lætitiam tàm immodicam ſe effuderit, vt ſtatim expiraret. Apollodorus, annaliũ ſcriptor, hoc anno Euripidẽ quoq; defunctum eſſe tradit. alii verò memorant, cùm apud Regẽ Macedoniæ Archelaũ vitã ageret in agrum fortè egreſſum in canes incidiſſe, à quibus dilaceratus miſerè interièrit, ſed paullò ante hoc tempus.

Exeunte illo anno, Athenis magiſtratum capeſſit Alexias, Romæ Conſulũ loco, iterum Tribuni militares tres, Caius Iulius, P. Cornelius, & Caius Seruilius creantur. Horum durante magiſtratu, Athen. poſt Ducum ſuorum cædẽ, Philoclem exercitui præficiunt, traditaq́; claſſe ad Cononem ſe conferre illum iubent: vt communicato inter ſe imperio bellum adminiſtrent. qui poſtquam ad Cononem tranſmiſit in Samũ, naues vniuerſas numero CLXII, milite compleuit. De his XX illic relinqui placuit, cum reliquis omnibus vterq; Conõ & Philocles in Helleſpontum contendunt. Lyſander interea Laced. claſſis ſummus Præfectus, è Peloponneſo ſociiſq; finitimis XXXV nauib. collectis, Epheſum tranſmittit, & accitam è Chio claſſem inſtaurat. Mox ad Cyrum quoq; Darii regis filiũ proficiſcitur, & magnam pecuniæ vim in ſtipendia militum accipit. Tum Cyrus, à patre in Perſiam reuocatus, ſuæ præfecturæ vrbes fidei Lyſandri commendat, & tributa

CIV.

ipſi

ipsi ꝑsolui iubet. Lysander itaq; omnibus ad bellū necessariis amplissimè instructus, Ephesum repetit. Quo tempore quidā Mileti paucorū dominatus studiosi, populare imperium, Laced. auxilio sustulerant. Ac initio cùm Dionysia celebrarentur, factioni suæ maximè aduersantes in ædibus suis comprehensos, ad XL trucidarunt. Pòst, obseruato tempore, quo forum hominibus refertum erat, delectos è populo CCC omniū locupletissimos capite multant. Interim ciues aliquot ornatissimi, qui populi causæ fauebant, supra CIↃ circiter, metu circumstantis periculi, ad Pharnabazum satrapā confugiunt. Is perquàm humaniter illos excepit, aureoq; statere singulis donato Clauda, ꝙ Claudiæ castellum est, inhabitanda profugis concessit. Lysander autem cum magno triremiū numero Thasum Cariæ vrbem Athen. societatis iure obnoxiā adortus, vi expugnat, pubemq; omnē ad IↃCCC iugulat, puerisq; ac mulieribus sub hasta venditis, vrbē solo æquat. Posthęc Atticā & multa præterea loca nauibus adita tentat; sed nihil memoratu dignū efficit. studii ergò nostri haud est vt aliquid de hisce referatur. Summum inter hoc fuit, ꝙ Lampsacum capiens, Atticū in eâ præsidiū fide datâ incolume dimisit, & direptâ vrbe Lāpsacenis vrbē restituit. Sub hæc Athen. ꝑfecti certiores facti Laced. omnibus Lampsacum viribus oppugnare, triremes vndecunq; cogunt, & rapto illuc cursu cum CLXXX nauibus traiiciunt. Ast vbi captam vrbē accepêre, tū quidem circa Ægos potamos (*Capellæ fluuios* dixeris) ancoris naues sistunt. Postea verò in hostes euecti indies ad certamē eos prouocant. Sed cùm Peloponnesii non occurrerent, dubitari ab Athen. cœptū est, quid nam facto opus foret, siquidē diutius ibi moras cum exercitu trahēdi facultas non daretur. Tū Alcibiades ad ipsos excurrens ꝓ certo affirmat Medocū & Seuthen Thracum reges, amicitia sibi iunctos, magnas ad subsidiū copias offerre, si ipse bellū cū Laced. pertexere velit. Imperii ergò militaris partē sibi concedi postulat. è duobus hisce alterum haud dubiè promittens. se vel ad conflictum naualem hostes adacturum, aut terrestri Thracum exercitu cū illis decertaturum. Hoc Alcibiadi negociū eò directum erat, vt, quæ honestiss. eius cupido erat, præclarū patriæ facinus ederet, & beneficiorum magnitudine pristinā populi beneuolentiā sibi reconciliaret. At Duces Athen. hac opinione tenebantur, si res malè gereretur, omnem culpam in se recasuri: sin prosperè succederet, totum victoriæ decus Alcibiadē sibi

vendicaturũ. quapropter vt continuò se inde amoliatur, nec vnquam deinde propiùs ad exercitum accedat, seriò edicunt.

CVI

Cùm igitur hostes certamen detrectarent & commeatus inopiâ exercitus laboraret, Philocles eius diei imperium tenens, reliquis triremium præfectis mandat, vt milite nauibus imposito, se illicò sequantur, ipse verò tum XXX naues in procinctu habens è portu confestim soluit. De hoc per träsfugas quosdam certior factus Lysander, cum tota classe in altum profectus, Philoclem statim in fugam compulsum, ad reliquas inde naues persequitur. Cùm verò restantes adhuc triremes Athen. nondum armis & milite satis instructæ essent, tumultus & pauor subitò totis castris tã improuiso hostium aduentu excitatur. Lysander itaq; aduersæ classis perturbatione statim intellectâ, Eteonicum cum terrestri pugnę adsuetis descendere iubet. is momenta occasionum haud negligenda ratus partem castrorum occupat. Ipse verò Lysander cunctis triremibus probè instructis adnauigans, quotquot in statione Athen. naues adhuc inuenit, ferrearum inflictu manuũ ad littus pertraxit. Athen. igitur repentina trepidatione attoniti, quòd nec educendi naues spacium haberent, nec terrestrem instruere aciem possent, cùm ad breue temporis spacium restitissent, terga hosti vertũt. Tum subitò alii de nauibus, alii è castris, quocunq; salutis spes abriperet, cursu præcipiti diffugere. De triremium ergò præfectis vix decem euaserunt, quorum vnus Conon desperato Athenas reditu, cùm populi furorem pertimesceret, ad Euagorã Cypri Principem, quòd amicitia sibi cum illo intercederet, profugit. Militum verò pleriq; terrestri fugâ dilapsi, Sestum peruenerunt. Lysander reliquis nauibus in potestatem acceptis, Philoclem etiam alterum exercitus Imperatorem viuũ capit & in vrbem Lampsaci abductum iugulauit. Tum victoriæ nuncios Lacedæmona ire iussit, lectissimam inter omnes triremem eis deligens, quam magnificentissimè armis, cæterisq; spoliis exornauit. Mox ducto in eos, qui Sestum confugerant exercitu, tùm vrbe potitur, tùm Athen. in fidem acceptos dimittit. Statim in Samios etiam mouens, ipse quidẽ obsidendæ vrbi operã impendit. Gylippum verò, qui Syracusanos quondam mari decertantes egregiè adiuuerat, Spartã misit, vt cum spoliis CIↃ & quingenta argenti talenta perferat. Pecunia illa in sacculis recondita erat, singuli verò scytalam

talá cum summæ pecuniariæ inscriptione habebant adiūctā. Eius consilii ignarus Gylippus, vidulos soluit, ccc inde talēta eximit. Sed furto per scytalarum indicium prodito, aufugit, capitis propterea anquisitus. Simile ob crimen parēs Gylippi quondam aufugerat, quòd pecuniæ a Pericle acceptæ, ne Atticam inuaderet insimulatus, & capitalis idcircò supplicii reus peractus esset, exulans igitur apud Thurios in Italia vitam transegit. Hi sanè viri, cùm nihil alioqui virtutis deesse ipsis videretur, huiusmodi factis totam reliquæ vitæ integritatem deturparunt.

CVI. Athen. vbi de copiis suis planè actū esse cognouerunt, a mari Imperio sibi abstinendum rati, ad firmādum ciuitatis mœnia, portúsq; obstruendum totos se cōuertunt, dum nihil certius, quàm obsidionem exspectandam sibi esse vident. Nam extemplò vterq; Laced. rex Agis & Pausanias magnis copiis Atticam obruentes, sub ipsis mœnibus castra posuere. Lysander etiam plusquàm ccc triremibus Piræeum inuasit. Athen. verò licèt tot vndiq; malorum incursib⁹ premerentur, reluctari tamen & facilè ad tempus aliquod vrbem tutari. Sed Peloponnesiis consultum videri, cùm oppugnatio difficilis esset, copiis ex Attica abductis, per stationem nauium procul obseruare, ne quid commeatus in vrbem importetur. Quo facto in extremam Athen. rerum omniū penuriam, in primis verò alimentorum coniecti sunt, quòd hæc mari ipsis importari solerent. Ingrauescente autem subinde magis difficultate, vrbs mortuis repleta fuit. Superstites ergò per legatos pacē à Laced. his conditionibus impetrarunt, vt longa Piræi brachia, murosq; destruerent, nec plures q̃ decē naues oblongas possiderent, & cunctis vrbibus cederēt, & Laced. imperio subiecti essent. Ita bellum Peloponnesiacū, quod omnium (quæ quidem nos sciamus) diutissimè extractum est, finē suum habuit, cùm annos XXVII durasset.

CVIII. Breui a. post hanc pacē, Darius Asiæ rex, cùm per annos vndeuiginti Imperium tenuisset, rebus humanis exemtus est: cui in regno successit filius natu maior Artaxerxes, qui tres & XL annos regnauit. Quo tempore Antimachum poetam Apoll. viguisse tradit. Porrò in Sicilia Imilcar, Carthaginensium ductor, ineunte vere Acragantinorum vrbem funditus euertit. Templi verò, quæ non prorsus igni vastata erant, sculpturas & exquisitiorē ornatum detraxit. Hinc cum vniuersis copiis in Geloorum agros impressionem fecit. Quibus, vt etiā Ca-

marinæorum agris, vndiq; peruastatis, præda omnis generis castra sua repleuit. Tùm Gelam petens ad eiusdem nominis fluuium castris locum sumit. Erat Gelois statua quædã Apollinis extra vrbem ænea miræ magnitudinis, hanc abreptam Tyrum Pœni transmisêre. Ipsius autem dei oraculo quondam iussi Geloi eam dedicârant. Sed Tyrii aliquanto tempore pòst, cùm ab Alexandro Macedone obsidione premerẽtur, contumeliâ simulachrum adfecerunt, quasi pro hostibus pugnaret. Posteaq̃ verò Alexander vrbem cepit; eiusdẽ nominis die, eadémq; horâ, (vt Timæus refert) quâ Carthag. quondam Sacrilegium in Apollinem circa Gelam commiserant, accidit, vt magnifico sacrorum, munerumq; apparatu deo Græci litarẽt, cuius scilicet beneficio vrbẽ expugnâssent. Hæc licèt diuersis temporibus acciderint, hoc tamẽ loco inter se comparare non alienum ab instituto, propter miraculũ rei, duximus. Carthag. porrò, excisis passim arboribus, fossâ valloq; castra circummunierunt. Futurum enim, vt magnis Dionysius copiis auxilio laborantibus veniret, existimabant. Geloi verò sub initium obsidionis propter imminentis periculi magnitudinem, vt liberi, vxoresq; Syracusas transportarentur, sciuerant. At cùm matronæ ad aras in foro confugerent, vt eandem cum viris sibi fortunam experiri liceret, orãtes, manere illis permissum est. Post hoc in plures diuisi ordines, subinde partem aliquã militum in agros emittunt. Hi locorũ peritiâ adiuti, palantes hîc illic hostes inuadunt, & multos quotidiè captos adducunt, non paucos etiã cædunt. Cũq; Carthag. ex vna parte vrbem adorti muros iam arietum incussu deiicerent, illi strenuè propugnant, & prostrata per diẽ, noctu reficiunt, operam huc conferentibus fœminis simul atq; pueris. nam quibus vigor per ætatem & robur suppetebat, perpetuò in armis erant, & cum hoste dimicabant. Reliqua multitudo circa opera, rerumq; aliarum ministeria propenso studio detinebatur. postremò tàm animosè, fortiterq; impetum hostis excipiebant, vt licèt vrbem non munitã defensarent, nulloq; sociorum auxilio niterẽtur, & mœnia pluribus in locis perfracta cernerent, præsentis tamen periculi metu animos non demitterent. Interim Dionysius Syracusanorum Tyrannus Græcorũm in Italiâ subsidia accersit, sociiq; nominis militem euocat, & Syracusis ad arma ferenda idoneos propè omnes deligit. mercenariorum quoque

CIX.

manum

manum copiis cæteris adiungit. Summa verò omnium erat,
vt nonnulli tradūt, quinquaginta, vel, vt Timæus recēset, xxx
tantùm millia peditum, & cIↄ equites: nauesq; constratæ L.
His stipatus copiis ad ferendū Gelois auxilium festinat. Vbi
ad vrbem peruenit, iuxta mare castra ponit. nam hoc vnicè
agebat, ne copiæ distraherentur. sed indidem impetu in ho-
stes facto, terrâ mariq; pugnam cieret. Per leuis enim arma-
turæ milites cum hoste velitans, pabulationem intercludit,
equitatus verò, nauiumq; præsidio commeatum, qui ex Car-
thag. ditione aduehebatur, intercipere conatur. Ad dies igi-
tur xx ibi commorati, nullum operæ precium fecêre. Posthęc
Dionysius pedestri exercitu in tres partes diuiso, vnum agmē
Siculis attribuit, quibus mandat, vt vrbem ad sinistrā præter-
gressi, hostium ibi vallum inuadant. alterum è sociorū auxiliis
constitutum, vrbe ad dextram relictâ, ad littus properare iu-
bet. Ipse cum mercenariorum deniq; manu, per vrbem eo
loci pergit, vbi machinæ Carthag. instructę erant. Equitatui
verò præceperat, vt simul ac pedestrium signa proferri vide-
rent, transmisso fluuio per campos sese explicarent. & si fortè
suos cernerent superiores, pugnam simul capesserent: sin in-
feriores exciperent laborantes. Classiariis verò edixerat, quā-
primùm Itali sese inferrent castris hostium classem admoue-
rent.

CX. Dum imperata singuli exsequuntur, Carthag. ad eā
maximè partem, quâ nullâ prorsus munitione castra iuxta lit-
tus obfirmauerant, tutandam festinant, & à descensu hostem
prohibent. Eo temporis momento Itali, totū illud iuxta ma-
re spaciū emensi ad castra Pœnorū grassantur, vbi plerosq; ad
naues arcendū excurrisse deprehenderunt. Præsidio igitur, quod
ad partis huius defensionem relictum erat, in fugam acto, in
castra impressionem faciunt. Quo facto, cum maximâ exer-
citus parte Carthag. reuersi, post longi temporis certamē vix
tandē agmen illud fossam transgressum depellunt. Itali ergò
multitudini Barbarorū locū dare coacti, in angustā quandam
valli extremitatē restringuntur, dū nihil à suis auxilii ipsis prę-
stò est. Nā Siculi quos longiùs per campos iter remorabatur,
maturo tēpore non aderant. Et stipendio conducti Dionysii
milites, quod minùs expeditum per vrbis vicos iter esset, auxiliū
suis maturare non poterant. Geloi quidē ad breue spaciū, vt
Italis opē ferrent, eruperant. sed veriti ne mœnia præsidio de-
stituerentur, ceptum auxili cursum intermittunt. Iberi igitur

& Campani Carthag. auxiliares, cùm duriùs Italiæ Græcos premerent, plures mille prostrauerunt. Sed quia in nauibus dispositi missilibus eos arcebant, reliqui tutum intra mœnia receptum habuêre. Parte interim aliâ Siculi cum Pœnis strenuè dimicantes, mediocrem illorum stragem faciunt, & reliquos ad castra vsq; persequuntur. Cùm verò Iberi & Cāpani, vnaq; Carthag. Afris subuenirent, ad I ɔ c suorum amissis, in vrbem se recipiunt. Equitatus igitur, vbi succumbere vidit suos, & ipse vrbem repetit, præsertim cùm vndiq; hostis premeret. At Dionysius agmine per vrbem difficulter promoto, vbi copias ab hoste fusas cōperit, intra vrbis mœnia se recepit. Pòst senatu amicorū congregato, de belli rationibus consilia exquirit. Cùm omnibus locus iste ad decernendū de summâ rerū minimè idoneus propter hostes videretur, caduceatorē, reportādis mortuis inducias petitū, circa vesperā misit. Mox sub primā noctis vigiliā turbam ex oppido dimittit: ipse circiter mediū noctis copias raptim educit, bis mille circiter leuis armaturæ militib. manere illic iussis. Mandatū verò his fuerat, vt frequentes per totā noctem ignes fouendo, clamoremq; subinde excitando persuasum hosti facerent, exercitum illic totū remanere. At hi quamprimùm illucescere dies cœpit, ad Dionysii exercitū citato se pede contulêre. Hac fraude patefactâ Carth. exercitū in vrbem traducunt, & quicquid in ædib. reliquū erat, prædā sibi faciunt. Dionysius interea Camarinum progressus, ciues eius loci cum vxorib. & liberis itidē Syracusas migrare cogit. Quia verò nullā metus cunctationē permitteret, pars argentum, aurumq; quæ portatu facilia erant, conuasant, pars cum parentib. teneræq; ætatis sobole effugere properant, nullâ facultatum ratione habita. Nonnulli quos senium vel morbus grauabat à cognatis & amicis destituti relinquuntur: dum quisq; Carth. iamiā superuenturos existimat. nam Selinuntis, Himeræ, & Acragantis excidium, tantum omnib⁹ pauorē iniecerat, vt quisq; immanē barbarorum feritatem, velut oculis subiectā, se cernere imaginaretur. nulli .n. captiuorum parcere, nullâ prorsus misericordiâ erga infelices tangi; sed alios in crucem agere, alios intolerabilib. contumeliis vexare. Idcircò dum ex duabus simul eiusdem regionis vrbibus fœminas & pueros, aliosq; homines cateruatim extorres agi vident milites Dionysii, irasci, afflictorumque conditionem miserari. pueros namq;, liberos

& vir-

CXI

& virgines coniugio maturas, contra ætatis suæ decorum, neglectim & tumultuariè per vias publicas ferri, duci, rapi, cùm nullum grauitati, nullum verecundiæ erga alios locum esse reliquum tempus illud pateretur; id verò non mediocriter eos commouebat. Magno ipsis dolori etiam hoc erat, quòd senes decrepitos vltra naturæ vires cogi cernerent, ad iter pari celeritate cum iuuenibus peragendum. His ergò rebus effectum est, vt ingens militaris turbæ odium erga Dionysium exardesceret. nam de industriâ hoc ab eo patratũ suspicio erat, quippe vt & reliquas vrbes metu Carthaginiensium subactas, imperio suo vendicaret. quòd ad breue tẽpus auxilium obsessis tulisset, quòd nullus cõductitiorum eius militum cecidisset, quòd non ita magnâ clade adfectus, temerè fugisset. inprimis verò, quòd nullus hostium tergis fugientium institisset: hæc omnia secum perpendebant. Omnes igitur illis, qui iam pridem defectionis occasionem expetiuerant, veluti prouidi Numinis instinctu, ad excutiendum dominatus iugum operam contulerant. Tum statim Itali, castris eius relictis, per mediterranea domum iter fecerunt. Syracusani verò equites primùm in occasionem intenti erant, quâ tyrannum commodè inter vias trucidarent. Sed cùm mercenarios nusquam ab eo discedere viderent, vno consensu citatis equis ad vrbem Syracusas contendunt. Ibi cùm excubitores in naualibus cladis ad Gelam adhuc ignaros inuenissent, nemine prohibente ingrediuntur. Et confestim Dionysii regiam auro, argentoque & magnifico rerum omnium apparatu refertam diripiunt, vxoremque eius correptam tàm fœdè & crudeliter tractant, vt molestissimè hanc iræ atrocitatem Tyrannus ferret, & hoc eius supplicium, conspirationis aduersus se maximum esse argumentum existimaret. At Dionysius in itinere quid patratum sit coniectans, ex equitatu simul & peditatu omnium fidelissimis sibi adiunctis, rapidissimo ad vrbem cursu, nullâ interposita quiete, festinat. Equites enim nullâ ratione alia subactum iri præuidebat, quàm si occultaret, quod tum prę manu habebat. nam si citiùs, quàm illis credi posset, aduentum maturaret, propositũ sibi facilè successurum arbitrabatur. id quod etiam sic euenit. Equitibus enim neque subsistere ad exercitum diutius posse Dionysium, neque longiùs digredi persuasum erat. Ideò quasi voti iam planè compotes, illum ex

Gela metu Pœnorum se fugere simulâsse, cum reipsâ Syracusanos inde fugerit, gloriari audent. Dionysius interim stadia plus minus quadringenta emensus, sub noctis medium cum equitibus centum, & peditum I>c agmine portæ ad Achradinam succedit. Quam vbi clausam offendit, arundines ex paludibus eò congestas, quibus ad calcis confectionem Syracusani vti consueuerant, illuc admouet. Interea dum portæ ardent, cæteros seriùs insecutos etiam adsumit. Mox foribus incendio collapsis, ipse cum comitatu per Achradinam irrumpit. Quod simul ac innotuit, equites statim, qui dignitate & opibus pollebant, non expectatis populi subsidiis ad prohibendum hostem, numero perquàm pauci, accurrunt, foróque occupato à mercenariis circumuenti, confodiuntur omnes. Tum vrbem Dionysius percursitans, quotquot hîc illic sparsim obluctantes inuenit, obtruncat. Ciuium quoque, inimicorum sibi, ædes inuadit; quorum nonnullos trucidat; nonnullos vrbe exigit. Cætera equitum multitudo è mœnibus illapsa, Achradinam (vrbis partem sic vocitatam) occupant. Sub primam insequentis diei lucem reliqua mercenariorum caterua, totumque Siculorum agmen Syracusâs venit. Geloï verò & Camarinæi, à Dionysio alienati, ad Leontinos diuertunt. Cùm res tandem ita cogeret, Imilcar præconem Syracusas mittit, qui licèt victi essent, ad pacem tamen exhortetur. Pergratum hoc erat Dionysio nuncium. Ideò bellum his pactis componitur: CARTHAGINIENSIVM SVB DITIONE MANEANT, PRÆTER ALIOS IPSORVM VETERES COLONOS, ETIAM SICANI, SELINVNTII, ACRAGANTINI ET HIMERENSES. HIS ACCEDANT ETIAM GELOI ET CAMARINÆI; QVIBVS LICEAT IN OPPIDIS SVIS, ABSQVE MOENIBVS TAMEN, HABITARE; SED CARTHAGINIENSIBVS DEINCEPS SINT VECTIGALES. LEONTINI VERO, MESSENII ET SICVLI OMNES LIBERI SVO IVRE VIVANT. SYRACVSANI AVTEM DIONYSII IMPE-

RIO SINT SVBIECTI. NAVES VTRINQVE AMISSÆ SVIS RESTITVANTVR. His pactis ritè confirmatis, Carthaginienses in Libyam traiecerunt, cùm plus quàm dimidium exercitus peste amisissent. qua deinceps etiam per Africam deſæuiente, ingens tùm Carthaginienſium, tùm ſociorum multitudo interiit. Nos, quia finem attigimus bellorum, in Græciâ quidem Peloponnesiaci, in Siciliâ verò Carthaginiensis, quod primum cum Dionysio gestum est, officii nostri ducimus, absolutis illis, quæ tum institueramus, res deinceps gestas proximo volumine complecti.

HÆC SVMMA EST EORVM QVÆ XIV. DIODORI libro exponuntur.

Populus Athenis imperio se abdicare cogitur, & XXX viri Rempublicam capessunt.

Enormis XXX virûm grassatio in ciues.

Vt Dionysius Tyrannus, exstructa sibi arce, vrbem & agros vulgo distribuerit.

Dionysius propè conuulsum & euersum dominatum præter opinionem reparat.

Quomodo Lacedæmonii res per Græciam constituerint.

Alcibiadis interitus; Clearchi Laconis tyrannicum Byzantii imperium, eiusq; abrogatio.

Lysander Lacedæmonius Herculis posteritati regnum adimere tentat; sed ausis excidit.

Dionysius Catanæos & Naxios sub hastâ vendit: & Leontinos Syracusas transfert.

Alesa in Siciliâ conditur.

Lacedæmoniorum cum Eleis bellum.

Vt Dionysius murum iuxta Hexapyla exstruxerit.

Persæ

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE
Liber XIV.

I. OMNES iuxtà molestè ferre probrosè in se dicta, consentaneum est. nam etiam illi, quorum tam enormis & manifesta prauitas est, vt inficias ire nequeant, tamen si reprehendas, indignantur, & crimina sibi ingesta verbis amoliri student. Omni ergo contentione quiuis in hoc elaborare debent, ne quid perperam committant; præsertim, qui imperiis præesse cupiunt, & ad insignem aliquam fortunam euehuntur. Cùm enim horum vita ob dignitatis eminentiam omnibus in conspectu sit, errata & delicta sua oc-

cultare non poteſt. Itaque nemo ſublimi quopiam loco conſtitutus, ſi quid enorme deſignârit, ſe citra reprehenſionem perpetuò latere poſſe confidat. Nam ſi per ſuæ vitæ curriculum infamiæ notam effugerit, poſtea tamen publicum contra ſe veritatis teſtimonium, quâ iampridem ſilentio obtectâ liberè proclamentur; exſpectandum eſſe ſciat. Pergraue igitur hoc improbis fuerit, quòd immortalem veluti imaginem in poſterorum cõſpectu poſt exitum relinquant. Nam etiamſi nihil eorum, quæ mortem conſequuntur, ad nos pertinet; quod à nonnullis Philoſophorum in vulgus diſſeminatur; anteactæ tamen vitæ conditio, dum ad omnẽ poſteritatis memoriam ob improbitatem malè audit, multò fit deterior. Cuius illuſtriſſima in promptu habebit exempla, qui res geſtas huius libri ſingulatim euoluerit.

II. Triginta enim tyranni Athenis conſtituti, ambitione & libidine ſua grauiſſimis patriam calamitatibus inuoluerunt, & potentia breui temporis momento exuti, immortale ſibi improperium reliquerunt. Lacedæmonii verò Græciæ totius imperium citra controuerſiam adepti, eodem rurſus exciderunt, cùm iniuſtis actionibus ſocios premere cœpiſſent. Nam maieſtas Principum beneuolentiâ & iuſtitiâ " ſuſtentatur, iniuriis verò in ſubditos, horumque odiis euerſa " cadit. Quid Dionyſio Syracuſanorum tyranno accidit? Is quàuis maximè propitiam inter omnes Dynaſtas fortunam ſit expertus, per vniuerſam tamen vitã inſidiis obnoxius fuit, adeò vt thoracẽ ferreum tunicæ ſuperiniectum geſtare metus illum cogeret: exſtinctus verò luculentiſſimum infamiæ exemplum ad omne deinceps æuum reliquit. Verùm hæc ſingula ſuo quæque tempore deſcribemus. Nunc ad ea, quæ ſuperiùs narratis cohærent (temporum diſtinctione ſolummodò interiecta) nos conuertemus. Nam in libris huic præmiſſis res à Troiâ captâ ad finem belli Peloponneſiaci & Athenienſium principatus per IↃ CC & LXXIX annos geſtas perſecuti ſumus. In hoc proximè connexa ſubiũcturi à XXX Tyrannis Athenienſiũ exordiemur, & ad Romam à Gallis captã hiſtoriæ ſeriem XIIX annos complexam deducemus.

III. Ceſſante enim Athenis ordinariâ Reipublicæ adminiſtratione, annus à Troiæ excidio octogeſimus poſt ſeptingentos currebat. Tum quatuor Romæ Tribuni militares conſulari poteſtate creantur, Caius Furius, Caius Seruilius,

Caius

Caius Valerius, & Numerius Fabius. Agebatur verò hoc anno Olympias nonagesima quarta; qua de stadio palmam adeptus est Corcynas Laryssæus. Hac tempestate, fractis opibus suis Athenienses eâ conditione pacem acceperunt ab Lacedæmoniis, vt mœnibus deiectis more patrio Rempublicam administrarent. Muros sanè destruxerunt, sed de formâ Reipublicæ inter se dissidebant. nam qui paucorum administrationem expetebant, antiquum Reipublicæ statum, vbi pauci admodum præfuerunt, reuocandum esse censebant. Alii, & quidem pars maxima, Democratiæ recuperandæ studiosi, patrum administrationem, quam veram esse Democratiam constaret, præferebant. Hæc altercatio cùm per dies aliquot durâsset, qui ad paucos rem trahere cupiebant, ad Lysandrum Spartanum legatos mittunt, (is enim bello confecto res ciuitatum componere iussus, Oligarchias passim instituebat) quòd certam ex coniecturâ spem concepissent, fore vt conatus ipsorum adiuuaret. In Samum igitur nauigant; vbi tum recèns captâ vrbe Lysander subsistebat. qui ad opem illis ferendā solicitatus, annuit. Cúmque Thoracem Spartanum Samiis præfectum dedisset, ipse centum cum nauibus ad Piræeum traiecit. Ibi conuentu populi indicto, autor & hortator est Atheniensibus, vt XXX viros deligant, à quibus Respublica deinceps gubernetur, & cuncta vrbis negotia administrentur. Huic suasioni Theramenes se opponens, formulā pacis recitat, in qua conuentum esset, vt legibus patriis Rempublicam instaurarēt, grauissimúmque fore dicit, si violatâ iurisiurandi religione libertas ipsis eripiatur. Ad hoc Lysander respondet: Fœdus iampridem ab Atheniensibus solutum esse; quia post præfinitos sibi dies murum diruerint; grauissimas quoque minas Therameni intendit, interfecturum se hominem confirmans, nisi aduersari Lacedæmoniis desistat. Theramenes igitur & populus perterrefacti, communi suffragio popularem statum abrogare coguntur. & mox XXX viri eliguntur, qui Reipublicæ deinceps curam gerant, nomine quidem administratores, sed re ipsâ nihil aliud quàm Tyranni.

IV. Quia verò Theramenis moderatio & æquitas populo erat perspecta, eiusque integritate reliquorum ad gubernacula sedētium auaritiam nonnihil cohibitum iri, putabāt; hunc quoque in XXX Principum numero suffragiis suis cooptârunt. Munus horū erat,

Senatum legere, & inſtituere magiſtratus, leges etiam condere, quibus ciuitas regeretur. At negotium ferendarum legum ſpecioſo rationum prætextu ſuſpendunt: Senatum verò & magiſtratus ex priuatis ſibi quiſque amicitiis & clientelis ſupplent. nomine igitur Prætores, ſed re Tyrannorum adminiſtri erant Initio quidem ſceleratiſſimos homines, in iudicium pertractos, capitis arceſſunt. Et hactenus modeſtiſſimo cuique, quæ fiebant, probantur. at non multò pòſt, cùm pro libidine ſuâ violenter contra leges agere decreuiſſent, præſidium à Lacedæmoniis hoc prætextu, accerſunt, quòd Rempublicam illis maximè vtilem conſtituere velint. Probè enim nouerant, ſe abſque vi armorum externâ cædes patrare non poſſe; quòd omnes ad ſalutem tuendam communem obuiam ſint ituri. Præſidiariis ergò ex Lacedæmoniis transmiſſis mox Callibium, horum præfectum, muneribus, alioque blanditiarum genere, demulcent. Tum ex diuitum numero maximè idoneos ſibi viſos, ſecernunt, comprehenſosque, vt rerum nouarum ſtudioſos, capite multant, bonaq; ipſorum publicant. Cùm verò Theramenes collegis aduerſaretur, & cum cæteris, quibus publica ſalus cordi eſſet, minitaretur, ſe vindicem libertatis fore; Senatus à XXX viris conuocatur. In quo Critias, tum Princeps, multis Theramenem criminibus onerat, maximè, quòd eum Reipublicæ ſtatum proderet, in quo adminiſtrationis partem ipſe cum cæteris vltrò ſuſcepiſſet. Cuius orationem Theramenes excipiens, ita ſe de ſingulis purgauit, vt totius Senatus beneuolentiam ſibi conciliaret. Critias igitur cum factione ſuâ veritus, ne paucorum ille vir dominatum euerteret, militum ſtrictis gladiis cohortem Therameni circumfundit, vt illicò hominem comprehendant. At Theramenes anteuertens in aram Senatoriam ſaltu ſe coniicit, ſe ad deos confugere dicẽs, non quòd ſalutem ita ſperet, ſed interfectoribus violatæ religionis noxam conſciſcat. Per lictores autem inde auulſus Theramenes generoſo calamitatẽ animo tulit, quòd Philoſophiæ præceptis, magiſtro Socrate, non leuiter imbutus eſſet. Cætera interim multitudo indignam eius ſortẽ miſerabatur. ſed nemo opem ferre, tot militum telis circũſepto, auſus fuit. Socrates tamen, duoq; eius familiares accurrunt, & lictores prohibere conãtur. At Theramenes, ne quid horum patrent, orat, ſe quidem amicum hoc ſtudiũ & virtutem laudare,

laudare, verùm acerbissimam sibi calamitatem fore, dixit, si tanto se amore complexis causa mortis esset. Socrates igitur sociique cùm nemo aliorum succurreret, & præpotentũ factionem gliscere viderent, ab incepto destiterunt. Tum à foco sacro Theramenem abstractum, ministri, quibus id mandatum erat, per medium forum ad necem ducunt. Vulgus autem, cohortis præsidiariæ armis deterritum, dum miseri illius vicem dolet, cum infortunio iniustè damnati suam quoque seruitutem deplorabat. Nam ex abiectæ conditionis turba vnusquisque Theramenis virtutem tàm contumeliosè tractari videns, infirmitatem suam citra vllam æstimationem impensæ velut appendicem fore, prospiciebat. Hoc itaque exstincto, XXX viri nonnullis diuitum in catalogum relatis falsas causas impingunt, & nece irrogatâ, facultates illorum diripiunt. in quorum numero sublatus etiam fuit Niceratus, Niciæ Ducis, olim contra Syracusas missi filius, vir erga omnes comis & humanus, opibus insuper & auctoritate omnium ferè Atheniensium primus. nulla igitur domus erat, quin huius morti ingemisceret, tam eximiæ æquitatis memoriâ ad lacrymas impulsâ. Nec propterea ab enormi se violentiâ abstinuerunt Tyranni, sed inualescente longè magis ad omne facinus væsanâ proteruitate, LX inquilinorum opulentissimos iugularunt, vt facultatibus potirentur. Cùm ergò per dies singulos promiscuis cædibus ac latrociniis in miseros ciues desæuiretur, plerique omnes, qui fortunis pollerent, ex vrbe profugerunt. Tum Autolycum etiam necarunt, virum libertate orationis insignem. Postremò elegantissimum quemque rapacissimæ libidini suæ propinârunt, & tanta in vrbe labes per eos facta est, vt dimidiâ plus parte Atheniensium vltrò exsulatum abirent. Lacedæmonii verò quanquam ciuitatem ita exhaustam & afflictam viderent: tamen cùm nunquam aliquid virium recolligere illam cuperent, in sinu gaudere, nec obscuris affectionem suam argumentis testatam facere. decretum enim promulgant, quo profugos ex omni passim Græciâ vinctos XXX viris sistendi potestas daretur. qui verò id prohiberet, quinque talentûm multæ obnoxius foret. Immanis quidem videbatur edicti huius atrocitas, sed tamen magnitudine potentiæ Spartanæ territæ reliquæ vrbes, dicto audientes erãt. Argiui igitur omnium primi crudelitatem Lacedæmoniorũ

exosi, fortísque afflictorum hominum miserti, patriâ eiectos propenso humanitatis studio exceperunt. A Thebanis quoque publico ciuitatis edicto mulcta in eum statuitur, qui duci exsulem vidēs non pro virili opem tulerit. Res ergò Atheniensium eò loci deuenerat. Interea Dionysius Siculorum Tyrannus, firmatâ cum Carthaginiensibus pace, ad stabiliendum dehinc dominatum omne studium conuertit. Syracusanos enim bello defunctos per ocium deinceps in recuperandâ libertate totos fore existimabat. Cernens itaque Insulam vrbis per se munitissimam facilè à præsidio aliquo custodiri posse, magnifico illam muro (in quo crebras in altum turres eduxit) à reliquâ vrbe seiungere cœpit. Tabernas etiam & porticus, quæ magnam hominum turbam caperent, illi subiecit. Arcem præterea, ad tutos ex improuiso tumultu receptus, magnis impendiis exstruit & firmat. Muro illius naualia quoque, magno portui, cui Laccio nomen est, vicina, complexus. is LX triremium capax portam, quâ singulæ tantùm naues ingrederentur, clausam habebat. Tũ optimam agri partem secernens, familiaribus & præfectis donauit. Reliquum inquilino & ciui ex æquo distribuit, & ciuium nomine seruos etiam manumissos comprehendit, eosque Neopolitas (hoc est, *nouitios ciues*) appellitauit. Promiscuè insuper plebi domos adsignauit, exceptis insularibus, quas amicis & mercenariis muneris loco concessit. Dominatu probè, vt videbatur, confirmato, contra Siculos exercitum eduxit, omnes subigere properans, qui sui adhuc iuris erant, inprimis verò illos, quòd auxilia Carthaginensibus pridem subministrâssent. Castris igitur ad Herbesinorum vrbem admotis, quæ ad obsidionem necessaria erant, comparat. Syracusani autem in militiam hanc adscripti, cùm arma iam in sua potestate haberent, conuenticula instituere, & expostulare secum inuicem, quòd equites in amoliendi Tyranni conatu non adiuuissent. Tum accidit, vt Dionysii legatus minis quendam confidentiùs obloquentem retunderet, & mox ferociùs respondentem, veluti percussurus inuaderet. Quo facto milites exasperati, præfectum (cui Dorici nomen erat) trucidant. & ciuibus ingenti ad vindicandum libertatem vociferatu excitatis, equitatum ex Ætnâ accersunt. ab his enim sub tyrannidis initium elapsis castellum istud incolebatur. Dionysius igitur defectione Syracusiorum

VII.

VIII.

racusiorum

racusiorum consternatus, obsidione intermissâ, Syracusas ad præoccupandam vrbem raptim contendit. Quo fugâ sibi consulente, rebellionis auctores Duces sibi creant illos, qui cædem legati perpetrârant, & assumptis ex Ætnâ equitibus, aduersa Tyranno in Epipolis (vt vocantur) castra ponunt, exitúmque ad liberum ei campum intercludunt. Continuò etiam nunciis ad Messenios & Rheginos dimissis, vt mari ad recuperandam sibi libertatem auxilio veniant, contendunt. nam ciuitates hæ illo quidem tempore triremes non minus x x c complere solebant. quot etiam tunc ad vindicandum se in libertatem pristinam Syracusiis auxilio mittebant. Ingens præterea pecuniæ summa in caput Tyranni denunciatur. exterisque, si ad se transmeârint, ius ciuitatis pollicentur. Tum machinis, quibus muros labefactarent & prosternerent, constructis, quotidiano insulam assultu impetunt, & peregrinos ad se transeuntes perhumaniter excipiunt. Dionysius igitur omni iam exitu in agros se exclusum, & à mercenariis insuper desertum videns, amicorum Senatum conuocat, & de præsenti difficultate cum illis consultat. Adeò enim spem omnem tuendi Principatus abiecerat, vt non, quo pacto Syracusios debellaret; sed quo mortis genere sibi vitam amputaret, ne prorsus ingloriam faceret Tyrannidis abdicationem, quæreret. Heloris igitur amicorum vnus, & veluti nonnulli tradunt, poëtæ pater, *pulcrum sepultura ornatum esse Tyrannidem* illi subiecit. Polyxenus socer hoc consilii dedit, vt velocissimo equo conscenso intra Carthaginiensium fines se auferat, Campanos solicitatum. hos enim Imilcar ad defensionem locorum in Sicilia reliquerat. At Philistus, qui historias postea concinnauit, Polyxeno refragatus, te decet, inquit, Dionysi, oportétque non citato equo ex dominatu auolare, sed vel cruribus tractum reniti. Huius ergò sententiam Dionysius amplexus, quiduis priùs subire ac perpeti statuit, quàm sponte dominatione excedere. Legatis ergò ad rebelles missis, facultatem ex vrbe cum suis discedendi permitti sibi petit. Interim nuncio clam ad Campanos ire iusso, quantum flagitent pecuniæ ad obsidionem hanc soluendam, pollicetur. His ita compositis, Syracusani potestatem faciunt Tyranno, vt

cum nauibus quinque emigret. Hinc segniùs res geri ac negligentiùs. pars quædam, vt ad obsidionem nulli amplius vsui futura, dimittitur. ex peditatu autem plurimi per agros dispersi vagantur, ac si Tyrannicus iam dominatus planè euersus esset. Campani interea promissis excitati, Ægyrium primò contendunt. Tum depositis apud Ægyrim loci principem impedimentis, expediti Syracusas aduolant equites cIↄ ac cc numero. & itinere raptim confecto, ex improuiso Syracusanis imminent, plurimisque ex eorum numero cæsis, ad Dionysium intra munitiones penetrant. Sub hoc ipsum tempus ccc quoque mercenarii in subsidiũ Tyranni appellunt. vnde emergendi spes iterum concepit. At Syracusani cùm tyrannidem rursus confirmari viderent, in partes discedunt, alii persistendum in obsidione contendunt; aliis exauctorato exercitu vrbem planè deserendã esse, placet. Quòd Dionysius statim olfaciens, copias suas in eos educit, & turbatos inuadens, facilè ad nouam, quam vocant, vrbem in fugam eos vertit. tametsi non magnus ibi numerus cecidit. Dionysius enim obequitãs fugientes necari prohibebat. Oppidani igitur confestim per agros dissipantur. & breui pòst ad equites supra Iↄ cc collecti se recipiunt. Dionysius autem Syracusanis, qui occubuerant, sepultis, Ætnam de suis mittit, qui exsulibus ibi denunciarent, vt abiectis odiis in patriam redirent, fidemque illis dat, se offensæ deinceps memorem non futurum. Nonnulli ergò, qui liberos & cõiuges post se reliquerant, ex necessitate quadam inuitationi huic obtemperant. Reliqui, cùm legati beneficium in cadauera cæsorum declaratum verbis extollerent, non alio Dionysium beneficio dignum esse respondent. imò deos precantur, vt quamprimùm illo ipso adficiatur. Hi ergò nullo se modo passi sunt adduci, vt fidem Tyrãno haberent: sed maturam inuadendi ipsum occasionem captantes, Ætnæ substiterunt. Dionysius verò ab exsilio reuersis perhumanum sese præbuit, vt exemplo hoc etiam cæteros ad patrias sedes repetendum animaret. Campanos inde, honestis ornatos muneribus, à se dimisit, quòd mutabili ipsorum ingenio fidendum non existimaret. Hi tum Entellam profecti, persuasis ciuibus, vt inquilinorum ius sibi concederẽt, noctu per insidias oppressos, quotquot pueritiæ annos exierant, cõtrucidarunt, vxoribusq; illorum in matrimonium adscitis, vrbis possessionẽ sibi vsurparunt.

IX.

In

X. In Græciâ porrò Lacedæmonii cum Peloponnesiaco iam bello finem imposuissent, omnium consensu terræ marisque imperium tenebant. Classis igitur Prætorem rursum Lysandrum cum hac potestate creant, vt singulas passim vrbes accedens, Harmostas, quos ipsi vocant, vbique constituat. Nam quia popularis status Lacedæmoniis aduersus erat, paucorum arbitrio passim ciuitates administrari volebant. Tributa etiam debellatis à se imponunt. Et licèt antè nummi apud eos nullus fuisset vsus, ex vectigalibus tamen vnoquoque anno millena talenta contraxêre. Cùm itaque res per Græciam pro suâ auctoritate cõstituissent, Aristum, nobilem virum, Syracusas mittunt, abrogandi quidem dominatus prætextu, sed tacito confirmandi illius studio. Persuaserant enim sibi, si imperium Dionysio corroborarent obnoxium potestati suæ pro meritis illum habituros. Aristus ille posteaquàm Syracusas venit, secretò cum Tyranno hisce de rebus colloquitur. Interim pristinæ libertatis vindicationem Syracusanis promittens, vulgus concitat. Sed Nicotele Corinthio, qui Dux tùm Syracusanorum erat, necato, & aliis, qui fidem ipsi adhibuerant, proditis, Tyranni potentiam auxit, eoque facinore cùm sui nominis decus, tùm patriæ gloriam deturpauit. Posthæc Dionysius plebe Syracusanâ ad demetendas fruges dimissâ, singulorum domos inuadit, armaque cunctis adimit. Et mox alterum arci murum obducit, nauesque ædificat, & peregrinorum vim militum conducit, ac quæcunque ad stabiliendum facerent dominatum, comparat; vtpote, qui re ipsâ iam expertus erat, Syracusios quiduis potiùs, quàm seruitutem toleraturos.

I. Ista dum (hîc illic) geruntur, Pharnabazus Darii regis satrapes, Alcibiadem Atheniensem insidiis circumuentum, gratificandi Lacedæmoniis studio, necauit. Verùm cùm Ephorus alias ob causas oppressum esse tradat, non citra operæ precium fore arbitror, si quo insidiarum modo sublatum memorat Alcibiadem hic scriptor, adiiciamus. In XVII ergò libro narrat, Cyrum cum Lacedæmoniis clam Artaxerxi bellum inferre constituisse: quæ consilia cùm Alcibiades intellexisset, ad Pharnabazum itinere suscepto, de singulis certiorem illum fecisse: postulasse etiam, vt commeatum sibi ad regem traderet: consultum enim videri, vt primus ipse de insidiosis hisce molitionibus regem edoceret. Pharnabazum

verò his auditis inditium sibi vendicâsse, ac missis statim, quibus maximè fideret, rem totam regi detexisse. Cùm itaque Pharnabazus nullos daret, à quibus ad regiam deduceretur, Alcibiadem ad Paphlagoniæ satrapam iter arripuisse ferunt, vt illius ope ad regem côtenderet. Tum Pharnabazum, ne veritas regi proderetur, veritum, submisisse, qui in via Alcibiadem interficerent. Hos, cùm in vico quodam Phrygiæ diuersantem deprehenderent, magnam lignorum struem, tabernaculo noctu circumgestam, succendisse, flammâque ingrauescente, Alcibiadem, defendere se conantem, cum & ab igne & insidiantium iaculis superaretur, illic mortem oppetiisse. Per id tempus etiam Democritus Philosophus obiit, vitâ ad nonaginta annos protractâ. Lasthenem quoque Thebanum, qui hac Olympiade palmam retulit, cum equo ad cursum exercitato, contendisse, ac victorem rediisse, cursumque à Coronæâ ad Thebarum vsque mœnia extentum fuisse, perhibent. In Italiâ Volsci præsidium Romanum Verrugine inuadunt: vrbémq; ipsam capiunt, & plærosque ex præsidiariis cædunt.

XII. Posteaquàm res eius anni ita decurrerunt. Athenis magistratum primarium gerebat Euclides: Romæ autem consulare imperium exceperunt quatuor Tribuni militares, Publius Cornelius, Numerius Fabius, Lucius Valerius, & Terentius Maximus. His ad gubernacula sedentibus, Byzantinorum res, quòd & intestinis seditionibus laborarent, & Thracum finitimorum bello fatigarentur, non optimo erant loco. cúmque nullum ciuilis discordiæ remedium parare sibi possent, à Lacedæmoniis Imperatorem sibi dari petunt. Clearchus ergò designatur, qui perturbatum vrbis statum componat. Hic postquam summam rerum fidei suæ commissam accepisset, valido mercenariorum agmine contracto, non præfectum amplius, sed Tyrannum se gerebat: primúmque magistratus vrbis ad sacrum quoddam epulum inuitatos, necat. Mox cùm nullum in vrbe Regimen superesset, triginta præcipui nominis Byzantinos correptos, inferio laqueis gutture strangulat, & cuiusque interfectorum bona sibi vendicat. Tum ex reliquis opulentiores deligit, quos falsis grauatos criminibus partim trucidat, partim exsilio multat. Magnis igitur opibus ditatus, magnas

peregrini

peregrini militis cateruas conducit, & dominatum sibi firmat atque munit. Vbi igitur fama de crudelitate ac potentiâ Tyranni percrebuit; initio per legatos hominem Lacedæmonii admonent, & hortantur, vt dominatum illum deponat. Sed pertinaciter illo postulatis refragante, exercitum Duce Panthœdâ contra eum mittunt. eius aduentum præsentiscens Clearchus Selymbriam copias deportat, quam & ipsam in potestate habebat. quia enim multa in Byzantinos enormia patrauerat, non modò Lacedæmonios, sed ipsos quoque ciues sibi hostes fore præuidebat. ideóque ex Selymbriâ tutiorem sibi expeditionem in hostes fore arbitratus, copias & pecunias eò transuexit. Vbi verò audiit Lacedæmonios iam non procul esse, obuiam illis ducens, in loco qui Pori nomen habet, pugnam cum Panthoidanis conserit. Ibi diu ancipiti Marte dimicatum est: sed cùm strenuè rem gererent Spartani, acies Tyranni fœdâ strage succubuit. Tum Clearchus initio cum paucis Selymbriæ mœnibus inclusus obsidebatur. sed pòst sibi metuens fugâ per noctem arreptâ, in Ioniam traiecit. Hic familiaritate cum Cyro regis fratre contractâ, dux copiarum factus est. nam Cyrus satraparum maritimæ illic oræ Princeps declaratus, quòd magnos, plenósque confidentiâ animos gereret, Artaxerxi fratri bellum inferre secum constituerat. Videns igitur in Clearcho robur animi esse & confidentiam ad quiduis promtam, pecuniis instructum, quàm maximas peregrinorum militum copias hinc inde conquirere iussit, idoneum se certaminis socium habiturum sperans ad ea, quæ magno ausu gerenda suscepisset.

III. Cæterùm Lysander Spartanus, posteaquàm omnes Lacedæmonios Imperio subiectas vrbes pro sententiâ Ephororum composuisset, aliis ad Decemuiratum, aliis ad paucorum statum redactis, magnus Spartæ & conspicuus habebatur. Cùm enim suo tandem ductu finem bello statuisset Peloponnesiaco, imperium terrâ marique citra controuersiam patriæ vendicarat. Quo successu inflatus Heraclidarum antiquandi regnum consilia secum iniuit, vt scilicet omnibus deinceps Spartanis electio regum communis esset. fore enim sperabat, vt propter rerum, quas gessisset, magnitudinem & claritatem regiæ maiestatis

honos ac munus statim ad se deferretur. At cùm responsis deûm Lacedæmonios maximè addictos cerneret, vatem Delphicam largitionibus corrumpere instituit. si enim oraculi suffragio leuaretur, facilè se voti compotem fore putabat. At vbi diuturnâ munerum pollicitatione fatidici templi præsides inflectere non possent; Dodonæi vaticinii antistites, per Pherecratem quendam Apolloniatam, qui fani ministris familiariter notus erat, solicitare aggressus est. Verùm cùm nec ibi quippiam proficeret; Cyrenen iter suscepit, votum Ioui Hammonio soluendum prætendens, sed nihil aliud interim agens, quàm vt oraculum istud corrumperet. Magnam itaque pecuniæ vim secum transuexit, quâ tẽpli eius sacerdotes obnoxios sibi redderet. nam rex illius regionis Libys paternus ipsi hospes erat: & ad testificandam hanc amicitiam fratri Lysandri Libys nomen fuerat inditum. Quanquam verò cùm huius operâ, tum pecuniarum largitione se persuasurum arbitraretur: tamen non modò spe suâ excidit, verùm etiam præsides oraculi per legatos Spartam missos attentati per largitionis fraudem oraculi Lysandrum accusarunt. Hic ergò Lacedæmonem reuersus, ad causam dicendam arcessitus, argumentis probabilibus crimen refutauit. Et tùm quidem consilium Lysandri de abrogando Heraclidis imperio non detectum est. sed aliquantò post eius interitum, cùm pecuniarias quasdam rationes per domum eius perquirerent, sermonem accuratè scriptum inuenerunt, quem ad plebem exhortandam commentus erat, vt ex omnibus deinceps ciuium familiis reges per suffragia crearentur. Dionysius verò Syracusiorum Tyrãnus, vbi post factam cum Carthaginensibus pacem, seditionis vrbanæ tumultus pacàrat, vicina Chalcidensium oppida ditioni suæ adiicere properauit. Naxum videlicet, Catanam & Leontinos. his ideò potiri cupiens, quòd & contermina Syracusis essent, & magnam amplificandi Imperii commoditatem ipsi præstarent. Primùm igitur Ætnam infesto exercitu petens, castellum cœpit; cùm exsulum vires ad resistẽdum tantis copiis pares haud essent. Pòst in Leontinos ducens, propè vrbem iuxta Tyriam amnem castra posuit, & explicata statim acie præconem ad Leontinos mittit, qui vrbem sibi tradere iubeat, se metu oppidanos subacturum arbitratus. Ast, vbi detrectare Leontinos imperata, & cuncta

XIV.

obsidioni

obſidioni tolerandæ neceſſaria comparare videt Dionyſius, quòd machinis tum careret, oppugnatione in præſens omiſsâ, agros eorum paſſim depopulationibus & prædis agendis vaſtat. Inde in Siculos mouet. hos potiſſimùm bello à ſe peti ſimulans; vt Catanæi Naxiique tantò ſegniores circa vrbium ſuarum cuſtodiam redderentur. Ad Ennam autem hærens, Acimneſto Ennæo Tyrannidis capeſſendæ autor eſt, ſuámque ad hoc perſequendum operam pollicetur. ille quod aggreſſus erat, peragit. cùm verò Dionyſium in vrbem non reciperet, iratus ille ſtudium ſuum aliò conuertit, Ennæóſque ad euertendum Tyrannum inſtigat. Hi correptis ſubitò armis ad forum concurrunt, in libertatem ſe vindicaturi. Iámque vniuerſa ciuitas perturbationis & tumultus plena erat: cùm Dionyſius ſimul atque de ſeditione audiuit, adſcitis amicorum fidiſſimis, per locum quendam cuſtodiâ vacuum ſubitò progreſſus, in vrbem introrupit, & comprehenſum Acimneſtum ad ſupplicium Ennæis tradit, nullisque vrbi damnis illatis retroceſſit. hoc vtique non tàm iuſtitiæ ſtudio & amore fecit, quàm vt cæteras vrbes ad fidem ſibi habendam pelliceret. Caſtris inde promotis Erbitæorum vrbem oppugnandam adortus eſt, ſed cùm res non ſuccederet, pace cum illis initâ, copias aduerſus Catanam duxit. Arceſilaus enim Catanæorum præfectus ad prodendũ illi vrbem promiſſis ſe obligârat. circa mediam igitur noctem ab hoc intra mœnia admiſſus, in poteſtatem Catanam accepit. tum detractis populo armis, idoneum in eâ præſidium conſtituit. Poſtea etiam Procles, Naxiorum ductor, magnitudine promiſſorum illectus, patriam Dionyſio prodidit. qui præmiis proditori exſolutis, & cognatis inſuper conceſſis, reliquam ciuium multitudinem ſeruituti addixit, fortunas horum militibus diripiendas tradidit, muróſque & ædificia deſtruxit. Eadem calamitate etiam Catanæos affecit, captiuos ſub haſta Syracuſis vendi iubens. Agrum quidem Naxiorum Siculis finitimis donauit, ſed vrbem Catanæorum Campanis inhabitandam permiſit. Hinc Leontinos iterum adortus, cum omnibus vrbem copiis circumſedit & per legatos ab oppidanis poſtulauit, vt & deditionem facerent, & Syracuſanorum ciuitati ſeſe aggregarent. Leontini ergò, cùm nulla ſpes auxilii vndecunque ſupereſſet, conſiderato Naxiorum & Catanæorum excidio, magno

terrore perculſi metuebant, ne ſimili clade etiam ipſi obruerentur. tempori itaque cedendum rati, oblatam denique cōditionem ſubeunt; patriâque deſertâ Syracuſas emigrant.

XVII Archonides verò Erbitanorum Præfectus, posteaquàm populus Erbitæorum pacem cum Dionyſio firmârat, nouæ vrbi condendæ animum adiecit. mercenarios enim complures habebat, & promiſcuam in oppido turbam, quæ belli Dionyſiani metu illuc confluxerat. multi quoque Erbitanôrum in coloniam hanc vltrò nomina profitebantur. Multitudine igitur, quæ conuenerat adſumptâ, collem quendam occupat octo ſtadiis à mari diſtantem, in quo Aleſæ vrbis fundamenta iecit. ſed cùm id nominis etiam aliæ per Siciliam vſurparent, Archonidis de ſe cognomentum illi adiecit. Succeſſu inde temporis, vbi ciuitatis huius opes, tùm propter negociationes maritimas, tùm immunitatem à Romanis conceſſam, maiorem in modum excreuerant. Erbitarum cognationem Aleſini abnegârunt, quòd turpe ſibi ducerent ciuitatis minùs potentis colonos ſe profiteri. Sed tamen hodieque mutua inter has duas vrbes familiarum gentiumque neceſſitudo permanet; & in Appollonéo (quod dicitur) fano iiſdem ritibus ſacra peragunt. Sunt tamen qui Aleſam hanc à Carthaginenſibus exſtructam primitus memorant: quo tempore pax inter Imilcarem & Dionyſium coiuit. In Italia Romani Veiis bellum intulerunt, has equidem ob cauſas; * Tunc primùm Senatus Romanorum ex publico quotannis ſtipendium numerare decreuit; Volſcorum quoque vrbem, quæ tunc Anxur, nunc Tarracina vocatur, expugnarant.

XVI Anno exacto, Athenis Imperium habebat Micio; Romæque ſex Tribuni militares conſulari poteſtate creabantur, nempe Titus Quinctius, Caius Iulius, Aulus Manlius, Quintus Quinctius, Lucius Furius Medulinus, & Marcus Æmilius Mamercus. Horum durante magiſtratu, Oropi ciues ſeditione inter ſe excitatâ, nonnullos ex vrbe expulere. qui ad tempus aliquod viribus reditum ſibi conciliare anniſi, cùm cœpta ad finem promouere nō poſſent, Thebanos exorant, vt ſuis ipſos copiis reducerent. Hi expeditione in Oropios ſuſceptâ, vrbe potiuntur, & ad ſeptem ſtadia longiùs à mari habitationem illorum, remouent. eoſque

ſuo, ad

ſuo, ad tempus, more Rempublicam gerere ſinunt. Sed poſt ciuitate cum illis communicatâ, agros Bœotiæ adiecêre. Hæc dum ita geruntur, Lacedæmonii cùm alia plura Eleis crimina obiiciunt, tum quòd Pauſaniam Regem ipſorum, rem ſacram deo facturum, prohibuiſſent: & quòd in Olympicis certandi locum Spartanis negâſſent. Bello igitur in eos decreto, per decem legatos primùm ab illis poſtulant, vti finitimas vrbes ſuis legibus vti ſinant; deinde vt impenſarum belli contra Athenienſes geſti partem ſibi competentem erogent. hoc ideò fiebat, quòd ſpecioſum belli prætextũ & probabile initium quærerent. Renuentibus autem Eleis, & criminantibus inſuper illos, quòd Græciam ſeruitute premerent; alterum ex regibus Pauſaniam cum IↃↃ bellum iis faceſſere iubent. Sequebatur hunc copioſa ex omnibus ferè ſociis manus, præter Bœotos & Corinthios. hi enim nonnullis, quæ à Lacedæmoniis gererentur, offenſi, ab expeditione in Elidem ſeſe abſtinebant. Pauſanias igitur nihil cunctatus Elidem inuadit, & primo ſtatim incurſu Laſionem caſtellum expugnat. Hinc rapto per montium iuga exercitu, oppida quatuor, Thræſtum, Alium, Eupagium, Opunta ſubigit. Inde caſtris Pylo applicatis, protinus hũc quoque locum capit, qui ab Elide ſtadia plus minus LXX abeſt. Mox ad ipſam quoque Elidem contendens cis fluuium in collibus locum caſtris deligit. Paullò antè ſubſidio Elienſibus mille eximii roboris viri ab Ætolis miſſi venerant: quibus loca circa Gymnaſium tutanda commiſerunt. Hæc inprimis oppugnanda, ſed magno hoſtis contemptu, Pauſanias ſibi deſumit; quaſi nimirum Elienſibus nullus contrà in aciem prodeundi animus reſtet. Verùm extemplò ingens Ætolorum, ciuiumque manus ex vrbe effuſa magnum hoſti terrorem iniicit, & circiter triginta proſternit. Et tunc quidem oppugnationem Pauſanias intermittit. poſt difficilem expugnatu vrbem fore cernens, agros quantumuis deo conſecratos populando & exſcindendo peruadens, maximas inde prædas coaceruat. Sed appetente iam hyeme, caſtella per Elidem munitionibus firmat, & iuſtis præſidiariorum copiis ibi relictis, cum reliquo agmine Dymen in hyberna conceſſit.

IX. Tum in Siciliâ Dionyſius Siculorum Tyrannus, cùm dominatus

amplificatio votis & conatibus responderet, Carthaginensibus bellum mouere statuit. sed quia à necessariis nondum satis instructus erat, consilium interea occultat, & quæ ad futurum certamen conducerent, prouidè conquirit. In memoriam autem reuocans, vrbem bello Attico munitione ex vtroque mari ductâ circumseptam fuisse, metus subiit, ne simile aliquando infortunium expertus, exitum in agros prorsus interclusum haberet. Epipolarum enim situm contra Syracusas peropportunum esse cernebat. Architectis ergò accersitis, ex sententiâ illorum muniendas Epipolas esse duxit, vbi nunc murus ad Hexapyla (*latus sex portarum*) exsistit. Locus enim iste ad Septentrionem conuersus, totus est præruptus, & ob asperitatem ab exteriori parte inaccessus. Structuram itaque illam quamprimùm absoluere cupiens, turbam ex agris vndique congregat, ex quâ idoneos negocio, omnes ingenuæ conditionis viros, ad sexagies mille deligit, interque eos communiendi loci partes distribuit. Tum singulis ordine stadiis architectum præficit, & quot plethra tot fabros, & suos cuique ministros, ducenos vtique in plethrum, adhibet. Præter hos alii non exiguo numero rudem adhuc lapidem cædebant. sex millia insuper boum iuga suis destinata locis habuit. Tanta operantium multitudo magnam spectantibus admirationem adferebat, dum quisque designatum sibi munus gnauiter exsequi laborat. Etenim Dionysius, vt alacritatem operarum excitaret, magna hîc architectis, istic fabris, illic operariis, dona proposuerat. Ipse præterea cum amicis per totos dies operum inspectioni adhærebat, vbique sese ostendens, & defatigatos subinde releuans. tandem sepositâ Imperii maiestate, priuati personam induit, & grauissimis se ministeriis ducem & magistrum præbens, communes cum aliis quibusuis ærumnas in se receptas sustinuit. quo factum, vt certatim quique labori incumberent, & diurnis nonnulli operibus etiam noctis partem adiicerent. tam ambitiosâ multitudinem consummandi operis cupiditas incesserat. quare suprà quàm cuiusque spes aut fides tulerat, dierum viginti spacio absolutum muri opus stetit, ad triginta stadiorum longitudinem protractum & ad eam altitudinis mediocritatem erectum, vt firmitate suâ vim quamuis oppugnantium aspernaretur. nam celsis per crebra inter-

ualla turribus distinctum erat, saxisque quaternûm pedum
artificiosè coagmentatis inter se constabat.

Post exitum huius anni Exænetus Archon fuit Athe-
nis. Romæque consulari potestate Rempublicam admini-
strârunt Tribuni militum sex, Publius Cornelius, Cæso Fa-
bius, Spurius Nautius, Caius Valerius, Marcus Sergius, &
Cnæus Cornelius. Hoc tempore Cyrus satraparum in ma-
ritimis prouinciis Imperator, bellum, quod iampridem in
fratrem suum Artaxerxem meditatus fuerat; (magnos enim
hic adolescens spiritus gerebat, nec ignauo ad Mauortios la-
bores studio ferebatur) persequi tandem statuit. Copias igi-
tur non exiguas peregrinorum militum coëgit, omnibusq;
ad expeditionem conducibilibus se instruxit; Quid tamen
agitaret, multitudini nequaquam aperuit; sed in Ciliciā con-
tra rebelles quosdam regis Tyrannos arma se expedire con-
firmauit. Ad Lacedæmonios etiam legationem misit, quæ
beneficiorum, quibus in bello cum Atheniensibus ab ipso
adfecti essent, memoriam renouaret, & ad operam nauan-
dum auxiliarem eos adhortaretur. Lacedæmonii igitur ex
re suâ bellum istud fore arbitrati, auxilia Cyro statim decer-
nunt, & confestim ad Samum classis suæ præfectum legatos
mittunt, vt quicquid Cyrus imperaret, exsequeretur. Hic
Samus XXV triremes tunc ad manum habens, Ephesum ad
Cyri nauarchum cum his traiecit, ad omnia promptam illi
operam exhibens. IↃ CCC præterea pedites, Duce Chiroso-
pho, illi transmittunt. Totius autem Barbaricæ classis Præ-
tor erat Tamos, quinquaginta triremes sub imperio habēs
apprimè instructas. Simulac verò Spartani appulerunt, am-
bæ classes non secus oram soluerunt, ac si cursus hic in Cili-
ciam institutus esset. Cyrus verò, cùm Asiatici delectus mi-
litem, & CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ, æra merentium, Sardeis con-
uocâsset, curatores Lydiæ & Phrygiæ Persas constituit ge-
nere sibi propinquos, Ioniæ autem & Æolidi, vicinisque
locis, Tamon, fidum sibi amicum, & natione Memphiten
præesse iussit. Mox ipse cum exercitu Ciliciam & Pisidiam
versus mouit, rumore passim disseminato, quòd nonnulli
gentium istarum ab officio recessissent.. Habebat autem in
vniuersum ex Asiâ quidem septuaginta millia, inter quos ter
mille equites erant. ex Peloponneso verò cæteráque Græ-
ciâ CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ, qui stipendia facerent. Dux

Peloponnesiorum, Achæis exceptis, Clearchus erat Lacedæmonius. Bœotorum Proxenus Thebanus, Achæorum Socrates Achæus, Thessalisque Meno præerat. Barbarorum suo quisque loco ordines Persæ ductabant. summa verò Imperii penès Cyrum erat. Qui ducibus sanè expeditionis huius finem patefecerat: sed multitudinem prudenter celârat, ne belli magnitudine absterriti, cœpta sua destituerent. Ideò per iter etiam, quod futurum esset, prospectans, curam militum diligentiùs habere, familiarem se quibusuis exhibere, & largam vbique commeatus copiam parare. Lydia demum Phrygiaque & conterminis Ciliciæ tractibus peragratis ad fines Ciliciæ & portas illius peruenit. Angustus ibi transitus est & præruptus, ad XX stadia pertingens, quem vasti præaltique & difficiles conscensu montes ex vtraque parte cingunt. ex montibus autem hinc & illinc murus ad viam portis illis communitam pertendit. Hâc copiis ergò traductis, campos quosdam ingressus est, nullis per Asiam eximiâ amœnitate secundis. per quos ad Tarsum vsque amplissimam Ciliciæ vrbem progressus, facilè eam imperata facere coëgit. Tum Syennesis, Ciliciam sub imperio habens, auditâ hostilis exercitus magnitudine, in magnas consilii perplexitates coniicitur, quòd tantæ se moli imparem videret. At cùm datâ fide ad Cyrum vocaretur, accedit, déque fine belli edoctus, operam contra Artaxerxem promittit, & statim alterum ex filiis, mediocri commilitantium manu instructum Cyro adiungit. vafri enim ingenii vir, ad incertum fortunæ euentum sese præparans, alterum ex filiis clam ad regem præmisit, qui tot in regem copias duci, seque inuitum ad arma cum Cyro socianda pertractum, sincerâ tamen interim fide regi addictum, redire ad vexilla ipsius velle, renunciet. Cyrus interea per viginti dies reficiẽdo & aggregando militi tempus insumsit. Tum castris inde motis, vulgus in Artaxerxem institutam expeditionem hanc animaduertit. Vnusquisque ergò secum perpendens, quanta viæ conficiendæ longinquitas, quantaq; gentium inimicarum, per quas iter faciendum sit, multitudo, anxiè rem secum disputauit. diditus enim iam rumor erat, quatuor mensium iter ad Bactra exercitui conficiendũ esse, regẽque supra CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ in armis habere. idcircò metu simul

XXI.

& irâ perturbati, in Duces vsque adeò exasperabantur, vt
tanquam proditores obtruncandos illos statuerent. At cùm
auctoritatem suam Cyrus non absque precibus interpone-
ret, nec in regem, sed quendam Syriæ præfectum, se ipsos du-
cturum confirmaret, turba militum acquiescit. auctisque
stipendiis, ad pristinum beneuolentiæ studium erga impe-
ratorem suum redierunt. XIII. Iamque Ciliciam propè to-
tam superarat, cùm ad Issum extremam Ciliciæ vrbem,
iuxta mare sitam, nauibus eò delatus, peruenit. Huc eodem
tempore classis Lacedæmoniorum appulsa, militem expo-
nebat, & annunciatâ Spartanorum beneuolentiâ, IↃCCC.
illos pedites sub Imperio Chirisophi Cyro tradit. Merce-
narios hosce ab amicis Cyri priuatim mitti simulabant; cùm
reuerâ tamen de consilio iussuque Ephororum cuncta fie-
rent. Apertum enim bellum in regem nondum suscepe-
rant Lacedæmonii, sed occultatis ad tempus consiliis, quò
belli momenta inclinatura essent, exspectabant. Motis in-
de castris Syriam versus procedit Cyrus, nauarchis ad lit-
tus se comitari cum omni classe iussis. Progressus inde ad
Pylas (vti vocantur) cùm fauces præsidio vacuas inuenis-
set, lætus erat. anxiè enim metuerat, ne aliqui præoccupa-
tas insedissent. locus namque ille natura sua in arctum
cogitur, rupibus confragosis vndique munitus, vt paruâ fa-
cilè manu defendi possit. nam duo contigui inter se mon-
tes hinc illinc assurgunt: vna pars aspretis & rupibus exi-
miæ altitudinis inhorret. alter ab ipsa via, (quæ vnica
per ista loca ducit) incipit, & Libanus vocatur, ad Phœ-
niciam vsque pertingens. medium inter hos montes spa-
cium, ad tria stadia porrectum, summoperè munitum
est, & portis in arctum contractis interclusum. His ci-
tra damnum transitis, classem dehinc, vt Ephesum repe-
tat, Cyrus dimittit. nullus enim per mediterranea iter
facturo eius deinceps vsus erat. Vicenis igitur castris
Thapsacum vrbem, iuxta Euphratem sitam, peruenit.
Hîc dies quinque subsistens, cùm militem commeatus
vbertate, largisque prædationum emolumentis, si-
bi conciliâsset, aduocatâ concione, verum expeditio-
nis consilium illis patefecit. Vbi verò molestum exer-
citui sermonem hunc esse vidit, omnes, ne se deserere

vellent, solicitè orauit, cùm alia ipsis munera promittens, tum quinas in capita minas argenti, quamprimùm Babylonem ingressus esset, paciscens. His in magnam spem milites erecti, assensum tandem præbuerunt. Cyrus igitur cum copiis Euphratem transgressus, continuis itineribus perrexit. vbi Babyloniæ fines attigit, recreandi sui moram militi concessit. Artaxerxes verò Rex iampridem ex Pharnabazi indiciis compertum habebat, arma clam à Cyro in se parari; & tunc de expeditione eius certior factus, copias vndique Ecbatana Mediæ conuocat. Ast vbi Indorum cæterarumque gentium auxilia diutius, propter nimiam locorum distantiam, morari videt, cum exercitu iam collecto Cyro obuiam pergit. numerus in vniuersum, vt quidem Ephorus tradit, annumeratis equitibus, non infra CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ erat. Cùm in Babyloniæ campos peruentum esset, communiendis illic castris operam dedit, quòd impedimenta in his relinquere constituerat. hostes enim non procul abesse cognouerat, & præter hoc, præceps illorum audacia non potuit ipsi non esse formidabilis. Fossam igitur sexaginta pedes latam, & decem pedes altam duxit, quam plaustris & vehiculis exercitum secutis, ad muri instar circumdedit. Impedimentis ergò cum imbelli turbâ hîc depositis, mediocre præsidium adhibuit. Ipse verò cum expedito agmine progressus, hosti non procul hinc agenti in occursum tendit. Tunc Cyrus, vbi aduentantem regis aciem prospexit, suos confestim arma expedire iubet. Dextrum cornu ad Euphratem extentum Lacedæmonii, & stipendia facientium nonnulli tenebant. omnibus his præerat Clearchus Lacedæmonius, cui equites ex Paphlagoniâ acciti vltra mille ad manum erant. alterum cornu ex Phrygum Lydorúmque delectu mille circiter equitibus adiunctis, quorum Dux Aridæus erat, constabat. in phalange mediâ Cyrus ipse constitutus erat, selectissimis Persarum, aliorumque Barbarorum copiis ad CCIↃↃ stipatus. Præcedebant ipsum equites mille, cum ornatu pulcherrimo, loricis ensibúsque Græcanicis instructi. Artaxerxes verò phalangi suæ vniuersæ curruum falcatorum numerum haud exiguum prætexuerat, cornibusque Persarum imperio commissis, ipse medium aciei locum occupauit,

X XII

cupauit, delectorum non minus quinquagies mille circa se habens. Iam tria circiter stadia phalanges à sese distabant, cum Græci Pæane decantato, cum silentio primùm incedunt; mox simul atque intra teli iactum erat peruentum, concitato in hostem cursu sese inferunt. quod ipsum Clearchus ita facere iusserat. nam si ex longo interuallo decertaturi non procurrerēt, futurum sciebat, vt integra pugnæ corpora reseruarent, si approximantes verò cursu hostem inuaderent, sagittarum, aliorumque missilium ictibus minùs obnoxios fore censebat. Quamprimùm verò propiùs ad regis copias accessit Cyri agmen, tanta in eos telorum quasi tempestas sese præcipitat, quātam ingruere ab exercitu quadringentorum millium æstimari potest. Sed postquam ad per breue tempus missilibus decertatum fuit, cominùs deinde pugna conseritur. Lacedæmonii autem cum stipendiatorum manu aciem sibi oppositam primo statim congressu perculêre, quòd magnificentia armorum manuumque strenuitate Barbaris præstarent. exilis enim hos armatura muniebat, & plerique ordines ex leui militum genere constabant, & maior pars certaminum bellicorum rudis & imperita erat. contrà autē Græci, per ita prolixum belli Peloponnesiaci tempus continuis exercitati conflictibus, eximium armorum vsum sibi comparauerant. idcircò agmen sibi aduersum sine morâ in fugam coniectum persequuntur, magnamque Barbarorum cædem faciunt. Sors autem tulerat, vt mediam aciem Imperatores ambo de summâ rerum disceptantes, obtinerent. Animaduersо igitur eo, quod fortè contigerat, alter in alterum contendit, dum suo pugnam Marte disceptare properant. Solitario enim duello fratres inter se decertantes iterum commiserat Fortuna; vt vetustæ illius & Tragicis decantatæ fabulis audaciç circa Eteoclem & Polynicen quasi imitamentum foret. Cyrus itaque eminus hastam prior intorquet, regémque feriens ad terram deiicit: quem subitò arreptum stipatores è pugnâ trāsferunt. Interim Tissaphernes, nobilis Persa, in Regis locum succedens, agmen exhortatur, & ipse strenuè dimicat. dumque cladem Regis casu factam resarcire contendit, cum cohortibus electis vbique locorum sese ostentans, non mediocrem hostium stragem facit, ita quidem, vt alacritas eius præclarè rem gerentis procul inde conspiceretur. Cyrus autem victoriâ suorum elatus,

in medium hostium agmen violento conatu irrumpit, & ferociter audaciæ morem gerendo, non exiguam stragem edit. Hinc præcipitantiùs se periculis immittens, à gregario, quicunque etiam ille fuit, milite ex Persis vulnere lethali ictus cecidit. Quo exanimato regium agmē, vires ad instaurandam pugnam redintegrat, tandēque numero copiarum & fiducia successus reluctantes defatigant. In alterà exercitus parte Aridæus Cyri satrapes, ordinibus præfectus, initio barbarorum se inuadentium agmen strenuè excepit. postea verò quàm phalanx illorum subinde longiùs sese extēderet, & rumor de Cyri morte insuper accessisset, in stationem quandam, receptui non incommodam, cum suis refugit. Clearchus igitur, vbi mediam aciem profligatam, & reliquas exercitus partes, ad fugam inclinatas, animaduertit, ab insectando suos cohibuit. verebatur enim, ne, si totus Barbarorum exercitus Græcos inuaderet, omnes pariter circumuenti trucidarentur. Interim acies regia fusis, qui contra se steterant, Cyri mox castra diripit. Hinc cùm iam nocte scere, vno in Græcos impetu conglobati tendunt. qui cùm fortiter, vt generosis animis dignum est, impressionem exciperent, non diu sua Barbaris virtus constitit; sed statim animorum robore, manuumque promptitudine, à Græcis superati, prolixæ se fugæ tradiderunt. Clearchus proinde cum agmine suorum multis Barbarorum trucidatis, serâ iam nocte se recipiens, tropæum erigit, & secundam circiter vigiliam in castra reuertitur. Prælio itaque ad hunc modum finito, recensita sunt de regiis copiis interfectorum supra ccIↃↃ IↃↃ. quorum pars maxima à Lacedæmoniis hisque adiunctis mercenariis, ductu Clearchi militantibus, cæsa fuit. ex alterà parte de Cyri militibus ceciderunt ad ter mille. de Græcis verò nullum oppetisse memorant, perpaucis interim vulneratis. Post noctis illius exitum, Aridæus, quem ad stationem pristinam refugisse diximus, nuncios ad Clearchum mittit hortatum, vt cum copiis ad ipsum se recipiat, quo coniunctis agminibus ad oram se maritimam conseruarent. Interfecto enim Cyro, & regis exercitu victoriam sibi vendicante, ingens trepidatio cum pœnitentià incessebat omnes, quòd Artaxerxem regno excutere, conatu nimis audaci tentâssent. Clearchus igitur ducibus & præfectis serierum conuocatis, de præsenti rerum statu

(XXV. / XXVI. in margin)

consilia

consilia exquirit. Dúmque his intenti sunt, legati regis superueniunt, quorum princeps erat Græcus quidam nomine Phalenus, Zacynthius natione. hi in Senatum introducti, Regis mandata hunc ad modum exponunt: Hæc dicit Rex Artaxerxes: quandoquidem Cyro interfecto, victoria penès me est, vos arma tradite, & ad fores eius pergite, & de modo reconciliandi ipsum vobis cogitate, vt beneficii alicuius participes fiatis. His ita dictis, ab vnoquoque Ducum id responsi datum est, quod à Leonide quondam; cùm transitum ad Thermopylas tutanti, Xerxes per legatos edixit, vt arma sibi cederet. tunc enim Leonides ita renunciari iussit regi: Nos equidem arbitramur, si Xerxis amici posthac fuerimus, longe potiores cum armis socios fore: sin aduersus illum belligerari cogamur, meliùs horum præsidio dimicaturos. Posteaquàm igitur eundem ad modum à Clearcho responsum fuit; Proxenus Thebanus sic infit Nunc aliorum propè omnium iacturam fecimus; soláque virtus & arma nobis supersunt. quamdiu hæc tutamur, virtutem nobis profuturam, existimamus. quamprimùm hæc trademus, nec illam nobis auxiliaturam. Ad regem itaque referre iubet: si quid mali rex in nos meditatur de communi aduersus eum bono his ipsis præliabimur. Ibi Sophilus, etiam præfectorum vnus, dixisse fertur: Per equidem mira sibi regis postulata videri. si enim se (inquit) potentiorem Græcis existimat, cum exercitu nos inuadens arma extorqueat: sin persuasione vult adipisci, quam pro his gratiam nobis retributurus sit, prius dicat. His Socrates Achæus subiungit. Nimis vecorditer nobiscum rex agit. quæ enim à nobis auferre cupit, statim sibi tradi postulat, quæ contrà referenda sunt, precando dehinc obtinere iubet. Postremò si adeò rerum ignarus est, vt victores tanquam victos imperata facere iubeat, cum innumerabili suâ turbâ huc profectus, vtriúsnam partis victoria sit, cognoscat. Sin victores nos esse perspicuè cognitum habens, tamen circumuenire mendacio studet, quî de promissis in posterum fidem ipsi habeamus? Cum his legati responsis dimissi abierunt. Hinc Clearchus agmē suum ad castra, quò seruatus è pugna exercitus ille concesserat, traduxit. Vniuersis ergò copiis ibi congregatis, de regressu ad mare, totáque adeò profectione, consilia inter se capessunt. Consultissimum itaque visum, non eodem quo

venerant, itinere redeundum esse. magna enim pars deserta erat, & commeatus facultatem nõ præbebat, hostili interim exercitu vestigia premente. Decretum ergo fuit tandem, vt Paphlagoniam versus ducerent. Et huc non cunctanter Duces cum exercitu iter capessunt; lentiùs tamen procedendo, vt commeatum interea sibi conquirerent. Rex autem, quamprimùm ex vulnere meliùs habere cœpit, discessu hostium audito, quòd fugere illos putaret, raptim in eos mouet. & quia tardiùs progrediebantur, assecutus tandem eos, nocte iam ingruente castra propè metatur. Sub initium diei sequentis, cùm Græci in aciem copias educerent, nunciis ille missis, trium dierum inducias in præsens concedit. his ita conuentum erat, vt rex pacatum & amicum ipsis transitum per terras suas concederet, itinerisque duces ad mare vsque adiungeret, venalem etiam commeatum transeuntibus præberet. quicquid præterea mercenariorum sub Clearchi & Aridæi signis militaret, id absque nocumento per agros iter faceret. hi ergò ad iter persequendum sese conuertunt. At rex Babylonem exercitum reducit; vbi præmia inter eos distribuens, qui præclara virtutis facinora bello isto edidissent, præclarissimè inter omnes Tissaphernem se gessisse iudicauit. ideò cùm magnificis hominem muneribus honestauit, tùm suam ipsi filiam matrimonio adiunxit, & de reliquo fidissimum hunc amicum fuit expertus quin & satrapiarum, quibus Cyrus præfuerat, imperium illi concessit. Tissaphernes itaque videns infensissimo erga Grçcos animo regem esse, omnes se deletum ire promisit, si exercitu instrueretur, & cum Aridæo in gratiã rediret. ab hoc enim Græcos in itinere proditum iri, confirmabat. Pergratum hoc regi consilium accidit, ideoque militum fortissimos, quotquot ipse vellet ex toto exercitu deligendos ei permisit. *** [Cum his præproperè Græcorum agmen insecutus, non procul ab illis castra posuit. Missisque ad eos nunciis, vt Clearchus cum] cæteris ordinum ductoribus ad se veniret, postulauit: habere, quæ coram illis exponat. Duces igitur ferè omnes cum Clearcho & cohortium præfectis, vti par erat, Tissaphernem accedunt. Ex militibus præterea circiter ducenti commeatum empturi sequuntur. Tissaphernes Duces ipsos in prætorium suum vocat; at manipulorum præfecti ante fores subsistunt. Breue intercesserat tempus, cùm purpureo ex papi-

XXVI

IX. VIII.

ex papilione Tissaphernis vexillo ostentato, ipse duces intus comprehendit, cæteros verò præfectos, foris præstolantes, alii quibus hoc mandatum erat, obtruncant. Alii milites qui commeatus emendi causâ venerant; hîc illic cedunt. quorum vnus fugâ in castra suorum elapsus, cladis nuncium attulit.

XXVII.

Quâ facti atrocitate cognitâ, milites tum quidem perterrefacti, incompositè ad arma concurrunt, quòd neque Dux neque imperator esset. sed mox vbi nemo ipsis negotium facessit, Duces sibi complures desumunt; ad vnum tamen summam imperii deferunt. Lacedæmonius ille erat Cheirisophus. Ab his agmen in ordinem, qui optimus videretur, redactum, Paphlagoniam versus promouetur. Tissaphernes autem duces in vincula compactos ad Regem transmisit. qui reliquis obtruncatis, Menona solum dimisit. hic enim, quòd cum sociis iurgatus esset, Græcos prodere voluisse existimabatur. Postea Tissaphernes cum agmine Græcos insectatus, carptim eos vexabat, nec aduersa cum illis fronte concurrere audebat, quòd hominum de salute desperantium, extremam audaciam & furorem formidaret. Opportunis itaque locis obiter eos lacessens, magni quidem detrimenti nihil afferre poterat, sed leuibus tantùm damnis adficiens, ad Carduchorum, (quam vocant) gentem vsque persequebatur. Tum extremum agmen carpendo nihil se proficere posse videns Tissaphernes, copias Ioniam versus duxit. Græci verò superandis Carduchorum montibus septem dies insumebant, multis insuper nocumentis ab loci eius incolis, gente strenuâ, locorumque istic gnarâ, perpessi. Hi regis hostes erant & liberi, rerúmque bellicarum studiosi; in hoc præcipuè exercitati, vt prægrandes fundâ lapides intorquerent, & inusitatæ magnitudinis arcubus rem gererent. Hi dum Græcos superiori de loco impetunt, multos equidem transuerberatos perimunt, nec paucos fœdè sauciant. nam sagittæ binis cubitis longiores per scuta & thoraces penetrabant, adeóque nulla vim harum armatura sufferre poterat. tam enorme id teli genus fuisse dicitur, vt Græci pro amentatis sauniis hisce ad iaculandum vterentur. cùm tandem non citra magnam difficultatem regionem hanc euasissent, ad Centritem fluuium deueniunt, quo traiecto, Armeniam ingrediuntur. Satrapes tum huius erat Teribazus. cum quo fœdere inito, deinceps vt amici per prouin-

ciam eius iter faciunt. At tum per Armeniorum montes contendunt, niue tam densa obruuntur, vt parum abfuerit, quin omnes ibi periissent. Turbato enim aëre rara primum nix sensim ex alto cadere, ita vt nullum progredientibus impedimentum obiiceretur. sed mox inualescente vento, subinde maior copia ruere, támque densè vbique terram obtegere, vt nec viam prospicere, nec vllam prorsus locorum regionem internoscere possent. Hinc anxietas & pauor exercitum inuadere, quòd nec ad certam retrogredi perniciem vellent, nec ob profundam niuis densitatem procedere vlteriùs possent. Hyeme autem subinde asperiùs ingrauescente, vehemens quoque ventorum procella, cum violento grandinis nimbo exoritur, adeò quidem, vt cùm turbo facies aduersas percelleret, totum illic agmen sistere cogeretur. quia enim nemo tam ærumnosam itineris molestiam perferre poterat, quem quisque tum locum occupauerat, eo se continere, necessum habebat. Tametsi verò summa tum omnes penuria laborarent, per illam tamen diem atque noctem asperrimam hyemis sæuitiam, variis ærumnis cumulatam, sub dio tolerarunt. nam quicquid armorum erat, ingens niuis continuè præcipitantis copia obtexerat. Corpora verò gelu, quod serenus deinceps aër exasperauit, rigescebãt; & tàm atrox malorum vis vrgebat, vt totam illam noctem transigerent insomnem. Aliqui ignis excitati calore, vtcunque se fouere. nonnulli cõcretis frigore corporibus, omnem salutis spem abiicere: cùm extremæ horum partes ferè omnes emorerentur. Nocte igitur transacta, maior iumentorum pars corrupta, viri etiam complures exstincti, nec pauci licèt vegetis adhuc animis essent, frigore tamen immobile corpus habere cernebantur. quidam splendore niuis præstricta oculorum acie, velut excœcati erant. denique internecione ad vnum omnes periissent, nisi paululum progressi vicos rerum necessariarum copia refertos inuenissent. Hic iumenta per effossos aditus, homines per scalas descendebant. In domiciliis pecudes gramine alebantur, & ingens omnium, quibus vita sustentatur vbertas hominibus suppetebat. Per octo dies hic commorati, ad Phasin amnem tandem perueniunt. Quatriduo illic exacto Tachorum & Phasianorum terras permeant. Cúmque ab incolis in transitu armis lacesserentur, pugna cum illis congressi, magnam

XXXI.

XXX.

ſi, magnam cædem peragunt, & occupatis illorum villis, quæ
victu, cæteriſque bonis abundabant, xv ibi dies quieti ſuæ
concedunt. Inde profecti Chalcidenſium (quam vo-
cant) terram ſeptenis caſtris emenſi, ad fluuium, cui Har-
paſo nomen, quatuor plethra amplum, deſcendunt. Hinc
per Taſcutinorum planiciem itinere facto, curandis corpo-
ribus triduum inſumunt, omni neceſſariorum copiâ inſtru-
cti. Quartis inde caſtris ad magnam vrbem, cui Gymnaſiæ
nomen, progrediuntur. Ex hoc locorum ibi Princeps fœdus
cũ illis facit, ductoresq; viæ ad mare vſq; adiungit. xv ergo
dierum itinere confecto in Chenium montem egreſſi, vbi
qui in primo agmine erant, mare procul viderunt, ingenti
lætitiâ perfunduntur: tantúſque mox clamor ſublatus eſt,
vt extremi agminis milites hoſtium impreſſionem quan-
dam eſſe ſuſpicantes, arma raptim expedirent. Quàm pri-
mùm verò omnes in iugum, vnde proſpectus in mare pate-
ret, euaſerunt, ſublatis quiſque manibus, gratias diis non ſe-
cus agebant, quàm ſi prorſus ſalutis compotes iam eſſent.
Tum ſaxis magno numero in vnum locum congeſtis, tu-
mulos ingentes excitarunt, quibus ſpolia de barbaris relata,
ad immortalem expeditionis ſuæ memoriam, impoſuerunt.
Viæ autem Duci phialam argenteam ſtolámque Perſicam
donarunt: qui monſtrata deinceps ad Macrones viâ, diſceſ-
ſit. Poſteaquam Macronum regionem Græci ingreſſi
ſunt, fœdus cum gente faciunt. in cuius fidem Barbari-
cam ab illis haſtam accipiunt, ipſíque Græcam reddunt.
hoc certiſſimum fidei pignus à maioribus ſibi traditum
eſſe Barbari dictitabant. Horum montibus ſuperatis in
Colchorum terram ſe demittunt. Ingens contra illos tur-
ba incolarum confluxerat; quam pugnâ deuictam non exi-
guâ cæde multant. Tum firmo quodam colle inſeſſo, agros
populantur, & magnis illuc prædis vndique congeſtis, affa-
tim ſeſe recreant. XXXI. Inuenta tum fuit his in locis ingens
alueariũ copia, vnde largiſſimos er.t fauos depromere.
Sed mirificum quiddam euenit circa illos, qui hos deguſta-
rent. nam quotquot aliquid deglutiſſent, amentes facti,
mortuiſque ſimiles, humi ſternebantur. & quia multi ſapo-
ris dulcedine capti de fauis hiſce comederant, mox ingens
multitudo, quaſi bellicâ quadã ſtrage edita, hîc illic fuſa iace-
bat. Magna illo die triſtitia exercitum peruaſit, rei nouitate

& proſtratorum numero perculſum. At poſtridiè eâdem propè horâ omnes ad ſe redibant, & integrâ mentis ſanitate receptâ ſurgebāt, corporibus non aliter affectis, quàm ſi poſt pharmacum aliquod hauſtum, vires recolligerent. Recuperatis ergo viribus, tertio hinc die Trapezuntem, Græcam vrbem peruenêre. Sinopenſium hæc colonia eſt, & in Colchorum terrâ iacet. Hîc per x x x dies ſubſtiterunt, eximio hoſpitalitatis cultu à ciuibus affecti, & ſacrum Herculi Iouique ſeruatori epulum, ludóſque Gymnicos peregerunt. huc Argo nauem, & cum ſociis Iaſonem appuliſſe fama eſt. Inde Cheiriſopho ſupremo exercitus Imperatori triremes aliáque nauigia Byzantio adducendi negocium datur. Anaxibio enim Byzantinorum nauarcho, amicitiâ iunctus ferebatur. is igitur celoci impoſitus abnauigat. Ipſi interea duobus à Trapezuntiis myoparonibus acceptis, finitimos circumquaque barbaros terrâ maríque excurſando infeſtabant. Ad x x x itaque dies Cheiriſophum præſtolantur. quo diutius remorante, & commeatu iam deficiente, tertiis inde caſtris Ceraſuntem deueniunt, quæ & ipſa Græcorum ciuitas eſt, à Sinopenſibus olim condita. Hîc poſtquam aliquot dies ſtatiua habuiſſent, ad Meſynoëcorum gentem delati ſunt. At cùm à Barbaris inter ſe conglobâtis, inuaderentur, pugnâ illos vincunt, magnóque numero cædunt: vbi verò ſuperſtites in oppidum confugerant, quòd ligneis turribus (quæ à ſeptenis promoueri poterant) munitū, inhabitabant, idipſum quoque continuis Græci oppugnationibus debellatum ceperunt. Locus iſte aliorum caſtellorum veluti caput, & primaria regionis arx, fuit: in cuius parte editiſſima rex aulam habebat. Patrius autem hic mos pro lege erat, vt per totam inibi vitam rex ſubſiſtens mandata populis inde diſtribueret. Nullam Græci magis barbaram ſe permeaſſe gentem memorabant. ſiquidem palàm in conſpectu omnium cum fœminis conſueſcant, & elixis nucibus diuitum natos ſaginent: dorſáque & præcordia maculis inuſtis variata habent. Hanc itaque regionem I I X caſtris Græci peragrarunt. Contiguam verò, quæ Tibaris dicitur, tribus.

XXXI. Inde ad Cotyora Græcam vrbem, Sinopæorum coloniam, progreſſi, quinquaginta dierum ſtatiua habuerunt, prædationibus finitimos Paphlagoniæ populos, alióſque barbaros incurſantes. Tum Heraclienſes & Synopæi nauigia illis

gia illis

gia illis subministrârunt, quibus tùm ipsi, tùm impedimenta traiecerunt. Synope verò à Milesiis quondam condita fuit; intra Paphlagoniæ fines sita; cuius præcipua istis in locis auctoritas. Inque ea Mithridates bello Romanorum insignis ætate nostrâ primariam habuit regni sedem. Hîc ad exercitum rediit Cheirisophus, qui triremium aduehendarum causâ, sed incassum, missus fuerat. Reliqui ergò Synopenses hospitali eos benignitate prolixè exceptos, per mare Heracleum vsque Megarensium coloniam deuehendos curârunt. Vniuersa inde classis ad Acherusiam peninsulam appulit, vbi Hercules, vt fabulantur, ab Orco Cerberum extraxit. Inde pedestri itinere Bithyniam petentes in pericula inciderunt, dum passim eius oræ accolæ proficiscentes lacessunt atque vellicant. Incolumes tamen sed difficulter Chrysopolim Chalcedoniæ vrbem peruenerunt, de millibus decem Iↄↄ cIↄ cIↄ & Iↄ ccc adhuc superstites. Hinc non iam difficili negotio quidam in patriam quisque suam redierunt. Reliqui ad Chersonesum agmine coniuncto, ad finitimam Thraciæ vrbem oppugnandam subsistunt. Hunc ergò finem Cyri aduersus fratrem Artaxerxem expeditio sortita est.

XXXII. Interea triginta Tyranni Atheniensis Reipublicæ dominium vsurpantes in dies singulos, quos exsilio, quos capitali supplicio multare non desistebant, quam rei iniquitatem dum molestè ferrent Thebani, & humaniter amicéque exsules hospitio excipiunt, fouentque, Thrasybulus, Tyriensis cognomento, sed ciuis Atheniensis, & triginta virûm metu fugere coactus, secreto Thebanorum auxilio, quendam Atticæ locum (quem Philam appellitant) occupat. Castellum hoc apprimè erat munitum, Athenis centum stadiis distans: vnde prolixa Atticam inuadendi occasio esset. Tyranni igitur simulatque factum illud resciuêre, copias suas velut obsidione castellum cincturi educunt. Sed quamprimùm castra admouerunt, ingens vis niuium ingruit. Dúmque nonnulli papiliones aliò transferunt, vulgus militum de fuga & vicina hostilis exercitus impressione, hoc interpretatur. hinc Panico (quem dicunt) pauore inter milites exorto, in alium castra locum transtulerunt. Triginta ergò viri, dum partem ciuium, cui nihil cum cIↄ cIↄ cIↄ virûm administratione commune propensos vident, castra in

Piræeum transponunt, & peregrinis armatorum copiis vrbem passim cohibent. Eleusinios interim & Salaminios de conspiratione cum exsulibus arcessitos capite multant. Quæ dum geruntur, magnus profugorum ad Thrasybuli castra fuit confluxus. quem triginta virorum legati etiam tunc conuenerant, colloquii de captiuis nonnullis prætextu, sed clam exhortandi illum consilio, vt præsenti exsulum turbâ exauctoratâ, æqua cum ipsis potestate in locum vtique Theramenis adoptatus Reipublicæ dominaretur, liberum tamen ipsi fore interim, decem, quos ipse deligeret exsules, in patriam reducere. Ad quod Thrasybulus respondit, sibi exsilium suum præstabilius esse dominio triginta virorum, nec belli se finem priùs facturum, quàm ciuibus vndequaque restitutis, populo Reipublicæ decus à maioribus traditum, in pristinum vindicetur. Dum Tyranni igitur vident, odio sui defectionem subinde maiorem fieri, turbamque exsulum augeri, legatos auxilii petendi causâ Spartam mittunt. ipsi copiis interim, quantas quidem contrahere poterant, eductis sub dio circa Acharnas (quos vocitant) castra metantur. Thrasybulus contrà medіocri intra castellum præsidio relicto, exsulum quoque agmen mille ducentorũ numero in hostem ducit, noctúq; castra ex improuiso adortus, complures obtruncat, & reliquos tumultu nec opinato perterrefactos, præcipiti in vrbem fugâ se referre cogit. Et statim post eius pugnæ successum, Piræeum aggressus, Munychiam, desertum quendam collem, sed munitum, occupat. Tyranni igitur copiis vniuersis in Pyræeum traductis, Prætore Critiâ, Munychiam oppugnant. Hîc diu acerrimè pugnatur. Nam Tyranni numero, exsules locorum firmitate præualebant. Occiso tandem Critiâ, triginta virûm acies perturbari, & ad planiora loca se recipere, exsulibus tamen ad illos descendere non ausis. Posthæc cùm crebrò ad exsules fierent transitiones, agmen Thrasybuli derepentè impetu in hostem facto, & prælio vincit, & Pyræeo potitur. Continuò ingens ex vrbe multitudo, quos iam pridem tyrannidis pertæsum fuerat, in Pyræeum confluit, omnésque per vrbes passim exsules, auditis Thrasybuli successibus in Pyræeum illi sese aggregant; vt deinceps exsulum copiæ numero longè superarent. Ad obsidendum itaque vrbem se se comparant. At oppidani xxx, magistratu

XXXIV.

abdicatos,

abdicatos, ex vrbe facessere iubent, decémq; viros Dictatoriâ cũ potestate rerum summę pręficiunt, si quàm amicissimis pactis bellum dirimere possint. Hi simulatque magistratum inierunt, abiectâ pacis integrandæ curâ pro Tyrannis sese gerunt, ac quadraginta naues, & mille armatos, quorum Lysander Dux erat, Lacedæmone accersunt. Tum Pausanias Lacedæmoniorum Rex, simul quòd Lysandro inuideret, simul etiam quòd Spartam malè apud Græcos audire intelligeret, cum magnis copiis Athenas profectus, oppidanos cum exsulibus reconciliat. Ita demum patriam Athenienses recuperârunt, & suis de hinc legibus Rempublicam administrare cœperunt. Nonnullis, qui verebantur, ne pœnas scelerum, iamdiu proteruè commissorum, luerent, Eleusinem transmigrandi potestas facta est.

XXV Hoc tempore Elienses, potentiâ Lacedæmoniorum territati, bellum cum Lacedæmoniis his pactis composuerunt; vt & triremes Lacedæmoniis traderent, & vicinas vrbes iure suo vti sinerent. Hinc Lacedæmonii cùm finitis bellis ocio iam abundarent, in Messenios arma expediunt. Pars horum quoddam Cephalleniæ castellum insederat. pars Naupactum, in Locrorum (quos Hesperios vocant) terra sitam, Atheniensium beneficio olim concessam, incolebat. ex vtroque igitur loco illos eiiciunt, & castellorum alterum Cephallensibus, alterum Locris restituunt. Infelices igitur Messenii, per vetustum illud Spartanorum odium, vndique expulsi, cum armis suis Græciâ excesserunt: quorum alii in Siciliam profecti, Dionysio ad stipendia faciendum sese obligant. alii Cyrenen deportati ad tria circiter millia, exsulibus illic se adiungunt. Nam Cyrenæos illâ tempestate seditio agitare cœperat: postquàm Aristo cum quibusdam aliis vrbem occupârat; à quibus quingenti ciuium omnium potentissimi subitò incursu trucidati fuerunt. de cæteris ornatissimus quisque profugit. Exsules itaque Cyrenæi, assumpta Messeniorum manu, in aciem contra vrbis occupatores descendunt. prælioque commisso vtrinque magna Cyrenensium strages editur, & Messenii propè omnes ibi cadunt. A pugnâ verò missis vltrò citróque legatis Cyrenæi rem componunt, & sub fide, per iuramentum datâ & acceptâ, iniuriarum memores se nunquam fore, communi deinceps iure ciuitatem administrârũt.

Circa hoc tempus coloni à Romanis * Ventras (vti vocant) missi sunt.

XXVI. Post anni verò exitum summus Athenis Prætor erat Laches. Romæ autem Consularis potestas iterum tribunis militarib⁹ traditur, qui sunt Marcus Æmilius, Appius Claudius, Marcus Quinctilius, Lucius Iulius, Marc⁹ Postumius, & Lucius Valerius. Celebrata tunc etiam fuit Olympias nonagesima quinta, qua stadio victor abiit Minos Atheniensis. Per idem tempus Artaxerxes rex Asiæ debellato Cyro, Pharnabazum, ad omnes oræ maritimæ satrapias, in fidem accipiendas, misit. Præfecti igitur & vrbes, qui Cyro adhæserant, in anxio pauore erant, ne pœnas luerent eorum, quæ in regem deliquissent. Cæteri itaque Satrapæ per legatos Tissaphernem demulcent, & pro sua quisque facultate gratiam sibi eius reconciliare student. at qui plurimùm inter eos poterat Tamos, Ioniæ præfectus, opes filiosque omnes, præter vnum nomine Gaum, qui regiarum postmodò copiarum Dux fuit, in triremes imponit, Tissaphernis metu in Ægyptum cum classe discessit, apud Psammitichum regem Ægypti, à veteris Psammitichi potestate oriundum, refugium sibi quærens. quem, quòd meritis sibi deuinctum haberet, veluti portum quendam contra ingruentium à rege periculorum tempestatem se habiturum sperabat. At Psammitichus tùm benefactorum necessitudinem, tùm ius supplicum pro nihilo habens, supplicem & amicum vnà cum liberis iugulauit, vt pecuniis & classe potiretur. Interea Græcæ per Asiam vrbes, descensu Tissaphernis cognito, de incolumitate sua anxiè Lacedæmonios per legatos suos rogant atque obsecrant, ne à Barbaris funditus euerti se patiantur. Hi promissis statim auxiliis per legationem à Tissapherne contendunt, ne hostica Græcis oppidis arma inferre velit. At ille Cumæorum vrbem cum exercitu primùm adortus, omnem circumquaque regionem vastat, magnoque captiuorum numero potitur. pòst, vrbem ipsam obsidione cingit; sed cùm propter hyemis interuentum capere illam nequiret, captiuis pro magnâ pecuniæ summâ redditis, ab obsidione discessit.

XXVII. Lacedæmonii igitur belli contra regem, summum Ducem creant Thimbronem, cui mille ciuium suorum adiungunt, & ex sociis delectum agere iubent, quantum sibi conducere existimaret.

Thimbro

Thimbro igitur Corinthum profectus, accitis hinc inde ſociorum auxiliis, Epheſum tranſmittit, non plures Iͻͻ ſociorum auxiliis, Epheſum tranſmittit, non plures Iͻͻ ſecum ducens. Ibi tùm ex vrbibus confœderatis, tùm aliunde, bis mille conſcriptis, ſigna inde promouit, ſub quibus haud multò plures Iͻͻ cIͻ cIͻ habebat. inde c x x ſtadia progreſſus, Magneſiam Tiſſaphernis ditioni ſubiectam, oprimo ſtatim impetu cepit. Mox etiam Tralleis Ioniæ oppidum adortus, oppugnationem eius inſtituit; verùm vbi nihil per loci firmitatem proficere licuit, Magneſiam retrò flexit. hæc nullo tum muro cincta fuit. idcircò veritus, ne denuò poſt diſceſſum ſuum Tiſſaphernes illam ſubigeret, ad proximum hanc montem, nomine Thoracem, transferebat. Hoſtium dehinc agros incurſans, variâ militem prædâ locupletauit. Verùm vbi magno cum equitatu Tiſſaphernem imminere accepit, non cunctandum ratus, Epheſum ſe recepit.

XXIII. Per idem tempus pars militum Cyri caſtra ſecutorum in Græciam, ad ſuam quisque patriam, redierunt. Alii, & pars quidem maxima, militari vitæ adſueti, ad Iͻͻ propè, Ducem ſibi creant Xenophontem. qui cum copiis illis expeditionem faciens, Thraces Salmideſſi accolas oppugnatum iuit. Sinus hic ad Ponti ſiniſtram per longum inde tractum naufragiorum crebritate infamis eſt. quo fit, vt Thraces inſeſſis hiſce locis mercatores forte eiectos, in captiuitatem abducere ſoleant. In horum itaque terram cum agmine ſuo Xenophon irrumpens, & ipſos prælio vicit, & pagos quàm plurimos incendit. Hinc à Thimbrone ſtipendiis promiſſis acciti, caſtris illius ſeſe aggregant, & Lacedæmoniis operam ad Perſas oppugnandos ſtrenuè nauant. Inter hæc geſta, Dionyſius in Siciliâ oppidum ſub Ætnæ collem exſtruxit, quod ab inſigni quodam fano Adranum vocauit. In Macedoniâ verò Archelaus rex, venationi indulgens à Cratero, quem in delitiis habebat, imprudenter ſauciatus, vitam cum morte commutauit, cùm annos ſeptem regnâſſet, cui puer adhuc Oreſtes ſucceſſit. Hoc necato, Æropus tutor eius per ſex annos regnum tenuit. Tum Athenis Socrates Philoſophus, ab Anyto & Melito læſæ pietatis in deos, & corruptæ iuuentutis arceſſitus, capite damnatur, & hauſtâ cicutâ periit. cuius iniquiſſimæ actionis populum ſtatim pœnituit; cùm tanti precii virum è medio ſublatum, fruſtrà deſideraret. Omnem

ergò iram in criminatores eius vertit, eisque ne dictâ quidem causâ, supplicium capitis irrogauit.

XXXIX. Exeunte anno, imperium Archontis suscepit Athenis Aristocrates; Romæ sex Tribuni militares consulari potestate iterum creati sunt, Caius Seruilius, Lucius Verginius, Quintus Sulpitius, Aulus Manlius Capitolinus, Quintus Seruilius & Marcus Sergius. His magistratum gerentibus, Lacedæmonii cùm praue res à Thimbrone administrari intelligerent, Dercyllidam Imperatorem in Asiam mittunt. hic copiis assumptis contra Troadis vrbes expeditionem mouit. Et primo statim aggressu Hamaxitum, Colonas & Arisbam cepit. pòst etiam Ilium, Cebreniam, & omnes reliquas in Troade vrbes, partim dolo occupauit, partim etiam vi subegit. post hæc induciis octo mensium cum Pharnabazo initis, Thraces interim Bithyniam incolentes bello infestauit, & regionem populatus, in hyberna exercitum reduxit. Tum Heracleæ quæ in Trachiniâ est, exortâ seditione, Lacedæmonii Eripidam res compositum mittunt. is illuc profectus populi conuentum agit, & circumdatâ armis concione, auctores comprehendit, omnesque ad quingentos circiter supplicio capitis multat. Cúmque Oëtæ quoq; accolę à fide discessissét, arma illis intulit, & multis affectos malis loca tandem ea relinquere coëgit. qui maximâ ex parte cum liberis & vxoribus in Thessaliam profugerunt, & post annos quinque in Bœotiam translati sunt. Inter hæc Thraces magnis cateruis in Chersonesum irruptionem fecerunt, & agris circumquaque peruastatis, munitas in eâ vrbes in potestate tenebant. Chersonesitæ igitur bello pressi, Dercyllidam Lacedæmonium ex Asia accersunt. qui copiis suis transportatis, Thraces è regione expellit, & muro ab vno mari ad alterum ducto, Chersonesum obfirmat. quo facto incursiones Thracum in reliquum exclusit. Tum magnificis honestatus muneribus in Asiam copias reduxit.

XL. Interea Pharnabazus, per induciarum tempus ad Regem adscendit, eíque cum cæteris persuadet, vt adornatâ classe, Cononem Atheniensem nauarchum ei præficiat. is enim rerum bellicarum, & maximè certaminum cum hostibus, per.tissimus erat. bellator autem hic inprimis strenuus, tum in Cypro apud Euagoram Regem agebat. Rege in

ge in eam sententiam adducto, quingentis acceptis talentis classem apparare maturat. Tum Cononem, post habitum de Præturâ nauali colloquium, imperio maris præficit, multa regis nomine præclara eidem pollicitus. Conon itaque, (quòd & patriæ se imperium Lacedæmoniis debellatis recuperaturum, & magnâ virtutis gloriam sibi ipsi comparaturum, speraret) conditionem gerendi magistratus accepit. Sed classe nondum satis instructâ & perfectâ, cum quadraginta, quas paratas tum habebat, nauibus in Ciliciam deuehitur, & ad bellum ibi gerendum sese accingit. Pharnabazus autem & Tissaphernes delectu ex prouinciis suis habito, copias educunt, & iter suum versus Ephesum instituunt, quòd exercitum ibi hostes congregatum haberent. Sequebantur autem illos ccIↃↃ ccIↃↃ pedites, & equites decies mille. Audito hostium aduentu Dercyllidas Lacedæmoniorum Imperator, agmen suum educit, non plures IↃↃ cIↃ cIↃ sub signis habens. Vbi proximè inter se stetêre acies, fœdus inter se pangunt, & certum definiunt tempus, quo Pharnabazus de fœderis conditionibus interim ad regem mittat, si arma poni velit, & Dercyllidas Spartanos his de rebus certiores reddat. Atque his tum pactis exercitus vltrò citróque discessêre.

XLI. Cæterùm Rhegini, à Chalcidensibus quondam deducti, incrementa Dionysii permolestè ferebant. Naxios enim & Catanæos iure cognationis se attingentes in seruitutem redegerat; & quia Rhegini in cõmuni cum oppressis periculo se versari cernebant, non mediocriter consternati erant, quòd omnes vtique metuerent, ne easdem subire calamitates cogerentur. Consultissimum ergò visum ipsis est, vt, priusquàm omninò vires suas confirmet ac stabiliat Tyrannus, maturè bellum ipsi facessant. Ad huius belli societatem etiam Syracusani à Dionysio in exsilium pulsi sese adiunxerunt, nõ minimâ rerum necessariarum ad expeditionem copiâ à Rheginis instructi. illo enim tempore ingens horum multitudo Rhegii se continebat. quos cùm crebris, ad iungenda secum arma, colloquiis Rhegini solicitatos de belli huius necessitate ac fructu edocuissent, Syracusani tandem omnes tempori parendum statuerunt. Postremò, Ducibus ad hoc creatis, cum IↃↃ cIↃ peditatu, & sexcentis equitibus ac tri-

remibus quinquaginta expeditionem faciunt, transmissoq; freto, Messeniorum Prætores ad commune bellum exhortantur, hoc potissimùm argumento: indignum fore, si vrbem Græcam sibi vicinam funditus à Tyranno exscindi patiantur. Duces igitur, à Rheginis persuasi, iniussu populi militem educunt. erant verò millia peditum I V, & equites CCCC, & XXX triremes. Cum his copiis posteaquàm ad Messanæ fines processerunt, grauis exercitum seditio incessit, Laomedontis Messenii oratione ad milites excitata. is enim consilium dabat, ne primi Dionysio, à quo nullâ iniuriâ lacessiti essent, bellum mouerent. Messeniorum igitur milites, quòd non populus hoc bellum scito suo approbatum indixisset, statim in sententiam eius concesserunt, relictisque ducibus domum remeârunt. Tum Rhegini, per se sustinendo bello impares, vbi Messeniorum copias dilapsas vident, etiam ipsi ad vrbem suam reuertuntur. Dionysius autem ad fines territorii Syracusani initio militem eduxerat, hostium impressionem excepturus. postea de regressu ipsorum edoctus, exercitum Syracusas abduxit. Hinc cùm Rhegini & Messenii de pace legationem ad ipsum mitterent, conducibile sibi existimans, si mutuæ inimicitiæ dissoluantur, pacem cùm vrbibus istis redintegrauit. Videns autem Græcorum nonnullos in Carthaginiensium ditionem excurrentes, & ius ciuitatum & rem familiarem adipisci: quamdiu pax cum Carthaginiensibus duraret, multos iam suo imperio subiectos, ad ipsorum clientelam confugituros; bello autem redintegrato omnes, seruitute Carthaginiensium pressos, ad se descituros, arbitratus est. Famâ etiam acceperat, magnas in Africâ strages Carthaginiensium à pestilenti contagio factas esse. Commodum ergò belli tēpus se adeptum ratus, necessaria ad expeditionem hanc ante omnia procuranda statuit, cùm facilè conijceret, quia cũ potentissimâ omnium (qui quidem in Europâ ditionis aliquid haberent) gente armis disceptaturus esset, bellũ hoc ingens diuturnúmq; fore. Confestim itaque artifices & fabros congregat, quorum alios ex oppidis suæ ditioni subiectis imperio cogit, alios ex Italiâ & Græciâ ampla mercede inuitat. Infinitam enim armorũ vim & tela omnis generis, naues prætere, triremes & quinqueremes (siquidē id nauigii penterici genus ad hæc tēpora in vsu nōdum fuerat) fabricari instituit.

XLII.

Magnâ

Magnâ igitur opificum multitudine congregatâ, pro cuiusque arte operas distribuit, harumque inspectionem clarissimis ciuium assignauit, magnis solertiam præmiis se compēsaturum pollicitus. Certam quoque armaturæ cuique formam præscripsit, quòd ex variis hinc inde gentibus conductitius miles ad ipsum confluxisset. Vsitatis enim patriisque singulos armis munire & exornare properabat; cùm exercitum hinc terribiliorem fore, & commilitones suos adsueto armorum genere quàm optimè dimicaturos esse, persuasum haberet. Adiuuabant interim Syracusii propenso Dionysii conatum studio. quo factum, vt magnâ contentione armorum fabricatio promoueretur. Non enim in vestibulis modò templorum, & posticis harum partibus; adeóque in gymnasiis & porticibus circa forum, omnis vbique locus operantibus refertus erat. sed præter loca publica, per conspicuas maximè ciuium ædes, magno passim numero arma cōficiebantur.

XLIII. Catapultaria ars equidem hoc tempore Syracusis primùm inuenta: nec mirum, cùm præstantissimi quique artifices vnum in locum vndique conuenissent. mercedis enim magnitudo, & præmiorum insuper largitio, palmam obtinentibus proposita, industriam studiáque mirificè incendebant. Et super hæc omnia Dionysius operas quotidiè circumlustrans obire, blandisque verbis compellare, & promptissimũ quemque honorario aliquo decorare, ad conuiuium etiam quandoque inuitare. Quapropter omni certatim studio artifices impenso, tela machinásque peregrinas, maximósque ad bellandum vsus præbituras, magno subinde numero elaborabant. Dionysius porrò triremes etiam & pentereis cum scaphis, primus structuram eiusmodi commentus, ædificare cœpit. nam cùm audiisset primam Corinthi triremem fuisse exstructam; in deducta illinc vrbe structuram nauium amplificandam esse, censuit. Materiæ igitur ex Italiâ transuehendæ copiâ sibi factâ, dimidium fabrorum ad Ætnæ montem dimisit, qui temporibus illis abietum picearúmque vim non exiguam habebat. reliquis in Italiam transfretare iussis, plaustra destinat, quibus ligna ad mare deferantur, nauigiáque & ministros, à quibus rates illæ quàm expeditissimè Syracusas transuehantur. Dionysius ergò cùm sat materiæ iam coactum haberet; vno statim tempore naues vltra ducentas compaginare, & residuas centum atque

decem reficere cœpit. Quin etiam domicilia ſubducēdis nauibus, in circuitu portus (qui nunc ita vocatur) CLX. exſtruxit, quarum pleræque binas naues exciperent. Veteres etiā ſarciendas tegendas CL numero curauit. Tanta naualium nauigiorumque vno loco ædificatorum copia magnū omnibus ſtuporem, mirificum illum apparatum contemplantibus, iniecit. nam ſi quis ad impendia nauium oculos adiiceret, vniuerſam hûc Siciliam vires contuliſſe putabat. ſi ad machinarum, armorumque architectos ſe conferret, hîc omnes miniſterii facultates inſumptas iudicabat. Quāquam verò tantum rebus hiſce ſtudium, tantum ſumptus impenderat, vt nihil ad magnificentiæ palmam eſſet reliquum: CCCIↃↃↃ tamen & CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ clypeorum millia, pugionumque & galearum tantundem, vt confieret inſuper curauit. thoraces etiam ſupra CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ, vario ſtructuræ genere, & inſigni artificio elaboratos dedit. hos equitibus & peditum Tribunis ac centurionibus, mercenariis præterea, corporis ſui cuſtodiæ adhibendis, deſtinârat. Catapultæ inſuper omnis generis, & ingens cæterorum telorum numerus, adornantur. Longarum tandem nauium dimidiæ parti magiſtros & proretas, remigesque ex ciuibus adhibuit. in cæteras peregrinos conduxit. Poſteaquàm ergò nauium armorumque confectionem abſoluit; ad contrahendas inde militum copias ſe totum conuertit. Non enim conſultum exiſtimauerat hos longo priùs tempore conduci, ne nimiâ ſumptuum mole grauaretur. Sub hoc tempus Aſtydamas, Tragœdiarum ſcriptor, primùm docere cœpit. Vixit autem ad annos LX. Tum Romani Veiorū obſidioni adhærentes, eruptione hoſtium factâ, partim cæſi, partim turpi fugâ dilapſi ſunt.

XLIV

XLV.

Poſt exitum eius anni, Archontis munere Athenis Ithycles, & Romæ ſex tribuni militares conſulari poteſtate fungebantur: quorum nomina, Lucius Iulius, Marcus Furius, Marcus Æmilius Mamercus, Cnæus Cornelius, Cæſo Fabius, & Lucius Valerius. Tum Dionyſius Syracuſanorum Tyrannus, poſteaquàm armorum fabricatura, nauiumque conſtructio ad finem iam erat perducta, militis (vt dictum eſt) conſcribendi rationem protenus iniuit. De Syracuſanis igitur idoneos maximè ordinibus allegit, & ex oppidis ſibi

addictis

addictis commodos sibi visos accersiuit. Conductitiam quoque manum è Græcia, & Lacedæmoniorum ditione potissimùm contraxit. A quibus enim potentia eius incrementa acceperat, ab iisdem etiam, quotquot vellet, militiæ suæ adscribendi, copia illi facta est. Postremò dum numerosum peregrini militis agmen congregare laborat, & larga idcircò stipendia offert, plurimos fidem suam obligantes accepit. Et quia bellum ingens excitare decreuerat, sparsis per insulã vrbibus perhumanum sese exhibebat, vt hac ratione ad beneuolentiam eas illectaret. Videns præterea Rheginos & Messenios freti accolas copiis non exiguis instructos esse, subuereri cœpit, ne quando Carthaginiensibus in Insulam reuersis sese accommodarent. vtriscunq; enim hæ ciuitates adhæsuri essent, non exiguum bello momentũ adiecturæ videbantur. quâ perplexus curâ Dionysius, prolixam tãdem finitimi agri partem Messeniis concedit, vt beneficio hoc illos sibi obnoxios reddat. Ad Rheginos etiam legatos mittit, petitum, vt affinitatẽ secum contrahant, & virginem aliquam ex oppidanis in matrimonii consuetudinem sibi elocent. ad cuius meriti gratiam se bonam contermini agri partem illis adiecturum, vrbisque opes pro viribus suis amplificaturum, recepit. Postquàm enim prior eius coniux, Hermocratis filia, in equitum illâ defectione, trucidata fuerat, ex aliâ sobolem quærebat, natorum erga populum beneuolentiâ dominatum se quàm firmissimè constabiliturum ratus. At verò de his conuocato Rhegii populo, multisque in vtramque partem disputatis, ita tandem fuit discessum, ne hæc affinitatis necessitudo ineatur. Dionysius igitur frustrà hanc viam ingressus, legatos, idem acturos negocium, ad Locrenses mittit. his coniugale hoc fœdus amplexis, Dionysius Doridem, Xeneti clarissimi per id tempus ciuis filiam, sibi desponsandam curat. paucisque ante nuptias diebus quinqueremem, recentis artificii opus, argenteis, aureisque instructam ornamentis, Locros misit, eaque virginem, Syracusas transuectam, in arcem suam recepit. Matrimonio etiam sibi iunxit nobilissimã ex ciuibus puellã Aristomacham, quã albis quadrigis domum suam deduxit.

XLVI. Cum geminas ergò eodẽ tẽpore nuptias celebraret, crebras militibus & plerisq; ciuitatib. epulas instituit. Tyrãnidis enim acerbitatẽ

iam depoſuerat, animóque ad æquitatem conuerſo, humanius benigniúsque ſubditos tractabat; ita vt ab adſuetâ cædium & proſcriptionum crudelitate ſibi temperaret. A nuptiis deinde paucis interiectis diebus, concionem aduocat, & populum Syracuſanum exhortatur, vt bellum Carthaginienſibus inferant. hos præ omnibus populis infenſiſſimos Græci nominis hoſtes eſſe, Siculíſque omnium maximè inſidias tendere perpetuò, declarans. Quòd verò nunc quieſcant, id propter luem contagioſam, inter eos graſſantem, quæ magnam Afrorum ſtragem ediderit, fieri demonſtrat. quamprimùm vires collegerint infeſtis armis Siciliam inuaſuros; cui ab antiquis inde temporibus auidiſſimè inhient. Satius ergò eſſe dixit, cum imbecillis nunc bellum gerere, quàm cũ confirmatis in poſterum decertare. Hoc inſuper adſtruebat, periniquum fore, ſi Græcas ciuitates à Barbaris ſeruitute premi ſinerent; quas certum ſit, tantò promtiùs commune periculum ſubituras, quantò maiore libertatis ſtudio & cupiditate teneantur. Cùm igitur prolixâ argumentum hoc diſputatione tractâſſet, aſſenſionem à Syracuſanis facilè impetrauit, cùm non minus quàm Dionyſius belli huius cupidi eſſent. Nam quod primum erat, odio Carthaginienſes habebant; per quos Tyranni iuſſis parêre coacti eſſent. tum hoſtium metu & inſidiarum à ſeruitute oppreſſis exſpectatione mitiorem ſibi Dionyſium fore ſperabant. & quod omnium erat potiſſimum, ſe bello ſuperiores, modò Fortuna occaſionem daret, priſtinam libertatem recuperaturos, confidebant. Dimiſſâ concione, plebi Syracuſanæ Punicas diripiendi opes facultatem concedit. Carthaginienſes enim haud pauci Syracuſanorum inquilini erant, magnis opibus ditati. multi etiam mercatores plenas mercium naues tùm in portu continebant. horum igitur omnium bona ſtatim inuolant Syracuſani. Ita cæteri quoque Siculi Pœnos ſecum habitantes eiiciunt, fortunáſque illorum agunt, ferúntque. nam licèt extremo Dionyſii violentum dominatum odio proſequerentur, bello tamen aduerſus Carthaginiẽſes ſuam adiungere operam, ob inſignem hominum crudelitatem, voluptati illis erat. Idcircò qui Græcas ſub ditione Carthaginienſium vrbes incolebant, cùm apertum iam à Dionyſio bellum geri cernerẽt, ſuum & ipſi odium in Pœnos exſeruerunt. Nõ enim bona tantùm prædam ſibi fecerunt, ſed ipſos

XL VII.

præterea

præterea comprehendunt, & omne contumeliæ & sæuitiæ genus in corpora miserorum designant, memores illorum, quæ in excidiis vrbium suarum olim passi fuerant ipsi. Ad eamque vltionis de Pœnis exigendæ asperitatem tunc & deinceps processum fuit, vt hoc talionis exemplo Carthaginienses admoniti, non ampliùs in subactos tàm atrociter sæuire discerent. Non enim ignari esse poterant, ipso rerum vsu edocti, quòd in communi belligerantium fortunâ, alterutri parti idem, si succumbat tolerandum sit, quod ipsa in deuictos antea perpetrauit. Hinc Dionysius vbi cuncta ad bellum necessaria præparasset, nunciis Carthaginem mittendis animum intendit, qui bellum ipsis à populo Syracusano indictum denunciarent, ni subactas à se Græci nominis vrbes libertati pristinæ restituant. Dionysii itaque studium circa hæc erat. Cum hoc anno Ctesias historiam suam Persicam concludit, à Nino & Semiramide vsque deductam. Et hoc sane tempore nobilissimi Dithyramborum artifices, vt Philoxenus, Cythereus, Timotheus Philesius, Telestes Selinũtius, & Polyeidus, pictoriæ Musicésque simul peritiâ excellens, viguerunt.

XLVIII Hoc igitur anno ad finem delapso, Arches magistratum Athenis iniit Lysiades. Consulare autem imperium Romæ capessunt Tribuni militares sex, Publius Mælius, Spurius Mænius, Lucius Furius, & alii tres. Tum Dionysius Syracusanus Tyrannus, iam omnibus ad bellum necessariis, pro voluntate suâ, instructus, præconem cum epistolâ Carthaginem ad Senatum mittit, quâ scriptum erat, Syracusiorum populo decretum esse bellum Carthaginiensibus, nisi Græcis in Siciliâ vrbibus excesserint, inferre. Hic prout iussus erat, in Africam traiiciens, literas Senatui reddit, quibus primùm in curiâ, deinde ad populum recitatis, nõ mediocris Carthaginenses anxietas, imminentis belli metu, inuadit. Infinitam enim multitudinem pestis exstinxerat, & rerum omnium apparatu destituebantur. Syracusanorum tamen interim cœpta, quorsùm erumperent, exspectare, & nonnullos è Senatu, ad contrahendum ex Europâ militem, dimittere. Dionysius ergò cum Syracusanorum delectu, conductitiorúmque manu, & sociorum auxiliis Syracusis egressus, versus Erycem iter intendit. non procul enim ab hoc colle sita erat vrbs Motya, colonia Carthaignensium, quæ præcipuam tunc belli arcem ad inuadendum Siciliam præ-

bebat hac occupatâ, non exiguis se commoditatibus hostes antecessurum sperabant. Per totum itaque iter Græcarum sibi vrbium auxilia passim adiungit, multitudinem ad arma concitans. Omnes enim promptè ad expeditionem illam sese aggregabant, tùm quòd Punicæ dominationis iugum nimis graue detestarentur, tùm quòd recuperandæ tandem libertatis amore stimularentur. Primos igitur Camarinæos adsumit, & post hos Geloos & Acragantinos. Himeræos etiam, alteram Siciliæ partem incolentes, accersit: inque transitu Selinuntiis ad belli societatem adductis, omnes tandem copias Motyæ admouet. Sub vexillis autem habebat peditum millia LXXX, equitum verò supra CIↃ CIↃ CIↃ. Naues præterea longas expediuerat haud multò pauciores CC. has sequebantur onerariæ, machinis plurimis & omni commeatus genere refertæ, non infra IↃ. Tam insignem apparatum dum vident Erycini, tùm copiarum numero territati, tùm odio Carthaginensium impulsi, in Dionysii partes concedunt. At Motyæ incolas, quòd subsidia Carthaginensium exspectarent, ingens Dionysii exercitus non perterruit, sed ad tolerandam obsidionem se parârunt. Non enim latere ipsos poterat Syracusani populi consilium, quòd Motyam propter summam erga Carthaginenses fidem omnium primam aggressuri essent. Iacet autem hæc vrbs in quadam insulâ, sex stadiis ab orâ Siciliæ distans, & multitudine domiciliorum, elegantiâque præclarè instructa, quòd habitatores eius opibus abundarent. angustamque habet viam manu factam, quæ ad littus Siciliæ perducit. eam tunc Motyani diruunt, ne hosti per illam accessus præbeatur. Dionysius inde cum architectis situm vrbis contemplatus, aggeres ad illam ducere cœpit, longisque nauibus in ipsò portus aditu subductis, onerarias in littore ancoris firmat. Pòst Leptini classis prætori curam obsidionis demandat. ipse verò cum pedestri agmine socias Carthaginensium vrbes inuadit. Et Sicani statim vniuersi, magnitudine copiarum territati, Syracusiis adhæserunt, ex reliquis autem oppidis tantùm quinque in fide Carthaginiensium perstiterunt, quæ sunt, Ancyræ, Solas, Ægesta, Panormus, Entella. Seluntinorum igitur Panormitarumq; & Ancyræorum terras diripit, excidióque arborum multat.

XLIX.

At Ægestanorum vrbem Entellanorumque cum exercitu circumsessas, assiduis conatibus oppugnat, summâ vi subigere illos properans. Res itaq; Dionysii hoc se modo habebât.

L. Imilco interea Carthaginiensium Prætor, cùm ipse contrahendis hinc inde copiis, cæterisque parandis intentus esset, Nauarchum cum decem triremium classe dimittit, iubens, vt clam noctu soluens, citissimo cursu rectà versus Syracusas tendat, & noctu portum ingressus, relictas ibi naues corrumpat. Id hoc consilio moliebatur, vt hostium vires distraheret, & Dionysius partem nauium ad tuendas Syracusas dimittere cogeretur. Nauarchus ille sine morâ iussa peragit, noctuque in portum Syracusanum inuectus, insciisque omnibus, ex improuiso naues, quotquot in portu offendit, rostris impetit, & dissolutis fermè cunctis, iter Carthaginem reflectit. At Dionysius peruastatis agris omnibus, qui sub ditione Carthaginiensium erant, & hostibus intra mœnia conclusis, ad Motyam vniuersas copias reducit. vrbe hac expugnatâ, reliquas statim deditionem facturas, arbitratus. Repentè igitur cum maiore hominũ numero operi incumbens, intermedium traiectus spacium aggeribus complet, & machinas, pro ratione crescentis aggeris, subinde propius admouet.

LI. Sub id verò tempus Imilco Carthaginensium Imperator, exploratâ nauium Dionysianarum subductione, extemplò triremium suarum ad centum longè præstantissimas compleuit, futurum arbitratus, vt improuiso incursu nauibus in portu subductis facilè potiretur, cùm mare suâ in potestate habeat, & si hoc successerit, obsidionem Motyæ soluat, bellumque Syracusas transferatur. Cum centũ itaque nauibus egressus, oræ Selinusiorũ noctu appulit, & circumnauigato Lilybæi promontorio, sub ortum diei ad Motyam accessit. Et hostibus tale nihil exspectantibus superueniens, nauium alias confregit, alias incendit, cùm nullum à Dionysio tum auxilium ferri posset. Hinc portum ingressus naues sic instruxit, ac si nauigia subducta inuasurus esset. Dionysius igitur copias suas ad fauces portus confertim ire iubet. At videns exitum illum ab hostibus iam insessum, nauigia in portum deducere non audet: cùm non obscurum esset, propter ostii illius angustiam paucis triremibus cum multò pluribus dimicandum esse. Et quia numero militum abundabat, facilè nauigia per ter-

ram protracta in remotius à portu inde mare, conseruauit. Interim Imilco stantes in principiis triremes adortus, iaculorum multitudine repellitur. in nauibus enim sagittarii funditorésque constiterant. à terrâ verò Syracusani catapultis, (quarum præacutæ erant cuspides) rem gerentes, plurimos ex hostili turbâ perimebant. Enimuerò hoc teli genus magnum hosti terrorem incutiebat, quòd illo primùm tempore excogitatum esset. Pœnus igitur, cùm quod instituerat, exequi non posset, in Africam recessit, non consultum esse ratus, si cum duplo maiore hostium classe, naualis prælii fortunam tentaret. Dionysius verò, cùm operantiũ multitudine aggerem perfecisset, omnis generis machinas ad muros tandem adegit; arietibus turres verberans, & de propugnaculis resistentes oppidanos catapultis arcens. Turres etiam, rotis incumbentes, quæ à senis promouerentur, ad mœnia adduxit, harúmque altitudo domus exæquabat. At ciues Motyani, quamuis cominus iam periculum subeundũ esset, & omni sociorum auxilio tum destituerentur, non tamen tantis Dionysii viribus consternari se patiuntur; sed oppugnantes gloriæ studio vincere connixi, principio milites lor catos super malos antennis erectis collocant; qui stuppas pice illitas, facésque ardentes ex editis locis in machinas hostium demittunt. Materie igitur celeriter à flammis correptâ, Siculi repentè ad opem ferendam accurrunt, restinctóque incendio, frequenti arietum concursu haud exiguam mœnium partem euertunt. Quò cùm magnus vtrinque cõcursus fieret, validum insurgit certamen. nam Siculi vrbe se iam potitos arbitrati, quiduis tolerare, quò vindictam ob illatas sibi iniurias à Pœnis exigerent. contrà oppidani, positis sibi ob oculos captiuitatis malis, quòd nihil vel terrâ vel mari effugium sibi dari cernerent, fortiter occumbere. desperatâque tandem murorum defensione angiportubus obstructis, extremas sub mœnibus ædes, veluti murum, operosiùs exstructum, occupant. vnde in longè maiorem Dionysianus miles difficultatem coniicitur. Cùm enim confertim intrà mœnia illapsi, iam oppidum à se captum existimarent, desuper ab his, qui ex editis domiciliorum tectis pugnabant, vulneribus pessimè excipiuntur. Ad primas tamen domos, ligneis turribus admotis, scalas ad transcensum illicò paratas habent. & quia tecta domorum fabricæ turrium exæquabant,

LII.

bant, cominus deinceps pugnatur. nam per traiectas in tecta domorum scalas, magnâ Siciliotæ vi sese ingerunt. LIII. Tũ Motyani, considerata periculi magnitudine, vxoribusque & liberis ante oculos obuersantibus, dum horum saluti timẽt, summâ certamen alacritate ineunt. nam alii, quia parentes adsunt, summis precibus obtestantes, ne hostium ludibrio se tradi permittant, excitatis ad pugnam animis, sine vllo vitæ tuendæ respectu, in confertos hostes ruunt: Alii, quòd coniugum, infantiumque ploratum audirent, priùs fortiter occumbere festinant, quàm carissimorum pignorum captiuitatem intueantur. nullus enim ex vrbe fugæ locus erat, quippe quæ maris fluctibus & hoste imperium maris obtinente, vndique cingeretur. perculerat Pœnos maximè, & desperandæ salutis causa, crudelitas Græcorum, quam in captiuos enormiter exercuerant, eademq; sibi experiunda, præsciebãt. nihil aliud ergò reliquum erat, quàm vt strenuè pugnando aut vincerent, aut caderent. Hæc pertinacia cùm obsessorum animos incessisset, magna Siculis difficultas ingruit. nam de tabulatis vtcunque applicatis dimicantes, graui cum damno repelluntur, propterea quòd & loci angustiâ premerentur, & cum desperatæ temeritatis hoste, vitæque suæ prodigo, certamen gereretur. Consertis ergò manibus alii dandis accipiendisque vulneribus cadebant. alii à Motyensibus repulsi, & ex asseribus præcipites acti, fœdè interibant. Deniq; cùm per integros ita dies oppugnatio continuaretur, ad vesperam milites Dionysius subinde per tubicines receptui canentes à pugnâ reuocatos, oppugnationem intermittere iubet. Motyæis itaq; ad hanc conflictus rationem adsuefactis, cùm tãdem vtraq; se pars recepisset, Archylum ipse Thurium cum selectissimis cohortibus dimittit. is nocte intẽpestâ ædificiis iã laceratis scalas adiicit, per quas cum suis euectus, occupato quodã loco idoneo, mox reliquos à Dionysio submissos accipit. Id quãprimùm Motyani persentiscunt, omni mox studio ad propulsandũ accurrunt, occasione quidem tardiùs, sed tamen animis ad quoduis subeundũ periculũ nõ deminutis. Atrox inde pugna cõseritur. multisq; subinde illuc enixis, vix LIV. tandẽ repugnantẽ Siculi hostẽ loco pellunt. Confestim vniuersus quoq; exercitus Dionysii, per aggerem traductus in vrbem (iam captam) irrumpit, omnisq; adeò locus occisorũ cadaueribus repletur. nã Siculi Pœnorũ crudelitatẽ quàm

crudelissimè vlcisci cupientes, obuios quosq; promiscuè trucidare, nullius pueri, nullius fœminæ, nullius senis, habita ratione. At Dionysius oppidanorum turbam venumdare cupiens, vt pecunias contraheret, à cæde captiuorum militem cohibere instituit. verùm vbi neminem iussis obtemperare, sed effræni Siculos impetu ferri, videt, præcones illicò dimittit, qui sublatâ Motyæis voce denunciēt, vt ad religiosa Græcorum fana confugiant. quo facto, militum vulgus à cæde quidem cessauit, sed omnis ad bona diripienda impetus cōuersus est. Tum magna vis argenti, nec minima auri, ingensque preciosæ vestis, & multifariæ opulentiæ copia distrahebatur. Vrbis enimuerò expilationem Dionysius militi concessit, vt ad ingruitura dehinc pericula promtum, alacremque redderet. Quo negocio defunctus Archylum, qui princeps murum conscenderat, coronæ muralis loco cētum minis remuneratur; & cæterorum vnumquemque, pro virtutis suæ merito, honorat. Motyenorum verò, quicquid cædi superfuerat, sub hastâ vendit. At Daimenem & nonnullos Græcorum alios, qui socia Carthaginiensibus arma iunxerant, viuos sibi traditos, in crucem agit. Hinc præsidio ad vrbis custodiam relicto, Bitonem Syracusanum præficit: eius maior pars ex Siculis erat. Tum Leptinem classis Imperatorem cum nauibus c x x, Carthaginienses si quando traiicerent, obseruare iubet: eidem quoque in mandatis relinquit, vt Ægestam, Entellamque, vt iampridem instituerat, incursationibus vexet. Ipse verò exeunte iam æstate, cum exercitu Syracusas regreditur. Tum Sophocles, Sophoclis filius, Athenis Tragœdiā docendi initium fecit: patinasque x I I reportauit.

Hoc anno ad finem delapso, summum Athenis magistratum adiit Phormio, Romæ Tribuni militares consulari potestate creati sunt Cnæus Genucius, Lucius Atilius, Marcus Pomponius, Caius Duilius, Marcus Veturius, & Volero Publilius. Tum Olympias x c v I agebatur, quâ victor exstitit Eupolis Eliensis. Horum magistratus tēpore, Dionysius Syracusanorum dominus, educto Syracusis exercitu Carthaginiensium territoria inuasit. Dumq; agros populatur, Halicyæi metu perculsi, missis in castra legatis, societatē cum eo iunxerunt. Sed Ægestani obsidentium munitiones ex improuiso adorti, igne tabernaculis iniecto, magnum per

L V.

castra pauorem & tumultum excitant. cúmque grassante ad longius vsq; spacium flamma, incendium reprimi tàm facilè nequiret, euenit, vt pauci quidem ex militibus ad restinguendum properantibus, interirent, equorum verò plurimi, vnà cum tentoriis, cremarentur. Dionysius tamen nemine obsistente, agros hostili populatione vexat. Interim Leptines classis præfectus ad Motyam subsistens, ad hostium adnauigationem intentus est. Interea Carthaginienses de virium Dionysii amplitudine certiores facti, rerum bellicarum apparatu longè superare ipsum decreuerunt. quamobrē Imilconem, pro legum suarum placitis, Regem sibi creant, & tū ex vniuersâ Africâ, tum etiam ex Hispaniâ militum copias conscribunt, quarum partem à confœderatis euocant, partem ære suo conducunt, tandemq; peditum vltra CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ & CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ equitum cogunt; curribus hinc exceptis, qui CCCC numerum explebāt. his accesserunt longæ naues CCCC, quæque frumenta, machinasque & reliquam ministerii copiam adueherent, non infra IↃC. vt quidem ab Ephoro recensetur. Timæus enim transportatas è Libyâ in Siciliam copias centum millia non excessisse, quibus CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ è Siculorum delectu accesserint, adfirmat.

LVI. Imilco autem gubernatorum vnicuique obsignatas tradidit literas, quas ne priùs resignarent, quàm è portu exissent, ac tum demum mandata capesserent, edixit. Id propterea commentus fuit, ne cuiquam ex speculatoribus aliquid certi de traiectu ad Dionysiū perferendi facultas esset. Scriptum verò fuerat, vt Panormum versus recto cursu tenderent. Secundo igitur vento omnes inde soluunt. Et tum onerariæ directè per altum vela faciunt. at triremes Africæ littora præternauigantes legunt. Posteaquàm igitur vehementiore concitatæ flatu, iam in conspectum Siciliæ naues onustæ venissent, Leptinem Dionysius cum XXX triremibus in eas misit, iubens, vt quotquot assequeretur, rostris incursans pessum daret. Is haud cunctanter in altum subuectus prælio cum primis conserto quasdam cum ipsis hominibus depressit. Reliquæ, licèt oneribus satis grauatæ, felici tamen adiutæ vento, non difficulter euaserunt. Sed tamen quinquaginta circiter, quibus militum IↃↃ & CC currus aduehebantur, submersæ perierunt. Imilco interim ad Panormum traiecit:

expositisque copiis, in hostem contendit, & iussis præternauigare triremibus, ipse in transitu Erycē proditione cepit: & mox ad Motyam castra mouit. Et quia per id tempus circa Ægestam cum exercitu Dionysius hærebat; Imilco vi Motyam expugnat. Tametsi verò Siculi ad confligendum cùm hoste promtos sese exhibebant; Dionysius tamen, quòd procul ab vrbibus confœderatis aberat, & commeatus iam defecerat, bellum in alium transferre locum, præstabilius duxit. Cùm igitur copias abducere constituisset, Sicanos hortari cœpit, vt pro necessitate tum incumbente, relictis vrbibus militiæ se huic adiungerent. pro quo meliorem illis agrum, pristino tamen non minorem se daturum, pacatóque bello, qui vellēt, in patriam reducturum, promisit. Pauci igitur ex Sicanis, metu perculsi, ne fortè, si conditiones oblatas repudiâssent, à militum turbâ diriperentur, postulatis Dionysii assentiuntur. Reliqui mox inde abscedunt. Tunc etiam Halicyæi deficiunt, missisque in Carthaginiensium castra legatis, societatis fœdus cum ipsis renouant. Dionysius itaque Syracusas raptim contendit, peruastatis vbiq; agris, quâ ducebat. At Imilco, dum res ex animi sententiâ procedere videt, instructo exercitu, contra Messanam castra mouet, ob locorum opportunitatem, subigendæ eius inprimis cupidus. nam portus ibi percommodus erat ad totam excipiendum classem, quæ plus quàm I Ↄ C nauibus constabat. Tum si fretum suæ potestati vendicâsset, auxiliis ex Italia traiectionem se præclusurum, & ex Peloponneso classes transitu prohibiturum sperabat. Hæc animo versans cum Himeræis & Cephalœdium habitantibus castellum, amicitiam init, & Liparâ vrbe potitus, triginta talentûm multam insulæ imponit. Tum vniuerso cum exercitu Messanam pet t, classe iuxtâ nauigante, breuique ingens emensus iter, ad Peloridem castra metatur, ita vt inter ipsum & Messanam centum stadia tantùm interessent. Oppidi verò incolæ aduentu hostium explorato, non eadem inter se de bello sentiebant. nonnulli enim cùm audirent, quanta vis esset exercitus hostilis, seque ab auxiliis sociorum desertos, suorum præterea equitum (quos Syracusas miserant) præsidio destitutos cernerent, vrbem defendi posse diffidebant. desperationem verò plurimùm augebat, quòd mœnia procubuerant, nec ad necessariorum præparationem præsens tempus ocium con-

LVII.

cedebat.

cedebat. quocirca liberos, vxoresque & res peculii sui pre-
ciosissimas, in vicinas vrbes transportârunt. Alii verò vete-
ris oraculi memores, quo prædictum erat, fore vt Carthagi-
nienses in vrbe illâ aquam gestarent, ex vulgari fama, pro-
ut sibi commodum esset, illud interpretabantur, quasi serui-
tutem Messanæ serituri Carthaginenses essent. Hinc ma-
gnam animis fiduciam conceperunt, magnam quoque in a-
liis, ad pericula pro communi libertate fortiter subeunda,
promtitudinem excitabant. Confestim itaque delectu iu-
uentutis habito, fortissimos quosque ad Peloridem mittunt,
qui ab eruptione in agros hostem prohiberent. His

VIII.

mandata exsequentibus, Imilco Messanios ad descensum
impediendum effusos cernens, CC ad vrbem naues tendere
iubet. existimabat enim (quòd coniectatu facile erat) inter-
ea, dum præsidium Messaniorum exscensui sese opponit clas-
siar is, vrbem defensoribus vacuam haud magno negocio
occupaturos. Boreas tum puppibus incubuerat. quâ com-
moditate factum, vt naues plenis in portum velis deferren-
tur, præsidiumque ad Peloridem missum, quamuis subito
itinere properaret, ab hostili tamen classe præuerteretur.
Carthaginienses itaque circumfuso vndique exercitu, cùm
per deiecta mœnia vi sibi transitum fecissent, Messanâ poti-
untur. Messanii autem, quotquot pugnam cum hoste con-
seruerant, generosam mortem oppetunt. alii ad proximas
vrbes confugiunt. magna pars vulgi per adiacentes vrbi mõ-
tes euadens, in castella regionis passim dispergitur. reliquo-
rum nonnulli ab hostibus intercipiuntur. nonnulli in angu-
stias circa portum conclusi, in mare se præcipites demittunt:
quòd maris in medio tractum natando superare se posse cõ-
fiderent: plures autem quam ducenti erant, quorum maior
pars fluctibus hausta periit, vt vix quinquaginta ad Italiæ
littus viui peruenirent. Tum Imilco cum toto exercitu Mes-
sanam ingressus, primùm castella, quæ per vrbem erant, op-
pugnare instituit. sed quia probè munita erant, & strenuè de-
fendebantur ab his qui in ea confugerant; expugnari tum
illa non posse videns, in vrbem se recepit. Hinc refectis, as-
sumtisque denuò copiis, Syracusas versus expeditionem in-
stituit. Cæterùm Siculi, Dionysium iam pridem exo-

LIX.

si, & tum commodam occasionem nacti, ad Carthaginiẽses
exceptis Assarinis, desciuerunt omnes. Dionysius igitur in

vrbe Syracusiorum seruis ad pileum vocatis, LX naues compleuit. à Lacedæmoniis etiam plus quam cIↃ mercenarios acciuit, & castella per agrum obiens, importato frumento, muniuit. Summo in primis opere studioque Leontinorum arces firmauit, frugesq; ex circumiacentibus agris illuc congessit, Campanis etiam, qui Catanam eo tempore incolebant, persuasit, vt in vrbem, quæ Ætna iam vocatur, propter eximiam loci firmitatem, commigrarent. Post hæc, ad CLX. stadia cũ exercitu à Syracusanis progressus, iuxta Taurũ, vti vocatur, castra posuit. Sub signis tũ ccIↃↃ ccIↃↃ ccIↃↃ peditum, & aliquantò plus cIↃ cIↃ cIↃ equitum habebat. naues præterea CXXC, inter quas paucæ triremes erãt. Imilco interim, dirutis Messanæ mœnibus, militibus edicit, vt ædificia solo æquent, ita vt nec tegula, nec lignum, nec aliud quicquam maneat reliquum: Sed alia comburant, alia confringant. Nec mora, sed statim per illam hominum multitudinem opus ad exitum perducitur; eaque vastitas vrbis facta est, vt quam pridem incolis frequentata fuerit, agnosci haud posset. Cùm enim videret locum hinc à sociis quidẽ vrbibus procul remotum, sed omnium per Siciliam commodissimũ esse, alterum ex his duobus eligendum sibi arbitratus fuerat, vt vel ita desolaret, ne vnquam habitari posset, vel ita saltem afficeret, vt difficilis ac sera nimis eius instauratio foret.

LX. Hoc Messaniorum excidio cùm satis declarasset, quanto Græcorum odio flagraret, Magonem Nauarchum cum instructa classe dimittit, collem, qui Tauri appellationem habet, præternauigare iubens. Occuparant hunc Siculi magno quidem numero, sed absque certo duce. His pridem Naxiorum terram Dionysius concesserat: sed tunc Imilconis adducti promissis, collem hunc insederant. quem quòd naturâ munitus esset, non modò tunc, sed etiam post bellum, muro circumdatum inhabitàrunt, vrbemque à mansione circa Taurum, Tauromenium nuncupàrunt. Assumtis ergò copiis pedestribus Imilco, festinatis itineribus ad iam memoratum Naxiæ locum, Magone iuxta oram legente, peruenit. Sed quia nuper ignem ad maritimam vsq; oram eructauerat Ætna, terrestris exercitus non ampliùs ita duci poterat, vt nauticum ad littus comitantem haberet. maritimis enim tractibus flammantis Ætnæ ceu profluuio quodam exustis corruptisque, necessitas pedestre agmen mon-

tem

rem circuire cogebat. Magonem igitur iubet, vt Catanam versus nauiget, interim per mediterranea raptim ducens ipse cum classe iuxta Catanæorum littus coniungere sese illi properat. Metus enim suberat, ne copiis à se longiùs diuulsis, Siculi nauali Magonem prælio adorirentur. id quod etiam euenit. Dionysius namque exploratum habens tardiusculam Magoni nauigationem, longumq; & operosum pedestribus iter esse, præproperè ad Catanam contendit, vt priusquàm Imilconis miles accederet, ipse cū Magone prælium nauale iniret. pedestre enim agmen littori obtensum, fiduciam suis adiecturum, & maiorem hostibus metum incussurum. & quod summum erat, si quid aduersi contingeret, naues afflictas tutum ad pedestres refugium habituras, sperabat. His ita prouisis, Leptinem cum totâ classe in hostem mittit, iubens vt constipato nauium agmine cum hoste prælium committat, nec vspiam ordines laxet, ne per tantam hostium multitudinem in graue aliquod periculum deducantur. erant enim in classe Magonis cum onerariis, aliisque remigio instructis & rostratis naues IↃ haud pauciores.

XI. Carthaginienses igitur simulatque littus totum nauigiis subitò repletum, classemque Græcorum in se directam vident, non parum angi, prorasq; terræ obuertere cœperunt. mox vbi considerant, extremum sibi periculum subeundum esse, si classe pariter & pedestri exercitu confligant, mutato consilio, pugnæ naualis fortunam tentare constituunt, nauibusque in aciei seriem dispositis, aduentum hostis præstolātur. Tum Leptines cum XXX nauibus longè optimis ante cæteros excurrens, certamen non instrenuum quidem, sed inconsultum exorditur, & statim incursu in primum agmen facto, initio non paucas aduersæ partis triremes demergit: verùm vbi conferta Magonis acies XXX illis nauibus circumfunditur, virtute quidem Leptiniani, copiâ verò Carthaginienses superant. Acri propterea certamine exorto, cùm gubernatores ex propinquo naues inter se committerent, pugna illa non aliam habebat speciem, quàm si terrestri prælio acies inter se dimicarent. non enim ex interuallo hostium nauigia rostris impetere licebat; sed frontibus consertis cominus res gerebatur. Nonnulli dum in proras aduersas saltu se transmittere contendunt, in mare deuoluuntur. alii voti compotes, in mediis hostium carinis

pugnam miſcent. Tandem Leptines, multitudinis tantæ vim ſufferre haud ampliùs valens, in altum ſe fugâ recipere cogitur. reliquæ deinde naues, diſſipatis ordinibus in hoſtem inuectæ, à Carthaginienſibus facilè ſubiguntur. Nauarchi ſiquidem profligati abitus in Pœnis confidentiã auxit, Siculis contrà pauorem non exiguum iniecit. Pugnâ hunc finem ſortita, Carthaginienſes hoſtem fugientem cõtentiùs inſectati, amplius centum naues corrumpunt: actuariis autẽ nauibus per littus diſpoſitis, nautas, ad terreſtrẽ exercitũ enatantes, trucidant. Quòd igitur multi non procul à terrâ perirent (nã Dionyſiani ſuppetias illis ferre nõ poterãt) totus iſte locus cadaueribus & naufragiorum truncamentis oppletus erat. Occubuerunt hoc in prælio Carthaginienſiũ non pauci. A Siculorum parte naues ſupra centum, partim obtritæ, partim captæ ſunt: & virorum plus quàm cclↃↃ cclↃↃ interierunt. Poſt huius pugnæ exitum Pœni ad Catanam naues ſiſtunt, quò captas etiam naues pertraxerant, ſubductasq; reficiunt: vt hoc pacto Carthaginienſibus non modò audiendã, ſed etiam contẽplandam victoriæ magnitudinem exhiberent. Porrò cùm Sicelio tæ iter, quod Syracuſas verſus inſtituerant, in permoleſtam ſibi difficilemque exiturum obſidionem arbitrarentur, Dionyſium hortantur, vt Imilconi ſtatim occurrat: repentino enim aduentu Barbaros perterrefacturum, & cladem recèns acceptam reſarturum eſſe. Iamque Dionyſius cõſiliis eorum ſeſe attemperans, in hoſtem ducere paratus erat: cùm nonnulli ex amicis illum admonent, periculum eſſe, ne, ſi Mago cum totâ claſſe Syracuſas inuadat, vrbem ipſe amittat. Mox igitur à propoſito illo deſtitit, cum eodem modo etiam Meſſanam à Barbaris oppreſſam ſciret. quam ob cauſam vrbem præſidio vacuam relinquere haud tutum arbitratus, Syracuſas iter conuertit. Tum Siculorum plerique indignè ferentes, quòd hoſtibus occurrere detrectaret, caſtra Dionyſii relinquunt: quorum alii ad patrios lares, alii in proxima caſtella diſgregantur. Imilco autem itinere biduano Catanæ littus adſecutus, quotquot ibi naues inuenerat, propter venti procellam ſubduxit, & dies aliquot militum quieti & refectioni tribuẽs, ad Campanos Ætnæ incolas legatum mittit, qui ad defectionem à Dionyſio eos ſolicitaret: prolixáque agrorum ditione ſe illos remuneraturum, & prædæ ex

LXII

hoc

hoc bello acquisitæ participes facturum pollicetur. Certiores præterea facit Campanos, Entellæ habitatores Carthaginiensium partibus fauere, & auxiliarem contra Siculos operam sibi nauare. postremò nationem Græcorum, capitali exteras gentes odio prosequi, ostendit. Campani verò, tametsi in Carthaginiensium transire castra percuperent, tamen cùm militum suorum optimos Syracusas transmissos, obsidum loco in Dionysii potestatem tradidissent, quamlibet inuiti integrum societatis ius Dionysio conseruare cogebantur.

XIII. Sub hæc Dionysius potentiâ Carthaginiensium territatus, Polyxenum socerum suum ad Græcos in Italiâ & Lacedæmonios, necnon Corinthios legatum mittit, petẽs, vt auxilio sese leuent, nec Græcas in Siciliâ ciuitates radicitùs exscindi permittant. Quæstores etiam in Peloponnesum cum magna pecuniarum vi dimittit, quibus mandatum erat, vt quantamcunque possent, vndique militum vim conducerent, stipendiis haud parcentes. At Imilco cum nauibus hostium spoliis exornatis, in magnum Syracusiorum portum inuectus, oppidanos ad summam adegit trepidationem. CC enim octoq; naues longæ, pulcrum remigationis ordinem seruantes, & manubiis magnificè decoratæ, intrabant. Post has onerariæ supra CIↃ. quibus plures quam IↃ milites vehebantur; vt naues in vniuersum essent propè CIↃ CIↃ. Hinc factũ, vt portus Syracusanorũ, licèt amplus, nauigiis obstrueretur, & totus ferè obtectus velis lateret. Iamque classis in portu fixa stabat, cùm ex altera parte confestim terrestris etiam exercitus accedit, ex trecentorum millium peditatu, vt quidam prodidêre, & CIↃ CIↃ CIↃ equitatu, longisq; nauibus CC, conflatus. Tum Imilco Imperator tentorium suum in Iouis tẽplo statuit. Reliqua autem multitudo in circumiacente loco castra metatur, XII circiter stadiis, ab vrbe. Posthæc totum exercitum educit, aciemque sub mœnibus explicans, ad pugnam Syracusanos lacessit. mox centum nauibus longè optimis cæteros etiam portus occupat, vt iniecto oppidanis metu, confessionem extorqueret, quòd in mari Carthaginiensibus sint inferiores. vbi verò nemo prodire audet, tunc quidem in castra exercitum reducit. Hinc per triginta dies regionem incursat, excidiis arborum multat, & totam fœdè corrumpit: tùm vt variis emolumentis militem expleret, tùm vt obsessis desperationem iniiceret.

LXIV. Achradinæ

quoque suburbium capit, & fana Cereris ac Proserpinæ expoliat. cuius sacrilegæ impietatis in Numen commissæ meritas breui pòst pœnas dedit. nam statim fortuna eius mutari, résque indies magis in peius labi. Et cùm resumptâ Dionysius fiduciâ velitationibus hostem lacesseret, Syracusani victores abire. Noctu etiam nec opinati in castris pauores ac tumultus oriri; & concursus ad arma, quasi hostes vallo immineant, fieri. Quin & morbus tandem exercitum inuasit, qui omnium illis malorum causa exstitit, de quo breui pòst differetur, ne calamo tempus anteuertamus. Murum igitur castris obducere festinans Imilco, cuncta fermè sepulcra, quæ iuxta erant, demolitur, interque cætera Gelonis, vxorisq; eius Demaretæ monimentum, mirifico quondam opere sumtuq; exstructum, subruit. tria insuper castella iuxta mare, vnum ad Plemmyrium, alterum circa medium portum, vltimum prope Iouis templum construxit; in quæ vinum & frumentum, cæteraque necessaria congessit, diuturnam hanc obsidionem fore ratiocinatus. Onerarias prætereа naues in Sardiniam & Africam, ad frumentum, cæteramque alimoniam perferendum, misit. Sub hæc Polyxenus Dionysii socer è Peloponneso Italiáque reuersus, triginta naues longas à sociis acceptas, cum Pharacida Lacedæmonio classis præfecto, adducit.

LXV. Posthæc cùm Dionysius & Leptines ad commeatus importandos nauibus longis excurrissent, Syracusani iam sibi redditi, frumentariam fortè nauem accelerare vident. hanc quinque nauibus aggressi superant, & in oppidum perducunt. in quos dum quadraginta cum nauibus tendunt Carthaginienses, totam mox classem instruunt Syracusani, & prælio commisso Prætoriam nauem capiunt, & de reliquis viginti quatuor corrumpunt. & fugientes ad naualia hostium vsque persecuti, ad pugnam Carthaginienses prouocant. Verùm illi subitò hoc casu perturbati, nusquam se commouebant. Syracusani igitur naues captiuas suis annexas in vrbem pertrahūt, elatíque tàm felici successu, dum sæpius ante hac succubuisse Dionysium, seq; iam absque illo victoriam Carthaginiensium retulisse pensiculant, animis intumescunt. Et in cœtus passim coëuntes, hac de re sermones inter se miscent; quòd videlicet seruitute se premi à Dionysio patiantur, præsertim cùm tàm commodam

dam in manibus habeant euertendi illius occasionem. nam huc vsque se fuisse exarmatos; nunc propter instans bellum arma rursus in potestate haberi. Hæc dum à vulgo passim iactantur, Dionysius portum intrat. qui concione statim aduocatâ, Syracusanos laudat, hortaturque, vt præsenti, fortique sint animo deinceps, ac breui soluturum se bellum pollicetur. Cúmque iam dimissurus concionem esset, Theodorus Syracusanus, magnæ inter equites auctoritatis, & pro strenuo rerum effectore habitus, hanc de libertate orationem in medium afferre non dubitauit.

XVI. Etsi multum orationi suo mendacii admiscuit Dionysius; quod tamen postremo loco dixit, bello propediem se finem impositurum, cum veritate consentit. sed hoc præstari ab ipso posset, si non pro Duce belli se gerat, (nam sæpenumero iam victus est) sed patriam nobis libertatem restituat. Nunc enim nemo inter nos est, qui alacriter pugnæ discrimen subeat, quando victoria non inferius succumbentium clade malum existit. nam victos, Carthaginiensium imperia nos exsequi, victoria autem potitos, grauiorem illis dominum experiri necessum erit. Carthaginienses certè bello superiores, si tributum victis præscriptum acceperint, patriis nos legibus administrare ciuitatem haud vetuerint. At iste expilatis fanis, & priuatorum facultatibus vnà cum ipsa possessorum vita abreptis, seruos in dominorum seruitia mercede conducit. Et quæ alioqui captis vrbibus accidere solent grauissimè, hæc tempore pacis iste perpetrans, bellum Carthaginiense finiturum se pollicetur. At nobis, ô ciues, non minùs intra mœnia tyrannus, quàm bellum Punicum, exterminandus est. nam arx, quæ seruorum armis nunc custoditur, aduersus ciuitatem exstructa & communita est, & mercenariorum copia ad Syracusanorum seruitutem congregatur, vbíque ipse dominatur, non vt æquabiliter ius administret, sed vt Monarcha, per auaritiam quiduis agere constitutum habens. Et nunc exiguam quidem agri partem hostes obtinent: Dionysius verò totum armis subactum illis donauit, qui in amplificando dominatu ipsum adiuuerunt. Quousque tandem in perpetiendis istis perdurabimus, quorum ne periculum faciat viri fortes, mori potiùs sustinent? Aduersus Carthaginienses equidē extrema discrimina prœliādo animosè toleramus. at cōtra tyrannū

acerbissimum pro libertate & patria fiduciam adhibere, ne verbulo quidem audemus. Tot hostium millibus in acie occursamus: at Principem, nec serui paullò generosioris virtute præditum, exhorrescimus. Nemo enim quisquam tantum Dionysio arrogabit, vt cum Gelone illum comparandum statuat. Ille enim tùm à sua ipsius virtute, tùm Syracusanis, aliisq; Siceliotis adiutus, Siciliā vniuersam in libertatem vindicauit. Iste postquàm liberas accepit vrbes, cæteras quidem omnes potestati hostium obnoxias fecit, sed patriam ipse seruitute oppressit. Ille diu, multúmque pro Siciliâ præliatus, effecit, vt per ciuitates hinc inde socii hostem ne cernerent quidem ampliùs. iste fugam à Motyâ inde per totam vsque Insulam extendens, mœnibus tandem se inclusit, erga ciues ferox, sed nec primum hostis intuitum sustinens. quo factum, vt ille tum propter virtutem suam, tùm rerum gestarum magnitudinem, non à Syracusanis tantùm, sed etiam Siciliensibus, imperium sponte oblatum acceperit. iste cùm ad perniciem sociorum, & seruitutem ciuium, Imperatoris munus sibi arroget, quid ni iure ab omnibus sit odio proseque ndus? quid? quòd non Imperio tantùm non dignus, sed mille etiam neces promeritus sit? Per hunc Gela & Camarina sunt euersæ; Messana per societatem funditus excisa: ccIↃↃ ccIↃↃ, sociorum exitio data. Eò tandem res deuoluta est, vt in vnam simus vrbem conclusi, cæteris per Siciliam Græci nominis vrbibus in vniuersum dirutis. Nam ad cæteras calamitates etiam hoc accessit, vt Naxum & Catanen sub coronâ vendiderit, vrbesque socias & opportunas prorsus deleuerit. Conflictus cum Carthaginiensibus instituit duos: verùm in vtroque victus est. Cùm semel à ciuibus imperium sibi creditum accepisset, ipsam mox libertatem illis ademit; ingenuos legum assertores mactans, & opulentiores exsilio multans. Exsulum vxores seruis, aliisq; ex promiscuo vulgo in matrimonium collocans, armorumque ciuilium Barbaros & peregrinos reddens compotes. Et hæc omnia designauit, proh Iupiter omnésque dii! minister curiæ, & profligatæ sortis homo. Vbi nunc libertatis amor in Syracusanis? vbi maiorum res gestæ? à quibus ccIↃↃ ccIↃↃ ccIↃↃ Carthaginienses ad Himeram internecione cæsa. prætermitto deletos à Gelone Tyrannos. Sed (mirandum profectò) quòd cùm non ita pridem, & heri

LXVI

LXVIII.

aut nudius tertius (vti dicitur) tantis Atheniensium copiis, Syracusios bello prementibus, patres vestri ne cladis quidem nuncium reliquerint, vos, tàm luculento virtutis paternæ exemplo instructi, Dionysii iussis pareatis : & hoc rerum cardine, cùm arma in potestate habetis. Enimuerò prouida quædam deûm cura vos cum auxiliariis huc propterea in armis congregauit, vt libertatem vobis reparetis. Hoc ipso igitur die in promptu vobis est, vt viros egregios vos exhibeatis, & communi animorum voto, studióque, à tam dura vos necessitate liberetis. Hactenus enim, cùm auxiliarium armis destituti fuimus, & conducti militis copia vrbs nostra redundauit, parum abest, quin victas necessitati manus dederimus. at nunc armorum compotes, dum socii quoque & auxiliares & virtutis nostræ spectatores adsunt, ne concedamus quicquam ; sed nos temporis difficultate, non virtutis defectu, seruitutem tolerâsse, manifestum faciamus. An non pudet nos hostem belli Ducem habere, qui templa ciuitatis sacrilegiis exhausit, illúmque tantarum curationi rerum præficere, cuius administrationi nemo, rectâ saltem ratione præditus, priuatas suas opes commiserit? Et cùm alii sacrosancta deûm iura in bellis, maximè ob imminentium periculorum magnitudinem, obseruent, an nos, violatæ religionis nomine vbique infamem, bello huic finem additurum speremus?

XIX. Atqui, si quis rem exactiùs inquirere velit, Dionysium pacem non minùs bello reformidare, comperiet. Nunc enim Syracusanos, ob impendentem ab hoste metum, nihil tentaturos aduersum se existimat. Carthaginiensibus verò subactis, libertatem sibi vindicaturos, armorum denuò compotes, & rerum gestarum successu animatos, præuidet. Atque hoc mihi causæ videtur fuisse, vt bello priore proditam à se Gelam & Camarinam ciuibus viduârit : interque fœderis conditiones plærasque Græci sanguinis vrbes ita deditas fore pactus sit, ne vnquam habitentur? Post hæc tempore pacis, Naxum & Catanam contra fœdus in seruitutem redegit, quarum illam diruit, hanc Campanis ex Italiâ incolendam dedit. Cùm verò post interitum illorum superstites non rarò ad demoliendam tyrannidem animum conuertissent, bellum denuò Carthaginiensibus indixit. Non enim tanta ipsi religio erat fœdus soluere contra iuris iurati fidem, quantus eum metus à relictis Siculorum communitatibus

angebat in quorum iste perniciem inuigilare perpetuò equidem videtur. Nuper ad Panormum, cùm hostes è nauibus exſcendentes, & à tempestatis iactatione languidos, instructâ acie excipere posset, nihil minùs voluit. Postea Messenen, tam commodam & tantæ magnitudinis vrbem, auxiliis destitutā exſcindi passus est. quippe, vt non modò quamplurimi Siculorum deleantur, verùm etiam, vt ſuppetias ex Italiâ, & è Peloponneſo classes, nobis Carthaginienses intercludant. Ad postremum in Catanæorum littore dimicauit, iuxta vrbem pugnam conferi permittens, vt profligatis in amicos ſe portus recipere integrum esset. Post conflictum hunc naualem, cùm magnis ventorum procellis obortis classem ſubducere Pœnos necessitas adigeret, pulcerrimam vincendi opportunitatem habebat. pedestris enim hostium acies nondum aduenerat, nauésque ipſorum hyemis violentiâ ad littus eiiciebantur. Tunc si nos omnes coniuncti pedestri Marte illos adorti fuissemus, eò necessitate compulsi essent, vt vel descensu facto, citra negocium in manus venissent, aut fluctibus vi obluctantes, naufragiis littus compleuissent. At verò Dionysium inter Syracuſanos prolixiùs accuſare, haud necessarium esse arbitror. Nam si immedicabilibus ab eo damnis adfectorum animos rés ipsæ non exſuſcitant, num verbis ad ſumendam de homine vindictam impellentur? cùm præter illa, omnium ciuem nequissimum, tyrannum ſæuissimum, & ducem omnium ignauissimum hunc esse videant. Quoties enim eius ductu manum cum hoste contulimus, toties profligati ſumus. Nunc verò nostris auſpiciis exiguâ nauium copiâ vniuerſam hostium classem deuicimus. Quamobrem alius nobis Imperator est quærendus, ne, si expilatorem ſacrarū ędium ducem belli retineamus, cum deo bellum geramus. nam euidenter cœleste Numen iis aduerſatur, qui ſummæ impietatis hominem ad imperium euexerunt. Quod enim cùm illo vniuerſæ copiæ fuſæ ſunt, abſque verò illo non ita magna exercitus pars ad debellandum Carthaginiēſes ſatis fuit, quid ni cunctis præſentiam deûm conſpiciendam veluti exhibet? Quocirca, viri Syracuſani, si volens imperio ſe abdicat, migrandi ex vrbe cum ſuis copiam ei faciamus. quod, si nolit, pulcerrimam in præſentia libertatis capessendæ occaſionem habemus. Omnes hîc congregati ſumus, armorum penes nos est potestas, au-

ſtas, auxiliarii nõ tantùm ab Italiâ Græci, ſed è Peloponneſo
quoq; nobis præſtò ſunt. Sũma verò militiæ poteſtas, ex iuſſu
legis, ciuibus, aut qui in metropoli noſtrâ habitãt, Corinthiis,
aut qui Græciæ principatũ tenent, Spartanis, cõmittenda eſt.

LXXI. Hunc ad modum vbi Theodorus perorauerat, ſuſpenſis Syracuſani animis ad belli ſocios reſpiciebãt. Tum Pharacidas Lacedæmonius, claſſis auxiliariæ Prætor, tribunal
adſcendit. Omnes igitur primarium libertatis recuperandæ
ſuaſorem fore, ſperabant. At hic, quòd Tyranno familiaris
eſſet, ſe ad ferendum Syracuſanis & Dionyſio contra Pœnos auxilium, non ad imperium Dionyſii diſſoluendum, à
Lacedæmoniis miſſum eſſe, dixit. Hæc dum præter exſpectationem in contrarium ille diſputat, mercenarii ad Dionyſium concurrunt. At Syracuſani non leuiter perculſi tùm
nihil mouent, ſed Lacedæmonios maiorem in modum deteſtantur nam pridem etiam Aretas Lacedæmonius, vindicem libertatis illorum ſe profeſſus, proditor euaſerat. Etiam
Pharacidas Syracuſiorum conatibus interceſſerat. Dionyſius autem, in præſentiâ metu correptus, concionem abire iubebat. deinceps verò ita cum plebe verſabatur, vt humanis
ſermonibus vteretur, doniſq; alios honeſtabat, alios conuiuiis ſuis adhibebat. At Carthaginienſibus, poſt ſuburbium
à ſe deſtructum, templumque Cereris & Proſerpinæ direptum, lues exercitum inuaſit. Tum ad Numinis diuini pœnam, hoc etiam acceſſerat, quòd multa hominũ millia vnum
in locum conuenerant, ipſumq; anni tempus ad morborum
incremẽta efficaciſſimum erat. & quòd æſtas illa ardores inſolitos habebat. Locus etiam ipſe cauſam ad hoc præbuiſſe
videtur, vt calamitas modũ ſuperaret. nam etiã Athenienſes
in iiſdẽ antea caſtris fœdâ ſtrage morbus abſumpſerat, propterea, quòd locus ille paluſtris & concauus exiſtit. Principio
enim ante ſolis exortum, quòd frigida ex aquis aura exhalaret, horror corpora percellere, mox per meridiem æſtus ſuffocare. quippe cùm tanta hominum colluuies vnum in locum coacta eſſet.

LXXII. Contagio initium ſumſit ab Afris, quibus cateruatim intereuntibus, aliquandiu cadauera humabant. Poſt augeſcente mortuorum numero, cùm ægrotãtium quoq; curatores peſte auferrentur, nemini ad laborantes accedendi fiducia erat. At præterquàm quòd miniſterium
erat ſublatũ, nullum quoq; malo remediũ adhiberi poterat,

nam ex insepultorũ fœtore & paludum putrefactione, initio morbi catarrhus, & mox colli tumores exstiterunt. post hæc febres paulatim, & neruorum in spinâ labores, crurúmque grauedines insequebantur. huc dysenteriæ accedebant, & pustulæ per totam corporis superficiem emergentes. ad hunc ergo modum plerosque lues ista vexabat. Nonnulli furore omniumque obliuione rerum correpti, per castra passim diuagabantur, & à rationis sanitate dimoti, obuium quenque pulsabant. Tandem omne quoque Medicorum auxilium, tùm ob mali vehementiam, tum repentinum quoque mortis accessum, inefficax erat. nam quinto, aut ad summum sexto die inter cruciatus atrocissimos exspirabant. adeò vt ab omnibus in bello defuncti beatâ conditione fuisse prædicarentur. adde quòd omnes, qui ægrotis assidebant, eodẽ morbo corripiebantur. Tantò grauior itaque decumbentium erat calamitas, quòd nemo afflictis ministerium præstare volebat. non enim tantùm qui nullâ cognatione deuincti erant, se mutuò destituebant; sed etiam frater fratrem, amicus familiarem, sibi ipsi metuens, deserere cogebatur.

LXXI. Dionysius ergò de Carthaginiensium infortunio certior redditus, LXXX nauibus completis, Pharacidæ & Leptinæ nauarchis mandat, vt primâ luce in hosticam classem euehantur. Ipse Lunâ silente circumductis noctu copiis, ad Cyanes fanum progressus, clàm hostibus sub ortum diei castris appropinquat. Equites autem & conductitiorum CIↃ pedites ad castrorum Carthaginiensium partem illam, quæ mediterraneis obtenta fuit, præmiserat. Erant hi mercenarii præ omnibus aliis Dionysio maximè infensi, & sæpenumerò turbarum atque seditionum auctores. quapropter Dionysius equitibus iniunxerat, vt quamprimùm manus cum hoste conferri cœptum esset, destitutis mercenariis ipsi fugerẽt. His mandatum exsecutis, illi quotquot erant, concisi, oppetierũt. Dionysius autem simul & castra & castella oppugnare instituerat. Quare perculsis re subitâ Barbaris, & tumultuariè ad defensionem procurrentibus, castellum cui Polichnæ nomen, vi expugnat. Ex altera interim parte equites cum triremibus quibusdam approperantes castellum Dasconi vicinum subigunt. Extemplò classis etiam vniuersa adnauigat, & læto clamore castellorum expugnationem exercitus prosequitur. Tum verò ingens Barbaros metus incessit. nam

initio

initio ad pedestre agmen cuncti simul procurrerant, vt castra oppugnantes arcerent. Iam vbi classem imminere vident, iterum stationem nauium defendendam accelerant. Sed dum celeritate occasionis anticipantur, diligentia sua nullum operæ precium faciunt. nam dum catastromata nauium adhuc conscendunt, & classiariis triremes complent, hostiles interim naues remigio concitatæ rostra obliquis incutiebant, adeò vt vno tantum ictu opportuno vulneratæ naues deprimerentur. Aliæ frequente incursu perfractis tabularum compagibus, magnum aduersariis horrorem incutiebant. Dumq; eminentissimæ quæque naues passim sauciantur, laceræ ex inflictu rostrorum partes fragorem horrendum excitant, ac totum illuc littus pugnæ obiectum cadaueribus repletur. Syracusani verò successu alacriores facti, dum magno certatim studio in hosticas transiliunt naues, se mutuò præuenire contendunt; ac Barbaros circũstantis periculi magnitudine attonitos, ab omni parte affusi, trucidãt. Atqui nec pedestre agmen nauiũ statione oppugnando contentioni illorũ cedebat. in quo tùm ipse fortè Dionysius erat, equo ad Dasconem prouectus. Cum enim XL naues IↃ remorum ibi subductas, cum onerariis propè stationem habentibus, nonnullasq; triremes inuenissent, ignem in eas coniecère. Extemplò igitur flamma in altum sublata, & longè latéque diffusa, nauigia concremantur, nec quisquam ex mercatoribus ac nautis propter ignis exuberantiam opitulari valebat. & quia ingens tùm ventus erat, incendium à scaphis subductis, ad onerarias in statione hærentes, defertur. Cùmque homines ictus metu enatarent, & ancorarum funes igni depascerentur, naues in medio fluctu inter se collidebantur, & quædam ex mutuo contritu corrumpebantur, nonnullæ ventorum procella hùc illuc iactatæ, pleræq; verò incendio combustæ, interibant. Hîc ergò, dum flamma per onerarias naues grassans per malos effertur, antennasque depascitur, theatricum oppidanis spectaculum exhibetur, & Barbarorum interitus non absimilis erat illis, qui propter nefariam impietatem fulmine cœlesti conflagrant.

LXXV His igitur successibus excitati, è pueris natu grandiores, & ex ætate prouectioribus senio non prorsus confecti, pontones complebant, & ad naues in portu, prout sors dabat, cõfertim traiicientes, iam corruptas ab igne diripere & ex vtili-

bus adhuc eas, quæ resarciri possent, deligere, integras verò scaphis alligatas in vrbem trahere. Ita nec immunes à bello propter ætatem se continere poterant, quin præ gaudio exuberante diligens amicorum contentio ætatem superaret. iamque fama per vrbem de victoria passim dimanabat, cùm subitò pueri, fœminæque cum famulitio domestico ædes relinquere, & dum quisque ad mœnia properat, totus ille locus turbâ spectantium refertus erat. quorum alii manibus ad cœlum sublatis diis gratias agunt, alii dignum barbaros supplicium luere pro nefariâ templorum direptione affirmant. nam deorum pugnæ spectaculum instar habebat, vbi tot nauibus incendio correptis, flamma per malos in altum glomeratur, & Græci vnumquemque felicem euentum insigni vociferatu contestantur: Barbari contrà mali atrocitate perculsi confusum magno cum tumultu clamorem edunt. verumtamen nocte iam ingruente pugnâ de hinc supersedetur: & Dionysius castra sua Barbarorum castris ad Iouis fanum opponit. Carthaginienses itaque terrâ simul marique profligati, clàm Syracusanis per legatos à Dionysio petunt, vt quod reliquum de suis esset, in Africam transmittere sibi concedat, pro quo CCC ipsi talenta, adhuc in castris reliqua, pollicentur. Ad hæc Dionysius fieri non posse, vt omnes simul fugâ sibi consulant, Carthaginensibus autem ciuibus solis clancularium noctu discessum à se permitti respondit. per Syracusanos enim, & auxiliares, sibi non licere hanc illis copiam facere, intelligebat. Hoc ideò faciebat Dionysius, quòd vires Carthaginiensium funditus euerti nollet, vt horum scilicet metu Syracusani nunquam capessendæ libertatis ocium nanciscerentur. Dionysius ergò nocturnam Carthaginiensibus fugam in diem quartum pactus, exercitum in vrbem reduxit. Tum Imilco CCC illa talenta noctu in arcem transportata Dionysii administris ad hoc designatis tradidit. vbi verò tempus statutum venerat, noctu XL triremes ciuibus refercit, totumq; exercitum post se relinquens, fugam intendit. Iamque portum ingressus erat, cùm quidam ex Corinthiis fugam senserunt, & rem statim Dionysio renunciant. Sed dum ad arma vocandis ille militibus, præfectisque conciendis tempus extrahit, Corinthii moræ impatientes, euestigiò in Carthaginienses euehuntur, & remigio certatim incumbentes, extremas tandem

LXVI.

dem Pœnorum naues assequuntur: quas & rostrorũ inflictu contritas demergunt. Exin Dionysius copias educit. At Siculi, Carthaginiensium auxiliarii priusquàm Syracusii aduenissent, per mediterranea fugâ dilapsi in suam quisque patriam omnes fermè euaserunt. Interea Dionysius cùm vias custodiis intersepsisset, exercitum, durante adhuc nocte, hostium castris admouet. Tum Barbari, quòd tùm à Duce ac Cartha. tùm à Siculis proditi essent, animum despondent, metuque perculsi, fugam arripiunt. quorum pars inter vias in hostium procubias delati, comprehenduntur, pars & quidem maxima, abiectis armis hostibus occurrunt, vtque vitæ suæ parcatur, supplices orant. Soli Hispani retentis armis in globum collecti, de societate ineunda caduceatorem mittunt. Cũ his ergò Dionysius fœdus init, eosq; in cõductitiorũ agmen cooptat, reliquũ vulgus capit, & quicquid impedimẽtorum supererat, militibus diripiendum concedit.

XXII. Hunc ad modum fortuna subitam Carthag. rerum mutationẽ induxit: cunctisq; mortalibus demonstratum fecit; „ quòd quicunque altiùs, quàm decet, sese efferũt, quàm imbecilles „ sint, breui redarguantur. Hi enim plerisq; omnibus Siciliæ vrbibus potiti, Syracusis tantùm exceptis, quas tamen certam sibi prædam destinârât, repentè suæ timere patriæ cogebantur: & qui Syracusiorũ monumenta destruxerant, centies & quinquagies mille cadauera suorum ob pestem congestorũ absq; sepulturæ honore proiecta videbant. Qui agrum Syracusanorum igni depopulati fuerant, per subitam mutationẽ classem flammis inuolutam contuebantur. Qui in portum Syracusanorum cum omni exercitu superbè intrantes, felicitatem suam Syracusanis magnificè ostentauerant, non preuisum habebant, quòd fuga per noctem adornatâ, belli socios hosti proditos deserturi essent. Ipse summus copiarũ ductor, qui tabernaculũ sibi in templo Iouis erexerat, & compilatas sacrorum opes in cẽsum redegerat, fugâ turpissimâ cum paucis Carthaginem euasit: ne debitam naturæ mortẽ reddens, nefariam Numinis violationem impunitam auferret: sed infamem in patriâ vitam omniũ probris expositus, degeret. imò ad eam prolapsus est miseriam, vt cum vilissimo amictu per templa vrbis, suam detestans impietatem, & manifestam deo scelerate actorum pœnam exsoluens, circumiret: & capitalem sibi ipsi tandem multã irrogãs, vitã inedia finiret, ma-

gnumque post se Numinis metum ciuibus relinqueret. Nam illicò etiam alias belli calamitates Fortuna ipsis coaceruauit.

LXXVIII Enimuerò clade istâ per Libyam diuulgata, qui armorum societate ipsis hactenus addicti fuerant, quanquam Carthaginiensis Imperii grauitatẽ iam olim exosam haberent, ob proditionem tamen militum ad Syracusas tunc longè acerbiore Carthaginiensium odio exarserunt. Idcircò dum simul ira ipsos exstimulat, simul cõtemptus ex aduerso illo casu inuitat, vindicandæ libertati animos intendunt. Legatis itaq; vltrò, citróq; missis, exercitum hinc inde cogunt, & in aperta tandem progressi, castra metantur. Et confestim, non ingenui tãtùm, sed etiam serui, concurrunt: adeò, vt exiguo temporis interuallo ducenta hominum millia coirent. Tuneto igitur occupato, quæ vrbs non longinquo à Carthagine spacio distat, hinc in aciem procedunt, & in conflictibus superiores, Pœnos intra muros coërcent. Tùm demùm Carthaginienses palàm à diis ipsis bello infestati, trepidis initio animis, paullatim congressi supplicando Numen orare, irascendi finem vti faceret. Totam mox vrbem coniuncta pauori religio inuadere, dùm vnusquisq; extremam animo seruitutem concipit. In hanc itaque sententiam ab omnibus itur, vt violata deorum numina quouis etiam modo placentur. Etsi verò in sacrorum suorum ritu neq; Proserpinæ, neq; Cereri priùs cultum adhibuerant, clarissimos tamen ciuium sacerdotio harum præficiunt. deorumq; statuis cum omni magnificentiâ dedicatis, Græcorum ritibus sacrificia in posterum obeunda curant. & Græcorum, quos penès se habebant, scitissimos, cum singulari delectu, ministerio deorum applicant. Exinde verò naues construunt & res ad bellum pertinentes diligentissimè adornant. Interea defectores, præterquàm quòd colluuies hominum erat, etiam idoneos belli Duces non habebant. & quod præcipuum, alimenta ipsos ob tantam multitudinem defecerant: quæ Carthaginiensibus ex Sardiniæ commeatu suppetebant. huc accessit, quòd dissidia inter eos de Prætura militari exstiterãt: & quòd nonnulli ipsorum à Carthaginiensibus deprauati cõmunes spes destituerant. Hinc euenit, vt propter commeatus penuriam, & proditionem quorundam, colluuies hæc in patrias huc illuc sedes dispersa terrore maximo Carthaginienses liberarit. Et tùm quidem res Africæ hoc in statu positæ erant.

LXXIX At Dionysius, cùm mercenariorum animos quàm maximè

maximè alienatos à se videret,& ne per eos imperio deiicere-
tur,metueret,Ducem illorum Aristotelem comprehēdit. Fit
hinc vulgi ad arma concursus,& stipendia acerbiùs exigūtur.
Aristotelem igitur Lacedæmona se missurum affirmat, vt iu-
dicium inter populares subeat. Mercenariis autem,qui decies
mille circiter erant, Leontinorum vrbem & agrum in stipē-
dium dedit. qui propter regionis amœnitatem conditionem
non illubentes accipiunt,& sortitò Leontinorum sedes occu-
pant. Tum alios Dionysius mercenarios conscribit, quorum
vnaque libertorum fidei principatum suum committit. Post
Carthaginensium verò cladem,qui supererant ex vrbibus Si-
ciliæ seruituti traditis,coiuerunt,& suæ quique patriæ restitu-
ti,vires iterum collegêre. At Dionysius cIↃ Locros, cIↃ cIↃ
cIↃ cIↃ Medimneos,& IↃc Messeniorum è Peloponneso,
Zacynthoque & Naupacto exsulum Messanæ collocauit.
Sed cùm Lacedæmonios hoc ipso, quòd exterminati ab illis
Messenii vrbem præclaram accepissent incolendam, offensos
videret, ex Messanâ translatis alium quendam Abacenæ re-
gionis locum iuxta mare illis attribuit, attributumque certis
limitibus definiuit. Vrbem hanc Messenii Tyndaridem nun-
cupârunt,dumque amicè inter se Rempublicam administrāt,
& multos in ciuitatem adscribunt; breui numerus ciuium vl
tra IↃↃ excreuit. Pòst crebras in Siculorum fines expeditiones
fecerunt, Smenteoq; & Morgantio captis, cum Agyri Agy-
roneorum Tyranno & Damone Centorippinorum Regulo,
Erbitæis prætereà,& Assorinis,fœdera percusserunt. Cepha-
ledium insuper & Soluntem Ennamque per proditionem di-
tioni suæ adiunxerunt. cum Erbissenis verò pacem inibant.
Atque ita tùm Siciliæ res sese habebant.

XXX

In Græciâ Lacedæmonii cùm molem Persici belli pro-
uiderent, alterum ex Regibus Agesilaum rerum curationi
præficiunt. Is sex millibus delectis, & xxx ciuibus ex optima-
tum numero in Senatum adoptatis,ex Europâ copias Ephe-
sum traiecit. Ibi nouo delectu quatuor millibus conscriptis,
exercitum qui ccIↃↃ peditum & cIↃ cIↃ cIↃ cIↃ equi-
tum habebat,in campum eduxit. hos circumforanea quædam
colluuies prædæ gratiâ sequebatur, numero iis, quos dixi-
mus, haud inferior. Caystrios ergò campos percursitans a-
gros Persis subditos populatur, vsque dum Cumas attigit.
Inde mouens maximam æstatis partem in Phrygiæ finiti-

mæq; regionis populatione consumit. Et locupletatum cō-modis exercitum, sub autumnum in hyberna Ephesum reducit. Hæc dum geruntur, Laced. per legatos Nephreum Ægypti regem de societate armorum solicitant. qui auxiliorum loco Spartanis ad centum triremes apparatum & quingenta tritici millia donat. Pharax igitur Lacedæmoniorum nauarchus, cum cxx nauium classe ex Rhodo prouectus, Sasanda Cariæ castellum, centum quinquaginta stadiis à Cauno distans, appellit. Hinc soluens Caunum & Cononem, Regiæ classis Imperatorem, cum nauibus xl Cauni statiua habentem, oppugnat. At cùm Artaphernes & Pharnabazus ingenti exercitu Cauniis subuenirent, Pharax obsidionem soluit, totamq; classem in Rhodum abducit. Posthæc Cono triremes LXXX cogit, & cum his in Chersonesū transmittit. Rhodii interea classe Peloponnesiorum eiectâ, Laced. societatem deserunt, & Cononem cum omni classe in vrbem suam recipiunt. Tum qui donatum ex Ægypto frumentum aduehebant, quòd Rhodios desciuisse ignorarent, confidenter Insulæ naues aduertunt. At Cono Persarum nauarchus cum Rhodiis onerarias in portum deducens, annonâ vrbem repleuit. Atqui Cononi tum aliæ xc triremes, è Ciliciâ nimirum x, & ex Phœniciâ LXXX, quarum Sidoniorum Regulus præturam gessit, superuenêre. Agesilaus inde copiis in Caystri planiciem, & circumiacentes Sipyli agros, eductis; incolarum facultatibus hostili prædatione damnum inferebat. Tissaphernes igitur ccIↃↃ equitū, & quinquaginta millia peditum contrahit, & à tergo Laced. inhærens, inter pabulandum ab ordinibus auulsos ac palantes interimebat. Agesilaus igitur, phalange ad laterculi formam ordinatâ, decliues ad Sipylum tractus capessit, commodam interim occasionem inuadendi hostes captans. Ac totam ad Sardeis vsq; prouinciam incursans, hortos, ipsumq; Tissaphernis viridarium, arboribus & cæteris, ad delitias & oblectationem ex pacis commodis percipiendam, magno sumptu & artificio excultum, peruastat. Inde vbi sese conuertit, medio inter Sardeis & Thybarnas spacio, Xenoclē Spartanum cum cIↃ cccc militibus noctu, in syluosum quendam locum, ad insidias hostes excipiendum, præmittit. Ipse sub primam lucem cum exercitu iter capessens, quamprimum insidias à se collocatas præteriuit, Barbari inordinato

LXX-XI.

pro-

procursu extremum agmen ex improuiso adorti, carpere incipiunt. tùm extemplò in persas se conuertit, pugnâq; fortiter initâ, signum his, qui in subsidiis latebant, erigit. qui mox bellico vociferatu in hostem sese inferunt. Persæ, dum interceptos in medio sese vident, perterrefacti in fugam se coniiciunt. quorum Agesilani, quadamtenus insecuti, vltra sex millia trucidant, & captiuorum vim non exiguam colligunt, & castra multis emolumentis referta diripiunt. Ab hac pugnâ Tissaphernes Sardes se recepit, Lacedæmoniorum audaciâ non mediocriter perculsus. Propositum fuerat Agesilao vlteriùs in remotiores etiam à mari prouincias ducere: sed quia in sacris perlitare non poterat, ad mare exercitum reduxit. Artaxerxes verò, Asiæ Rex, de cladibus certior factus, dum bellum Græcorum pertimescit, simul iram aduersus Tissaphernem concipit, qui belli nimirum huius auctor esset. Etiam antea precibus à matre Parysatide, ad vindictā de Tissapherne exigendam, solicitatus fuerat. infensa namq; homini erat, quòd filii sui Cyri expeditionem, in fratrem susceptam, calumniosè detulerat. Tithraustem ergò, cū Tissaphernem capiendi mandato, summum belli Ducem facit, & datis huc illuc ad ciuitates & satrapas literis, vt omnes dicto audientes sint illi, edicit. Tithraustes quamprimùm Colossas Phrygiæ deuenit, Satrapæ cuiusdam Larissæi operâ Tissaphernem in balneo capit, & resectum eius caput ad Regem transmittit. Tum Agesilao in colloquium pellecto, semestres cum Spartanis inducias facit.

LXXXI.

LXXXII.

Dum per Asiam hunc ad modum res administrantur, Phocenses nonnullis de causis bellum inferunt Bœotis, & auxilia contra hostes à Lacedæmoniis impetrant. Et tum quidem Lysander cum militum numero haud ita magno illuc mittitur, qui Phocidem ingressus, exercitum inde contrahit. sed aliquantò pòst cum sex millium phalange Pausanias Rex eò mittitur. Bœoti igitur Atheniensibus ad societatem pertractis, tum quidem suo Marte egressi, Haliartum, à Lysandro & Phocensibus obsessam inueniunt. Consertâ igitur pugnâ, tum Lysander, tum & Lacedæmoniorum & socii nominis turba non mediocris, cadit. Bœotorum quidem phalanx vniuersa statim insequendo redibat. sed Thebanorum CC circiter qui asperis se locis incautiùs dederunt, vitam amiserunt. Hoc ergo bellum Bœotici co-

gnomentum reportauit. At Pausanias Laced. rex, clade suorum auditâ inducijs cum Bœotorum gente pactis, cum exercitu in Peloponnesum remeauit. Interea Cono Persicæ classi præfectus, Hieronymo & Nicodemo Atheniensibus nauale Imperium committit, ipse regem conuenire properans, in Ciliciam nauigat, atq; inde Thapsacum Syriæ delatus, secundo Euphratis amne Babylonem delabitur. Hîc in colloquium Regis admissus Lacedæmonios naualibus se copiis debellaturum, si pecuniis, cæteroque apparatu ex arbitrio suo instructus fuerit, pollicetur. Artaxerxes collaudato viri studio, magnis eum donis honestat, & quæstorem simul ei constituit, qui quantam ipse mandet, pecuniæ vim ei depromat. Potestatem insuper facit, quemcunque ex Persis velit, militaris imperii collegam, vt sibi adoptet. Pharnabazum igitur satrapam Conon deligit, rebusq; omnibus pro virili accuratis, ad mare (Græcum) rursus descendit.

Cum anno circumuoluto summum Athenis magistratum gereret Diophantus, & Romæ sex Tribuni militares Lucius Valerius, Marcus Furius, Quintus Seruilius, Quintus Sulpitius, Marcus Valerius Maximus, & Lucius Furius, consulare imperium administrarent, Bœoti & Athenienses, & cum his Corinthii & Argiui societatem inter se iunxêre. Nam quia socii, propter molestam imperii grauitatem, Laced. odio flagrabant, faciliùs se principatum illorum euersuros, si maximæ secum conspirassent ciuitates, existimabant. Primùm ergò communem, apud Corinthios Senatum instituunt, & missis eò qui consultarent, necessaria ad bellum communi operâ dispensant. Per legatos deinde passim ad ciuitates ire iussos, complures à societate Laced. abalienant. Et statim Eubœa vniuersa, Leucadii, Acarnanes, Ambraciotæ & Chalcidenses Thraciæ accolæ, sese illis adiungunt. Tum & Peloponnesi incolas ad defectionis societatem pellicere conantur. nemo tamen erat, qui postulatis illorum obsecundaret. nam Sparta Peloponnesi latera præcingens, tanquam arx & præsidium eius exsistit. Bellum sub id tempus cum Lycophrone Phereorum Tyranno gerebat Medius, Larissæ in Thessaliâ Princeps. Huic subsidium expetenti concilium cIↃ cIↃ armatos mittebat. Is ergò copiis auxiliaribus instructus Pharsalum, Lacedæmoniorum præsidio hactenus defensum, subigit, & habitatores inter ceteram

LXXXXIII.

ceram prædam diuendit. Post hæc Bœoti Argiuorum ope à
Medio segregati, Heracleam Trachiniæ occupant, & per
noctem intra mœnia quorundam operâ deducti, quicquid
Lacedæmoniorum inuenitur, trucidant. Peloponnesios au-
tem cum rebus suis abscedere sinunt. Inde Trachiniis, quos
Lacedæmonii solum vertere coëgerant (licèt antiquissimi
regionis incolæ essent) ab exsilio reuocatis, vrbem postlimi-
nio habitandam tradunt. Nec longè pòst Ismenias Bœoto-
rum ductor, Argiuis ad custodiam vrbis relictis, Ænianes
& Athamanes desciscendi à Lacedæmoniis auctor est, & mi-
litum ab his aliisq; sociis manu contractâ, cùm iam non mul-
tò pauciores IↃↃ CIↃ sub vexillis haberet, in Phocenses
exercitum ducit. Iamq; propè Aricas, Locridis vrbem (vnde
Aiacem oriundum fuisse perhibent) castra metatus erat,
cùm Phocensium multitudo, quorum Dux Lacisthenes e-
rat Laco, cum armis illi occurrit. Prælium acre ad bene
longum tempus committitur, quo tandem Bœoti victores
ad noctis vsque crepusculum fugientes persecuti, mille plus
minus peremerunt: de suo interim numero ad IↃ deſidera-
tis. Post hanc pugnam exercitum vtrique dimiserunt, illi in
suam cuiusq; patriam, hi Corinthum versus; vbi conuocato
Senatu, quia res ex animi sententiâ felicem habuerat suc-
cessum, ex omnibus passim vrbibus milites, supra XV millia
peditum, & IↃ equites Corinthum euocant. Lace

XX-IV.

dæmonii igitur cùm potentissimas Græciæ ciuitates fœdus
contra se iniisse viderent, Agesilaum ex Asia, copiasq; illi ad-
iunctas reuocandum censuere. Ipsi tamen interea ex ciuium,
sociorumque delectu tribus & XX millibus peditum, & IↃ e-
quitibus conscriptis hostibus obuiam procedunt. prælioq;
ad Nemeam fluuium in noctẽ vsq; protracto, exercitus pars
vtrinque superior exstitit. Et de Lacedæmoniis sociisq; cen-
tum & mille ceciderunt. de Bœotis autem horumq; con-
fœderatis ad CIↃ CIↃ & IↃCCC. Agesilaus simul ac copias
ex Asia in Europam transmisit; cum Thracibus quibusdã, qui
magno cũ exercitu concurrerant, prælio conserto, victor e-
uasit, maximamq; Barbarorum partem cecidit. Hinc iter
per Macedoniam faciens, eiusdem regionis transitum ten-
tat, quem Xerxes olim, quando infestis Græciam exerci-
tibus petebat. Macedoniam igitur & Thessaliam emẽsus in
superandis Thermopylarum faucibus arctũ iter tendebat.

Interea Cono Atheniensis & Pharnabazus, regiæ classis Prætores, circa Doryma Chersonesi cum pluribus quàm x c triremibus agebant. qui nauales hostium copias circa Gnidum esse certiores facti, ad naualem se pugnam expediunt. Periarchus autem Laconicæ classis Imperator cum x x c triremibus è Gnido profectus ad Physeum, Chersonesi appulit; Atque inde vela tendens, in classem regiam incidit, primisq; nauibus congressus superior fuit. At vbi Persicæ triremes ad ferendam suis opem confertim imminerent, sociique fugâ ad terram sibi cauerent, turpe ac virtute Spartanâ indignum timidè fugere arbitratus, nauem Prætoriam in frontem direxit; & præclarè dimicans, multis hostium occisis, in ipso tandem conflictu, vt patriâ dignum erat, opetiuit. Tum Cononiani Lacedæmonios ad continentem persecuti, quinquaginta triremibus potiuntur. At virorum maior pars natando ad terram euaserat, I5 tantummodò captis. Triremes reliquæ Gnidum incolumes effugêre. Cæterum Agesilaus postquàm militum ex Peloponeso robore auctus Bœotiam cũ exercitu intrâsset, statim Bœoti cum auxiliaribus ad Coronéam illi occurrunt. ibi prælio commisso, Bœoti aduersam sibi partem in fugam agunt, & ad castra vsque persequũtur. sed cæteros Agesilaus, eique adiuncti, cùm exiguo tempore restitissent, ad fugiendum compellunt. ideóque pugna se vicisse rati Lacedæmonii, tropæum, victoriæ monimentũ, erigunt, & defunctos hostibus reddunt. Interierant autem ex Bœotis eorumq; sociis plures sexcentis: Lacedæmoniorum & horum auspiciis prælantium, c c c l. Agesilaus ipse multis vulneribus affectus Delphos transportatur, & corporis ibi curam agit. Pharnabazus autem & Cono, post pugnã illam naualem, totâ classe Lacedæmoniorũ socios inuaserunt, primosq; ad defectionẽ Coos impellunt. pòst Nisiæos etiam & Tios. hinc Chii præsidio exturbato, in Cononis partes transeunt. Huiusmodi mutationẽ etiam Mitylenæi, Ephesii & Erythræi cõmittunt. Atq; hoc rerum statu repentinũ defectionis studium ciuitates inuasit, quarum aliæ præsidiis Lacedæmoniorum eiectis, libertatem retinent, aliæ Cononi adhæserunt. Ex hoc ergò tempore maris imperium Lacedæmon. amisêre. Conon verò cum omni classe Atticam petere constitutum habens, inde soluit, & Cycladibus Insulis in partes suas adductis, versus Cythera contendit. quibus sub primum

LXX XV.

statim

statim accessum potitus, Cytherios datâ fide in Laconiam dimisit. Ipse idoneum vrbi præsidium relinquens Corinthum versus nauigat. Quò delatus, cum Senatu de rebus, quas proponere volebat, colloquium instituit, & icto cum illis societatis fœdere, cùm pecunias ad belli vsum reliquisset, in Asiam se recepit. Sub hoc ipsum tempus Æropus Macedoniæ Rex, cùm per annos sex imperium tenuerat, morbo interiit. Successit ei filius Pausanias, annumque duntaxat regno præest. Cùm hoc anno, & quidem prælio nauali ad Cnidum gesto, Theopompus Chius historiam rerum Græcarum, XII libris contextam, absoluit. Exorsusque à pugna nauali ad Cynosse-mâ, cum quâ Thucydides desinit, XVII annorum tempus complectitur.

LXXVI. Post eius anni decursum, cùm Athenis summam præturam gereret Eubulides, Romæque sex Tribuni militares consulari potestate Rempublicam administrarent, Lucius Sergius, Aulus Postumius, Publius Cornelius, Quintus Mālius, Lucius Iulius, & Lucius Furius; Cono Regiæ classis prætor LXXX triremibus in Piræeum appulit, ciuibusq; ambitum vrbis reficiendum promisit, nam Piræei mœnia, longaq; (vt vocant) crura Laced. ex fœdere, cum bello Peloponesiaco fractæ essent Athen. opes, demoliti fuerant. Cono ergò magnam opificum turbam conduxit, iisq; nauales socios in ministerium adhibuit. quo factum, vt breui maxima pars murorũ reficeretur. Nam & Thebani Iↄ fabros & lapicidas ei miserant, & nonnullæ ciuitatum aliarũ rem adiutabant. Teribazus verò terrestriũ in Asia copiarum ductor successibus Cononis inuidens, fictum ei crimen intendit, quasi regiis copiis Atheniensium ditioni vrbes adiungat. Sardeis igitur pellectum comprehendit, & vinctum costodiæ tradit.

LXXVII. At Corinthi quidam cupiditate dominantes, factâ inter se conspiratione, cùm in theatro fortè ludi agerentur, cædem faciunt, & seditiosis vrbem tumultibus replent. Cúmque Argiui conatus horum adiuuarent, c & XX ciues iugulant & Iↄ in exilium cōpellunt. Hos Lacedæmonii conscripto exercitu reducere instituunt. sed Athenienses & Bœoti, cum subsidiariâ manu sicariis opitulantur, vt suæ vrbem ditioni subiiciant. Exsules itaque cum Lacedæmoniis aliisque sociis ad Lechæum & nauale sub noctem progressi, vi locũ expugnãt. Postridie oppidani, Iphicratis ductu, ex vrbe copias ex-

pediunt, prælioque commisso Lacedæmonii victoriâ potiti non paucos interficiunt. Posthæc Bœoti & Athenienses cum Argiuis & Corinthiis vniuersas copias Lechæo admouent, & primò in castellum aliquandiu oppugnatum irrumpunt. Sed cùm Lacedæmonii exsulesq; pugnam strenuè capessérent, Bœoti iterum cum omni circum se copiâ eiiciuntur, & militibus circiter cIↃ desideratis, in vrbem retrocedunt. Iāq; Isthmiis appetentibus, etiam de ludorum apparatu inter se contendere cœperunt. & post longam disceptationem vicêre Lacedæmonii; exsulibusque agonis disponendi auctoritatem tradiderunt. Quia verò belli huius discrimina propè Corinthum fermè acciderunt, factum est, vt Corinthiacum appellaretur, annosq; octo perdurauit. In Siciliâ porrò Rhegini cum Dionysio expostulabant, quòd Messanam muniendo contra ipso sese armaret. statim igitur à Dionysio exactos, aliosque ipsi aduersantes, in tutelam suam recipiunt. Post hæc Naxiorum & Catanensium reliquiis Mylas incolendas tradunt: & Helorim Imperatorem cum instructo exercitu ad Messanam obsidione cingendam mittunt. Dumque is oppugnationis initium circa arcem facit, oppidani extemplò cum mercenariis Dionysii conglobati occurrunt, initoque conflictu Messenii vincunt, & hostium plures IↃ interimunt: & euestigio Mylas aggressi vrbem capiunt, & Naxios inibi collocatos, datâ fide incolumes dimittunt. qui ad Siculos & vrbes Græcas digressi, alii alias sedes capesserunt. Dionysius autem cùm vicinas freto ciuitates amicitiæ fœdere sibi adstrinxisset, in Rheginos ducere instituit. sed à Siculis, qui Tauromenium occupauerunt, negocium ipsi facessebatur. Hos ergò primos inuadere decreuit; eductisque copiis; castra in parte Naxo obuersâ collocauit; & in obsidione per hyemem illam persistens, Siculos è colle decessuros arbitrabatur; quòd eum non ita pridem insedissent. At Siculi iam olim à patribus suis edocti fuerant, quòd cùm has insulæ partes Siculi tenerent, Græci nauibus eò delati, conditâ Naxo, Siculos loci incolas eiecissent; ideò iure se patrium recuperâsse agrum, & iniuriam maioribus suis à Græcis illatam, meritò vindicare arbitrati, magno collem opere, studioque defendebant. Interim dum summa vtrinq; contentione res geritur, solstitium brumale appetit, & per hyemis superuentum locus circa arcem niui-

LXX-XVIII.

LXX-XIX.

bus

bus conspergitur. Tum Dionysius Siculos, propter firmitatē loci, mœniumq; altitudinem negligentiùs custodias arcis seruare animaduertens, nocte illum & tempestuosâ ad superiora contendit; multumq; cum rupis difficultate ac densâ niuis mole conflictatus, vnâ tandem arce potitur. interim ita facie sauciatus erat, & læsos frigore oculos habebat. mox in alteram quoq; partem irruptione facta, exercitui viam in vrbem patefecit. Ibi cùm omnis vndiq; Siculorum manus concurreret, Dionysiani expelluntur. ipse inter fugam in loricam percussus deuoluitur, parumq; abfuit, quin viuus manus hostium subiisset. & quia Siculi ex editioribus locis impressionem faciebant, vltra IↃC tum periêre, & plerisque armorum iactura facta est. quid? quod Dionysius ipse thoracem duntaxat reseruauit. Post hanc cladem, Acragantini & Messenii, fautoribus Dionysii à se remotis, in libertate recuperandâ toti erant, fœderi, quod cum Tyranno hactenus fuerat, nuncium remittentes.

XC. Sub id tempus Laced. Rex Pausanias, propter crimina quædam à ciuibus obiecta, solum vertit, cùm annos XIV regnâsset. Regni administrationē excepit filius eius Agesipolis, & totidem annos præfuit. Macedonum quoq; Rex Pausanias tùm inter viuos esse desiit: quē Amyntas, cùm annum regnâsset, per insidias necauit. ipse regnum à se occupatum, per XXIV annos tenuit.

XCI. Post anni huius exitum Athenis Arches (quam appellitant) dignitatem accepit Demostratus, & Romæ consulare imperium gesserunt tribuni militares sex, Lucius Titinius, Publius Licinius, Publius Melius, Quintus Menius, Cnæus Genucius, & Lucius Atilius. Cùm hi magistratum iniissent, Mago Carthag. Prætor moram adhuc in Sicilia trahebat, res Carthag. proximâ clade adflictas, reficiens. nam ciuitatibus, quas sub imperio habebat, humanum se exhibuit, & quas Dionysius bello premebat, in clientelam suam accepit. armorumq; societatem cum plerisq; Siculis contraxit. Coacto tandem exercitu Messanæ bellum intulit, agrisq; peruastatis, cùm prædam magnam obtinuisset, exercitum reducens, iuxta Abacænam vrbem fœdere sibi iunctam, castra posuit. Verùm vbi Dionysius cum exercitu superuenit, acies vtrinq; instruitur, & prælio acriter conserto, Dionysiani victores exsistunt, & Carthag. plus quam IↃCCC amissis in vrbem refugiunt. Et tùm quidem Syracusas Dionysius recel-

fit. Sed post dies haud multos, cum triremibus centum nautica manu repletis, aduersus Rheginos expeditionem fecit. & quia improuisa hæc irruptio erat, statim vrbis portas incendit, scalasq; mœnibus adiecit. Rheginorum initio pauci ad propulsandum hostes accurrunt, & flammis restinguendis manus admouent. At quamprimùm Heloris Imperator aduenìens diuersum consuluit, ab incendio in hostẽ conuersi, vrbem tum, ne caperetur, conseruârunt. nam si circa incendium exstinguendum occupati mansissent, tam exiguus eorum numerus ab ingressu hostem prohibere non valuisset. quin potiùs è vicinis ædibus sarmenta, lignaq; congerẽdo flammæ vires addiderunt, donec reliqua ciuium multitudo in armis congregata ad opem ferendum subueniret. Posteaquàm hic Dionysii conatus irritus fuit, agros incursans, igni ferroq; passim villas & hortos euertit atq; vastat. Et factis hinc vnius anni induciis Syracusas classem reducit. Interea Græci, Italiæ oram inhabitantes, dum ad suos vsq; fines Dionysii auaritiam processisse vident, fœdere inter se icto, publicum habendis comitiis locum designant. nam hoc pacto & Dionysium se facilè repressuros, & vicinis suis Lucanis (à quibus etiam bello tum vexabantur) armatâ manu occursaturos, confidebant. Interea qui Lechæum tenebant exsules, quorundam operâ noctu in vrbem admissi mœnia occupare nituntur. sed ab Iphicratis subsidio reiecti, CCC suorum amissis, fugâ ad naualia salutem capessunt. Post aliquot inde dies pars quædam exercitus Spartani regionem Corinthiorum pertransibat. in hos Iphicrates cum sociorum nonnullis subitò impetum faciens, maximam partem concidit. Idem cum cetratis aduersus Phlias ducens, pugnâ cum oppidanis consertâ, plures CCC interemit. Hinc dum Sicyonem versus tendit, Sicyonii ante muros aciem illi opponunt, & circiter 10 suorũ amissis, fugam in vrbem capessunt. Post hæc gesta, Argiui cum vniuersis copiis arma in Corinthum expediunt, & occupatâ Corinthiorum arce vrbem etiam suæ possessioni vendicant, agrumq; suo adiiciunt. Regionem hanc etiam Iphicrates Athen. subigere in animum induxerat, quòd ad Principatum Græciæ perquàm idonea foret. sed cùm populus his conatibus obstaret, imperio se abdicauit, Chabriasq; eius loco Prætor designatus, Corinthũ ire iussus est. In Macedoniâ Amyntas, Philippi pater, Illyriis Macedoniã incursantibus

XCII.

XCIII.

santibus

fantibus, vrbe suâ excidit, & imperii seruandi spe deiectus, Olynthiis propinquū ipsis agrum donauit. Tametsi verò hic regnum tunc amisit, non multò tamen pòst à Thessalis reductus, imperiū recuperauit, eiq; p XXIV deinceps annos præfuit. Sunt tamen, qui scribant post Amyntam regno expulsū, Argeū Macedoniæ Regno per biennium esse potitum, & tunc demū ab Amyntâ illud recuperatū.

XIV. Per idē tēpus etiam Satyrus Spartaci filius Bospori rex viuere desiit, post XIV regni sui annum, & Leuconem filium per XL annos successorem habuit. In Italiâ Romani Veios vndecimum iam annū oppugnantes, Dictatorem creant Marcū Furiū, & Publiū Cornelium equitū Magistrū. Hi copiis adsumptis Veios tandē, cuniculo in arcem ducto, expugnant, vrbēq; sibi mancipant, virosq; & cæterā prædā sub coronâ vendunt. Et dictator inde triumphum egit. Populus .a. Romanus ex decimis prædæ collectis aureū Apollini cratera conflatū Delphis cōsecrauit. At qui perferebant donum legati, in prædones Liparæos incidunt, omnesq; capti, Liparā deportantur. Ibi Timasitheus, qui in summo tùm apud Liparenses magistratu erat, de facto illo certior factus, non modò legatos seruat, sed donario etiam reddito, tutum Delphis iter illis præstat. qui cratera in Massiliensium thesauro dedicant, & sospites inde Romā sunt reuersi. Populus ergò Romanus de probitate Timasithei edoctus, tū statim eum viro honorem exhibuit, vt hospitium cum eo publicū faceret; post annos verò CXXXVII cùm Liparā Carth. adimerent, Timasithei posteros à tributis immunes, & omninò liberos esse, iusserūt.

CV. Cùm annus ille defluxisset, summus Athenis Prætor fuit Philocles, & Romæ sex Tribuni militares consulare imperium adierunt, Publius Cornelius Scipio, Publius Cornelius Cossus, Cæso Fabius, Lucius Furius, Quintus Seruilius & Marcus Valerius. Olympias tum agebatur XCVII, quâ victor inclaruit Terirès. Hoc tēpore Athen. Thrasybulum Imperatorem sibi delectū cum XL triremium classe expeditionem facere iubent. is in Ioniam excurrit, pecuniisq; sociorū instructus, inde soluit & circa Chersonesum aliquandiu moram trahens, Medocū & Seuthen Thraciæ regulos armorum societate adstrinxit. Aliquantò pòst in Lesbum inde traiciens ad vicinum Eresso littus statiua habebat. sed cùm ingens ventorum procella ingrueret, tres & viginti triremes ipsi naufragiū fecere. cū reliquis tamen elapsus, Lesbi vrbes, (omnes enim, præter Mi-

tylenen defciuerant) reducendas ad obfequium, inuadebat: primoq; Methymnam aggreffus, cum oppidanis, quorũ Dux erat Therimachus Spartanus, manus conferuit, & præclarè dimicans, cùm ipfum Therimachum, tum non paucos Methymnenfium occidit, & reliquos intra mœnia conclufit: agrumq; Methymnæorum depopulatus, Ereffum & Antiffam per deditionem accepit. Poft has à Chiis & Mitylenæis, quibus cum fœdus ipfi erat, naues collegit, & tunc Rhodum claffe petit. Porrò Carthag. cùm ferò tandẽ à clade Syracufana vires recollegiffent, res Siciliæ denuò vendicare fibi conftituerunt. Et quia fortunam prælio tentandam planè decreuerant, cũ longis nauibus, fed paucis traiecerunt, copias autẽ ex Africa & Sardinia. Barbaris præterea ex Italia adiunctis, contraxerant, omnefq; armis fuo ipforũ fumptu paratis, accuratè inftruxerant. cum his ergò in Siciliam tranfierunt, numero LXXX millibus haud pauciores, quibus Mago cum fummo Imperio præerat. Is agros Siculorũ percurfans, vrbes plerafq; a Dionyfio alienauit, & tandẽ in Agyrinæorum territorio ad Chryfam flumẽ iuxta viã, quâ Morgantinũ itur, caftra pofuit. Cùm enim Agyrinæos in focietatem pellicere aut cogere non potuiffet vlteriùs progredi defiit, quippe iam hoftẽ è Syracufis contra fe tendere audiens. Dionyfius enim explorato Carthag. per mediterranea tranfitu, abfq; morâ contractis, quos tum poterat, Syracufanis & ftipendia faciẽtibus, in hoftem pergit, toto numero non pauciores CCIↃↃ CCIↃↃ fub vexillis habens. & iam non longè à caftris hoftiũ aberat, cùm legatos ad Agyrim Agyrinæorũ Regulum præmifit. hic tum temporis maximam inter Siciliæ Tyrannos à Dionyfio potentiam habebat. nam & omnibus ferè circumiacentibus caftellis dominabatur, & Agyrinenfium vrbs, cui imperitabat, populofifs. per illam tempeftatem, erat; quippe quæ non minus CCIↃↃ CCIↃↃ ciuium alebat. Quinetiã fufficiens tantæ in vrbe multitudini commeatus præparatus, & ingens pecuniarum vis in arce repofita erat, quam ex cæde opulentiffimorum ciuium Agyris lucrifecerat. Dionyfius itaque cum paucorum comitatu vrbem ingreffus, ad fœdus focietatis non fucatæ Agyrim induxit, feque magnum ei terræ finitimæ tractum, bello feliciter confecto donaturum, promifit. Et tum quidem Agyris vniuerfum Dionyfii exercitum frumento cæteroque commea-

commeatu gratis ſubleuabat. Pòſt verò cum omni militum robore egreſſus, ſe cum Dionyſio coniunxit, & communi bellum ope contra Pœnos geſſit. At Mago in terrâ hoſtili ſtatiua habens, indies magis ac magis rerum neceſſariarum inopiâ laborare, & incommodo propterea non mediocri affici. nam Agyriani locorum notitiâ adiuti, inſidiis hoſtem excipere, omnemq; commeatus facultatē intercludere. Tum prælio cum hoſte quamprimùm eſſe confligendum, Syracuſani cenſebant. verùm Dionyſius refragabatur, ſe citra vllum diſcrimen, tempore & inopiâ Barbaros confecturum, affirmans. Hac eius cunctatione offenſi Syracuſani, caſtra eius deſerunt. Terrore igitur iniecto, ſeruos ad pileum vocat. quos tamen de pace à Carthaginienſibus per legatos ſolicitatus, poſtliminio dominis reſtituit, pacémque cū Carthaginienſibus iniuit. Conditiones ſuperioribus cæteroquin aſſimiles erant: quippe, vt Siculi Dionyſio in poſterum ſubeſſent, & Tauromenium inſuper in ditionem ſuā acciperet. Hoc fœdere percuſſo, Mago ex Siciliâ reuehitur, Dionyſius autem occupato Tauromenio maximam Siculorum inde partem exſulatum mittit. & ex mercenariis maximè idoneos ad hoc delectos ibi collocat. Hoc tùm modo Siciliæ ſe res habebant. In Italia autem Romani Falerios Faliſcæ gentis vrbem expugnârunt.

Poſt anni huius exitum Nicoteles Archontis munus Athenis gerebat; & Romæ conſulare imperium adminiſtrabant Tribuni militum tres, Marcus Furius, Caius Æmylius, & N. N. Quo tempore Rhodii Lacedæmoniis addicti, ciues, qui Athenienſium partes fouebant, vrbe expulerunt. cúmque facto inter ſe concurſu, armis rem tutari conarētur, Lacedæmoniorum ſocii, non abſque multorum ſtrage victores abierunt, & quotquot fugâ ſibi conſuluiſſent, proſcripsêre. Ac confeſtim veriti, ne ciues noui quippiam molirentur, per legatos ſubſidium à Lacedæmoniis expetunt. Hi ergo ſeptem triremibus expeditis, tres illuc viros, Eudocymum, Philodicum & Diphilam, qui rebus agendis præeſſent, ire iubent. qui primùm in Samum profecti, à fide Athenienſium vrbem alienant. dein Rhodúm ipſam digreſſi, componendis ibi negociis ſtudium impendunt. Lacedæmonii ergò dum proſperè res ſuccedere ſibi vident, mare denuò in poteſtatem redigere conſtituunt, & claſſe iterum cōtractâ,

ſocios paullatim ditioni ſuæ adiungunt. Quocirca in Samũ, Cnidum & Rhodum nauigant, & nauibus vndique contractis, præſtantiſſimos in eas claſſiarios deſcribunt, & XXVII triremium claſſem magnificè tandem apparant. Tum Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum cùm Argiuos ad Corinthum hærere cognouiſſet, vniuerſis Lacedæmoniorũ copiis, præter vnam duntaxat tribum, eductis, omnem Argiuorum regionem incurſauit, & facultatibus paſſim direptis, agroque ſuccisione arborum deuaſtato, Spartam retrò mouit.

In Cypro Euagoras Salaminius, vir inprimis generoſus (nam à conditoribus illius vrbis genus ducebat) qui pridem ſeditione quadam in exſilium pulſus fuerat, ſed aliquantò pòſt redierat, exiguâ auxiliariorum manu inſtructus, Regulum vrbis Abdemonem Tyrium, Regis Perſici amicum, eiecit, & vrbe potitus initio Salaminem, magnitudine ac potentiâ inter vrbes Cypri facilè primam, regiâ poteſtate tenuit. breuíque magnis diuitiarum copiis auctus, exercitu comparato, vniuerſam Inſulam in ſuam vindicare ditionem inſtituit. Ciuitatum igitur nonnullas vi ſubegit, alias verborum illecebris ſibi adiunxit. & cæteras quidem ſtatim imperio ſubiecit. ſed Amathuſii cum Soliis & Citienſibus bellum armis depulſuri, per legatos Artaxerxem de miſſitandis auxiliis ſollicitant. Euagoræ præterea interfecti Agyris, qui confœderatus Perſis fuiſſet, crimen impingunt, ſeque in occupatione Inſulæ probam Regi operã nauaturos pollicẽtur. Rex igitur tum quòd maius Euagoræ incrementum accedere nollet, tũ quòd Cyprum ad ſuppeditandũ nauales copias, quibus Aſia defendi poſſet, ſitũ peridoneũ habere, cõſideraret, auxilia decreuit, dimiſſisq; Cypriorum legatis ipſe omnes maritimas vrbes, harumq; præſides miſſis literis, vt triremes cõpingerẽt, & ad claſſis vſum pertinẽtia ſedulò ac maturè appararent, edixit. Hecatomno etiã Cariæ Regulo, vt bellũ Euagoræ faceſſeret, demandauit. Interea ipſe per ſuperiores prouincias harumque vrbes iter habens, cum magnis copiis in Cyprum tranſit. Atque ita res Aſiæ tum ſe habebant. In Italia verò Romani poſt pacem cum Faliſcis firmatam, cum Æquis bellum geſſerunt quartum. Et Sutrium quidem expugnarunt, ſed ex Verrugine oppido ab hoſtibus eiecti ſunt.

X CIX

Cùm annus hic exiiſſet, Archon fuit Athenis Demoſtratus, & Romæ Conſules creati ſunt Lucius Lucretius &

C.

tius & Seruius Sulpicius. Hac tempestate Artaxerxes Stru-
tham, Imperatorem à se declaratum, cum exercitu ad mare
dimittit, vt Lacedæmoniis bellum inferat. de cuius aduentu
Spartani certiores facti, Thimbronem summum exercitus
Ducem in Asiam contra illum mittunt. Is Ionda castellum,
& Coressum, prælati verticis montem, XL stadiis ab Epheso
distantem, occupat. Cùm IIX millibus ergò militum, quibus
in Asià cōscripti accesserunt, regis prouincias populabundus
inuadit atq; vastat. At Struthas cum magnâ equitatus Bar-
barici copiâ, & grauis armaturæ quinq; millibus, & supra XX
millibus leuium, non procul à Lacedęmoniis castra metatur.
Tandem vbi Thimbro cum parte copiarum euagatus, ma-
gnam sibi prædam acquisiuerat, Struthas ex improuiso su-
perueniēs, & Thimbronē ipsum in cōflictu sternit, & pluri-
mos militū eius partim cædit, partim viuos capit. pauci tamē
in castellū Cnidiniū sospites euadunt. Tum & Thrasybulus
Atheniensium Dux cum sua classe è Lesbo Aspendum de-
latus, ad fluuium Eurymedontem triremibus stationem ce-
pit. At licèt pecuniis Aspendios multasset, tamen militum e-
ius pars ex agris prædas hostiliter agebat. Molestè hanc in-
iuriam ferebant Aspendii, idcircò compositis per noctem in-
sidiis Athenienses adorti cum aliis quibusdam, tum etiam
Thrasybulo, necem intulêre. Quo trierarchi Athenienses in
pauorem coniecti, nauibus illicò impletis, in Rhodum ab-
nauigarunt. Sed quia ciuitas defecerat cum exsulibus, qui
castellum quoddam occupauerant, coniuncti, vrbi bellum
facessebant. Athenienses verò simulatque de Thrasybuli
Ducis interitu audiuissent, Agyrium ad prouinciæ illius ad-
ministrationem ire iusserunt. Asiæ igitur res hoc tum in sta-
tu versabantur.

CI. In Sicilià verò Syracusiorum Tyrannus Dionysius,
licèt totam iam pridem Insulam, cum vicinis in Italià Græ-
cis, ditioni suæ adiicere properaret; communem tamen ad-
uersus illos expeditionem in aliud tempus differebat. Inter-
ea non parùm sibi conducere arbitratus, si Rheginos, qui
totius Italię propugnaculum essent, ante omnia tentaret, Sy-
racusis copias eduxit. sub signis tum habebat peditum XX
millia, & equites mille, nauesq; CXX. In fines igitur Locridis
exercitū transmittit, & hinc per mediterranea iter faciens, fer-
ro igniq; Rheginorū terrā deuastat. interea classis ab altera

eum parte comitatur, & cum omnibus tandem copiis iuxta fretum castra metatur. At Itali de Dionysii aduersus Rhegium transitu certiores facti, L X statim naues, vt quàm ocyssimè Rheginis subsidio venirent, Crotone expedierunt. In has, dum altum tenent, Dionysius quinquaginta nauibus euehitur, & quãuis fugam ad littus capesserent, nihilominus tamen ille fugientes premit, & vinculis iniectis, terræ iam appulsas, abstrahere conatur. Iámque propè erat, vt omnes illæ L X naues in hostis potestatem venirent, cùm vniuersa Rheginorum multitudo ad ferendum auxilium effusa telorum crebritudine Dionysium à littore propulsauit, ortóque ventorum procellâ, Rhegini naues ad terram protraxêre. At Dionysius in pugnâ istâ quamlibet fortiter gestâ, V I I naues, militésque cIↃ IↃ haud pauciores in Rheginorum littore amisit. Cúmque viri cùm nauibus ad terram eiicerentur, multi ex nautis viui in ciuium manus venêre. Tyrannus ipse quinqueremi fugiens, cùm identidem haud multùm abesset, quin submergeretur, vix tandem intempestâ iam nocte in portum Messanæ euasit. Et quia iam hyems imminebat, societatem cum Lucanis pactus, exercitum Syracusas reduxit. CII. Posthæc Lucani Thuriorum agros incursabant. hi ergò socios armatâ sibi manu quamprimùm succurrere iubent. Græcæ enim per Italiam ciuitates ita inter se pactæ fuerant, vt si Lucani vnius ex ipsis agrũ hostili prędatione vexarent, omnes ad defensionẽ eius accurrerent, sin vrbs aliqua paratas ad subsidium copias non haberet, eius Duces capite plecterentur. Quamprimùm ergò de hostium aduentu, per tabellarios certiores fecerunt vrbes, Thurii omnes pariter ad expeditionem sese accingebant. Ipsi verò copiis sociorum non exspectatis præmaturo excitati ardore in hostem ducunt, peditatu cIↃↃ cIↃ cIↃ cIↃ cIↃ & amplius, & cIↃ circiter equitibus instructi. Lucani hostium aduentu cognito, in suam se terram recipiunt. At illi concitato, in Lucaniam impetu feruntur: & principio quidem castello quodam expugnato largam inde prædam (obiectam vtique perniciei suæ escam) reportant. dum enim propter hunc successum cristas erigunt, magno hostium contemptu per fauces quasdam arctas & confragosas properant, vt gentem & vrbem rerum omnium copiâ beatam expugnarent. Simulac verò in campũ præaltis vndiq; collibus & iugis abruptis

ruptis cinctum venissent, Lucani, cum vniuersis copiis ab omni parte circumfusi, omnem reditus spem illis intercludũt. Et ex collibus vndique se manifestè ostendentes, cùm magnitudine exercitus, tùm locorum difficultate, summũ Græcis pauorem iniiciunt. triginta enim millia peditum, nec minus quater mille equites sub vexillis habebant. Dúmque Græci contra exspectationem tanto versantur in periculo conclusi; Barbari in planitiem descendunt; prælióque conserto, Italiotæ à Lucanorum multitudine opprimuntur.

CIII. Ceciderant autem plures CCIↃↃ (nam ne quenquam caperent viuum, suis iam antè præceperant Lucani) reliquæ in tumulum quendam mari vicinum profugêre: qui longas accedere naues conspicati, quòd Rheginorum has esse sperabant, in ipsum mare fugâ se præcipites effundere, pars etiam ad triremes adnatauit. Sed classis hæc allabens Dionysii, nauarchúsque Leptines, Tyranni frater erat, ad opem Lucanis ferendum legatus. Is natantes humaniter exceptos in terrã exposuit, & vt pro vnoquoque (plures autem quàm mille erant) argenti minam acciperent, Lucanis persuasit, & pro solutione fidem suam interponens, eò tandem deduxit, vt Itali ac Lucani positis inimicitiis, pacem inter se constituerent. Magnum inde fauorem apud Italos consecutus fuit Leptines. & bellum sanè ad suum, sed non itidem Dionysii emolumentum composuerat. In hac enim spe Dionysius erat, fore, vt Italis & Lucanis bello distractis, ipse rerum in Italiâ quàm facilimè potiretur. Sed illis bello perfunctis, difficilem sibi victoriam fore coniectabat. Leptinem igitur à Prætura classis remouit, alterúmque fratrem Thearíden nauarchum esse iussit. Dum hæc geruntur, Romani Veientanum agrum ita diuiserunt, vt quaterna iugera, vel, vt alii tradunt, vicena octona singulis cederent. Illatóque Æquis bello Lifium oppidum vi ceperunt. Veliternis etiam ob defectionem bellum mouerunt: Satricum præterea defecerat. Atque in Cercios tunc colonia deducta fuit.

CIV. Cum verò post anni huius decursum summam Athenis præturam gereret Antipater, & Romæ consulatu fungerentur Lucius Valerius, & Aulus Manlius; Dionysius Syracusanorum Princeps, in Italiam expeditionem se facturum iam manifestè declarans, cum numerosissimo exercitu Syracusis soluit. nam plus quàm XX millia peditum, & ter mille

fermè equites, naues præterea longas XL, & frumentarias nõ multò pauciores CCC habebat. Quintóque die Messanam appulsus, ipse quidẽ copias in vrbe reficit, Theariden autem fratrem cum XL nauiũ classe ad Liparensium insulas emittit: X enim Rheginorum naues circa loca illa versari famâ perceperat. Thearides igitur illuc excurrẽs opportuno quodam loco naues illas X offendit, iisq; vnà cum viris in potestatem redactis, Messanam repentè ad Dionysiũ se recipit. Qui captiuos in vincula compactos Messaniis asseruandos tradit; & transmissis in Cauloniam copiis, vrbẽ veluti coronâ cingit, machinísq; admotis itentidem oppugnat. At Græci Italiam habitãtes, quamprimùm copias à Dionysio per interiectum ibi fretũ traductas cognouêre, militarẽ & ipsi manũ hinc inde colligere properant. Crotoniatarũ vrbs tum tẽporis hominũ copia quàm maximè abundabat: multiq; è Syracusis profugi illic degebant. His ergò summũ belli imperium cõmittunt, & cõtractis vndique copiis, Helorim Syracusanum præficiunt. Is enim, quòd à Dionysio in exsilium pulsus esset, audaciâque strenuâ excelleret, summâ fide bellum administraturus, odio Tyranni iudicabatur. Cùm tota ergò sociorũ manus Crotonem cõuenisset, Heloris exercitum, pro arbitrio suo ordinatum, haud cunctanter versus Cauloniã duxit, tùm quòd repentino obsidionẽ aduentu solutum iri putabat, tum vt faciliùs cum quotidiano oppugnationũ labore defatigatis certamen iniret. Habebat autem penès se in vniuersum XX peditum millia, & bis mille circiter equites. Etiam bonam itineris partem emensi, ad Helorim fluuium castra locabãt, cùm Dionysius ab vrbe digressus Italiotis in occursum tendit, & tum Heloris cum IO manu selectissimorum reliquum agmen præcesserat. Dionysius ergò XL stadiorum interuallo ab hoste castra metatus, in propinquo illum esse per exploratores cognoscit; & mox summo diluculo copias somno excitatas vlterius promouet: primamq; sub lucẽ Helorianis occurrens pugnã init: & quia cõpositum habebat agmẽ, nihil ad cõfirmãdũ sese spacii aduersariis relinquit. Quo ad magnã redactus inopiã Heloris, ipse quidẽ cum delectorũ circa se manu hostis impetũ sustinet; sed per amicos interim in castra missos, reliquam multitudinem approperare iubet. Illis mandatũ impigrè exsecutis, Itali in quãto periculo Imperator cum suis hæreret cognito, cursim ad ferendam ipsis opem

C V.

opem aduolant. Sed Dionysius conferto agmine circumfusus, Helorim, & qui cum eo venerant fermè omnes, generosè tamen dimicantes, occidit. Nam cùm Itali sparsim in festinatióne illâ succurrerēt, ordinibus seruatis Siculi, absque magno negocio superiores exstitêre. Aliquo tamen vsque periculum Græci ex Italiâ sustinuerunt, quamuis plurimos suorum occumbere viderent. At quamprimùm de interitu Imperatoris audiuerunt, dum perturbatâ se acie mutuo incursu premunt, magnam suorum iacturam faciunt, & tandem collapsis animis in fugam se prorsus effundunt.

CVI. Ibi multis in fugâ per campos trucidatis, multitudo adhuc superstes tumulum quendam, aduersus obsidionem quidem satis munitum, sed qui destitutus aquis esset, & ab hostibus facilè custodiri posset; occupāt. Hūc manu armata Dionysius circumdat, diémq; illum & noctem insequentem, stationibus accuratè dispositis, per vigiles excubias agit. Postridiè cùm æstus, tùm aquarum inopia, eos qui in collem se receperant, malè affectos habebat. Caduceatore igitur ad Dionysium misso, vt redimendi copiam sibi faciat rogitant. Hic ergo mediocritatem in successibus tandem adhibens, vt arma deponant, & victoris se potestati totos permittant, edicit. asperum hoc factu cùm esset, aliquousque miseriam præsentē tolerabant. ast vbi naturæ tandem necessitas grauiùs stimulabat, vt, qui iam toto corpore elāguuissent, octauā circiter horam se dediderunt. Tum baculo Dionysius arrepto collem percutiens, captiuorum inde descendentium numerum inibat: qui CCIↃↃ plures fuerunt. Omnes equidē crudelitatem modò non beluinam sibi metuebant. verùm ille tunc omnium se mitissimum declarauit. nam captiuos absque vllo precio liberos dimisit, & factâ pace, ciuitates suâ iurisdictione vti permisit. Quo merito ingentes apud benignè tractatos laudes consecutus est, adeò vt aureis quoque coronis ipsum remunerarēt. At hoc omnium ferè, quæ per totam egit vitam, pulcherrimum esse visum est.

CVII. Hinc aduersus Rhegium cum instructis ad oppugnationem copiis, ob nuptias cōtumeliosè sibi denegatas, expeditionem suscepit. quod magnam Rheginis trepidationem attulit. neque enim auxiliares, neque copias tanto hosti pares habebant. ad hæc nullum misericordiæ, nullum precibus locū fore, captâ vrbe, præuidebant. Legationē igitur petitū, vt

moderatè secum ageret, nec vltrà hominis conditionem aliquid in se statueret, hortatum mittendam censuerunt. Tum indicto c c c talentorum tributo, & nauibus quotquot habebant numero L X X, ad se receptis, centum præterea obsides Dionysius sibi dari iussit. His omnibus concessis, Cauloniam versus mouet, huiusque ciues Syracusas transfert, & in ciuitatem receptis, quinque annorum immunitatem concedit. Hinc vrbem solo æquat, agrum verò Cauloniatarum Locrensibus donat. Tum Romani post captam Lifœcam Æquorum nationis vrbem, votos à Consulibus ludos Ioui magnificos ediderunt.

Post exactum annum hunc, Athenis Pyrrhio summus Prætor erat, & Romæ Consulare imperium administrabant Tribuni militares quatuor, Lucius Lucretius, Seruius Sulpicius, Caius Æmilius, & Lucius Furius. Olympias tum X C I I X celebrabatur, quâ Sosippus Atheniensis victoriam obtinuit. Per id tempus Syracusiorum Princeps Dionysius, cum exercitu Hipponium ingressus, incolas Syracusiorum in vrbem transfert, excisóque oppido, Locris agrum eius attribuit. de his enim perpetuò bene mereri obnixè studebat, quòd in matrimonii negotio faciles se præbuerant. at de Rheginis vindictam exigere necessitudinis denegatæ causâ hominem stimulabat. Nam quo tempore missis ad eos legatis, ex oppidanis virginem aliquam sibi concedi postulabat, hoc legatis responsi à Rheginis datum esse; se nullam præter lictoris filiam ipsi concessuros esse, memorant. Hoc ille grauiter ferens, atrocíque se iniuriâ affectum ratus, ad vlciscendum eos studium prolixè conferebat. Quòd enim superiori anno pacem cum illis iniuerat, non ideò factum erat, quòd amicitiæ cupidus esset, sed quòd classem L X X triremium illis ademptam cuperet. auxiliis enim à mari interclusis, facilem vrbis expugnationem fore statuebat. Idcircò moras in Italiâ nectens, speciosam aliquam occasionem venabatur, quâ minimè præter dignitatem suam fœdus rupisse videretur. Promotis igitur ad fretum copiis, ad traiiciendum necessaria comparat: ac tum commeatu se à Rheginis leuari petit, quicquid suppeditatum fuerit; propediem Syracusis se remissurum promittens. Hoc eo consilio fecit, vt si nihil darent, iustam exscindendi vrbem habuisse causam videretur; sin promptè largirentur, post exhaustam annonam,

C V I I I.

C I X.

honam, obsidione illam premens, ob inopiam suæ faciliùs potestati subiiceret. Rhegini nihil horum suspicati, ad dies aliquot initio cibaria luculentè suppeditabant. At cùm modò valetudinem aduersam, modò aliud quippiam causaretur, consiliis tandem intellectis, alimenta castris eius non ampliùs expromebant. Hoc perindignè se ferre simulans Dionysius, obsides Rheginis statim reddit, & copiis vndique oppido circumfusis, quotidiè oppugnationem vrget. Machinas præterea incredibili magnitudine, numeroque non exiguo adornatas habebat, quibus mœnia, procellæ instar quatiendo vrbem expugnare enixè contendebat. Rhegini contrà, cùm Phytonem sibi Ducem creâssent, & quotquot per ætatem arma ferre poterant, in armis esse iussissent, excubias diligenter agere, & eruptionibus opportunè factis, hostium machinas incendere. Ac sæpenumerò egregiè pro patriâ ante mœnia propugnando, irasque contra pugnātium inflammando, multos suorum amittere, nec paucos Siculorum interimere. Quid? quod fortè fortunâ Dionysius ipse lanceâ circa pubem ictus, parum abfuit, quin vitam amiserit, ægréque vires à vulnere isto recuperârit. Quanquam verò prolixiùs obsidio extraheretur, quòd summum pro tuendâ libertate studium Rhegini adhiberent, nihilominùs tamen Dionysius in quotidianis militem assultibus detinebat, à pristino suo proposito minimè decedens.

CX. Interea dum Olympiorum celebritas ingruit, complures ad certamen quadrigas, celeritate aliis longè præstantes, scenasque auro interlucentes, & sumptuoso textilis artificii opere multifariam exornatas, ad Panegyricam illam solennitatem misit. His Rhapsodos addidit probatissimos, qui poëmata eius publicè recitando magnam Dionysio gloriam pararent. insano enim Poëticæ studio tenebatur. curatorem verò his omnibus præfecerat Theariden germanum. Qui postquam ad Panegyrim deuenit, tabernaculorum elegantiâ & multitudine quadrigarum oculos hominum in se conuertit. hinc cùm etiam Rhapsodi poëmata Dionysii proferre cœpissent, initio quidem ob decoram histrionum vocem, populi concursus fiebat, omnesque mirabātur. simulac verò quàm praua & futilia essent carmina intellexêre, effuso Dionysium risu prosequuti, eò contemtus processerunt, vt tabernacula discerpere auderent. Quin etiam Lysias orator in Olym-

pia tùm versans, multitudini hortator erat, ne Theoros, à profligatæ impietatis Tyranno missos, in sacrorum communionem ludorum admitterent. quo tempore orationem, cui Olympiacæ titulum fecerat, in publico conuentu recitauit. Iamque certamen commissum erat, vbi fortè fortunâ accidit, vt Dionysii quadrigæ partim extra cursus limites deferrentur, partim collisione mutuâ confringerentur. Nec meliore fortunâ nauis Theoros vehens, dum à ludis Siciliam versùs tendit, ad Italiæ vrbem Tarentum, vi tempestatis, depellitur. Vectores igitur Syracusas reuersos famā hanc per vrbem disseminâsse ferunt, prauitate carminum effectum esse, vt non recitatores tantùm, sed ipsi etiam currus & nauis reiecti fuerint. Etsi verò poëmata sua passim malè audire, exsibilarique Dionysius accepit, poëticæ tamen studiũ nequaquam abiecit: hac assentatorum voce recreatus, omniũ præclarè gestorum inuidos obtrectatores, tandem illa ipsa cum admiratione prædicare. Tum Romani cum Volsiniensibus acie congressi ad Gurasium, magnam hostium stragem ediderunt.

Iamque annus ille his peractis exiuerat, cùm Athenis Prætorem egit Theodotus, & Romę consularem magistratum inierunt Tribuni militares sex, Quintus, Cæso, Caius, Fabii, Quintus Seruilius, Quintus Sulpicius, Seruius Cornelius. Hoc tempore Lacedæmonii bello, quod simul cum Græcis & Persis gerendum esset, defatigati, nauarchum suũ Antalcidā pro pace cōstituēda ad Artaxerxē proficisci iubēt. Hic cùm mandata, quorum causa missus erat, quàm fieri potuit commodissimè, Regi exposuisset, ille his se conditionibus pacem cum Græcis sanciturum respondet, si Græcæ per Asiam ciuitates sub regis ditionē redeant, reliqui verò Græci omnes suis vrbes legibus administrent. Quod si qui rebelles fœdus non admittant, hos se per adstipulatos bello impetiturum. His ergò conditionibus approbatis, Lacedæmonii ab armis quiescunt. Athenienses verò & Thebani, cumque his alii, Asiæ ciuitates ita proditas esse molestè ferunt. sed cùm ad bellum contra Persam non sat virium haberent, necessitate coacti leges illas pacis recipiunt. Tum Rex à longâ cum Græcis controuersiâ liberatus, copias suas in bellum Cyprium paratas esse iubet. Nam Euagoras totâ propè Cypro euocatâ numerosissimum coëgerat exercitum,

CXI.

quòd

quòd Artaxerxes bello Græcorum distineretur. Interea Dionysius mensem iam vndecimum obsidioni Rheginorum inhærens, cum auxilia vndique præclusisset, in extremam rerum necessariarum inopiam obsessos coniecit. Minis decem tùm frumenti medimnum Rheginis venisse, proditum est. Fame igitur subacti, equos initio, iumentaque alia in vsum alimentorum vertebant. inde pellibus elixatis vescebantur. ad extremum oppidū egressi, herbas sub mœnibus enatas pecudum ritu depasci cœperunt. Sic naturæ tum necessitas à consueto hominum victu ad brutorum pabula cōfugere misellos cogebat. Dionysius tamen, cùm quid à Rheginis fieret audiuisset, tantum abfuit, vt vicem illorum, qui humanâ conditione maiora pati cogebantur, misertus sit, vt etiam calamitatem ipsis adaugens, inductis eò iumentis herbas depasceret, & quicquid illic locorum graminis esset, prorsum aboleret. Oppidani igitur his malis, omnem modum excedentibus victi, vrbem Tyranno cum potestate pro arbitrio in eos statuendi, dediderunt. Is magnas cadauerum strues, qui victus inopiâ exstincti fuerant, in vrbe reperit. quin superstites adhuc resoluto corporum vigore, mortuis parum absimiles cernere erat. Captiuorum tamen supra IↃↃ CIↃ congregauit. & hac turbâ Syracusas transmissâ, quicunque minâ se redimere possent, eos liberos esse iussit: quibus verò tanti æris facultas non esset, hos sub hastâ venum dedit. Phytonem autem exercitus Imperatorem comprehensum in vincula coniecerat. cuius filium in mare demersit, ipsumque primò machinis altissimis ceu Tragicum supplicii exemplum editurus, alligauit, missoque satellitum vno denunciari iussit: heri filium ipsius à Dionysio in mari suffocatum esse. cui Phyto, natum vno die patre suo fortunatiorem esse, respondit. Posthæc per totam vrbem circumductum flagris cædi, omnisque ludibrii & sæuitiæ genere adfici iussit, proclamante interim præcone, hominem istum tàm insolenti propterea supplicio multari, quòd ciuitatem suam ad bellum concitâsset. At Phyto qui per obsidionem strenuum se ducem gesserat, & reliquum vitæ curriculum exegerat cum gloriâ, tunc mortis quoque supplicium non abiectè tulit: sed animum intrepidum retinens clamabat, se quòd vrbem Dionysio prodere non voluisset, supplicio adfici; cuius tamen vindictam

CXII.

CXIII.

breui deus ab ipso exacturus sit. Hæc tàm egregia viri fortitudo etiam Dionysii milites ad misericordiam flectebat. iamque pars tumultuari cœperat, cùm Dionysius, ne Phytonem nonnulli ex ipsis eripere sibi auderent, subueritus, intermisso tandem cruciatu, infelicem cum totâ cognatione mari submergendum dedit. Sic vir ille contrà, quàm virtus sua promerebat, enorme supplicium luit, multosque habuit ex Græcis, qui & tum calamitosissimam eius vicem dolerēt, & pòst, ex poëtis nonnulli casum tàm miserabilem carminum lamentis prosecuti sunt. Quo tempore verò Dionysius Rhegium arctissimâ obsidione premebat, Galli qui transalpinas regiones inhabitant, validis angustias illas copiis transgressi, terras inter Apennini & Alpium iuga occupant, Tyrrhenis, qui illic habitabant eiectis. Hos nonnulli ex duodecim Tyrrheniæ oppidis eò deductas tradunt. alii Pelasgos eos faciunt, qui ante belli Troiani tempora Deucalionis è Thessaliâ diluuium fugitantes, ibi locorum consederint. Cùm verò Galli distributam in gentes terrā possideant; qui Senones appellantur, remotissimum à mari collē de his montibus incolendum acceperunt. Hi, quòd nimio æstu grauarentur, incommoditate loci offensi, aliò sedes trāsferre properârunt. Iuuentutem ergò suam armis instructam alias inuestigatum sedes emittunt. Ad tricies ergò mille irruptione in Hetruriam factâ, Cauloniorum agros populantur. Sub hoc tempus Romani legatos in Etruriam ad speculandum, quænam hæc Gallorum expeditio esset, misêre. qui Clusium profecti, cùm instructas ad prælium vtrinque acies viderent, fortes magis, quàm prudētes, vnà cum Clusinis aduersus oppugnantem eos hostem in conflictum descendunt. Cumque alter ex legatis prosperè dimicans præcipuæ nobilitatis Ducem occidisset, Galli re cognitâ, legatos Romā mittunt, postulatum, vti legatus, iniusti belli inceptator, dederetur. Ibi Senatus, vti pro iniuriis acceptis legati pecuniis satisfieri sibi patiantur, hortantur. Vbi nihil hoc modo apud illos effectum, rei tradendi consilium ineunt. tum pater eius, qui iamiam in hostium manus sistendus erat, consulari tùm potestate tribunatum gerens, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum reiicit, & quia opibus, & gratiâ apud plebem valebat, vt irritum Senatus iudicium habeatur, facilè impetrat. Populus igitur perpetuò hactenus Senatusconsultis

C X I.

consultis

consultis acquiescens & obtemperans, tunc primùm senten-
CXV. tiis in Senatu dictis refragari cœpit. At legati Gal-
lorum in castra suorum reuersi, quid à Romanis responsum
sit, renunciant. ob quod magnoperè irati nouis gentis suæ
copiis sese confirmant, ipsamque è vestigio Romam cum
plus quàm LXX hominum millibus petunt. At Tribuni
Mil. qui tunc in magistratu erant, aduentu hostium cognito,
quicunque per ætatem bello idonei essent, hos arma capes-
sere iubent, & cum vniuersis copiis egressi, superato Tyberi
ad vndecimum vsque lapidem in ripa fluminis exercitũ du-
cunt. Ibi cùm hostem in propinquo esse nunciaretur, aciem
hoc modo instruunt, vt fortissimos, XXIV millia circiter, à
flumine ad colles vsque extenderent, infirmissimam verò a-
gminis partem in locis editioribus collocarent. Ex aduer-
sum phalange longiùs exporrectâ, consultò an fortuitò in-
certum, robustiores debilioribus in colle Romanis oppo-
nunt. Iamque tubarum clangore vtrinque pugnæ signum
datur, & exercitus magno clamore ad dimicandum concur-
runt. Ibi delecti Gallorum cum inualidâ Romanorum ma-
nu congressi, non magno illam negotio de cliuo depellunt.
qui cùm effusè ad agmen suorum in planicie refugerent, or-
dines perturbantur, & incumbente Gallo, fugam etiam ipsi
arripiunt. Interea dum maior pars iuxta ripam amnis de-
properat, aliique alios in turbâ promiscuâ impediunt, hostis
nihil remittens extremos quosque cædit. vnde cadauerum
strage totus ille campus oppletur. Fortissimi illorum, qui
ad flumen defugerant, vnâ cum armis tranabant, eodem
precio arma vitamque habentes. sed nonnullos, quod & ve-
hementior esset cursus, & moles armorum deprimeret, gur-
gites hausêre. Quidam inter multas difficultates ad longius
interuallum obliquè abrepti, ægrè euaserunt. Plurimi tamē
adhuc superstitũ, cùm hostis vrgere non desineret, magnam-
que in ripâ stragem faceret, reiectis armis in vlteriora Tibe-
ris enatarunt.

CXVI. Quanquam verò Galli magnam ad flumen cædem
patrâssent, feruore tamen cædendi haud remisso, in tranatā-
tes tela iaciunt. quæ, quòd magno numero in densam natan-
tium turbam mitterentur, haudquaquam frustrà cadebant.
vnde alii lethaliter icti, continuò exspirabant. alii vulneribus
confecti, tùm propter sanguinis effluxum, tum violentum

fluminis impetum viribus exhausti, deferebantur. Ab hac igitur funestâ Romanorum clade, maxima pars illorum, qui incolumes effugerant, Veios se recepit, nuper ab ipsis excisos: locoque pro viribus communito, reliquos per fugam elapsos ad se receperunt. Pauci ex illis qui flumen traiecerãt inermes Romam reuersi, omnes occidione periisse renunciabant. Quæ tanta calamitas, quotquot in vrbe relicti fuerant, extremè perplexos reddidit. nam robore ciuium deleto, iam hostibus nullo modo resisti posse, existimabant. ad hæc cum liberorum & coniugum turbâ, hoste tàm propinquo, fugere, cum summo periculo coniunctum videbatur. Complures itaque de priuatis cum familiâ vniuersâ in oppida vicina profugere. At magistratus vrbani, plebe ad spes meliores reuocata, frumentum & reliqua necessaria in Capitolium comportare iubent. quo facto præter alimentorum copiam auro simul & argẽto & vestibus preciosissimis arx repleta fuit. quippe cùm ex vniuersâ vrbe omnis generis bona vnum in locum congererentur. Ad transferendum verò opes, quæ quidem transferri possent, locumque muniendum tridui solummodò spacium habuêre. nam primum diem Galli in resecandis pro more patrio capitibus transegerunt: per sequens biduum castris vrbi admotis quieuerunt. Cùm enim nudata propugnatoribus mœnia cernerẽt, & nihilominus mixtum clamori strepitum (quem transportãdis in arcem supellectilibus ad vsum maximè idoneis obsessi excitabant) persentiscerent, insidias sibi tendi suspicabãtur. Die autem quarto, veritate rei cognitâ, portas effringunt, vrbemque, paucis saltem in palatio domibus exceptis, ad vastitatem redigunt. Pòst licèt assiduis loca munita incursibus oppugnarent, memorabilis tamen detrimenti hostibus nihil intulerunt, plurimis interim suorum amissis. Sed propterea nihil de contentione remittentes, si non vi arcem subigerent, tempore saltem, vbi nihil amplius cibariorum superesset, se obsessos expugnaturos sperabant.

CXVI

Dum his Romana res angustiis hæret, Tusci Romanis vicini cum validâ manu in agros ipsorum incursione factâ, omnia passim agunt, feruntque. iamque multa in potestatem suam corpora, prædasque non exiguas redegerant: cũ Romani, qui Veios profugerant, ex improuiso hostes inuadunt, inque fugam actis non omnem modò prædã eripiunt;

sed ipsis quoque castris potiuntur. Hinc multis locupletati armis, inter suos adhuc inermes ea distribuunt, & agrestes præterea, hinc illinc concitos, armis instruunt. Ciues enim, qui in Capitolium perfugerant, obsidioni eximere propositum habebant. cúmq; ambigerent, quonam modo inclusis hoc ipsum significarent, quòd castris suis amplissimis Galli arcem vndique circumuallarent: tum Pontius quidam Cominius obsessos intra Capitolium se confirmaturum recepit. ingressus ergò viam, fluuio secundo per noctem denatat, & clàm inuium quoddam Capitolii saxum aggressus, difficili corporis attractu, in illud euadit. Atque inde obsessos de ciuium apud Veios congregatione, & quod captata occasione Gallos oppressuri sint, certiores facit; eademque, quà adscenderat, degressus, traiecto rursus flumine Veios redit. At Galli notato recèns in arcem egressi vestigio; per idem saxum adscendere & ipsi cõstituunt. Circa mediam igitur noctem, cùm excubias negligentiùs, propter eximiam loci firmitatem, agerent vigiles, quidam ex Gallis in summũ euasêre. Et custodes quidem fefellerant; sed sacri Iunonis anseres ibi alebantur: qui subeuntes conspicati clangore suo prodiderunt, concursuque vigilum illuc facto, hostes territati vlterius progredi non audebant. Interea Marcus Manilius, vir illustris, ad loci defensionem adproperãs, Galli, iam ad summum enitentis, manum gladio præcidit; & vmbone in pectus ictum, ex rupe deturbat. Ad hunc modum & altero pessum dato, reliqui confestim retrò se subducunt. At quia præruptum illud saxum erat, omnes in præceps ex consternatione illà delati, fœdè perierunt. Inde cum de componendo bello Romani legatos mitterent, his pactis assenserunt, vti mille auri pondo acceptis, vrbe excederent, finesque Romanorum missos facerent. Hinc populus Romanus, quòd & domus euersæ, & ciues plerique exstincti essent, liberam cuique, quò ipse vellet, ædificandi potestatem dedit, tegulæque ex publico præbitæ, quæ publicæ inde ad hoc vsque tempus nominantur. Dum verò pro suo vniuersi arbitrio domus sibi exstruunt; accidit, vt vici angustiores & tortuosi fierent: quos opibus in posterum amplificatis ad rectitudinem haudquaquam reducere potuerunt. Sunt etiam qui memoriæ prodant, aureum tunc ornatum matronas ad redimendam patriæ salutem impendisse vnde

hic honos illis publicè habitus, vt carpentis inuehi per vrbem ipsis liceret. Afflictis per eam, quam diximus, calamitatem fortunis Romanorum, Volsci bellum ipsis mouerunt. Tribuni igitur consulares delectu militum habito, & copiis in apertum eductis, in Martio, vt appellatur, campo, ad vicesimum quintum ab vrbe lapidem, castra posuêre. Volsci autem longè maiores in hostem copias eduxerant; iamque impetum in castra faciebant. idcircò anxii super his Romani, Marcum Furium Dictatorem creant: qui iuuenibus arma induere iussis, noctu copias educit, & à tergo Volscos, qui iam toti in castrorum oppugnatione erant, inuadẽs, haud difficulter in fugam dissipat. Cúmque etiam obsessi è castris se effunderent, interclusi in medio Volsci, fermè omnes ceciderunt. Gens igitur hæc potẽs antea visa, ad summam virium inopiam, vt nulla omnium circumquaque habitantium alia, per illam cladem redacta est. Hinc Dictator Bolas oppugnari ab Æquis (qui nunc Æquicolæ vocantur) audiens, ductis illuc copiis maximam obsidentium partem trucidauit. Inde Sutrinum Romanorum coloniam ab Æquis tunc occupatam, cum exercitu pergit. Subitâ itaque impressione Etruscos adortus, magnâ hostium strage factâ, Sutrinis vrbem restituit. Sub id tempus Galli à Româ digressi Veascium, vrbem Romanis confœderatam, oppugnabant; In hos impressionem faciens Dictator, plurimos occidit, omnibusque impedimentis, inter quæ etiam aurum Romæ appensum erat, & vniuersa propè, quæ vrbe captâ in prædam venerant, potitur. His, tantisque rebus ab eo gestis, Tribunorum plebis tamen inuidiâ triumphum agere prohibitus est. quamuis nonnulli perhibeant de Thuscis, in albis eum quadrigis triumphâsse, & biennio pòst magnâ æris summâ à populo multatum. De quo suo deinceps loco mẽtionem faciemus. Gallorũ pars ea, quę in Iapygium transierat, per Romanorum fines reditum instituebant. hos Cerii per insidias noctu oppressos, in Trausio campo internecione conciderunt. Porrò Callisthenes historicus, suum de Græcis opus ab hoc anno, quo pax inter Græcos & Artaxerxem inita est, & tricennale tempus decem libris complexus, postremum cum eo finit, quo templũ in Delphis à Philomelo Phocensi captum expilatumque fuit. Nos tandem ad pacem Græcorum cum Artaxerxe, & periculum Romæ à Gallis

CXVIII.

à Gallis intentatum, delati, iuxta nostrum ab initio propositum, finem libro imponemus.

HÆC IN XV. DIODORI LIBRO CONTINENTUR.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE Liber XV.

CVm per totum hoc opus familiarem historiæ orationis libertatem adhibeamus, virosque bonos debitis laudibus prosequamur, malos contrà reprehensione dignâ adficiamus; hoc equidē modo futurum existimamus, vt quorum indoles ad virtutem apta est, hi per immortalis gloriæ propagationem, ad res præclarè gerendas excitentur, qui verò aliter affecti sunt, ab impetu ad prauitatem rapiente vituperationibus hisce in loco factis deterreantur. Postquam ergò historiæ nostræ contextum ad ea tempora deduximus, quibus Lacedæmonii ad Leuctra præter omnem spē victi cæsique in magnam calamitatem inciderunt, & rursus ad Mantineam inopinatò fusi, principatum Græciæ amiserunt, officii nostri esse ducimus, si & receptum in scribendo tenorem seruemus, & iustam Lacedæmoniorum criminationem præmittamus. Quis enim non accusandos meritò censeat, qui cum imperium à maioribus quàm optimè fundatum, & ab iisdem supra quingentos annos magnâ virtute conseruatum accepissent, id suâ tunc stultitiâ labefactatum & solutum cognouerunt? Nec sanè immeritò. nam qui ante hos ætatem egerant, gloriam tàm insignem, multis cædibus ac periculis acquisitam, eo ipso confirmârant, quòd benignè ac humaniter erga subditos se gererent: at posteri illorum, dum violenter & asperè socios tractant, bellaque Græcis iniusta & superba inferunt, suâ imperium temeritate haud immeritò perdidêre. Nam in rebus ipsorum aduersis, qui propter acceptas iniurias pridem odio flagrauerant, inimicos vlciscendi occasionem cupidè arripiebant. & qui ab vltima inde maiorum ætate hactenus inuicti manserant, eos tantùs excepit contemptus, quantum illos comitari par est, quorum vitiis maiorum virtus aboletur. Thebani igitur, qui per multas hominum ætates potentioribus

subiecti

ſubiecti fuerant, tunc victis inſperatò Lacedæmoniis Duces Græcorum effecti ſunt. At Lacedæmonii poſt imperium ſemel ademtum, priſtinam maiorum dignitatem nunquam recuperare potuerunt. Nunc poſtquam ſatis hi nobis culpati ſunt; ad inſequentium hiſtoriam temporum hiſtoriæ noſtræ ſtylum transferemus. Præcedens ergò liber, in ſerie totius operis XIV, cum Rheginis in extremam à Dionyſio ſeruitutem redactis, & Româ à Gallis captâ, deſinit. quod proximo ante Perſarum in Cyprum aduerſus Euagoram regem expeditionem accidit. Ab hoc bello præſentem librum exorſi, cum anno qui regnum Philippi Amyntæ filium proximè antecedit, eundem finiemus.

II. Iam Athenis Pretor erat, Myſtichides, & Romæ Tribunos conſulari dignitate tres conſtituerant, Marcum Furium, Caium * & * Æmilium, cùm Artaxerxes Perſarum Rex expeditionem in Euagoram Cypri Regem ſuſcepit. Is multum temporis in belli apparatu inſumſerat, & magnas vndique copias contraxerat, tùm nauales, tùm etiam terreſtres. nam pedeſtris exercitus cum equitatu trecentis millibus conſtabat; triremesque adornârat plures CCC. Duces autem præfecit; pedeſtribus copiis Orontem generum, naualibus Teribazum, virum magnæ inter Perſas exiſtimationis, qui aſſumptis in Phocæa Cumáque exercitibus, in Ciliciam deſcenderunt: vnde in Cyprum tranſuecti, ſtrenuâ in bellum adminiſtrandum operâ incubuerunt. Interea Euagoras Acorim Ægyptiorum regem, hoſtiles cum Perſis inimicitias gerentem, ſocietatis fœdere ſibi adiunxerat: qui validis eum copiis inſtruebat. Hecatomnus etiam Cariæ Regulus clàm cum ipſo faciens pecunias in peregrini militis ſtipendia ſubminiſtrabat. alios præterea Perſis inimicos, tùm ſecretò, tùm manifeſtò, ad ſocietatem belli pertraxit. Et plerasque tùm vrbes Cypri in poteſtate habebat. ad quas Tyrus in Phœniciâ, & aliæ quædam acceſſerant. Triremes autem ipſi erant nonaginta: ad Tyrum viginti, reliquæ ſeptuaginta in Cypro adornatæ. Militum propriorum IↃↃ CIↃ; auxiliarium verò multò plures habebat. Interim cùm pecuniæ affatim ſuppeterent, numeroſam peregrinorum manum ſtipendio conduxerat. Quin Arabum etiam Rex, aliique

regi Persarum suspecti, militum vim haud exiguam illi miserant. His ille copiis instructus, magno ad bellũ animo se conferebat. Ac primò nauibus prædatoriis, quarum sat multas ad manum habebat, onerarias hostium, quibus commeatus aduehebantur, insidiis exceptas, quà demergere, quà accessu prohibere, nonnullas etiam intercipere. quo sanè effectum, vt, cùm mercatores frumenta in Cyprum (vbi tam numerosi tum exercitus congregati erant) transuehere non auderent, ingens statim annonæ caritas per castra Persarum oriretur. ea res seditioni causam præbuit. nam propter commeatus inopiam, conductitii Persarum milites in Duces impetu facto, nonnullos occidere, tumultuque ac seditione tota castra implere: adeò quidem, vt non nisi magnâ cum difficultate Tribuni Persarum militares, & totius classis Imperator, cui Gao nomen, æstum seditionis illum comprimere potuerint. Cùm totâ igitur classe auecti magnam frumenti copiam è Ciliciâ transportant: vnde castris deinceps alimenta prolixè suppetebant. At Euagoræ rex Acoris ex Ægypto frumenti & pecuniæ cæterique apparatus, quantum sat esset, transmittebat. Euagoras autem classe hostili suam longè inferiorem esse cernens, LX præterea naues impleuit, & ab Acoride quinquaginta præter has accersiuit, vt triremes in vniuersum CC haberet. Has magnificè ad prælium nec absque terrore hostium instructas, crebris experimentis & præludiis exercens, ad certamen nauale præparabat. Accidit verò, vt classis regia Citium versus prænauigaret. tum subitò nauibus bono ordine instructis in Persas inuectus, longè illis præstabat. dum enim naues benè ordinatas, cum necdum in ordinem digestis, virosque ex antè habito consilio prouidè rem gerentes, cum inconsultis & nihil horum exspectantibus committunt, primo statim conflictu paratam sibi victoriam facit. Triremibus enim coniunctis in dispersas ac tumultu perturbatas inuectus, partem corrupit, partem in potestatem suam accepit. At cùm nauarchus Persarum aliique Duces fortiter vim hostis exciperent, acris incruduit pugna, quâ primùm Euagoras superior erat: sed pòst vbi Gaos omni virium suarum mole infertur, & animosè decertat, Euagorani cum magnâ triremium iacturâ, fugam capessunt. Persæ itaque, prælio hoc victoriam adepti, vtrumque exercitum congregant ad

III.

IV.

Citium,

Citium, vnde armis in hostem expeditis, Salaminem obsidione cingunt, vrbemque à terrâ simul & mari oppugnant. Teribazus autem à prælio nauali in Ciliciam traiecit. atque inde ad regem profectus, victoriæ nuncium pertulit, & duo talentûm millia ad belli vsus reportauit. Cæterùm Euagoras ante pugnam illam naualem pedestri suo agmine partem terrestris hostium exercitus aggressus, victoriam obtinuerat. vnde excitatas in futurum spes foueret. At post infelicem prælii naualis successum, cùm arcta insuper obsidione premeretur, animum submittere cœpit. Nihilominus tamen in proposito bellandi perseuerandum ratus, relicto ad defensionem vrbis filio Pythagorâ, cui summam rerum in Cypro administrationem commiserat, cum decem ipse triremibus clam hostibus, noctu è Salamine soluit, & in Ægyptum deuehitur: vbi cum rege congressus hortator illi est, vt commune sibi cum Persis bellum esse persuasum habeat, & propterea totis in hoc ipsum viribus incumbat.

V. Dum hic rerum in Asiâ cursus est, Lacedæmonii infesto Mantineam exercitu, nullâ fœderis nuper icti habitâ ratione, petere, & ob has quidem causas, decreuerunt. Iam pax Græcis omnibus communis (quâ ciuitates vniuersæ præsidiis eiectis liberam ex pacto iurisdictionem receperunt) Antalcidæ operâ sancita fuerat. Spartani igitur naturâ dominandi cupidi, longoque studio ad bella procliues, pacem illam, vt graue admodum onus tolerare haud poterant, sed pristinum Græciæ principatum affectantes, ad innouandum res animos surrigebant. Ideò statim vrbes commouere, perque fautores suarum partium seditiones in illis excitare, quarum nonnullæ ansam turbandi præsentem statum eis præbebant. Nã quæ suis viuendi legibus potestatem receperant, rationes ab iis, qui sub Lacedæmoniorum imperio magistratus gesserant, exigebant. Cúmque acerbiùs inquireretur, quòd pertinax iniuriarum memoria plebem stimularet, multique in exsilium agerentur; patrocinium illorum Lacedæmonii susceperunt, qui aduersariorum factione premerentur. Interim dum in clientelam receptos armatâ manu reducunt; vrbes initio minùs potentes in seruitutem redigunt. pòst magni etiam nominis armis oppressas, imperata facere cogunt: cùm ne per duos quidem annos fœdus illud commune integrum seruassent. Iã quia Mantineensium vrbs viris fortissi-

mis abundans in propinquo ipsis erat, incrementum à pacè ad illam redundans suspectum habere cœperunt. animorum itaque celsitudinem in viris illis deprimere contenderunt. Quodque primum erat, missis eò legatis mœnia vrbis deiicere, & in antiquos quinque pagos, ex quibus Mantineam commigrarunt, sedes transferre iubent. Cùm nemo illis pareret, expeditis eò copiis, oppugnare vrbem aggrediuntur. Mantineenses ergò missis Athenas legatis, auxilium sibi ferri postulant. At cùm Athenienses commune pacis fœdus transgredi minimè vellent, ipsi nihilominus vim oppugnationis in se recipiunt, suisque viribus hosti fortiter resistunt. Atque hoc modo Græcia nouo iterum bello ardescere cœpit. In Siciliâ verò Tyrãnus Syracusiorum Dionysius, bello Carthaginiensi liberatus, in prolixâ pace ocioque agebat. Poëmatibus igitur scribendis impensâ operâ animum aduertit, & accersitos passim, qui hac in arte celebres erant, præcipuo in honore habebat, & familiariter cõsuescens, magisterio & censuræ illorum poëmata submittebat. Horum ergò laudibus, ad gratiam propter beneficia compositis, altos spiritus concipiens, magis ob poëmata quàm res armis præclarè gestas sese iactabat. Inter familiares autem ipsi poëtas Philoxenus erat dithyramborum artifex, eximiam in sui carminis genere auctoritatem consecutus, cùm in conuiuio inepta Tyranni poëmata recitarentur, quid de his iudicaret, interrogatur, liberiùs aliquantò respondens, Tyranni offensam incurrit. qui per inuidiam se reprehensum arbitratus, satellitibus, vt in lapidicinas abducatur, imperat. Sed postridiè ad veniam Philoxeno tribuendam ab amicis exoratus, illi reconciliatur, & iisdem ad conuiuium rursus adhibitis, cùm prolixiùs compotationi indulgeretur, Dionysius carmina sua iterum mirificè extollit, & prolatis quibusdam versibus, in quibus operæ sibi precium fecisse videbatur, quid de his iam sentiat, exquirit. Ad quod ille ne verbum quidem: sed stipatoribus Dionysii aduocatis, se ad lapidicinas abduci iubet. Hanc tum libertatem Dionysius, ob lepôrem risu exceptam, æquo animo tulit; quòd acumen reprehensionis risus hebetaret. Nec longè pòst, cùm familiares vnà cum Dionysio intempestiuam illam taxandi licentiam deprecarentur, Philoxenus insolenti quodam promisso annuit. quippe se responso in posterum suo iuxta veritatem ac be-

VI

ac beneuolentiam approbationemque Dionysii conserua-
turum. Nec sanè fefellit. postquam enim Tyrannus ver-
sus, qui miserabiles affectus exprimerent, in medium produ-
cens, quales hi tandem ipsi viderentur, rogaret, *miserabiles*
respondit; vtrunque (quod pollicitus fuerat) per vocis ambi-
guitatem præstans. Nam Dionysius ita accepit, quasi ver-
sus miserabiles eos intelligeret, qui commiserationis affe-
ctu pleni essent: quæ virtus non, nisi bonis alioqui poëtis
competit: ideoque præclaram sibi laudem ab eo tributam
arbitrabatur, sed alii veram eius dicterii sententiam ita in-
terpretabantur, quòd miserabile illud totam vitiosi poë-
matis naturam denotaret. Nec dissimile huic est, quod

VII. Platoni philosopho accidit. Virum enim hunc Dionysius ad
se pellectum, quòd dignam philosopho libertatem in eo de-
prehenderet, sub initia magno in precio habebat. sed post-
modum verbis eius quibusdam offensus, animũ ab eo pror-
sum abalienauit, adeò quidem, vt in catastam productum,
non secus ac mancipium quinque illum minis venumdaret.
Verũ hunc Philosophi (qui propterea conuenerant) redẽptũ,
in Græciam remiserunt, hac sententiâ amicè commonefa-
ctum: Quòd philosophum cum Tyrannis vel rarissimè, vel
suauissimè, versari oporteat. Sed tamen Dionysius à poë-
matum condendorum studio nequaquam desistebat. Quin-
imò histriones voce longè præstãtissimos ad solennẽ Olym-
piæ conuentum, sua illic carmina exhibituros, misit. qui
principio quidem insigni vocis elegantiâ, admirationem non
mediocrem in auditoribus excitabant. ast vbi in considera-
tionem res venit, nihil quàm effusum inde risum abstule-
runt. De quo poëmatum suorum despectu & exsibilatione
certior factus Dionysius, in extremam mœstitudinem inci-
debat. quâ de die in diem ingrauescente, furor tandem ani-
mum eius occupauit, adeò quidem, vt omnes sibi inuidere
diceret, & amicos etiam insidiarum suspectos haberet. Ad
extremum eò mœroris & insaniæ processit, vt necessario-
rum multos, falsis criminibus oneratos, necaret: nec pau-
cos exsilio plecteret. inter quos erant Leptines eius frater, &
Philistus, eximiæ fortitudinis viri, qui præclara sæpenume-
rò Tyranno in bellis commoda præstiterant. hi ad Thu-
rios in Italiam profugerunt, magnumque fauorem adepti,
cum Tyranno deinceps, idipsum rogãte, in gratiã redierunt,

& non modò in ciuitatem Syracusanam, verùm & pristinum beneuolentiæ & dignitatis locum restituti sunt. Leptines insuper Dionysii filiam in coniugium accepit. Et has ille annus res gestas habuit.

Cùm Archontis inde magistratum Athenis gereret Dexitheus, & Romę Cõsules essent Titus Lucretius & Seruius Sulpicius, Euagoras Salaminiorum rex ab Ægypto in Cyprum redit, pecunias quidem secum adferens, sed exspectatione suâ longè pauciores. Cúmque Salaminem summoperè ab hostibus obsessam, inueniret, seque omni sociorum auxilio destitutum videret, de pacificatione legationem mittere cogitur. Teribazus igitur, penès quem summa tùm potestas erat, se transactionem admissurum, si Euagoras omnibus per Cyprum vrbibus cedens, & vnius Salaminis dominio contentus, annuum regi tributum dependat, & ad imperata, vt seruus domino, sit præstò, respondit. Quæ optio licèt perquàm dura esset, Euagoras tamen reliqua omnia concedit, sed in hoc vno, vt tanquam seruus ad heri iussum se accommodaret, refragatur. conuenire enim, vt ipse tanquam rex regi subiectus sit, confirmat. Quod vbi Teribazus non admisit, alter copiarum præfectus Orontes, cui gloria Teribazi inuisa esset, missis clam ad Artaxerxem literis, Teribazum criminatur, primò, quòd cum Salaminem vi expugnandi facultatem in manu habeat, id tamen non faciat, sed legationibus ab hoste receptatis, de rerum nouarum communicatione cum ipso colloquatur. deinde, quòd priuatam belli societatem vt amicus, cum Lacedæmoniis contraxerit. deinde quòd Pythonem miserit, qui super bello aduersus regem mouendo deum consulerent. & quod grauissimum tandem, quòd copiarum Duces sibi ad beneuolentiam & obsequia obnoxios reddat, honoribus, donisque, nec non pollicitationibus magnificis illectos. Perlectis hisce literis, calumnias istas veras esse credens, Orontæ rescribit, vt Teribazum in vincula coniectum, illicò ad se transmittat Ille mandatum exsequitur, & Teribazus ad regem perductus, in iudicio de se cognosci petit. Et tum quidem in custodiam traditur. Postea etiam, dum bello Cadusiano Rex implicitus tenetur, cognitione suspensa, iudicii tempus longiùs extrahitur. Interea Orõtes copiis in Cypro cũ summo imperio præfectus,

VIII.

IX.

præfectus, dum magno Euagoram animo rursus obsidionem tolerare, & milites alioqui, captiuitatem Teribazi moleste ferentes, imperium detrectare, & obsidionem relinquere videt, euentum aliquem nec opinatum veritus, mittit ad Euagoram, qui de transactione colloquantur, & quibus ipse cum Teribazo priùs voluisset conditionibus, pacem constituant. Euagoras itaque depulso præter spem captiuitatis periculo, his conditionibus pacis fœdus icit, VT CERTVM QVOTANNIS TRIBVTVM REGI PERSOLVENS, SALAMINIS IPSE REGNVM RETINEAT, ET VT REX REGIS IMPERIO AVSCVLTET. Hoc ergò pacto Cypricum illud bellum, ad decennii ferè tempus (parte tamen maxima in apparatibus consumpta) protractum, cùm duos tantummodò per totum hoc spacium annos bellum esset, finem suum accepit. At Gaos naualis exercitus prætor, cui filia Teribazi nupta erat, anxiè metuens, ne, ob communicati cum Teribazo consilii suspicionem, à rege ad supplicium raperetur, nouarum se rerum molitione præmunire constituit. & quia opum, militúmque copià instructus erat, & trierarchos insuper fauore sibi præcipuo addictos habebat, defectionis à rege consilium cepit. Nec mora; cum Acoride Ægyptiorum rege missis legatis, contra magnum Persarum regem fœdus init. adhæc Lacedæmonios per literas solicitatos excitat, & præter alias promissiones magnificas, se in conficiendis Græciæ negotiis, & confirmando, qui patrius eis sit, principatu, auxilium ipsis laturum, pollicetur. Spartani equidem de imperio Græciæ ad se retrahendo iampridem consilia agitauerant. iamque turbatis ciuitatibus manifestæ seruitutis vrbibus importandæ indicia præbebant. huc accessit, quòd cùm ob proditos (vt quidem videbatur) in fœdere cum Artaxerxe percusso Græcos, malè audirent, facti eos pœnitebat, idoneámque belli aduersus ipsum renouandi occasionem quærebant. quamobrem animo non illubente societatem cum Gao contraxerunt.

X. Artaxerxes verò bello, quod cum Cadusiis gerebat, finito, iudicio Teribazi causam permisit, tresque ei iudices eximiæ inter Persas auctoritatis dedit. Per idem fortè tempus acciderat, vt iudicibus quibusdam, ob sententias iniquè latas, cutis viuo corpore detracta esset, eorúmque pellibus

circum tribunalia expanſis, ſuper his cognitiones cauſarum iudices exercebant; vt ſemper ante oculos ſupplicii, quod iudiciorum prauitas mereretur, exemplum ſibi propoſitum haberent. Actores itaque epiſtolam ab Oronta miſſam (quã recitabant) ſibi ad dicam Teribazo impingendam ſufficere contendebant. Teribazus contra, vt calumniam de colluſione cum Euagorâ confutaret, tranſactionem Orontis cum Euagorâ, quâ hic ſe regi vt regem obtemperaturum annuiſſet, in medium proferebat: ſéque hac conditione, vt regi tanquam ſeruus pareret, pacem cum illo facere voluiſſe, confirmabat. Quod ad oraculum attinet, deum nihil omninò de cuiuſquam morte reſponſi edere dixit, eiuſque rei cunctos, qui tum aderant Græci, teſtes adduxit. Amicitiam porrò, quæ cum Lacedæmoniis ſibi intercederet, ita excuſauit, nõ ob priuatum aliquod commodum, ſed regis ipſius emolumentum, hanc initam fuiſſe. Huius enim ope ſe Græcos in Aſiâ Lacedæmoniis ſubtractos dedititios feciſſe regi ſuo, demonſtrauit. Defenſionem denique ſuam perorans, priſtina in regem merita iudicum memoriæ ſuggeſſit. inter alia verò officia, quibus ſuam regi operam fidemq; multifariam declarauit, hoc maximum, quo non admirationem regis ſolùm, verùm & ſummum inter amicos gradũ promeruit, extitiſſe fertur. Dum enim in venatione quadam rex curru ſuo inuehitur, duo in ipſum leones concitatò feruntur, & duobus ad quadrigas equis diſcerptis, iam ipſum inuadere properãt. tum fortè fortunâ Teribazus ſuperueniens, leonibus occiſis, periculo regem exemit. In bellis præterea ſingulari eũ fortitudine polluiſſe memoratur: imò & conſultationibus tantæ ſagacitatis & prudentiæ fuiſſe, vt quoties rex ſententiam eius amplecteretur, nunquam aberraret. Cùm ad hunc itaque modum pro ſe dixiſſet Teribazus, vnanimi cunctorum iudicum conſenſu à criminibus, quorum reus agebatur, abſoluitur.

XI. At rex iudices ſingulatim ad ſe accerſens, quo iuris ſtabilimẽto vnuſquiſque innixus, reum à culpâ liberum pronunciâſſet, exquirit. Cui primus; quòd criminationes dubias, at benefacta eius manifeſta eſſe vidiſſet, reſpondit. Alter: etiamſi daretur, vera eſſe, quæ obiicerẽtur, delicta tamen à meritis longè ſuperari, confirmabat. Tertius denique hoc modo ſentẽtiam à ſe latam probauit, quòd meritorum Teribazi nullam iniuerit rationem, cùm benefactis & honoribus

ribus longè amplioribus ille cohonestatus fuerit: sed si ipsa per se crimina examinarentur, accusatū illis minimè obnoxiū videri. Rex igitur iudices, vt qui iustè sententias tulissent, collaudauit. Teribazū verò honoribus, qui maximi apud illos cēsentur exornauit. At Orontē falsę accusationis damnatū, ex amicorum catalogo expunxit, extremâque ignominià notauit. Ad hunc ergò modum res in Asia se tùm habebant.

XII. In Græcià Lacedæmonii Mantineæ obsidionem vrgebāt. & per æstatē illam totā Mantinenses fortiter hosti repugnabant. (Inter Arcades enim præcipua fortitudinis existimatio penès hos erat: ideoq; hòs Spartani iā olim, vt auxiliares sociosq; fidelissimos in pugnis sibi adiunctos habere consueuerāt.) at postquā hyems ingruit, & fluuius Mantineā prȩterlabens, magnū à pluuiis incrementū accepisset, Lacedæmonii alueo magnis aggeribus intercepto, flumen ipsum in vrbē auerterunt, ita vt totus in propinquo locus stagni instar inundaret. Propterea cùm ædificia ruinā facerent, Mantinenses eà re perculsi, vrbē Lacedæmoniis dedere coguntur, quâ occupatâ, nihil aliud ciuibus aduersi à Lacedæmoniis allatum est, quàm quòd in antiquos eos vicos denuò migrare iusserunt. patriam igitur suā exscindere, & in pagos trāsferre coguntur.

XIII. Sub id tempus in Sicilia Dionysius Tyrannus vrbibus ad mare Hadriaticū Syracusiorū condendis animū intendit. hoc ideò moliebatur, quòd Ioniū (vti vocatur) fretū suæ potestatis facere in animo haberet; vt tutā sibi ad Epirū nauigationē aperiret, vrbesq; ad manum haberet, quo nauibus suis appellere cōmodè posset. propediē.n. ingētes copias in Epirū transportare, & tēplum in Delphis opibus refertissimū exspoliare, festinabat. quamobrē etiam cū Illyriis Alcetæ Molotti operâ, qui exsul Syracusis tū morabatur, sociale fœdus icerat. Cúmq; Illyrii tum tēporis bello distinerētur, cIↄ cIↄ auxiliares, & Iↄ armaturas Græcas, illis misit. Qui armis inter militū fortissimos diuisis, auxiliares suis ordinibus immiscent: magnóque collecto exercitu, ad reducendū in regnum Alcetam, in Epirum irruptionem faciunt: & dum nemo sę illis opponit, agros depopulantur. Pòst Molottis contra eos in aciem progressis acre prælium committitur, quo superiores Illyrii Molossorū supra ccIↄↄ cIↄ trucidant. Quâ clade Epirotis illatâ, Lacedæmonii de hoc certiores facti auxilia Molottis transmittunt, quibus imma-

nem Barbarorum ferociam compescuerunt. Inter hæc rerum euenta Parii, quodam oraculo excitati, coloniâ in sinum Adriaticum deductâ, Insulam, quæ Phari nomen habet, adiuuante illos Dionysio, in illo condunt. Is enim annis non multis antè missâ eodem coloniâ vrbem Lissum ædificauerat. cuius vrbis occasione adiutus, dum à cæteris negotiis vacat, Dionysius naualia pro ducentis triremibus exstruit, & tantæ magnitudinis muro oppidum circumdedit, vt omnes Græcorum vrbes eius ambitu superarentur. Gymnasia insuper magnifica iuxta Anapum fluuium eduxit, deûmque fana, & alia quæ ad amplificationem & gloriam huius vrbis conducerent, elaborauit.

XIV. Iam annus ille ad finem decurrerat, Athenisq; Princeps Reipublicæ erat Diotrephes, & Romæ consulatum tenebant Lucius Valerius & Aulus Manlius. Eleis autem XCIX Olympias agebatur; quâ Dicon Syracusanus in stadio palmam obtinuit: cùm Parii, qui Pharum Insulam iam insederant; loco quodam egregiè munito Barbaris antiquis insulæ possessoribus, nullo à se detrimento affectis, ad inhabitandum concesso, vrbem suam ad mare conditam muro & propugnaculis confirmarunt. At cùm ille Græcorum aduentus vicinis Barbaris perquàm molestus esset; Illyrii ex aduersâ continente ab ipsis acciti, myoparonibus non paucis in Pharum plusquàm CCIↃↃ transmisêre, dúmque Græcos infestis armis oppugnant, non exiguam horum cædem perpetrârunt. At qui Lissii præturam à Dionysio commendatam habebat, numerosâ triremium classe nauigia Illyriorum adortus, partem demergit, partem in suam potestatem redigit: Barbarorum supra quinquies mille interfectis, & bis mille captis. Pecuniæ tùm inopiâ Dionysius laborans, cum triremibus LX in Etruriam expeditionem suscepit; prætextus erat; vt piratas euerteret: sed verior causa, vt fanum quoddam præcipuæ religionis, multísque donariis refertum, expilaret. Situm hoc erat in suburbio Agyllæ vrbis Etruriæ, vbi naualia erant Agyrrhæorum, quæ Tyrres nominabant. Noctu autem appulerat; copiisque expositis, primâ luce impressionem faciens, voto potitur. nam quia perpauci erant castelli eius custodes ac præsidiarii, facilè his oppressis templum exspoliat, & plusquàm CIↃ talentûm coaceruat. Cúmque Agyllæi ad vim propulsandam excurrerent, etiam ipsos

prælio

prælio vincit, multisq; captis, & agris illorum deuastatis, Syracusas remeauit. vbi spoliis distractis, non minus quingentis talentis coëgit. Tantâ pecuniarum vi locupletatus, milites ex omni genere quàm plurimos stipendiis conduxit, numerosóque iam exercitu instructus, manifesta belli Carthaginiensibus inferendi signa præ se ferebat. Atque hæc illo tum anno gesta sunt.

XV. Archontis dehinc dignitas Athenis erat penès Phanostratum: & Romani Tribunos consulari potestate creauerant Lucium Lucretium, Seruium Sulpitium, Caium Æmilium, & Lucium Furium. Hoc tempore Dionysius Syracusiorum Tyrannus, ad bellum Carthaginiensibus inferendum paratus, probabilem eius rei captandi occasionem venabatur. Cùm vrbes igitur quæ Carthaginiensibus subditæ erant ad defectionem procliues esse animaduerteret, in fidem suam quotquot desciscere vellent, recepit, eísque inito societatis fœdere, benignum se exhibebat. Carthaginienses verò missis initiò legatis, vrbes à Tyranno repetunt. quorum postulatis quòd locum ille dare nollet, hoc noui belli principium exstitit. Carthaginienses igitur cum vicinis societatem pacti, communi bellum ope contra Tyrannum suscipiunt. & quià pro suâ prudentiâ iam tum, quantâ eius moles futura esset, videbant: è ciuium delectu idoneos ad militiam descripsêre, & magnâ pecuniæ vi præparatâ, numerosum peregrini militis agmen mercede conduxêre: Imperio denique Magoni, qui tum regis apud eos titulum gerebat tradito, multa hominum millia in Italiam simul & Siciliam (nam vtrisque simul bellum facessere decreuerant) traiecêre. Propterea Dionysius dispertitas etiam ipse copias habens, quâ contra Italos, quâ aduersus Pœnos in armis erat. Multæ quidẽ particulatim inter exercitus pugnæ leuésque assiduè conflictus fiebant: sed his memoratu dignum nihil peractũ fuit. Duobus tamen magnis, iisdemque famigeratis, inter eos præliis concursum est, quorum vno Dionysius mirificè dimicans ad Cabala (vt vocantur) victor exstitit, & plures CCIƆƆ barbaros trucidauit, nec IƆƆ pauciores cepit: reliquã autem multitudinem in collem quendam munitum, & omni aquarum copiâ destitutum, fugere coëgit. vbi & Mago Dictator ipsorum egregiè pugnans cecidit: & Pœni atrocitate cladis perterrefacti, cõtinuò de pace legatos ad Dionysiũ misêre. at ille

vnā hanc pacificationis viā esse reliquam ostēdit, si vrbibus Siciliæ cederēt, & pecunias in bellū hoc insumtas repensent.

XV

Durum nimis & superbum victoris responsum istud visum. propterea ad consuetæ calliditatis artes conuersi, fraude Dionysium circumueniunt. propositas enim conditiones se ratas habere simulant, sed vrbes ei tradere in potestate suâ non esse prætendunt. ideò paucorum sibi dierum inducias concedi, vt magistratus hac de re interim conuenire sibi liceat, petunt. postulatis ille non refragatur. factísque induciis, perquàm lætus erat, vt qui propediē totam in potestate Siciliā habiturus esset. At Carthaginienses interim Magonē regio munere functum magnificè sepeliunt. & suffecto in eius locum filio, adhuc quidem adolescentulo, sed qui generosæ mentis indole, animíq; fiduciâ plusquàm virili excelleret. Is omne induciarum tempus in ordinando & exercendo milite consumsit. assiduâ igitur laborum tractatione, & cohortationibus accuratis, crebróque armorum vsu, non dicto audientem modò, sed & robustum quoque exercitum fecit. Iámque tempus induciarum exactum erat, cùm explicatis vtrinque aciebus alacriter ad certamen descenderunt. pugnáque iuxta Cronion (quod nominant) strenuè commissa, superiorem Carthaginiensium cladem victoriâ deus vicissim compensat. nam qui paullò antè vicerant, successu priore turgidi & gloriabundi, tunc nec opinatò succumbunt. contrà, quibus propter acceptam cladem omnis spes collapsa erat, hi magnum insperatúmque subitò felicitatis bonum reportant.

XVI

Leptines enim, qui alterum cornu regendum acceperat, vt fortitudine præcellebat, ita heroicè præliando, post magnam hostium stragē à se editam, gloriosa morte oppetit. quo prolapso, resumptis Pœni animis, vi hostes retrò pulsos tandem in fugam vertunt. Dionysius autem cum manu selectissimorum, quos circa se habebat, initio hostibus sibi oppositis facilè præualebat. Quàm primùm verò mors Leptinis innotuit, alterúmque cornu iā fusum, dissipatúmq; cernebatur, etiam Dionysii acies metu perculsa in fugam sese effundit. Vniuersis itaque terga vertentibus, Carthaginienses magno ardore insequuntur, & ne quisquam viuus capiatur, edicunt. cúmque omnes qui in hostium manus venirent, necarentur, totus in propinquo locus longè latéque cadaueribus oppletur. tantámque Pœni, iniuriarum memores, stragem

ediderunt,

ediderũt, vt cùm ad ſepulturam cadauera tollerentur, inuen-
ta ſint ſupra x i v millia Siculorum. ſuperſtites in caſtra ela-
pſi, noctis interuentu vitam conſeruarunt. Carthaginienſes
ergò tam ingenti prælio victores, Panormum receſſerunt. &
quia æquo animo, quemadmodum homines decet, felicita-
tem iſtam ferebant, legatione ad Dionyſium miſſâ, dirimen-
di belli copiam ei fecère. quam is lubentiſſimè amplexus eſt.
Et his tandẽ conditionibus tranſigitur: VT VTRIQVE
QVÆ IN POTESTATE SVA PRIVS HABVIS-
SENT, RETINERENT. SELINVSIORVM TA-
MEN VRBEM ET AGRVM, ET AGRIGENTI-
NI TERRITORII PARTEM AD ALYCVM VS-
QVE FLVMEN CARTHAGINIENSES SIBI
EXEMERVNT. M. INSVPER TALENTA DIO-
NYSIVS EXSOLVERE CARTHAGINIENSI-
BVS IVBETVR. Atque hoc ſe modo res Siculæ tùm ha-
bebant.

VIII. In Aſiâ Gaos, qui ſummus Perſicæ claſſis Prætor in
bello Cyprico fuerat, regíque ſuo rebellis factus, Lacedæ-
monios & Ægyptiorum regem ad ſocietatem belli excita-
uerat, dolo quorundam necatus, id quod moliebatur, nõ per-
egit. Poſt cuius interitum Tachos, eiuſdem negotii admi-
niſtratione ſuſceptâ, exercitu ſe munit, vrbemque ad mare in
excelsâ quadam rupe, Leucam nomine, in qua religioſum
Apollinis fanum, exſtruxit. Sed cùm paullò pòſt is vitâ eſſet
defunctus, Clazomenii & Cumæi de oppido iſto litem inter
ſe excitarunt: quam initio armis dirimere nitebantur. Poſt-
eà cùm admonitu cuiuſdã, vtris vrbium Leucæ poſſeſſio ven-
dicanda eſſet, deum conſulerent, Pythia his illam competere
reſpondit, qui priores illic ſacris operarẽtur: verùm ex ſuo v-
triſque loco, cùm primo Solis ortu, eodémque die, quem
communi vtrinque conſenſu deſtinauerint, proficiſcendum
eſſe. Dies igitur præfinitur. Cumæi interea ſe prærogatiuam
habere credebant, quòd vrbs ſua proximior eſſet. At Clazo-
menii longiore interuallo remoti, tale quippiã ad victoriam
comminiſcuntur. ex numero ſuo aliquot ſortitò delectos in
coloniam non procul à Leucâ mittunt. Ex hac cum oriente
Sole progreſſi, peragendo ſacrificio Cumæos anteuertunt.
Hócque aſtu Leucâ ſub dominium ſuum redactâ, feſtũ quot-
annis celebrandum inſtituerunt, quod ab hoc præuentu Pro-

phthasiam nuncuparunt. His ita gestis rebelliones per A-
siam sponte sua finem habuêre. Lacedæmonii igitur, XI.
post Gai Tachíq; mortem, res Asiæ omittendas rati, ad sta-
biliendas in Græciã opes suas animũ cõuerterunt; vrbiumq;
aliis persuasione, aliis vi, per restitutionẽ exsulũ subactis, ma-
nifestè iam totius Græciæ imperiũ, contra pacta fœderis, au-
xilio regis Persici, inter omnes Græcos per Antalcidã facti,
ad se transferebãt. In Macedoniã posteaquàm Amyntas, ab
Illyriis vict⁹, spe regni ampliùs defendẽdi abiectã, Olynthio-
rũ populo, magnũ vicini agri tractũ, ceu nunquã imperiũ re-
cuperaturus donauisset; Olynthiorũ ciuitas reditus ex agro
donato aliquãdiu perceperat: tandẽ rex instauratis viribus in
pristinã regni possessionem reuersus, donatũ illud repetebat:
sed Olynthii reddituros se negabant. Eã ob causam Amyntas
tũ ipse exercitũ colligit, tùm Lacedæmoniis ad societatẽ per-
tractis, auctor est, vt Prætorẽ cum manu haud inualidã cõtra
Olynthios mittant. Hi locis illis Thraciæ adhærescendum
rati, ex ciuiũ sociorúmq; delectu supra decẽ millia in vniuer-
sum cõtrahunt, traditóq; Phœbidæ, Spartiadæ exercitu, con-
iunctis cũ Amyntã viribus, Olynthiis bellũ facessere illũ iu-
bẽt. Aliud verò agmẽ Phæuntiis immittunt: quos prælio de-
uictos imperata sibi facere cogunt. Per hoc ipsum tẽpus La-
cedæmoniorũ reges inter se moribus, studiisque dissidebant.
nam Agesipolis, pacis & iustitiæ amãs, & intelligentiã eximiã
præditus, iuratã fidem seruandã, nec Græcos seruitute oppri-
mendos esse, cõtendebat. infamẽ enim hinc Spartã fore, aie-
bat, si cùm nuper Græcos in Asia Persis dedititios reddidis-
set, nunc ad ciuitates etiã Græciæ subigendas sese cõparent;
quarum tamen libertatem in communibus illis pactis se sar-
tam tectam præstaturos, iurâssent. Agesilaus contrà naturã
inquietus, & ad bella propẽsus, potentiæ Græcorũ inhiabat.

Inde cùm Princeps ciuitatis Atticæ Menander esset, XX.
Romæq; pro Consulibus Tribuni militares Quintus Sulpi-
tius, Caius Fabius, Seruius Cornelius, Quintus Seruilius,
Sextus Annius, & Caius Martius, magistratu summo funge-
rẽtur, Lacedæmonii Cadmeam Thebanorum arcẽ, his im-
pulsi causis, occuparunt. Iampridem animaduerterant Bœo-
tiam & vrbibus abundare, & harũ incolas esse viros animo-
rum & corporis robore præstantes, & præ cæteris Thebas
pristinã adhuc dignitate cõspicuas, totius Bœotiæ velut arcẽ

ac pro-

ac propugnaculum exsistere. vnde metus illos subiit, ne per occasionem se ostentantem imperium Græciæ sibi vendicarent. Quapropter Ducibus suis inter arcana mandant, vt, si quando occasionem arripere possint, Cadméam occupent. Huius mandati non immemor Phœbidas, copiis in Olynthios ducendis cum summo imperio præfectus, Cadméam occupat. quod cùm indignè ferentes Thebani ad arma concurrerent, ferro cum eis decernit, prælioq; victor, ccc ipsorum nobilissimos in exsilium agit. reliquis perterrefactis, vbi validum eis præsidium imposuerat, ad sua inde negotia digressus est. Ob hoc factum, dum sinistrè de Lacedæmoniis Græci passim loquuntur, Phœbidæ quidem multam irrogant, sed præsidium tamen non deducunt. Ad hunc ergò modum Thebani libertate suâ exuti, & sub Lacedæmoniorum imperium redacti fuêre. Sed quia pertinaciter cum Amyntâ belligerari Olynthii pergunt, Phœbidâ præturâ se abdicare iusso, Eudamidæ ipsius fratri, eandem tradunt. adiunctisq; ter mille armatis, bellum Olynthiacum conficere ipsum iubent.

XXI. Hic irruptione in terram Olynthiorum facta, mutuâ cum Amyntâ operâ hostes impugnat. Sed validis instructi copiis Olynthii in conflictibus superiores erant, quòd militum numero præualebant. Ob hoc ingentem Lacedæmonii exercitum conscribunt, eique Teleutiam, Agesilai Regis fratrem, qui mirificam apud ciues virtutis existimationem habebat, ducem præficiunt. Is cum agmine suo ex Peloponneso profectus, simul ac fines Olynthiorum attigisset, Eudamidæ milites adsumit. iamq; ad dimicandum cum hoste sat virium habens, primùm agros populatur, & prædam (quam hinc inde luculentam coegerat) in milites partitur. Postquã verò copias Olynthii vniuersas, adhibitis insuper auxiliaribus, ad pugnam eduxissent, manus cum illis contulit. Ac primò quidem æquo Marte discessum est. sed pòst iterato summis viribus prælio, ipse Teleutias præclarè dimicans, & Lacedæmoniorum plures cIↃ cc ceciderunt. Tanto Olynthiorum successu commoti Spartani, vt acceptum illud damnum repararent, ad maiorem se expeditionem comparabant. Sic & Olynthii, quòd amplioribus Lacedæmonios copiis aduentaturos, bellumq; quàm diutissimè protractum iri, putarent, frumentorum apparatu eximio sese instruunt,

& auxiliaribus subsidiis confirmant. Tũ Archon erat Athenis Demophilus; & Romani Consulare imperium Tribunis militaribus, Publio Cornelio, Lucio Verginio, * Lucio Valerio, Aulo Manlio, Lucio Postumio detulerant: cùm Lacedæmonii decreto aduersum Olynthios bello, regem suum Agesipolim Imperatorem præesse iubent, & quantum sat esset copiarum ei tradunt. Is postquàm hostilem terram ingressus, milites è statiuis illic inter suos centuriauit, mox bellum terræ incolis facessit. Olynthii verò nullum hoc anno iustum cum eo prælium commiserunt, sed velitaribus tantùm exiguisq; pugnis; cùm exercitus, quo tùm rex pollebat, vires reformidarent, ipsum lacessere non desiêre. Post anni huius finem, Princeps Reipub. Atheniensium erat Pytheas: & Romæ sex Tribuni Militares potestatem consularem tenebant, nempe, Titus Quinctius, Lucius Seruilius, Lucius Iulius, * Aquilius, Lucius Lucretius, & Seruius Sulpitius. Tunc Olympias centesima Eleis agebatur: quâ Dionysiodorus Tarentinus stadio victor euasit. Interim Rex Lacedæmoniorum Agesipolis: post XIV regni sui annum morbo decedit, & Cleombrotus frater in eius locum surrogatur, qui nouem annos regnauit. At Lacedæmonii Polybidam, Ducem à se creatum, bello ad Olynthum præficiunt. Is copiis sacramento sibi adstrictis, bellum strenuè & imperatoriâ solertiâ dextrè administrans, crebros successus habuit. ac fortunâ subinde magis propitiâ vsus, & plerisque conflictibus victor intra mœnia tandem Olynthios coarctauit, metuque obsessis iniecto, vt Lacedæmoniorum imperio se submitterent, effecit. qui quamprimùm societati Lacedæmoniorum adscripti fuerant, multæ etiam aliæ ciuitates clientelæ horum accenseri properarunt. Per hoc itaq; tempus Lacedæmoniorum potentia maximè vigebat, vt penès quos Imperium Græciæ terrâ simul mariq; esset. nam Thebani præsidio coercebantur; Corinthii autem & Argiui bellis hactenus gestis vires afflictas habebant. Athenienses denique, propter debellatorum fortunas, sorte inter se diuisas, malè passim inter Græcos audiebant. Contra Lacedæmonii vt & frequentiâ hominum abundarent, & in armis egregiè suos exercerent, impensè dabant operam. & potentia suâ cunctis erant formidabiles. quo factum, vt Principum tunc omnium potentissimi, (Regem Persarum dico

XX.

XXI

dico & Tyrannum Siciliæ Dionysium) Spartani Imperii maiestatem colerent, & societatis cum illis iungendæ cupidi essent.

XIV. Pòst, cùm Athenis Nico principatum teneret, & Romæ Tribuni militares sex, Lucius Papirius, Caius Cornelius, Lucius Menenius, Caius Seruilius, Aulus Valerius, & Quintus Fabius, consulari potestate creati essent, Carthaginienses cum exercitu in Italiam transgressi, Hipponiatis vrbem suam vnde excussi fuerant, restituunt. omnes præterea exsules, vndecunque ad sese congregatos, prolixo studio excipiunt atque fouent. Accidit verò aliquantò pòst, vt pestilens Carthaginem lues inuaderet; quæ cùm identidem magis ac magis ingrauesceret, magna Carthag. strages facta est; adeò quidem, vt periculum esset, ne imperium amitterent nam Afri præ contemptu illorum deficiunt, & Sardi, iam opportunam sibi datam occasionem rati, excussis Imperii habenis, conspirant, & vim Carthaginensibus inferunt. Quin & calamitas à Deo immissa Carthagini incubuit. perturbationes enim, ac terrores Panicique tumultus, ex improuiso vrbem corripere, & plurimi armis correptis, ac si hostes vrbem inuasissent, ex ædibus procurrere, & inter se velut cum hoste acie congressi, alios interimere, alios sauciare. Ad extremum Numine sacrificiis placato, grauissimis exempti malis, statim & Afros debellarunt, & Sardiniam ditioni suæ iterum subiecère.

XV. Inde cùm Nausinicus Athenis præturam, & Romæ quatuor tribuni militares, Marcus Cornelius, Quintus Seruilius, Marcus Furius, & Lucius Quinctius, consulatum suscepissent: Bœoticum, quod vocant, bellum, Lacedæmoniis cum Bœotis exarsit. his equidem de causis. Cadméam Lacedæmonii præter ius & fas præsidio tenebant, multosq; eximiæ dignitatis viros ad profugiendũ è patriâ adegerant. Exsules igitur, coitione inter se factâ, Atheniensium subsidio noctu in patriam reuertuntur. Ac primò quicunq; cum Lacedæmoniis sentiebant domi suæ, dum somno adhuc detinentur, oppressos conficiunt. mox populares ad vindicandum libertatem cohortati, vniuersam Thebanorum ciuitatem, ad conatus hos adiuuandos promptam habent. Multitudo igitur concursat; & cum prima luce Cadméam oppugnare maturant. Lacedæmoniorum interim præsidiarii, quorum in custodiâ arx fuit, numero, si auxiliares connumerentur, clↄ Iↄ haud pauciores, Spartam miserat,

qui seditiosam Thebanorum commotionem renunciarent, & auxilium sibi ferri, quàm properantissimè hortarentur. Ipsi verò ex locis editioribus oppugnantes arcendo, multos interimunt, nec paucos vulneribus grauiter affectos dimittunt. Thebani ergò, dum validas è Græcia copias Lacedæmoniis subuenturas coniectant, suos Athenas legatos mittunt, qui ad animum populo reuocent, quòd & ipsi conatus Atheniensium iuuerint, quo tempore xxx Tyrannorum iugo seruili oppressi, Rempublicam vindicarint; orentque, vt ad expugnandam Cadméam totis sibi viribus ante Lacedæmoniorum aduentum præstò esse velint. XXV Populus verò Atheniensis, simul ac Thebanorum legationem audiuit, vt quàm validiss. è vestigio manus ad reparandam Thebanorum libertatem expediretur, sciuit: tum vt gratiam pro meritis retribuerent, tum vt Thebanos hoc beneficio sibi obstrictos, fortes deinceps & constantes, aduersus immodicam Lacedæmoniorum potentiam, adiutores haberent. Gens enim ista, nulla inter Græcos neq; copia, neq; strenuitate virium, inferior videbatur. Imperatorem ergò Demophontem creant. is delectu habito, quinquies mille peditum & IↃ equitum, postridiè, cùm vix illucesceret, agmen ex vrbe educit, & vt Lacedæmonios præuertat, festinato itinere pergit. Nihilominus tamen populus omnes militiæ vires in Bœotiam conuertere, si ex vsu Thebanorum ita foret, promtus & paratus erat. Demophon autem exiguo temporis spacio viam illam emensus, præter spem Thebanis se in conspectum dedit. Simili ardore ex aliis etiam Bœotiæ vrbibus militum accursus fiebat. atq; ita numerosus Thebanis exercitus colligitur. peditum enim non minus CCIↃↃ & equitum plus quàm CIↃ CIↃ conuenerant. omnésq; promtis & alacribus ad oppugnationem animis properarunt. diuisáq; in globos multitudine, incursus per vices faciebant, diem simul ac noctem in certamine perdurantes. XXVI Interim quibus sua in arce statio erat, à præfectis excitati, animosè fortiterq; hostes propulsant. breui enim cum magnis approperaturos copiis Lacedæmonios, spes erat. Et sanè quamdiu alimenta suppeterent, aduersa illa fortiter sustinebant, multis oppugnantium idemtidem occisis, multis etiam vulneratis: cùm etiam non parum arcis firmitate adiuuarentur. At cùm necessariorum inopia subinde magis ingrauesceret, & Lacedæmo-

dæmonii in belli huius apparatu prolixiùs immorarentur, dissentire inter se obsessi cœperunt. nam Lacedæmonii ad extremum vsque halitum perdurandum esse censere: auxiliares verò, è confœderatis vrbibus adsciti (qui numero illos excedebant) deditionem Cadméæ faciendam esse, contendere. Spartani ergò, quorum non ita magnus esset numerus, arcem hosti cedere coguntur: acceptaq́; , prout conuenerat, fide, incolumes dimissi, in Peloponnesum reuertuntur. Tandem Lacedæmonii copiis instructissimis ad Thebas accedunt: sed occasione, propter aduentum tardiorem, è manibus elapsâ; nihil isto conatu effecerunt. Tribus ergò præsidii ducibus in ius vocatis, duos capite condemnarunt, tertio tam grandem pecuniæ summam irrogauêre, vt soluendo non esset. Tum Athenienses in patriam redierunt, & Thebani obsidioni Thespiarum frustrà operam insumsêre. Interea 1ↄ ciuium coloniam Romani in Sardiniam, ita vt à vectigalibus prorsum immunes essent, deduxerunt.

:X-
III.

Posthæc Calliâ Athenis Prætore, & quatuor Tribunis militum consulari potestate Rempublicam Romanam administrantibus, Lucio Papyrio, Publio Cornelio, Tito & Lucio Quinctiis; postquàm Lacedæmonii ad Thebas offendissent, Bœoti receptis animis inter se conspirârunt, initaq́; belli societate, exercitum ingentē conflauêre: quòd iā iam Lacedæmonios cum magnis in Bœotiam copiis aduentaturos, præsagirent. Athenienses etiam nobilissimorum apud se hominum legationem ad ciuitates Lacedæmoniis subiectas hortatum, vti hanc libertatis communis occasionem ne negligant, ire iubent. Enimuerò Lacedæmonii propter nimiam potentiæ suæ molem, superbè, nec absq́; graua-mine subditis dominabantur. magna itaque horum pars propenso ad Athenienses studio se applicabat. Primi autem qui in defectionem consentirent, Chii & Byzantini, Rhodiiq́; & Mitylenæi, aliiq́; insuper insularium fuerunt. Et cùm iam motus ille Græcorum identidem magis ac magis glisceret, multæ se vrbes cum Atheniensibus coniunxerunt. Populus ergò hac sociorum beneuolentiâ excitatus communem omnium, quibus cum sociale fœdus icerant Senatum instituit, in quo delecti ex vnaquaque ciuitate consultarent. Conuenerat autem inter ipsos, decreto communi, vt consessus ille Athenis haberetur, & cunctis ex æquo vrbi-

bus, magnæ siue paruæ essent, vnius suffragii ius & potestas foret; & suam quæque iurisdictionem sub Atheniensium tamen ductu, retineret. At Lacedæmonii quanquam eum defectionis impetum esse videbant, qui cohiberi amplius non posset, per legationes tamen sermonibus humanissimis & plenis beneficiorum pollicitationibus alienatos ab se hominum animos ad beneuolentiam reuocare apprimè studebant. nec minus curæ in apparatus bellicos conferebant. siquidem Bœoticum hoc bellum ingens & diuturnum, quod Athenienses Græciq; alii publici illius consilii participes, vires cum Thebanis coniunxerant, sibi fore præuidebant.

XXIX. Dum hæc per Græciam aguntur Ægyptiorum rex Acoris, inimicitias iampridem cum rege Persarum exercens, magnas peregrinorum copias vndiq; contrahebat. Cùm enim larga militibus stipendia numeraret, plurimisq; benefaceret, breui tempore multos Græcorum, qui ad militiam se eius aggregarent habebat. sed quia idoneus illis Dux non erat, Chabriam Atheniensem, virum & Imperatoriâ solertia præsignem, & præclaram virtute suâ gloriam adeptũ accersiuit. Hic, licèt absque populi consensu id fieret, Imperatoris munere suscepto, copiis in Ægypto præerat. magnoq; ad bellum gerendum cum Persis studio se præparabat. Pharnabazus autem summus militiæ Dux à rege declaratus, cùm ingentes ex Persicis opibus in bellum apparatus & ipse fecisset, nunciis Athenas missis, Chabriam criminabatur, quòd Ægyptiis ducem se prostituendo, beneuolentiam Regis à populo alienaret; inde rogabat vt Iphicratem sibi ducem adiungerent. Athenienses igitur, quibus hoc inprimis curæ erat, vt regis Persarum beneuolentiam sibi conciliarent, & Pharnabazum suis commodis addictum haberent, sine morâ, Chabriam ex Ægypto reuocant, & Iphicrati Persis auxiliandi negocium imponunt. Pacis inter se fœdus superioribus annis fecerant Lacedæmonii & Athenienses. id ad hæc vsq; tempora perdurauit. Cùm enim Sphodriades à Spartanis suis ad imperium militare euectus esset, homo elati præcipitisq; ingenii, à Cleombroto Lacedæmoniorum rege instigabatur, vt sine Ephororum consensu Piræeum occuparet. decies mille igitur armatis instructus, noctu Piræeum inuadendo capere nititur. sed fraude Athen. detectâ, frustra rem tantam molitus, quasi minus quàm nihil egisset, inde recessit.

Quan-

Quanquam verò ob hanc temeritatẽ ad Spartanorum Senatum deferebatur, tamẽ quia reges patronos causæ suæ habebat, præter ius absolutus fuit. Hęc ergò iniuria cùm permolesta Athen. accideret, publicum fit decretũ, rupto iam manifestò à Laced. fœdere, iniuriã bello vindicandam esse. Ducib. itaq; quos inter ciues habebãt nobilissimos, Timotheo & Chabria, cũq; his Callistrato, ad militiã hãc creatis, vt ccIↃↃ ccIↃↃ grauis armaturæ pedites, & IↃ equites, sibi deligerent, nauésq; cc implerent; psephismate mandatũ fuit. Thebanos insuper in Senatum illum publicum iisdem omninò quibus cæteros, conditionibus, cooptarunt. Communibus etiam suffragiis comprobatur, vt agri per sortitionem occupati dominis antiquis restituantur: & lex perrogatur, vt Atheniensium nemo extra Atticam agri colendi ius habeat. Hac demum humanitate pristinam Græcorum beneuolentiam sibi recuperant: hac ipsa imperium sibi denuò confirmant.

Hæc tandem causa multas insuper alias Græciæ ciuitates impulit, vt propenso in Athen. partes fauore transirent. Primæ autem Eubœæ vrbes, summâ animorũ propensione Athen. militiæ se adiunxêre, Actiâ tantũ exceptâ: hæc enim, quòd magnis à Laced. gente beneficiis cumulata, & contrà ab Athen. populo armis grauissimis infestata esset, implacabile erga hos odiũ, & stabilẽ societatis fidem erga illos, meritò retinebat. LXX igitur ciuitates in hoc fœdus coiuerunt, quæ omnes pari conditione in consessu illo publico locũ habebãt. Dumq; vires Athen. identidem magis accrescunt, & Spartanis deminuuntur, euenit, vt ciuitatum harum potentia iterũ exæquaretur. Quamobrẽ Athen. quibus ex animi sententiâ cuncta progressum habebant, armatorum manu in Eubœã traiiciũt, quâ socios in officio continerẽt, & oppugnarent aduersarios. In hac insulâ paullò ante hęc tẽpora Neogenes qdã ab Iasone Pheræo adiutus, cum globo militũ, arcẽ Actięorũ subegerat, & se manifestò pro Tyranno tũ huius orę, tũ etiam Oropiorum vrbis gerebat. Sed cũ violẽter ac superbè imperaret, Therippidam Lacedæmonii in ipsum ducere iusserant. Hic initio verbis Tyranno persuadere conatus fuerat, vt arce excederet: cùm verò nihil apud eum obtineret, finitimis ad capessendam libertatem excitis, castellum expugnârat, suamq; Oropiis libertatẽ restituerat. Ob hanc igitur causam Hestiæorum regionem habitantes, bene erga Spartanos

affecti amicitiam cum ipsis firmiter colebant. At dux Atheniensium Chabrias cum adiuncta sibi manu Hestiæotarum, agros populatus, Metropolim, vti vocatur, in munito quodam colle sitam, muro cingit, præsidioque in eâ relicto firmat. ipse interea Cyclades Insulas petens, Peparethum & Sciathum, ac nonnullas alias Lacedæmoniis addictas, in fidem suam adigit.

XXX

Lacedæmonii ergo dum animos sociorum ad defectionem concitatos inhiberi non posse animaduertunt, abiectâ quam hactenus exercuerant, seueritate, maiori ciuitates humanitate complectuntur. & hoc sanè familiaritatis ac beneficentiæ studio, quicquid adhuc sociorum erat reliquum, ad maiorem sibi beneuolentiam adstrinxerunt. Præterea, quia bellum ingrauescere, multumq; curæ deposcere sibi vident, cùm in cæteros apparatus gnauiter incumbunt, tum vt acies meliùs instruantur, militum classes rectiùs distribuantur, & publica tandem munia fideliùs obeantur, enixiùs procurant. Nam ciuitates auxiliares, & delectos hinc ad bellum milites, in quinque classes diuidunt. quarum primam ipsi Lacedæmonii obtinent; alteram & tertiam Arcades; quartam Elei; quintam Achæi; sextam Corinthii & Megarenses: septimam Sicyonii & Phliasii, & Actes, quam vocant, accolæ; octauam Acarnanes; nonam Phocenses & Locri; vltimam tandem Olynthii & socii Thraciam incolentes explent. Ordinis autem hæc erat ratio, vt vnus grauis armaturæ miles duorum velitum instar haberetur, eques verò quatuor armatos pedites adæquaret. Exercitu ad hunc modum ordinato, imperium totius militiæ Agesilao regi committitur. hic enim fortitudinis & sapientiæ imperatoriæ laude celebris, & tantùm non ad hoc vsq; tempus inuictus erat. Namque & in cæteris bellis summam sibi admirationem compararauerat; & quo tempore Lacedæmonii cũ Persis bellum gerebant, acie cum longè maioribus copiis congressus, victor exstiterat, & quæcunque sub dio erant, in potestate habens, magnum Asiæ tractum peruaserat. Denique si ob vrgentem domi necessitatem Spartani eum non reuocâssent, parùm aberat, quin toto Persarum regno extremum periculum attulisset. Erat quippe vir ille ad res gerendas acer & cum prudentiâ audax, nec nisi rebus arduis & magnificis operam dabat. Idcirco tunc etiam cùm belli molem egre-

gium ſibi ducem poſtulare Spartani viderent, hunc totius militiæ caput eſſe iuſſerunt. Promotis ergò caſtris, Ageſilaus in Bœotiam aſcendit plures quàm cclɔɔ Iɔɔ cIɔ cIɔ cIɔ in vniuerſum ſub vexillis ducens; inter quos quinque Lacedæmoniorum tribus erant. tribus autem Iɔ viris conſtat. at Sciritarum (vt nuncupatur) apud Lacedæmonios cohors, aliis non accenſetur, ſed proprium ſibi vendicans locum, regem circumſtat, & ſemper iis partibus, quæ premuntur, ſuccurrit. & quia ex omnium ſelectiſſimis centuriatus eſt, ingens in acie momentum facit, & vt plurimùm victoriam efficit. vltra peditatum illum equites Ageſilao erant cIɔ Iɔ. Is poſtquam ad Theſpiarum vrbem acceſſit, quam Lacedæmonii præſidio tutabantur, caſtra propè metatur, vt milites longi itineris moleſtiâ defeſſi, vires repararent. Tum Athenienſes Lacedæmoniorum aduentu in Bœotiam cognito, auxilia confeſtim Thebas mittunt, quæ quinquies mille peditibus & cc equitibus conſtabant. His copiis in vnum locum congregatis, Thebani collem quendam longiſſimo iugo porrectum (xx ille ſtadiis ab vrbe diſſitus erat) occupant, & difficultate loci pro munimento vſi, hoſtis acceſſum præſtolantur. Cùm enim Ageſilai gloria terrorem ipſis inieciſſet, in plano æqualis pugnæ diſcrimen ſubire verebantur. Is ergo inſtructo cum agmine in Bœotos mouens, quàm primùm hoſti propinquauit, vt quo ad pugnam animo eſſent periculum faceret, velites in eos dimiſit. Quos cùm facilè ex locis editioribus Thebani repuliſſent, totum in eos agmen, ad terrorem inſtructum duxit. Tum Chabrias Athenienſis ſtipendia facientium ductor, militibus imperat, vt contemptim hoſtes excipiant, & ſeruatis ordinibus, clypeiſque ad genua dimiſſis perſiſterent, & euectas hoſti lanceas oſtentent. Id cùm ad vnum velut hortatum milites continuò exſequerentur, Ageſilaus tum concinnũ ordinẽ, tum contemptum ſimul hoſtiũ admiratus, vi in ardua conniti, & aduerſarios cogere, vt conſertis manib. viros ſe fortes præſtarent, non tutũ exiſtimabat, exploratum iã habens, quòd, ſi violentiùs vrgerentur; de palma decertaturi eſſent. ideoq; vt in planum deſcenderent, eos prouocabat. At cùm ſe loco non commouerent, peditum inde phalangem abduxit, & equitatu cum leuis armaturæ militibus dimiſſo, agros ſecurè vaſtauit: vnde magna ſpoliorum vis ad ipſum

redibat. Consiliariis autem, qui cũ Agesilao erant, ordinumque ductoribus, mirum id videbatur quòd Agesilaus, pro strenuo hactenus bellatore habitus, & longè maiore ac validiore exercitu instructus, prælio tamen non disceptâsset. His id responsi Agesilaus dedit: Nunc sine vllo discrimine Lacedæmonios vicisse; dum ad propulsandam agrorum vastationem excurrere ausi non fuerint; si verò pòst vltrò concessam ab ipsis victoriam, ad subeundum eos pugnæ discrimen coëgisset, per incertos fortunæ casus fieri potuisse, vt in subitum aliquod periculum se Laced. coniecissent. Hoc vir ille iudicio tunc quidem mediocriter euentum coniectâsse visus est. at effectus postea arguit, non humanam ab eo vocem, sed dei oraculum tunc prolatum fuisse. Enimuerò Laced. breui pòst, cùm numerosissimis Thebanos copiis aggressi, pro libertate certamen inire coëgissent, ingentibus se calamitatibus inuoluerunt. primò namq; in Leuctris deuicti, ingentem ciuium suorum iacturam fecêre, inter quos ipse etiam Rex Cleombrotus occubuit. pòst ad Mantineam belligerantes, capite ipso offenderunt; & quod nemo putâsset, imperium Græciæ perdidêre. In hoc enim præcipuè vires exserit Fortuna, vt nimiùm elatos opinione celeriùs eneruet, & spes non supra modum extendendas esse doceat. Quamobrem Agesilaus prudenter fecit, quòd priore illo successu contentus, absque vllo detrimento, exercitum conseruauit.

XXXIII.

Exinde copias suas Agesilaus in Peloponnesum reduxit. Thebani verò, Chabriæ ductu, è periculo tùm erepti, industrium viri strategema admiratione prosequuti sunt. qui licèt multa in bellis præclara gessisset, hoc ipsum tamen Imperatoriæ artis commentum præ cæteris magnificum esse volebat: adeò vt donatas populi fauore statuas ad eundem gestum confirmandas curaret. Thebani post Agesilai discessum infestis Thespias copiis adorti, procubias illarum (ducentos hæ milites habebant) occidunt. Inde crebris vrbem assultibus impetentes, cùm nihil opera dignum efficerent, Thebas cohortes suas reducere instituunt. Tum Phœbidas Lacedæmonius, qui valido Thespias præsidio in tutela habebat, ex vrbe effusus, dum Thebanis recedentibus nimis præcipitanter adhærescit, amissis suorum plus quàm CCC, ipse insigniter præliando, & plurima exaduersum vulnera accipiendo

XX-
V.

piendo heroicè vitam claudit. Ne longum in medio tempus, cùm Laced. iisdem copiis expeditionem contra Thebas suscepêre. Ibi Thebani aliis quibusdam locis, quæ difficilem habebant aditum, insessis, populationes quidem agrorum prohibebant, directa tamen fronte cum toto hostium exercitu congredi in planis nequaquam audebant. Cùm verò Agesilaus in primâ acie versaretur, sensim pedes conferre cœperunt. prælium itaque ad bene longum tempus magnâ vi committitur, quo Agesilaus primò superior euadit, posteaquàm verò tota se ciuitas Thebanorum effudit, multitudinis accursum videns Agesilaus tubâ receptui canit. Tum demum Thebani se Lacedæmoniis haudquaquam inferiores esse arbitrati, tropæum erexerant, & Spartanorum deinceps viribus resistere non dubitarunt. Terrestres itaq; copiæ hoc euentu depugnarunt. Classes verò sub idem tempus magno inter se prælio inter Naxum & Parum contenderunt: has equidem ob causas. Pollis Lacedæmoniorum nauarchus magnam frumenti copiam onerariis deportari Athenas per indicium cognouerat. insidiis ergo positis, in accessum illius annonæ diligenter erat intentus, vt in naues repentè incursum faceret. De hoc certior factus Athen. populus, classe quâ commeatum tutaretur missâ, quicquid frumenti tum aduehebatur in Piræeum deduxêre. Posthæc Chabrias Atheniensium nauarchus, cum tota classe ad Naxum profectus, obsidionem instituit: admotisque machinis, grauiter mœnia quassans, omnem adhibebat conatum, vt per vim vrbem expugnaret. Quo negotio dum iste occupatur, Pollis Laconicæ classis Prætor ad ferendum Naxiis opem accedit, ortâque contentione, ad nauale prælium res deuenit. Dispositis ergò nauibus, in se mutuò prouehuntur. Pollis LXV, Chabrias LXXXIII sub imperio habebat. conflictuque inito, Pollis dextrum cornu ducens, primus in oppositas sibi in sinistro Atheniensium cornu naues, quarum Dux erat Cedon Atheniensis impetum facit: & strenuè dimicans, & Cedonem ipsum trucidat, & nauem eius depressit. sic cum aliis etiam congressus, rostrorum inflictu, quas & rupit, quas in fugam compellit. Quod animaduertens Chabrias, nauium suarum aliquot missis, qui laborantibus subuenirent, cladem illam correxit. Ipse cũ validissimâ classis parte, quam penès se habebat, animosè

decertans, triremes plurimas lacerauit, nec exiguum harum numerum cepit.

XXXV. Quamuis autem victoriam obtineret, cunctasque hostium naues in fugam dissipasset, ab insequendo tamen abstinuit, memor pugnæ ad Arginusas olim factæ, à quâ ducibus victoriâ potitis ingens beneficium morte populus compensauerat, hoc tantùm illis improperans, quòd parentes eo prælio sepulturâ non adfecissent. Veritus igitur, ne si quid eiusmodi contingeret, simile discrimen subiret, omissâ persecutione, ciues hîc illic natantes collegit, & seruatis quos adhuc superstites inuenisset, defunctos inhumauit. quæ si ipsum cura non retraxisset, expeditè totam hostium classem pessum dedisset. In hoc conflictu de triremibus Atheniensibus XIIX, de Lacedæmonicis XXIV periêre: & IIX cum ipsis viris captæ sunt. Tam insigni victoria prosperatus Chabrias, cum ingenti manubiarum copiâ in Piræeum reuehitur, magnoque eum fauore ac plausu ciues prosequuntur. hæc enim prima fuit à bello Peloponnesiaco pugna naualis, quâ Athenienses victores abierunt. Ad Gnidum enim non suis opibus decertarunt, sed regiæ classis auxilio victoriam retulerunt.

Dum hæc in Græciâ geruntur, in Italiâ Marcus Manlius cùm regnum affectaret Romæ, perduellionis conuictus supplicio afficitur.

XXXVI. Cùm Athenis Chariander Archon esset, & Romæ Tribuni militum IV, Seruius Sulpitius, Lucius Papyrius, Marcus Cornelius & Titus Quinctius consulari magistratu fungerentur; quo anno prima supra centesimam Olympias apud Eléos celebrata fuit; vbi Damon Thurius stadio coronam promeruit; gens Triballorum in Thraciâ, frumentorum inopia laborans, cum vniuersâ multitudine suorum (supra XXX hominum millia) armis extra fines promotis, ex aliena sibi terra victum comparabat. Thraciam igitur finitimam inuadunt, & Abderitarum regionem absque vllo metu populantur; magnaq; onusti prædâ, neglectim absq; ordine recedebant. Tum vniuersa Abderitarum ciuitas sparsim & incompositè remeantibus superueniens, duo amplius millia trucidat. Quo facto Barbari exacerbati, vt vindictam de Abderitis sumerent, denuò in fines illorum incursionem faciunt. At victoriam nuper adepti, cùm & tam felici suc-

cessu

cessu efferrentur, & Thracum finitimorum auxiliis confir-
mati essent, aciem Barbaris opponunt. Iamque magno ro-
bore certabatur, cùm Thraces, fide statim mutatâ, Abderi-
tas solos relinquant. qui à multitudine Barbarorum circum-
uenti, ad vnum fermè omnes, qui prælio interfuerunt, con-
ciduntur. Tam fœdam Abderitæ cladem cùm accepissent,
iamque propè esset, vt obsidione premerentur, Chabrias A-
theniensis cum exercitu, superuenit: nec Abderitas tantùm
periculis exemit, sed barbaros è regione prorsus expulit. Inde
cùm magno vrbem præsidio firmâsset, dolo quorundam
peremtus fuit. Timotheus ergò, imperio classis accepto, in
Cephalleniam profectus, naues vrbi infestas admouet, &
Acarnaniæ ciuitatibus, vt Atheniensium se partibus appli-
cent, suasor & auctor est. Mox etiam Alcetam regem Mo-
lossorum amicitiæ fœdere sibi adiungit; iamque regiones,
quæ sub iurisdictione ciuitatum illis in locis erant, in potesta-
te habens, Lacedæmonios ad Leucadem prælio nauali fun-
dit. Atque hæc omnia breuissimo tempore, minimoque
negocio perfecit, dum hîc orationis vi persuadet, illic forti-
tudine ac solertiâ Imperatoriâ vincit. Ideò non solùm inter
ciues, sed apud cæteros etiam Græcos magnam sibi bene-
uolentiam ac laudem comparauit. & res Timothei hoc tum
in statu erant. Inter hæc verò negocia Thebani cum

XXXVII.

Iↄ eximiæ virtutis ciuibus aduersus Orchomenon arma
expediunt, remque memoratu dignam peragunt. Vrbem
hanc valido Spartani præsidio asseruabant: quod dum in-
structâ Thebanos acie excipit, pugna conseritur acerrima:
quâ cum duplo maioribus congressi copiis Thebani Lace-
dæmonios tamen profligant. quod per superiores hactenus
ætates contigerat nunquam: sed abundè satis tum videba-
tur, si à magno aliorum numero paucissimi illorum victi
essent. Animi hinc igitur Thebanis creuêre; & strenuitas
illorum longè magis inclaruit; Nec iam dubium erat, quin
de totius Græciæ Principatu disceptaturi essent. Quod ad
scriptores, Herméas Methymnæus opus suum de rebus Si-
ciliensium cum hoc anno terminat, x, vel, vt alii distinguunt,
xii libris continuatum.

XXXVIII.

Sequenti anno, quo Hippodamus Athenis in summo
magistratu erat, & Romæ hi iv Tribuni militares Lucius
Valerius Crispus, Aulus Manlius, Seruius Sulpitius & Lu-

cius Lucretius, consulari munere fungebantur; Artaxerxes Persarum rex Ægyptiis bellum illaturus, quia magnum peregrini exercitus robur sibi adscribere cupiebat, dirimendis in Græcia bellorum controuersiis animum intendit. hoc enim pacto Græcos, si domesticis nimirum bellis leuarentur, ad profitendum sua in hanc militiam nomina expeditiores fore sperabat. Missis proinde legatis in Græciam, ad pacem inter se firmandam ciuitates adhortatur. Suasio hæc Græcis perquàm accepta venit; quòd continuis iam bellis defatigati essent. Ideò ab vniuersis pax his conditionibus componitur, VT OMNES GRÆCIÆ VRBES SVO DEINCEPS IVRE ET ABSQVE PRÆSIDIIS VIVANT. Certi etiam præsidiorum deductores ex Græcorum natione constituuntur. hi vnumquodq; adeuntes oppidum, quicquid ibi præsidiariorum fuit, excedere iubebant. Soli interim Thebani in hoc fœdus oppidatim seruandum consentire noluerant, & Bœotiam vniuersam, vt sibi duntaxat tributaria esset, eximebant. His verò Athen. acerrimè refragantur. Cùm ergò in communi Græcorum concilio Athen. nomine Callistratus Tribunus plebis peroraret, & pro Thebanis Epaminondas magnificè verba faceret; cæteri sanè Græci omnes concordi fœdus sententiâ peregere: Thebani autem soli ab eo exclusi, dum Epaminondæ virtus animum ciuibus addit, magnâ se fiduciâ decreto communi opposuerunt. Postquàm enim Laced. & Athen. perpetuò hactenus de summo Græciæ Imperio contendissent, tandem his pactis sibi mutuò cesserunt, vt alteri terræ, alteri maris imperium sibi meritò vendicare censerentur. quare nunc ad tertios etiam referri imperium ægerrimè ferebant, ideóq; ciuitates Bœotiæ à communitate Thebanorum abstraxerunt.

XXXIX. At Thebani, qui & robore corporis & animi virtute præstabant, iámq; prælijs aliquot Laced. profligârant, spiritùs gerebant sublimiores, ideoq; continentis imperium sibi capessendùm esse arbitrabantur. Nec opinio illos fefellit, tùm ob caussas iam memoratas, tum etiam, quòd plures eo tempore duces atque imperatores egregiæ virtutis habebât. inter quos clarissimi erant Pelopidas, Gorgias, Epaminondas. hic enimuerò non suæ tantùm gentis homines, sed Græcos omnes fortitudine & Imperatorij muneris solertiâ, præstabat. liberalibus insuper disciplinis, & Pythagoricæ inprimis

mis philosophiæ egregiam nauârat operam. Cúmq; præter hæc omnia eximiis à naturâ ipsâ dotibus instrueretur, non mirum, si res etiam omnium præclarissimas effecit. Exiguâ ergò ciuium manu cum vniuersis Lacedæmoniorum & confœderatorum copiis decernere coactus, vsque adeò inuictos illos bellatores superauit, vt etiam regem Spartanorum Cleôbrotum interimeret, & agmen sibi oppositum ad internecionem propè concideret. tantasq; res prçter omnium exspectationem ille confecit; quòd & intelligentiâ singulari præstaret, & liberali institutione ad virtutem adsuefactus esset. de quibus infrà, vbi speciatim res ipsius exponemus, luculentior fiet mentio. Nunc ad connexam historiæ seriem nos conuertemus.

XL. Iam suæ cuiq; ciuitatis populo concessum erat, vti legibus suis viueret. sed statim vrbes turbis ac seditionibus magn sinuoluuntur: Peloponnesiacæ verò inprimis. Paucorum hę dominationi priùs subiectæ fuerant, populari igitur administratione iam restitutâ, non prudenter satis vtebantur; multos probatæ virtutis ciues calumniosis iudiciis condemnatos, in exsilium pellebant: & seditione magis gliscente, exsiliis & publicatione bonorum nihil erat frequentius. Huic autem malo præcipue obnoxii erant, qui sub Laced. Principatu magistratus gesserant. quòd enim imperiosiùs æquo populo se exhibuissent, promiscua deinde plebs, recuperatâ libertate iniuriarũ plus satis memor erat. Principes ergò Phialensium exsules conspiratione inter se factâ, Heræam, quam vocant, castellum probè munitum, occupant. atq; inde crebris Phialeam incursationibus infestam reddunt. Dionysia (*Liberalia*) tùm fortè erant; cùm ex improuiso populares in theatro residentes aggressi plurimos iugulant. nec paucos in vesani huius incepti societatem pertrahunt; atque inde Spartam reuertuntur. Tum etiam Corintho profugi, quorum non exiguus apud Argiuos numerus se continebat, vi sibi reditum aperire statuerunt. Hos nonnulli familiares, & amici in vrbem receperant: sed re per indicium ad magistratum delatâ, haud diu latere potuerunt. Et iam propè erant, vt comprehenderentur, supplicii igitur imminentis metu mutuis sibi ictibus necem attulere. At Corinthii dum multos ciuium in coniurationis huius suspicionem rapiunt, partẽ capite, partem exsilio multant. In Megarensium præterea ciuitate nonnulli Reipub.

ſtatum mutandi conſilia inierant. hi perduellionis à populo conuicti partim capite, partim mutatione ſoli luerunt. Sic apud Sicyonios nonnulli res innouandas aggreſſi, quæſtione habitâ, necantur. Apud Phliaſios tandem plurimi in exſilium pulſi, cùm regionis illius caſtello quodam occupato, magnis ſe mercenariorum copiis inſtruxiſſent, pugnam cum oppidanis commiſerunt, & pluribus quàm CCC ex hoſtium numero trucidatis victoriam reportârunt. Sed aliquantò pòſt excubiarum fraude proditis exſulibus, Phliaſii ſuperiores euadunt, & IↃC illorum occiſis, reliquos è finibus ſuis expulſos Argos profugere compellunt. Atque tam calamitoſus rerum ſtatus in Peloponneſo erat. Archon deinceps Athenis erat Socratides, & Romani conſulari dignitate IV Tribunos militares ſibi præfecerant. Erant autem hi, Quintus Seruilius, Seruius Cornelius, Spurius Papyrius & Lucius Æmilius. Tum rex Perſarum in Ægyptios, Perſico imperio iampridem rebelles, mouebat. exercitum regebant Pharnabazus & Iphicrates Athenienſis, ille Barbaros, hic mercede conductorum CCIↃↃ CCIↃↃ. Viro huic ſingularis exercitus ductandi virtus cum regis fauorem conciliauerat, vt hoc imperandi munus illi commendaret. Plures autem annos in belli huius apparatibus conſumſerat Pharnabazus. Iphicrates ergò expeditam in ſermone facultatem, & in opere peragundo tarditatem ipſius animaduertens, hac orationis libertate vſus aliquando eum compellat, Mirari ſe, quî ſermone quidem celeri, opere verò tardus ſit. Id hac ratione fieri ab ſe Pharnabazus reſpondet, quòd verba in ſuâ, opera in regis poteſtate habeantur. Regiis tandem exercitibus ad Acen (Syriæ) oppidum congregatis, luſtratione initâ, Barbarorum ducenta millia ſub Pharnabazi ſignis, Græcorum ſtipendiis conductorum viginti millia ſub Iphicratis imperio, recenſita fuêre. Claſſis verò numerus erat, triremes CCC; triacontori (*trigintaremes*) ducentæ. At eorum, quæ commeatum & cætera ad præſentes vſus neceſſaria adueherent, ingens erat numerus. Sub æſtatis ergò initium, regii ductores, cum copiis vniuerſis, adiunctâ ſimul claſſe, in Ægyptum proceſsêre. Iamque Nili oſtiis approximantes Ægyptios ad bellum probè manifeſteq; inſtructos offenderunt. tardiuſculus enim in expeditione illâ fuerat Pharnabazus, hoſtique ſat longum præmuniendi ſe

XLI.

ſpacium

ſpacium conceſſerat. Nam perpetuum hoc eſt Ducibus Perſarum; dum ipſi rei ſummam in poteſtate non habent, omnia ad regis arbitrium referunt, & certum ad ſingula reſponſum præſtolantur.

II. Interea rex Ægyptiorum Nectanabis, quantæ Perſarum eſſent copiæ, explorauerat: potiſſimam verò ſpem in regionis ſuæ firmitate poſitam habebat, cùm perdifficilé vndiq; acceſſum præbeat Ægyptus, & ad omnes à terrâ, mariq; irruptiones ſeptem Nili oſtia viam interſepiant. Vbi enim Nilus in mare ſeſe exonerat, ad vnumquodquis oſtiũ vrbs exſtructa erat, quæ turribus ad vtramq; fluminis ripam prægrandibus & ligneo inſuper ponte inſtructa appellentes eò naues in poteſtate ſuâ habebat. præ omnibus autem Peluſium (vt vocatur) oſtium, præmunierant.

XLI. cùm enim his principiò è Syriâ tendentibus obiectum ſit, illac primam hoſtes irruptionem facturos coniectabant. ideò foſſis hoc deductis circumuallauit, & quibus locis opportuniſſimus erat nauium introitus, ea muris obſtruxit. Viis etiã per quas à terrâ Ægyptus aditur, aquas induxit, & per quas nauibus acceſſus patebat, eas aggeribus obſtruxit. Quo factum, vt nec claſſe adnauigari, nec equitatu appropinquari, nec pedeſtribus tùm copiis accedi facilè poſſet. Pharnabazi ergò legati Peluſii oſtium tàm mirificè præmunitum, tantiſq; militum excubiis inſeſſum, vt offenderunt, aggreſſionem violentam omninò intermittendam eſſe rati, per aliud oſtiũ claſſem intromittere conſultius putabant. Quapropter in altum retrouecti, ne ſcilicet ab hoſte conſpicerentur, Mendeſio, quod vocant, oſtio longè porrectum littus habenti, claſſem aduertunt. Ter mille igitur armatis hîc expoſitis, Pharnabazus & Iphicrates caſtellum ſuper oſtio exſtructum aggrediuntur: ſed cùm tria equitum peditumq; ſimul millia ad defenſionem loci educerent Ægyptii, pugna vehemens committitur: in quâ Ægyptii, tandem à Perſarum multitudine (nam ſubinde plures è nauibus accurrebant) concluſi, magnâ ſtrage cæduntur, nec pauci viui in hoſtium manus peruenêre. reliqui in oppidulum refugere coguntur. Iphicratis verò milites cũ præſidiariis caſtelli intra mœnia illapſi, propugnaculum hoc impetu captum funditus euertunt, lociq; incolas captiuos abducunt.

XLIII. Diſſidium hinc inter duces oritur, quod vt fruſtrà negocium hoc ſuſceptũ eſſet, effecit. Iphicrates è captiuis præſidio

Memphim vacare tum cognouerat. quæ vrbs cùm magnæ per Ægyptum opportunitatis esset, cum classe ipsam aggrediendam esse consulebat priùs quàm reliquæ Ægyptiorum copiæ sese aggregarent. At Pharnabazus cum suis, omnes Persarum copias exspectandas esse; quòd hoc modo expeditio Memphitica minùs periculosa foret, existimabat. Tum Iphicrates præsentes tantùm mercenarios sibi dari postulat, horumq; operâ se vrbem in potestatem redacturum, pollicetur. Vnde fiduciam viri fortitudinemq; suspectam ille habens, vereri cœpit, ne suo Ægyptum Marte occuparet: ideoq; postulatum illi denegauit. Iphicrates ergò solennem hanc protestationem opponit, si repentinam hanc occasionis commoditatem è manibus dimiserint, totam hanc militiam culpâ ipsorum nihil effecturam. At ille plus sapienti inuidere, calumniisque immeritum vellicare. Interea dum Ægyptii sufficiens nacti ocium, idoneo Memphim præsidio muniunt, & ad oppidulum illud euersum cum vniuerso exercitu profecti, dum multis in partibus, armorum firmitate, hosti præualent, assiduis illum conflictibus lacessunt, & subinde magis inualescentes, magnam Persarum cædem faciunt, animumque contra illos obfirmant. Cùm verò satdiu castellum illud exercitus moras nexuisset, iamque flatu Etesiarum Nilus insurgens omnem circa locum excursu inundaret, & Ægyptum subinde munitiorem efficeret, Persarum duces, quòd ipsa naturæ conditio obluctari videbatur, discessum ex Ægypto maturandum esse censuerunt. Quamprimùm ergò in Asiam rediêre, Pharnabazo cum Iphicrate dissidium recruduit. Ex quo timens sibi Iphicrates, ne, quod Cononi pridem acciderat, in vincula compingeretur, clàm è castris fugæ arripiendæ consilium inibat. Subornato igitur nauigio noctu se subducit, Athenasque reuehitur. quem missis illuc legatis Pharnabazus Ægypti non recuperatæ reum agebat. Cui responsum Athen. reddunt, illum pro merito, si noxium cognouerint à se punitum iri. breui tamen interuallo temporis totius suæ classis imperium ei tradunt. Hoc equidem loco non alienum putamus fore, si de virtute Iphicratis memoriæ prodita attexamus. Vir hic imperatoriam tenuisse solertiam, & prompto ad quoduis vtile commentum ingenio præstitisse, memoratur. Cùm igitur longo Persicæ militiæ vsu, magnam in re bellicâ peritiam sibi comparasset,

XLIV

rasset, multa ad bellum conducibilia excogitauit. armaturis verò accuratum inprimis studium impendit. Mos fuerat Græcis hactenus, prolixa gestare scuta. sed cùm hæc propter grauitatem ad motum impeditiora essent, formâ illorum contractâ, & peltas modicè conformatas substituit: duo præcipuè hac innouatione spectans, tum vt corpus satis tegeretur, tum vt leuitate magis ad vsum habilia forent. Commoditas hæc, experimentis statim probata effecit, vt qui scutati pridem à graui armaturâ dicti fuerant, tum peltati à peltis nuncuparentur. Hastæ præterea gladiiq; modus ab ipso mutatus fuit. nam longitudinem illius sesquiplo, huius duplo auxit. Huius inuenti approbationem vsus statim confirmauit, ducisque industriam felici experimenti successu celebratissimam reddidit. Calceamenta denique militum, vt & citiùs solui, & faciliùs gestari possent, excogitauit. quæ ad hunc vsque diem Iphicraticarum inde appellationem retinent. Multa insuper alia, quæ ad militiam conducerent, inuenit, quæ hoc loco intexere longum foret.

Atque ita tàm magni apparatus in Ægyptum expeditione, contrà quàm speratum fuerat, infectâ re discessum est.

LV. Per hoc tempus insolita per Græciam Reipublicæ forma turbas in ciuitatibus excitauerat. & quia nullum vndique regimen erat certum, multi seditiones inceptabant. Qui res ad paucorum arbitrium deuoluebant, Lacedæmonios habuêre patronos, popularem verò statum amplexos Athenienses defenderunt. Ambæ enim ciuitates ad breue tempus percussum à se fœdus inuiolatum seruauêre. sed statim vrbium sibi addictarum causæ patrocinantes, nulla pacis, communi nuper sententiâ inter se constitutæ, ratione habitâ, bellum instaurarunt. Tum equidem in Zacyntho populus grauiter infensus illis, penès quos sub Lacedæmoniorum clientelâ summa potestas fuerat, quòd iniuriarũ memoria stimularetur, omnes solũm vertere coëgit. Hi verò ad Timotheum Atticæ tùm classis Prætorem confugere, interq; classiarios eius adsciti, communi cum illo opè bellum gesserunt. Is defensione exsulum suscepta, in Insulã eos trãsportat vbi castellum probè munitum (Arcadiæ illi nomen erat) occupant, auxilióq; Timothei, multum oppidanis molestiæ & damni exhibent. Zacynthii ergò Lacedæmonem suo-

cant. hi, priusquàm armis rem tentarent, Timotheum per legatos Athenas missos ad populum criminantur. quem vbi ad exsules inclinare vident, ad classem expediendam se conuertunt, & triremibus viginti quinque completis, auxilia Zacynthiis, Duce Aristocrate transmittunt.

Dum hæc ita geruntur, in Corcyrâ nonnulli Lacedæmoniorum fautores aduersus populum insurrexerant. Spartanos igitur, vt naualibus sibi copiis quãprimùm succurrerent, exhortantur, se Corcyram in manus illorum tradituros polliciti. Illi haud ignari quantum hæc insula iis cõferat, qui imperium maris sibi vendicent, hanc ipsam suæ potestatis facere properarunt. Confestim ergò XXII triremes prætore Alcidâ in Corcyram traiicere iubent. interea classem hanc in Siciliam mitti simulant, vt tanquam amici à Corcyræis suscepti, exsulum operâ occuparent vrbem. Sed oppidani fraude Spartanorum animaduersâ, vrbem præsidiis ac custodiis studiosè firmarunt. legatos etiam Athenas de suppeditandis auxiliis miserunt. Et auxilia quidem populus tàm Corcyræis, quàm Zacynthiorum exsulibus illicò decernit: & statim in Zacynthum Ctesicles qui ducis munere exsulibus fungatur, contendere iubetur: sed classis in Corcyram mittenda tunc adhuc instruebatur. Interea Platæenses, societatem Athen. cupidè amplexi, in fidem horum vrbem suam tradere cùm decreuissent, milites inde accersunt. quo Bœotarchæ magnoperè offensi, vt subsidiariam Atheniensium manum præuerterent, magnas illicò copias in eos duxerunt. & in fines Platæensium progressi, quòd improuisa esset hæc irruptio, ciuium plurimos in agris offendunt. quos subitò equites sibi prædam faciunt. Reliqui fugâ in vrbem elapsi, cùm sociali prorsus auxilio destituerentur, certis quibusdam pactis, prout hosti placebat, se dedere coguntur. Nam supellectilibus tantùm conuasatis, vrbem exire, & quidem hac conditione, ne vnquam Bœotiæ pedem inferrent, eos necessum erat. Dirutis hinc Platæis Thebani etiam Thespias, à societate ipsorum auersas, expugnârunt. Platæenses igitur cum liberis & vxoribus Athenas profugi, benignitate populi communi ciuitatis iure donantur. Et in hoc tum statu res Bœotiæ fuerunt.

Lacedæmonii autem Mnasippum classi præfectum, cum triremibus LXV, & CIↃ ac IↃ militibus, in Corcyram miserunt

miſerunt. hic inſulam ingreſſus, cùm exules ad ſe recepiſſet, in portam nauigauit, & ſtatim quatuor nauibus potitus, reliquas tres ad terram fugere compulit. quas Corcyræi ne in hoſtium manus venirent, concremarunt. Pedeſtri etiam prælio hoſtes vicit, qui collem quendam occupauerant, & ingentem vbique terrorem Corcyræis iniecit: Porrò Athenienſes iampridem Timotheum Cononis ſubſidio Corcyrenſibus cum LX nauium claſſe miſerant. is verò priuſquam ſocios illos Marte iuuaret, in Thraciam profectus, multas ibi ciuitates ad ſocietatem Athenienſium pertraxit, & XXX triremibus claſſem ſuam auxit. Sed quia tardiùs Corcyræis opem ferebat, populi offenſam tum quidem incurrit, & magiſtratu abdicatur. Vbi verò tanto legatorum (qui ad componendum ſocietatis fœdus acceſſerant) numero comitatus, & XXX præterea triremibus auctior, totamq; claſſem probè ad bellum inſtructam habens, Athenas rediit, ſententiam populus mutauit, & imperium militare ipſi reſtituit. Iam antè inſtaurârant etiam alias triremes XL, vt ſumma omnium eſſet CXXX. frumenti præterea, & telorum adeoque omnium, quæ bello conducerent, inſignem apparatum fecêre. Sed in præſentiâ, imperio Cteſicli demandato, IO cum eo milites auxilio Corcyræis mittunt. Is noctu Corcyram ingreſſus obſeſſores fefellit, oppidanos autem ſeditione laborantes, & prauè bellum adminiſtrantes, inuenit. Diſſidiis ergò ſtatim pacatis, ſummam vrbis defenſioni curam impendit; & hoc pacto magnam obſeſſis fiduciam iniecit. & quod primum fuit, eruptione præter ſpem in hoſtes facta, CC ex illis interemit. Hinc acri cum eis prælio congreſſu, tum Mnaſippum interfecit, tum complures alios neci dedit. Iamq; bellum in Corcyra propè confectum erat, cùm Athenienſium claſſis, Timotheo & Iphicrate ducibus, ad Corcyram appulit. hi quia tardiùs acceſſerant, nihil aliud memorabile dignum effecerunt, niſi quòd triremes nouem è Sicilia, quas Dionyſius Lacedæmoniis in ſubſidium miſerat, ſub Caſſidæ & Crinippi ductu, vnà cum viris ceperunt: & è captiuorum diſtractione talentis plus quàm LX collectis, ſtipendia militibus perſoluerunt. Hæc dum ita ſeſe habent, Nicocles in Cypro, obtruncato per inſidias rege Euagora, Salaminiorum regnum ſibi rapuit. In Italia Romani inſtructâ cum Præneſtinis acie congreſ-

si, & victores, plerosque qui contra ipsos steterant, contrucidârunt.

XLI. Archonte dehinc Athenis Asteio, & Romæ Tribunis militum, nempe Marco Furio, & Lucio Furio, Aulo Postumio, Lucio Lucretio, Marco Fabio & Lucio Postumio, consulari potestate creatis, tam enormes in Peloponneso terræmotus, & aquarum inundationes per regionem & vrbes acciderunt, vt res omnem propè fidem excedat. Nunquam enim seculis anteactis huiusmodi calamitates Græcorum vrbes oppresserunt: adeò quidem vt vrbes vnà cum incolis absorberentur. Et certè diuina quædam vis & efficacitas istam hominum perniciem atque cladem architectabatur. Magnitudinem calamitatis ipsum quoque tempus aggrauauit. non enim per diem (vbi periculis circumuenti aliquid sibi opis adferre poterant) sed noctu terræmotus ingruebat. Domus igitur summâ tremoris vehementiâ inter se confusæ proruebant. mortalesque tenebris impediti, subitoque & nec opinato illo casu perplexi, nullam salutis capessendæ viam nouerant. quo factum vt maior pars cùm ædiũ ruinis oppressi, miserè perirent. Quamprimùm verò illuxit nonnulli è tectis prosiluêre. sed hi ipsi dum periculum se euasisse autumant, in malum longè grauius minúsque opinatum inciderunt. Cùm enim mare intumescens fluctus in altum nimis attolleret, cum patriis vniuersi laribus absorpti perierunt. Malum hoc duas præcipuè vrbes Achaiæ Helicen & Buram corripiebat. quarum illa maximam inter Achaiæ vrbes dignitatem ante conuulsionem istam obtinuerat. Acris super mali huius origine disputatio habita fuit. Physici quidem id genus euentorum causas non ad Numen, sed naturales quasdam & omnino necessarias circumstantias, reducunt. Verùm qui piè ac reuerenter de numine sentiunt, probabilem de hoc ipso rationem exponuunt: quòd videlicet ira deûm, ob religionis suæ violationem hac clade vindicarit: Quod narratione particulari etiam nos exactiùs persequemur.

XLII. Nouem per Ioniam vrbes solenni Panionia conuentu frequentare, & opimas Neptuno victimas, antiquo ritu, ad Mycalen (quam vocant) in solitario quodam loco, sacrificare consueuerant. quæ festi Panionici solennitas cùm per crebra illic bella celebrari non ampliùs posset; in locum magis tutum ab Epheso non procul, comitia illa

transtu-

tranſtulerunt. Sed miſſis Pythonem legatis oraculo iuſſi fuerant,vt à vetuſtiſſ. maiorum ſuorum delubris (ex Helice videlicet, vrbe regionis, quondam Ioniæ, at nunc Achaiæ nuncupatæ) ſtatuas acciperent. Iones ergò,vt oraculo moniti fuerant, in Achaiam mittunt, qui ſimulacra inde petant. Hi in publicis Achæorum comitiis cauſam legationis exponunt,& ad concedendum quod petebatur,illos adducũt. Sed Helicenſes oraculum habebant vetuſtum, tum in ſummo res periculo fore,ſi in arâ Neptuni Iones ſacra facerent. horum itaq; recordati ſtatuas Ionibus permittere detrectant, fanum illud non ad totam Achæorum communitatem, ſed priuatim ad ſe pertinere contendentes. Idem à Buranis etiã, qui cum Helicenſibus conſenſerant, agitabatur. Nihilominùs tamen Iones communi Achæorum decreto poteſtatem adepti (vt oraculum euentu comprobaretur) victimas in arâ Neptuni obtulerunt. Helicenſes igitur diſiectis Ionũ rebus, Theoriſque in vincula compactis, enormem aduerſus Numen impietatem deſignarunt. Ad vindicandam igitur tam atrocem iniuriam Neptunum aiunt iratum terræmotu ſimul & maris inundatione extremam vrbibus illis calamitatem inflixiſſe. Quòd autem Neptuni hoc irâ factũ ſit, pro euidenti hoc argumento afferunt, quòd & terræ motus & diluuia deus iſte in poteſtate habere credatur; & quòd à vetuſtiſſimâ hominum memoriâ Peloponneſus habitaculum Neptuni,& regio hæc eidem ſacra habeatur; ꝙ omnes denique Peloponneſi ciuitates pro omnibus aliis ipſum religioſè venerentur. Ad hanc cauſam,aliam inſuper rationem accedere perhibent. Sunt in Peloponneſo (aiunt) magnæ in viſceribus terræ cauitates,vbi vaſti etiam fiunt aquarum hinc inde confluentium lacus. Certè duo in eâ fluuii exſiſtunt, qui manifeſtè in hiatus terræ ſe præcipitant. amnis enim qui Pheneum prætercurrit,ſuperiori æuo in profunda delapſus,ex oculis hominũ abiit; ꝙ à ſubterraneis nimirũ ſpecubus exciperetur. Alter verò ad Stymphiũ hiatu quodã abſorptus,poſt quã occultũ ſub terrâ lapſũ p cc ſtadia tenuit,propè Argiuorũ vrbẽ emergit. His huc vſq; memoratis additur, ꝙ præter inceſtatę pietatis reos,nemo vltra calamitatẽ iſtã expertus fuerit. Hæc ergò de terrę cõcuſſionibus & diluuiis in Pelopõ.ortis, dicta nobis ſufficiant.

L. Principẽ hinc Athẽ. magiſtratũ gerẽte Alcisthene,& Romę Trib.mil.iix cõſulũ loco ſurroga

tis, Lucio & Publio Valeriis, Caio Terentio, Lucio Menenio, Caio Sulpitio, Tito Papyrio, Lucio Æmilio & Marco Fabio, altera supra centesimam Olympias Eleis celebrata fuit, quâ stadii victoriam Damo Thurius obtinebat. Tum Lacedæmoniis qui quingentos propè annos imperium Græciæ tenuerant, iacturam eiusdem certis Numen signis portendebat. Ingens enim fax, quæ ignitæ trabis nomen à figurâ sortiebatur, per multas noctes ardere in cœlo visa est. Exiguoque temporis interuallo pòst, magno deuicti prælio, repentè, quod nemo putâsset, imperium amisêre. Nonnulli inter Physicos, facis huius ortum naturalibus caussis tribuunt, & id genus ostenta definito tempore necessitate quadam fieri asseuerant. & de his celebres in Babyloniâ Chaldæos, & astrologos cæteros effata tam certa edere, vt nihil omninò aberrent. quos non mirari aiunt, si quid horum fiat, sed potiùs si non eueniat, propterea quòd suos quæque habeant circuitus, & perpetuis motibus cursibusque definitis omnia peragantur. Hanc denique lampadem tantam lucis splendoris copiam habuisse dicunt, vt vmbras in terrâ perinde atque Luna efficeret. Circa hoc ipsum tempus Artaxerxes rex Persarum Græciam denuò turbulentis motibus conquassari videns, per legatos iterum ad intestina componendum bella, & pacem vndiq; inter se, iuxta leges nuper conditas, stabiliendam, ipsos adhortatur. Suasionem hanc cupidè Græci omnes amplectuntur, communemq; inter se pacem faciunt, præter solos Thebanos. Hi enim quòd sub vnâ Bœotiam iurisdictione comprehendi à se vellent, à Græcis in fœderis communionem non admittebantur; quibus omnibus vt singulæ ciuitates iureiurando se fœderi obstringerent, placebat. A fœdere itaque exclusi, vt priùs factitârant, sub vno ciuitatis suæ censu Bœotiam continebant. Hac ergò peruicaciâ Lacedæmonii exasperati, magno illos exercitu, vt communes Græciæ hostes, inuadendos censuerunt. Potentia enim illorum iampridem augescens suspecta esse cœperat, ne quando Bœotiæ totius principatum consecuti, occasione vtcunq; arreptâ, Spartam imperio deiicerent. Cùm enim naturâ bellicosi erant, nec vlli per Græciam genti fortitudine secundi, tùm gymnasiorum exercitationibus assiduis corpora longè validiora efficiebant. Quid? quòd etiã ductores tum illis virtute insignes, cùm alii plures, tùm ma-

ximè

ximè tres, Epaminondas, Gorgiasq; & Pelopidas, præstò erant. Accedebat huc, quòd Thebanorum ciuitas, ob maiorum nobilitatem, ab heroicis inde temporibus propagatam, animos tollebat, atque propterea res magnas affectabat. Hoc igitur anno Lacedæmonii copias partim è ciuium, partim sociorum delectibus comparando, ad bellum sese instruxêre.

LI. Cùm deinceps Athenis Phrasiclides Rempublicam administraret, Romaniq; consulari muneri præfecissent Tribunos militares octo, Publium Manlium, Caiū Erenucium, Caium Sextium, Lucium Iulium, Marcum Albinium, Publium Trebonium, Caium Manlium, & Lucium Antistium: Thebani, in fœdus non admissi, suis bellum viribus contra Lacedæmonios sustinere cogebantur: nec vlli ciuitatum suppetias illis ferre, quòd pax omnium consensu recepta & constituta esset, licebat. Desertis igitur Thebanis bellum inferre Lacedæmonii, Thebasq; in seruitutem redigere, decreuerunt. Et quia manifestè in magnos incumbebant apparatus Lacedæmonii; contrà verò Thebani ab omnibus destituebantur, nemo non in hac opinione erat, non magno eos negocio à Spartanis debellatum iri. Propterea qui bene ipsis cuperent, ob clades impendere visas vices illorum dolere. At inimici contrà lætitiâ exsultare, quasi Thebani iam iam seruile iugum subituri essent. Cùm ergò magnis Lacedæmonii copiis sese confirmassent, regi Cleōbroto imperium tradunt. Ante omnia tamen legatos Thebas mittunt, qui cunctas per Bœotiam vrbes iuri suo permitti, Plateasq; & Thespias instaurari, agros insuper pristinis dominis restitui postulent. Ad hoc Thebani respondent, vt ipsi Laconiæ se negociis non implicent: ita ab illis Bœotiæ res non attrectari, æquum esse. Disquisitione hac præmissâ, Lacedæmonii sine morâ Cleombrotum infesto Thebas agmine petere iubent. Ad hoc verò bellum confœderati Laced. perquàm alacres erant, vt qui nullum hîc certamen, nullam omninò pugnam fore sed absq; puluere (quod dicitur) Bœotos subactum iri sperarent.

LII. Promotis ergò signis ad Chæroneā castra metantur, & auxiliarios tardiùs insequentes exspectant. Interea Thebani hostium aduentu cognito, liberos vxoresq; Athenis ex populi scito deposuerant. Tum Epaminondam summum militiæ Ducē creant, cui belli totius arbitrium, adhibitis tamen Bœotarchis, commiserunt.

Is quotquot maturæ ad bellum ætatis inter Thebanos esse vidit, & ex aliis prȩterea Bœotis aptissimum quemq;, ad militiã hanc delegit, iamq; in vniuersum non plures ꟾↃↃ cꟾↃ sub vexillis habens, Thebis exercitum educit: cùm prodigia quædã mali ominis visa, sub ipsum egressum agmini occurrunt. Nam ad portam Epaminondanis obuiam fit præco, hominem cœcum, qui aufugerat, ducens, & vsitatam hanc formulam proclamans, neq; extra Thebas ducendum, neq; è medio tollendum, sed abductum retrò conseruandum esse. quæ præconis verba cùm seniores excepissent, statim futuri aliquid portendi augurantur. Floridior tamen ætas quieuit: ne timiditate suâ ab institutæ expeditionis negocio retrahere Epaminondam viderentur. Is auguriis hisce mentẽ aduertendam esse clamitantibus, versum hunc reponit:

Augurium hoc cunctis: patriam defendere præstat.

Vix libertate istâ pudorem meticulosis iniecerat, cùm aliud omen priore formidabilius, sese obtulit. Castrensis enim scriba cum hasta quȩ fasciam appensam habebat, vt mãdata Ducum per exercitum significaret, præibat. huic turbine confestim oborto accidit, vt fasciam ab hastili auulsam in sepulcri fortè cippum ventus ibi deferret. hoc enim loco, qui Agesilai pridem ductum secuti ceciderant, terræ inhumati erant. Hîc iterum ætate prouectiores cum obtestatione interpellare, ne cùm euidenter dii obsistant, cùm agmine vlterius pergerent. At imperator nullo eos responso dignatus, quòd honesti & æqui rationem prodigiorum in præsentiâ " obseruationi longè præferendam esse censeret, alacriter signa " promouit. Tametsi igitur Epaminondas, quippe in Philosophiâ præclarè versatus, ad disciplinæ rationes rem, quæ tũ agebatur, prudenter accommodasset, magnam tamen interim reprehensionem incurrit. Sed non multò pòst, cùm fœlix rerum gestarum euentus imperatoriæ in ipso artis excellentiam demonstraret, magnis patriam emolumentis cumulasse visus est. Tum autem rectâ cum copiis viâ progressus faucibus ad Coroneam occupatis, ibi castra metatur.

LIII. Cleombrotus, vbi transitum hunc ab hostibus insessum audiuit, illac perrumpere se posse diffidens, per Phocidẽ iter auertit. & viam iuxta mare, quamuis asperam, emensus, absq; detrimento fines Bœotiæ attigit. In transitu tamẽ oppidulis quibusdam in fidem suam adactis, triremibus aliquot potitus

potitus est. Tandē ad Leuctra (vti vocantur)peruenit.locoq;
statiuis delecto,militem ab itineris molestiâ recreauit. Inte-
rea promotis Bœoti castris hosti propinquarant : collibusq;
superatis quamprimùm viderunt totum in Leuctris campū
multitudine suâ obtinere Laced.metu non exiguo,tantâ ho-
stium vi cognitâ, percelluntur. Mox Bœotarcharum Sena-
tus conuentum agit,& deliberatio instituitur, vtrū manendū
sit, & cum longè numerosiore exercitu confligendum,an ve-
rò copiis inde reductis,loco magis idoneo pugnam commis-
sum eant. Ibi fortè fortunâ, vt pares numero sententiæ dice-
rentur,accidit. Cùm enim sex Bœotarchæ essent, tres abdu-
cendum esse militem censebant,tres,vt loco manerent,& di-
micando fortunam periclitarentur,suadebant. inque horum
numero Epaminondas fuit. Dū ita disceptatio hęret anceps,
necdum certa eius diiudicatio facta est,septimus tandē Bœo-
tarches interuenit.huic vt suffragium sibi accommodet,Epa-
minondas suasor est. atq; ita sententiâ suâ peruicit. De sum-
mâ igitur rerum armis disceptandum esse,hac ratione decre-
tum fuit. Tum videns Epaminondas,animos militum augu-
riorum superstitione adhuc occupatos teneri,suæ industriæ
artisq; commento hanc amoliri cupiebat. Cùm ergò recèns
quidam Thebis in castra venissent, rumoris huius dissemi-
nandi auctor illis est, quòd omnia per fanum herculis arma
subitò disparuerint,& fama Thebis circūferatur,his antiquos
Heroes acceptis,ad opitulandum Thebanis ex vrbe festina-
re. Alium etiam subornauit,qui ex Trophonii antro se nuper
admodum emersisse fingeret. is mandatum à deo asserebat,
vt victoriam in Leuctris adepti, Coronarium Ioui regnato-
ri certamen instituerent. Hinc mos ille,vt solennem ad Le-
badiam Bœoti conuentum peragant. Ad hanc Imperato-
ris solertiam adiumenti non minimū attulit Leandrias Spar-
tanus, qui Laced. extorris factus, Thebanis tum militabat,
is in concionem venire iussus,antiquum Spartanis oraculum
haberi, tum demum Principatu exutos illos fore, si Theba-
norum Marti ad Leuctra succubuerint, affirmabat. Inter-
pretes deniq; oraculorum quidam indigenæ Epaminondā
conuenêre, qui asseuerabant, ꝙ ad sepulcrum Leuctri Sce-
dasique filiarum ingente Lacedæmonios calamitate plecti
necessum sit. Leuctrus is fuit, à quo campus ille nomen sor-
titus est. huius & Scedasi cuiusdā filias, in eodem virginitatis

LIV.

flore constitutas, Spartanorum legati per vim stuprauerant: quam contumeliæ fœditatem cùm minimè tolerandam sibi illæ putarent, diras patriæ, quæ tam nefarios misisset legatos, imprecatæ, suis vitam manibus sibi præciderunt. Cùm hæc & id genus alia plura dictitarentur, concionem Epaminondas aduocat, & apta milites oratione ad instans certamen promtos & alacres esse iubet. Quo factum, vt omnes sententiam mutarent, & reuocatis à superstitione animis, iam fidenter pugnam adire non dubitarent. Sub hoc ipsum tempus à Thessalis copiæ auxiliares Thebanis subuenerunt; pedites cIɔ & quingenti erant, cum equitibus Iɔ Iasone ductore. Hic consilium Thebanis & Lacedæmoniis dedit, vt pensitatione ca uum, quos inopinatos fortuna obiiceret, per inducias coirent. percutitur ergò fœdus. Iamq; Cleombrotus cum exercitu ex Bœotia se recipiebat: cùm nouus illi exercitus, & quidem magnus è Lacedæmoniorum, sociorũq; delectu, duce Archidamo, Agesilai filio obuiam venit. Dum enim Spartani alacritatem Bœotorum, fiduciamq; vident, animosq; illorum in omnem paratos euentum, non contemnendos arbitrantur, alterum hunc exercitum miserant, vt multitudine saltem præliantium eam hostium proteruitatem domarent. Exercitibus igitur in vnum locum congressis, Spartani maiestate suâ indignum rati, si Bœotorum virtutem metu dignam iudicarent, nullâ prorsus fœderis habitâ ratione, præcipiti quadam confidentiâ ad Leuctra regrediuntur. Ibi alacriter conflictum exspectantes inueniunt Bœotos. Ad hunc ergò modum acies vtrinque instruuntur. Apud Lacedæmonios Cleombrotus rex & Archidamus Agesilai regis filius, vterq; ab Hercule oriundus, cornubus præfecti erant. Apud Bœotos verò Epaminondas ordinem quendam peculiarem eximiumq; adhibuit, & hoc artis Imperatoriæ commento victoriam illam nunquam satis ladatam adeptus est. Ex toto enim agmine omnium strenuissimos, cum quibus ipse prælium ciere volebat, accuratè selectos in vno latere constituit. imbecilliores verò in altero cornu dispositos fugam inter pugnandum simulare, hostiumq; impressioni pedetentim cedere iubet. Obliquâ igitur phalange instituta, cum altero cornu, quo delectos habebat, pugnam disceptare statuit. Iam bellicum vtrinque tubæ concinebant, ingensque primo incursu vociferatus tollebatur; cum Laced.

LV.

Phalange

phalange ad falcatæ Lunæ speciem conformatâ, vtrumque cornu adducunt. contrà verò Bœoti altero suo pedem referunt, sed altero cursim in hostes impetum faciunt. Vbi ventum ad manus est, initio fortiter vtrisq; concertantibus, in æquilibrio pugna erat. exinde cùm Epaminondani tùm virtute, tùm ordinum densitate præualerent, magna Peloponnesiorum cædes fiebat. molem enim fortitudinis, qua delecti eos premebant, sustinere non poterant, sed resistentiū alii cadere, alii vulneribus aduerso pectore exceptis, confici. Quamdiu ergò Cleombrotus Lacedæmoniorum rex quem valida propugnatorum manus alacriter pro ipso mortē oppetentium stipabat, adhuc superstes fuit, incertum erat, quorsum victoria inclinaret. At quamprimùm hic (postquàm omnibus sese periculis obiectans, aduersarios propulsare non valeret, heroicè pugnando, multis vulneribus confixus, occubuit: concursu circa cadauer facto, aceruatim defensores sternebantur.

VI. Cúmque hoc cornu absque duce esset, Epaminondani vi magna Lacedæmoniis incumbentes, ad laxandum paullatim ordines hostem impulerunt. Egregiè tamen pro rege suo dimicantes Laced. cadauere quidem potiuntur, sed victoriam obtinere haudquaquam potuêre. Dum enim inuicto animorum manuumque robore instant delecti, nec parum eos virtus & exhortatio Epaminondæ confirmat; Laced. tandem, licèt haud absque negocio, repelluntur. Ac primò quidem sensim recedendo ordines non soluunt. sed postquàm cædes subinde magis incrudesceret, & imperatore iam defuncto nullus esset, qui salutaria præciperet, totus se passim exercitus in fugam effundit. Epaminondani autem fugientium tergis inhærent, magnaq; hostium cæde perpetratâ clarissimam ab illis victoriam reportant. Quòd enim cum Græcorum omnium præstantissimis confligere non dubitâssent, & numero perpauci longè maioribus hostium copiis victoriam extorsissent, hoc ipso eximiam fortitudinis gloriam sibi compararunt. Maximam verò ante omnes laudem Epaminondas Imperator promeruisse iudicatus est: qui suâ potissimùm virtute & Imperatoriâ solertiâ inuictos antea Græciæ Duces profligasset. Hac autem pugnâ Lacedæmoniorum non paucioros cIↃ cIↃ cIↃ cIↃ cIↃ, & Bœotorum ccc fermè cecidêre. Posthæc, vt mortuos ad sepulturam reciperent, & Laced. in Peloponne-

sum regrederentur, inducias pepigerunt. Hoc equidem euentu pugna in Leuctris gesta fuit.

LVII. Insequenti anno, quo Princeps Reipublicæ Athen. fuit Dysnicetus, & Romæ consulare imperium administrarunt Tribuni militares quatuor, Quintus Seruilius, Lucius Furius, Caius Licinius, & Publius Clœlius, Thebani magnis Orchomenum copiis expugnatum ibant, extremam vrbi huic seruitutem intentantes. ab Epaminondâ verò admoniti, virtute partâ, humanitate conseruanda esse his, qui principatum Græciæ ambirent, ab incepto destiterunt. Orchomeniis igitur in societatis partem receptis, & Phocensibus inde Ætolisq; amicorum numero aggregatis, in Bœotiam remearunt. Tum regulus Pheræorum Iason, potentiâ subinde magis augescens, Locridem infesto exercitu aggreditur, & Heracleam in Trachiniâ proditione captam euertit, agrûq; Oeteis & Meliensibus donat. Hinc prolatis in Pherrhæbiâ signis, vrbium alias miti colloquio sibi adiungit, alias vi ad imperata faciendum adigit. Thessalis autem, qui tam breui principatum eius adeò confirmatum videbant, hæc virium accessio, & impotens dominandi cupiditas, non suspecta esse minimè potuit. Sed interea in Argiuorum vrbe nouus oritur tumultus, & laniena tàm enormis, vt nulla vnquam apud cæteros Græcos similis ei fuisse perhibeatur. quod nouum mali genus Scytalismi appellationem, à cædis ratione petitam, obtinuit.

LVIII. Turbulenti eius motus hæc causa exstitit. Vrbs Argiuorum popularem habebat administrationem. sed Oratores plebem aduersus optimates, qui potentiâ & auctoritate præcellerent, concitabant. quod causam præbuit illis, qui criminationibus premebantur, vt de euertendo populari statu inter se conspirarent. Cùm ergò nonnulli coniurationis suspecti quæstioni subiicerentur, alii torturæ cruciatum reformidantes, funestas sibiipsis manus admouêre, vnus quidã in confessione, tormentis expressâ, XXX nobilissimos inter sontes illos nominauerat. huic fidem populus adhibens, omnes perduellionis accusatos, sine tamẽ inquisitione exactâ, trucidauit, & bona illorum publicari iussit. Cúmq; plures alii in suspicionem raperentur, & falsarum delationũ demagogi patrocinium susciperent: ad eam multitudo ferociam processit, vt quotquot in crimen vocati essent, quorum ingens erat nume-

numerus, omnesq; diuitiis prępollentes, ad capitis supplicium condemnaret. Interfectis itaq; ex potentiorũ numero plus quàm mille & sexcentis, nec ab demagogis ipsis populus sibi temperauit. Quum enim ob tantæ cladis atrocitatem illi metuerent, ne quid inopinati forsitan mali sibi obtingeret, vsitatum calumniandi studium intermittebant. Vulgus ergò desertum ab illis sese autumans, & ꝓpterea exasperatũ, quicquid demagogorum in vrbe tunc erat, è medio sustulit. Atque sic veluti deo quodam vindictam exercente, meritas illi pœnas exsoluerũt. Populus verò à perturbatione animos ad pristinæ beneuolentiæ studium reduxit.

LIX. Per idem tẽpus Lycomedes Tegeata, Arcadibus persuasit, vt in vnum Reipublicæ corpus se coniungerent, communi instituto consilio, quod ex decies mille viris constans, de bello ac pace consiliandi potestatem haberet. Sed accidit, vt tumultu inter Arcades excitato, armis controuersia disceptaretur. Hic pluri-mis occisis supra CIↃ CCCC, alii Spartam, alii Pallantion exsulatum ibant. quorum hi in victorum manus à Pallantinis traditi, iugulabantur: illi Laced. suscipiendæ in Arcadiam expeditionis auctores erant. Agesilaus proinde Rex cũ ciuiũ exsulumq; manu in Tegeatarum fines, ꝙ hi turbarum & exsiliorum auctores esse viderentur, irruptionem fecit, agrorũq; vastatione, & validâ vrbis oppugnatione in magnum Arcades sibi aduersantes terrorẽ coniecit.

LX. Interea dũ hæc agũtur, Iason etiam, qui Pheris dominabatur, vir prudentiâ militari excellens, qui iam plurimos finitimorum ad societatẽ armorum pertraxerat, hortator Thessalis exstitit, vt Græcorum sibi imperium vendicarent. hoc enim tanquam virtutis præmium iis propositum esse, quicunq; de ipso decertare possint. iam.n. ita comparatum esse, vt Laced. fœdã ad Leuctra cladẽ sint experti: & Athen. maris tantũ imperiũ sibi asserant: Thebani autẽ nequaquam digni sint, qui primatum obtineant: Argiui deniq; dissidiis ac cędibus intestinis seipsos eneruârint. Idcircò Thessali summæ rerum Iasonẽ præficiũt, eiq; totã belli administrationem committunt. Qui postquã imperium acceperat, vicinas quasdam gentes sibi obnoxias fecit, & cum Amyntâ rege Macedonum sociale fœdus percussit. Peculiare quiddam hoc anno contigit. tres enim magni Principes eodem tempore in viuis esse desierunt. Nam Amyntas Tharrhalei filius, postquàm XXIV an-

nos regnum Macedoniæ tenuerat, decessit, tres post se filios, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum relinquens. Alexander quidem defuncto successit; sed annum tantummodò regnauit. Deinde etiam Agesipolis rex Lacedæmoniorum post exactum regni sui annum, vitam cum morte commutauit. eiq; Cleomenes frater surrogatus, XXXIV annos ad gubernaculum regni sedit. Tandem Iason Pheræus, quem Thessali ducem sibi nuper creauerant, quanquam moderatè ac humaniter subditis præesse videretur, à septem adolescentibus quibusdam, qui gloriæ causâ inter se coniurauerant, vt Ephorus prodit, vel, vt alii scribunt, à Polydoro fratre, per dolum obtruncatus fuit. Qui etiam ipse, post gubernationem acceptam non vltra annum imperauit. Hinc Duris Samius, historiarum scriptor, narrationis de rebus Græcorũ gestis exordium sumit. Atq; hæc isto quidem anno peracta sic fuerunt. Postea verò quàm Archontis magistratum Athenis Lysistratus cepisset, seditio Romæ exarsit, quòd pars Tribunos militares creandos esse censerent. Dissensio hæc creandorum magistratuum comitia ad tempus interrupit. Tribunos tamen militũ VI deinde eligi placuit, qui fuerunt, Lucius Æmilius, Caius Veutrius, Seru. Sulpitius, Luc. Quinctius, Caius Cornelius, Caius Valerius. Per id tempus Polydorus Pheræus, Thessalorum Princeps ad ebrietatem prouocatus venenata potione à fratre suo Alexandro necatur. Is in Principatu successor annos XI illum tenuit. & quia per scelus nefarium ac vim iniustam imperium occuparat, pro instituti sui ratione, illud tyrannicè administrauit. Cùm enim superiores dynastæ eò, quòd æquos & mites se populo exhiberent, beneuolentiam & fauorem hominum sibi conciliassent, iste violenter & asperè dominando cunctorum sibi odium conflabat. Quapropter iniquitatem eius subtimescẽtes Larissensium nonnulli, quibus Aleuadarum cognomentũ nobilitas adsciuit, de euertendo principatu inter se conspirant: In Macedoniam igitur profecti, Alexandrum regẽ, vt ad destruendas Tyranni opes sibi præstò sit, inducunt. Dum horum illi satagunt, Alexander Pherensis de apparatu contra se certior factus, aptorum ad militiam delectus instituit, in Macedonia cũ hoste depugnare cogitans. At rex Macedonũ, profugis è Larissa sibi adiunctis, & copiis ad Larissã ductis hostes præuertit; & à ciuibus intromissus, vrbe præter arcem

LXI.

arcem, potitur. Tum arcem quoque obsidet, Cranone in fidem acceptâ, Thessalis se vrbes redditurum promittit. sed postea, existimationis suæ negligens, præsidiis communitas in potestate suâ retinuit. Alexander autem Pheræus, fugâ simul ac terrore perculsus, in vrbem Pheræorum se recepit. Atque hic Thessaliæ tum status erat.

XII. In Peloponneso interea Lacedæmonii cIↃ ciues armatos, cum IↃ ex Argis & Bœotiâ profugis, Polytropo Duce, in Arcadiam miserunt. hic ad Orchomenon Arcadiæ progressus, præsidio amicam Spartanis vrbem munit. At Lycomedes Mantinensis Arcadum tunc Prætor, cum delectorum agmine, quod quinque millibus constabat, versus Orchomenon signa mouet. Ibi copiis Lacedæmoniorum in hostem eductis, validum initur prælium, quo & Dux Lacedæmoniorum cúmque eo c c alii occumbunt. reliquos à tergo premens hostis, in vrbem fugatos compellit. Etsi autem victoria penès Arcades tum steterat, eximiam tamen potentiam Spartæ reueriti, suo Lacedæmonios Marte debellari posse diffidebant. Ideò adscitis in societatem Argiuis, & Eléis primò legatis Athenas missis, societatem belli secum iungi petunt. quo denegato, Thebanos ad ineundum secum fœdus adducunt. Confestim itaque Bœoti, adiunctis sibi Locris & Phocensibus, expeditionem ineunt, & castra in Peloponnesum, Epaminondâ & Pelopidâ Bœotarchis promouent. his enim cæteri Magistratus huius collegæ summum militiæ imperium vltrò concesserant, quòd hi duo viri sapientiâ & fortitudine præstarent. Iámque Arcadiæ fines attigerant; cùm vniuersa Arcadum & Eliensium multitudo, cum cæteris sociis omnibus, illis occurrit. Congregatis ergo plus quàm quinquaginta hominum millibus, Duces Senatu habito ad ipsam mox Spartam contendere, totámque Laconiam populationibus infestam reddere, decreuerunt.

XIII. Lacedæmonii verò, cùm post præcipuum iuuentutis robur in strage Leuctrica deperditum, nec paucos in pugnis hîc illic aduersis amissos, ad summam oppidani militis paucitatem à belli fortunâ redacti essent: sociorúmque alii defecissent, alii easdem ob causas virorum inopiâ laborarent, omninò quomodo rebus suis consulerent non habebant. Ad illorum igitur quibus xxx Tyrannos olim imposuerant, quósque mœnia vrbis instaurare vetue-

rant:& quorum vrbe funditus ſubuerſa Atticam per omnia paſcuam reddere conſtituerant:(Athenienſiũ vtique) opem refugere cogebantur. Neceſſitate ſiquidem & Fortunâ nihil omnium eſt valentius: quorum vis tùm Lacedæmonios etiam perculit,vt hoſtibus infeſtiſſimis preces adhiberent. Nec tamen ſpes illos fefellit.nam ea populus Athenienſium magnitudine animorum fuit & humanitate,vt potentiam Thebanorum nihil reformidarent, & Lacedæmoniis, cùm extremæ iam ſeruitutis periculo conflictantibus, auxilia totis viribus ſubminiſtranda,decernerent. Extemplò Iphicratem imperio militari præfectum, cum ccIↃↃ cIↃ cIↃ iuuenum vno die conſcriptorum expeditionem ſuſcipere iubent. Is alacres habens ad procinctum milites, citato agmine pergit. Non ſegniùs Lacedæmonii cùm hoſtes ad Laconiæ fines iam caſtra protuliſſent,cum omni militiæ robore Spartam egreſſi, feſtinatò in eos contendunt, numerò quidem militum deminuti, ſed priſtinæ animorum virtuti adhuc probè fidentes. Viderant interim Epaminondani in regionem hoſticam perquàm difficilem eſſe ingreſſum. Cum tantis ergò copiis coniunctim impreſſione[m] fieri non conducibile rati, quadripartito agmine pluribus in locis irruptionem facere decreuerunt. Primum agmen recto itinere ad Sellaſiam (vrbem ſic ipſis dictam) contendit, & regionis eius incolas à Lacedæmoniis alienauit. Argiui (qui alterum efficiebant agmen)agri Tegeatici fines ingreſſi, cum præſidio, quod tranſitum illic obſeruabat, manus conſeruerunt, & præfectum eius, Alexandrum Spartiatam, cumque eo ducentos alios, interemêre. inter quos Bœotorum exſules quoque erant. Tertium agmen in quo Arcades diſpoſiti erant,numero militum ſuperantes, in territorium,(quod Sciriticum illis vocatur) vbi Iſcholas, vir tam intelligentiâ, quàm fortitudine præſtans, cum manu haud contemnenda excubabat, irrumpit. Præſidii huius ductor, ſi quiſquam alius inter milites nobilis & conſpicuus,facinus heroicum, & ad omnem poſteritatis memoriam commendandum,peregit. Cùm enim futurum proſpiceret,vt ſui,cum tanta hoſtium turbâ congreſſi, internecione cæderentur,ſtationem quidem in hoc aditu ſibi aſſignatam relinquere, Spartana virtute indignum æſtimauit,

LXI

uit, sed interim patriæ suæ emolumento fore censuit, si militibus incolumitatem præstaret. Mirum in vtramque partem viri consilium: quo Leonidæ quondam regis ad Thermopylas magnanimitatem magnificè imitatus est. Iuniores enim ex cohorte suâ delectos, vt qui patriæ in prælium de summâ rerum committendâ, vtilem nauare operam possent, ire iussit. ipse verò cum veteranis propugnando, magnam hostium cædem fecit. Tandem verò ab Arcadum coronâ vndique circumuentus, cum totâ suâ manu occubuit. Quartum denique agmen ducentes Elei, cùm per alia magis aperta loca transiissent, ad Sellasiam tandem accesserunt. In hunc enim locum, vt omnes conuenirent, edictum fuerat. Congregatos igitur huc exercitus Spartam ipsam versus mouent, & populationibus incendiisque regionem deuastant.

XV. Tum demum Lacedæmonii Laconiam suam per 15 annos omnis populationis expertem tàm immaniter exscindi ab hoste conspicantes, non perferre ampliùs poterant, sed feruida animorum concitatione in hostes prosiliebant. At cùm seniorum interuentu longiùs à patriâ excurrere prohiberentur, ne quis interea illam opprimeret, vix tandem, vt animis ad moderationem reuocatis, defensioni vrbis studerent, admoniti, morem consilio gessêre. Interim Epaminondæ agmen de Taygeto monte ad Eurotam progressum flumen, quod per hybernam illam tempestatem intumuerat, transire nitebantur. Turbatos igitur ordines per transitus difficultatem Lacedæmonii dum vident, idoneam hanc inuadendi eos occasionem arripuerunt. Vxoribus igitur liberisque & senibus ad custodiam vrbis relictis, ipsi cum vniuersa iuniorum multitudine bene ordinata in hostem sese effundunt, & subito incursu magnam in transitu cædem faciunt. Sed cùm Bœoti & Arcades fortiter resisterent, & turbâ suorum aduersarios circumuenirent, plurimis tandem occisis, in vrbem Spartani reuertuntur, illustri virtutem suam specimine testificati. Mox vbi totum Epaminondas exercitum magno cum terrore vrbi admouebat, Spartani locorum præsidio adiuti, multis, qui proteruius assultarent, necem inferunt. Iámque omni ad oppugnationem vrbis conatu adhibito, vi Spartam subactu-

ri videbantur. Sed cùm pars violentiùs ſeſe ingerentium occumberet,pars vulneribus conficeretur, tubâ militem Epaminondas reuocabat. Tum vrbi approximantes,vt in aciem deſcenderent Spartani, aut inferiores ſe hoſtibus eſſe confiterentur,poſtulabant. reſponſum ab illis datur, ſe opportunitatem nactos, de ſumma rerum certamen nequaquam defugituros. Omiſsâ igitur vrbe, Laconiam vniuerſam populantur, & infinito ſpoliorum numero ditati, in Arcadiam ſe recipiunt. Poſthæc Athenienſes cùm tardiùs quàm maturitas exigeret, veniſſent, nullâ re memorabili geſta,in Atticam redierunt. Interim Lacedæmoniis à confœderatis cIↃ cIↃ cIↃ cIↃ auxiliariorum ſubuenerunt. præter hos Hilotas cIↃ recèns manumiſſos ſuccenturiârunt;manum inſuper haud exiguam à vicinis oppidis acciuerunt. Quo factum, vt iùſtas ad confligendum cum hoſte copias iam haberent. quas dum ſimul coniunctas retinent & aſſiduè exercent, ſubinde magis audaces, & ad certamen de ſummâ rerum præparatiores faciunt. Sed Epaminondas naturâ res magnificas affectans, & ſempiternæ gloriæ cupidus,ſuaſor & hortator eſt Arcadibus, & cæteris belli ſociis, vt Meſſenen ciuium frequentiâ denuò inſtaurent:quæ per multos iam annos à Lacedæmoniis exciſa iacuerat:quòd commodiſſimo ad inuadendam Spartam ſitu eſſet. Impetrato conſenſu omnium,quotquot adhuc ſuperſtites erant Meſſenii,eos vndique conquiſiuit. multisque aliis, qui ſe huc aggregare vellent, in ciuitatem adſcriptis, Meſſenen magno ciuium numero auctam renouauit. Tum agris ſorte diuiſis, & regione ædificiis exornata, prænobilem Græciæ ciuitatem in integrum vindicauit. & hinç magnam inter cunctos mortales gloriam conſecutus eſt. Hoc loco non ineptum fore arbitror, ſi, cùm toties Meſſene capta dirutáque ſit,à primo res eius initio ſummatim percurram. Antiquitus Nelei ac Neſtoris familia ad tempus Troiani belli vſque eam poſſedit. Deinde Agamemnonis filius Oreſtes,eiuſque poſteri ad reditum deinceps Heraclidarum. Hinc Creſphontes pro ſuâ Meſſeniam parte ſortitus eſt, *eiuſque poſteritas aliquandiu regnum in eâ tenuit. quo amiſſo, Lacedæmoniorum in ditionem venit. Poſtquàm enim Teleclytus rex Lacedæmoniorum in acie cecidiſſet, Spartani Meſſenios debellarunt. Bellum hoc ad

LXV

viginti

viginti annos protractum fuisse memoratur: vbi, non priùs se reuersuros, quàm Messenen expugnassent, Lacedæmonii sacramento se adstrinxerant. quâ tempestate, qui Partheniæ nominantur, nati Tarentinorum vrbem possederunt. Post id tempus, cùm iugo Lacedæmoniorum seruili premerentur Messenii, Aristomenes ad defectionem ciues impulit, magnisque cladibus Spartanos adfecit: quo tempore Tyrtæus poëta dux belli Spartanis datus est. quanquam sunt, qui Aristomenem vicennali bello viguisse, tradant. Vltimum eis bellum fuit, post horrendum illum terræmotum, vbi tota propè Sparta fœdè disiecta, & ciuibus viduata est. tum enim reliquiæ Messeniorum, cum Hilotibus defectionis sociis, Ithomen occupârunt, quòd Messene per multum ætatis iam desolata iaceret. Sed cùm aduersum per omnia Martem experirentur, ad extremum omninò profligati & eiecti, Naupacti consederunt: quam Athenienses incolendam eis concesserant. Sed & hinc aliqui in Cephalleniam profugi venerunt, aliqui in Siciliâ Messenen à se dictam condiderunt. Thebani denique ad præsens tempus consilio Epaminondæ, qui Messenios vndequaque colligebat, Messenen instaurarunt, antiquis territorii finibus possessioni illorum restitutis. Toties igitur & tantas Messeniorum ciuitas mutationes experta fuit.

.XVII. Posteaquàm verò Thebani hæc omnia intra LXXXV dies confecerant, præsidio valido circa Messenen relicto, ad sua redierunt. Lacedæmonii tàm inexspectatò hostem amoliti, nobilissimorum ciuium legationem Athenas mittunt, & de principatu his conditionibus paciscuntur, vt Athenienses maris, Lacedæmonii terræ imperium vsurpent. posteà tamen commune sibi vtraque ciuitas imperium asseruit. Tum Arcades ducem sibi creant Lycomedem, eumque cùm IↃↃ lectissimorum iuuenum manu ad Pallenen Laconiæ obsidendam mittunt. Hi vrbe per vim expugnatâ, relictum à Lacedæmoniis inibi præsidium plures quàm CCC trucidant, vrbémque deprædati, peruastatâ regione, domum sese referunt, priusquàm auxilia à Lacedæmoniis subuenissent. Tum etiam Bœoti à Thessalis acciti, vt impotenti dominatu Alexandri Pheræorum Tyranni subuerso, libertatem ciuitatibus restituerent, Pelopidam va-

lido exercitu instructum in Thessaliam miserunt, cum his mandatis, vt ad commodum Bœotorum res illic administraret. Hic Larissam prouectus, arcem, quam Alexandri præsidio adhuc munitam inuenit, occupat, & in Macedoniam progressus, cum rege Macedonum Alexandro belli fœdus icit, obsidemque ab eo Philippum eius fratrem sibi traditum Thebas mittit. ac rebus prout conducere Bœotorum Reipublicæ videbatur, confectis, in patriam se recepit.

LXII

His cùm ita gestis, Arcades cum Argiuis & Eléis vnanimi consensu arma Lacedæmoniis inferre decreuerunt, vt missa ad Bœotos legatione, vt in partem huius belli venirent, illis persuaserunt. Hi delato ad Epaminondam cæterosq; Bœotarchas imperio, IↃↃ CIↃ CIↃ peditum, & IↃC equites expediunt. Athenienses de Bœotorum in Peloponnesum transitu certiores facti, exercitum Duce Chabriâ contra illos mittunt. Is Corinthum deuectus, assumptis Megarensium, Pellenæorum & ipsius Corinthi militibus, decies mille virûm agmen conflauit. quibus cùm se Lacedæmonii cæterique socii adiunxissent, totus in vniuersum exercitus non infra CCIↃↃ CCIↃↃ habebat. Aditus ergò præmunire, & à Peloponnesi ingressu Bœotos prohibere, placuit. A Cenchréis igitur exorsi, vallo, fossáque profundâ ad Lechæum locum obfirmant. festinus operi exitus. multitudine enim ac diligentiâ operantium alacri effectum est, vt totus ille locus, priusquàm Bœoti aduenissent, præmuniretur. Quamprimùm accessit Epaminondas, omnibus diligenter inspectis, animaduertit tandem, quo loco præsidium Laconicum in statione esset, perruptionem minimè difficilem dari. Principiò igitur Lacedæmonii vt acie secum disceptent, lacessit. vbi nemo extra propugnacula exire audet, sed omnes valli, fossæque obiectu se tutantur, violentum in hostes impetum facit. Ex omni statim parte, acerrima fit impressio, sed vbi Lacedæmonii agebant maximè, quòd locus ille minùs excubiis aptus, & transitu facilior esset. Magna vtrinque contentione res geritur. sed Epaminondas, virtutis Thebanæ florem secum habens, non absque negocio Lacedæmonios tandem retropellit, disiectóque illorum præsidio, cum agmine suo perrumpens, totum sibi in Peloponnesum iter patefacit. quo ipso facinus à se iam

XIX. ante gestis nihilo inferius peregit. Extemplò Trœzenem & Epidaurum petens, agrum quidem illorum hostilem ad modum tractat, sed vrbes ipsas (quippe non contemnendis firmatas præsidiis) subigere nequit. Sicyonem tamen & Phæuntem cum aliis quibusdam terrore subactas in fidem accepit. Infestis hinc armis Corinthum petit. effusisque oppidanis, pugnà victos ad mœnia vsque prosequitur. Ibi fortunæ benignitate pars Bœotorum se efferens, per portam temeraria quadam audacià introrupit. Cumque Corinthii intra ædes præcipiti terrore agerentur; Chabrias Atheniensium imperator, tàm cordatè quàm fidenter Bœotis resistens, partem ex vrbe proturbat, partem, eámque non minimam, prosternit. Cúmque certamen ita exarsisset, Bœoti cum toto exercitu probè instructo, ad Corinthum terribilem in modum accesserunt. Chabrias statim Athenienses suos expeditos habens, ex vrbe erumpit, & editioribus occupatis locis, hostium impressionem sustinet. Bœoti contrà, quos vires corporum, & longus bellorum vsus animabat, vi suà Athenienses subigi posse non diffidebant. At Chabriani, dum è sublimioribus locis depugnant, & prolixam interim ad rem pertinentium copiam ex vrbe suppeditatam habent, vim inferentes partim occidunt, partim vulneribus fœdè multatos dimittunt. Vnde euenit, vt Bœoti multis affecti cladibus, cùm nihil efficere possent, retrò copias abducerent. Chabrias verò, quòd hunc ad modum hostes summouisset, ob virilis animi promptitudinem & constantiam, artísque Imperatoriæ facultatem, in admiratione habebatur.

LXX. Sub hæc dum Gallorum & Hispanorum duo millia Corinthi appulerunt, Dionysius hos Tyrannus, numerato in præsens quinque mensium stipendio, Lacedæmoniis auxilio miserat. Græci, vt periculum virtutis ipsorum facerent, hos simul in hostem educebant. Cúmque fortes se viros in pugnis exhiberent, multos Bœotorum sociique nominis prostrauerunt. Et posteaquàm vtilem Græcis operam nauâssent, eximiam ob præstans cùm manuum, tùm animorum robur laudem adepti, & digni, quo Lacedæmonii præmiis afficerent, habiti, sub exitum æstatis in Siciliam dimittuntur. Posthæc Philiscus

Artaxerxis regis legatus in Græciam venit hortatum, vt solutis tandem bellis mutuam inter se pacem confirmarent. cui cæteri obsecundant, & quidem non illubentes: soli Thebani, quæ ipsis pertinacia erat, quòd iam pridem sub vnum tota Bœotia censum ab ipsis coacta erat, conditionem repudiant. Quare communitate pacis desperatâ, mercenarios bis mille selectissimos, quibus iam soluta ad hoc stipendia erant, Lacedæmoniis relinquens Philiscus, in Asiam discedit. Dum hæc geruntur, Euphron Sicyonius, confidentiâ & temeritate nulli secundus, adsumptis in consortium Argiuis, dominatus occupandi consilia cœpit; & fortunâ conatus adiuuante, extemplò ciuium potentissimos quadraginta exsilio patriam mutare coëgit, bonáque ipsorum publicauit vnde magna vi opum potitus, conducto peregrinorum militum præsidio, vrbem in potestate retinuit.

Archonte dehinc Athenis Nausigene, & Romæ Tribunis militaribus quatuor, Lucio Papyrio, Lucio Menenio, Seruio Cornelio, Seruio Sulpicio; Consulum in locum surrogatis: tertia supra centesimam Olympias apud Eléos agebatur, quâ Pythostratus Atheniensis coronam stadio meruit. Hoc anno Ptolemæus Alorites Amyntæ filius Alexandrum fratrem suum dolo interemit, & Macedoniæ regnum per annos tres administrauit. Tum in Bœotiâ Pelopidas Epaminondæ bellicæ gloriæ studio æmulus, vbi res in Peloponneso ad Reipublicæ Bœoticæ emolumentum ab eo confectas vidit, etiam ipse nonnulla extra Peloponnesum sita Thebanorum ditioni subiicere properauit. Quapropter Ismeniâ, magnæ ob virtutem existimationis viro, sibique inprimis amico, in societatem negocii assumto, in Thessaliam contendit, & cum Alexandro Pheræorum Tyranno pacificè congressus, inopinatò captus, vnà cum Ismeniâ custodiæ traditur. Exacerbati hoc facto Thebani, IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ grauis armaturæ militum, & IↃ C equitum turmas in Thessaliam mittunt; Quorum aduentu territatus Alexander, per legatos Athenienses ad societatem secum ineundam inuitat. Confestim ei populus triginta naues, prætore classis Autocle, cum mille militibus, transmittit. Interea verò dum iste Eubœam circum-

LXXI.

circumnauigat, Thebani in Thessaliam transierant. Quamuis autem & pedestribus copiis instructus esset Alexander, & equitatu Bœotis præpolleret; hi tamen pugnâ finiendum esse bellum initio censebant, auxiliis Thessalorum roborati. At cùm ab his destituerentur, & Athenienses aliique nõnulli auxiliarii se cum Alexandro iunxissent, cibus etiã potúsque, & omnis cæteroqui commeatus Bœotos deficeret; Bœotarchis domum regredi placuit. Retrouersis igitur signis, dum per campestria iter habent, Alexander cum equitatu insecutus, extremum agmen inuadit. Statim Bœotorum alii iaculis confixi oppetunt, alii vulneribus grauantur. Tandem cùm neque subsistendi, neque procedendi facultas esset, quò se verterent, aut quid agerent, non habebant. ad quam perplexitatem victus etiam penuria accessit. Iámque nihil spei ipsis reliquum erat; cùm Epaminondas priuatam tunc vitam agens, ab exercitu Dux creatur. is statim

LXXI.

delectam leuis armaturæ manum, & equites in postremo agmine disposuit: cúmque his insectantes à tergo hostes repulit, ac crebris excursibus manus conserens, solertique aciei structurâ vtens, exercitum conseruauit. Et quia maiorem subinde gloriam rebus dextrè ac feliciter gestis acquirebat, præcipuam apud ciues sociósque laudem promeruit. At qui tum magistratum Bœotorũ gerebant, ducibus Thebanis grandem pecuniæ multam irrogârunt.

LXXII.

Hîc cùm quæstio offeratur, Quid causæ fuerit, vt tantus vir in expeditione Thessalicâ gregarium tunc militem ageret? apta ad defensionem Epaminondæ ratio nobis reddenda est. In prælio ad Corinthum, Epaminondas præsidio Lacedæmoniorum, quod vallum tutabatur, disiecto, ingentem hostium cædem facere poterat. verùm successu illo contentus, à pugnâ vlteriùs persequendâ sibi temperauit. in magnam idcircò suspicionem raptus, quasi priuatam captando gratiam Lacedæmoniis pepercisset, ab obtrectatoribus, qui gloriæ ipsius inuidebant, cùm speciosæ calumniæ tempus arripuissent, proditionis accusabatur. quâ criminatione vulgus exasperatum, abrogato Bœotarchiæ magistratu, priuatam deinceps vitam agere; atque inter gregarios militare eum iussit. At postquàm rebus præclarè gestis aspersam calumniæ maculam abstersisset, in pristinam à populo dignitatem restitutus est. Haud longè post

acre inter Lacedæmonios & Arcades prælium committitur, quo victoriam Lacedæmonii clarissimam reportant. quod primum eis certamen post cladem Leuctricam felicem nec opinatò exitum habuit. Arcadum supra decies mille cecidêre, Lacedæmoniorum ne vnus quidem. Dodoneæ sacerdotes ita cecinerunt: bellum hoc absque lacrymis exiturum Lacedæmoniis. Ab hac pugnâ Lacedæmoniorum impressiones veriti Arcades, opportuno quodam loco Magnam, quam vocitant, vrbem condidêre, x x Mænaliorum & Parrhasiorum, vti nominantur, Arcadum pagis in eam coniectis. Atque is tum Græciæ status erat.

LXXIII. In Siciliâ verò Dionysius ille Tyrannus, magnis instructus copiis, vbi Carthaginienses propter luem pestiferam apud eos grassatam, & defectionem Afrorum, non bene paratos videbat, expeditionem in eos facere decreuit. At cùm nihil omninò probabilis causæ ad hanc litem sese offerret, Pœnos è Carthaginiensium ditione regni sui agros incursasse prætendit. Peditum ergò cclↃↃ cclↃↃ cclↃↃ, & equitum clↃ clↃ clↃ, ducentísque triremibus coactis, cum apparatu tãtis copiis idoneo, Carthaginiensium regionẽ inuadit, & statim Selinuntem atque Entellam subigit, & omnem circumcirca terram populatus, atque Erycinorum insuper vrbe potitus, Lilybæum tandem obsidione cingit, sed quòd validum in eâ præsidium excubaret, statim illam soluit. Hinc de naualibus Carthaginiensium incendio absumptis certior factus, totámque ita classem periisse ratus, contemptu hostis securiùs rem gerit. Centum ergò & triginta classis suæ triremes eximias Erycinorum portum occupare, ac reliquas omnes Syracusas redire iubet. At Carthaginienses opinione citiùs cum ducentis nauibus probè instructis, classem in Erycinorum portu subsistẽtem aggrediuntur, improuisóque hoc incursu, maximam triremium partem abripiunt. Sed cùm hyems tum instaret, pactis mutuò induciis vtriusque ciuitatis domum exercitus se recepit. Nec diu pòst Dionysius inualetudine correptus inter viuos agere desiit, postquam x x x v i i i regnâsset annos: cui filius in principatu succedens Dionysius per x i i hunc annos tenuit.

LXXIV. Hîc non malè conueniens historiæ nostræ instituto fuerit, si & causam mortis, & quæ circa vitæ terminum Principi huic acciderint, enarremus. Cùm

in

in Lenæis (*Liberalibus*) Athenis Tragœdiam exhibens, vi-
ctor proclamatus esset, quidam cantoris in choro munere
functus, honorificum se munus relaturum sperabat, si pri-
mus victoriam hanc renunciaret. Statim ergò Corinthum
nauigat, ibíque nauem, quam in Siciliam offenderat traie-
cturam, ingressus, secundo ventorum flatu Syracusas ap-
pellit, euestigióque Tyranno victoriæ nuncium perfert. is
lætitiâ haud modicâ perfusus, hominem benignè remune-
ratur, vtque pro nuncio tàm felici sacrificando diis grates
exsoluat, epulas & compotationes magnifico cum appara-
tu institutas peregit. At verò dum splendidè amicos exci-
pit, & inter pocula nimiùm ebrietati indulget, per humoris
ingesti copiam, in vehementissimum morbum conicitur.
deûm iampridem oraculo præmonitus fuerat, tum mo-
riturum, quamprimùm se meliores vicisset. Fatidicam
hanc vocem ad Carthaginienses detorquebat, hos se po-
tentiores esse ratus. ideò licèt identidem cum illis bellum
gereret, victoriam tamen subterfugere, & vltrò victum se
fateri solebat. Vaframento tamen isto fati necessitatem
haud quaquam eludere potuit. Sed cùm ipse malus poë-
ta se longè præstantiores in hoc genere artifices, Athe-
niensium iudicio superâsset: consentaneum oraculo erat, vt
qui meliores vicisset, mox vitæ quoque terminum habe-
ret. Dionysius verò iunior simulac tyrannidem capessit,
aduocatâ plebem concione adhortatus est, vt beneuolen-
tiam à patre, quasi per manus traditam erga se conser-
uaret. Hinc patri magnificum ad regias (vti vocant) por-
tas in arce funus cùm peregisset, Imperii sui statum in tuto
collocauit.

LXXV. Summam tum Athenis præturam gerebat Polyze-
lus; & Romæ propter intestinos tumultus magistratuum
solitudo erat. In Græciâ verò Pheræorum Tyrannus A-
lexander Scotusæorum in Thessaliâ vrbi crimina quæ-
dam intentans, vt ad concionem venirent, ciuibus edi-
xit. qui cùm venissent, mercenariorum agmine circum-
uentos omnes trucidauit, & cadaueribus interfectorum
ante fossas murorum proiectis, vrbem direptioni tra-
didit. Tum Epaminondas etiam Thebanus, cum exer-
citu Peloponnesum ingressus, Achæos nonnullósque alios

in partes suas adduxit. Dymon præterea, cum Naupacto & Calydone, Achæorum præsidio munitas, in libertatem vindicauit. Et aliã Bœoti expeditionem in Thessaliam fecerunt; quâ Pelopidam Alexandro Pheræorum Tyranno extorsere runt. Phliasii tum Argiuorum armis premebantur. Chares itaque dux ab Atheniensibus eò missus, auxilium obsidione cinctis præstitit. duobúsque præliis de Argiuis victor, cùm tutos ab hoste Phliasios reddidisset, Athenas est regressus.

Post exitum huius anni, summa Athenis iurisdictio penès Cephisodorum fuit, & Romæ consularis potestas ad Tribunos militares quatuor, nempe Lucium Furium, Publium Manlium, Seruium Sulpitium & Seruium Cornelium redierat. Tum Eretriæ Tyrannus Themesio in potestatem suam redegit Oropum, quæ Atheniensium iuris erat. sed inexspectatò eam rursus amisit. Cùm enim Athenienses copiis longè superiores bellum ipsi facerent, arcessitis in auxilium Thebanis, vrbem vt depositum tradebat, quàm illi postea non restituerunt. Dum hæc agebantur, Coi in vrbem, quæ nunc frequentatur, commigrarunt, eámque ad splendorem magnificum prouexêre. nam magnus ciuium numerus in eam adscriptus, mœniáque multis impendiis educta, portus denique celebratu dignus ibi exstructus fuit. Ab hoc itaque tempore, tum vectigalibus publicis, tum priuatorum opibus magis ac magis creuit, adeò quidem, vt cum primariis certare vrbibus haud vereatur. Sub has rerum vices Persarum rex legatione ad Græcos missâ, vt bellicis tandem controuersiis finem statuerent, & communem inter se pacem sancirent, persuasit. Laconicũ proinde & Bœoticum, quod vocant, bellum, quod à Leuctrico inde conflictu quinque amplius annos durauerat tandem est solutum. Hac equidem ætate viri propter eruditionem sempiternâ memoriâ digni exstiterunt, Isocrates vtique Rhetor, & discipuli eiusdem. Tum Aristoteles ille Philosophus, & Anaximenes Lampsacenus, imprimis verò Plato Atheniensis, Pythagoricorum insuper Philosophorum postremi. his accedunt Xenophon historiarum scriptor, decrepitæ iam senectutis (nam interitus Epaminondæ, qui breui pòst euenit, mentionem adhuc facit) itémque Aristippus & Antisthenes Æschinésque Sphettius ille Socraticus.

L X X VI.

Archontis

X- I. Archontis inde munus Athenis suscepit Chion, & Romæ consularis potestas his Tribunis militaribus, Quinto Seruilio, Caio Veturio, Aulo Cornelio, Marco Cornelio, Marco Fabio, demandata est. Hoc tempore dum tota passim Græcia pace fruitur, noua rursus bellorum initia, rerúmque molitiones nouarum inter ciuitates nonnullas repentè exsistunt. Arcadum námque exsules, eruptione ab Elide factâ, munitum Triphyliæ castellum, cui Lassionis nomen, occupant. De Triphyliâ per longum inde tempus inter Arcades & Eléos disceptatum fuerat: & pars alterutra, per alternas fortunæ vices superior, regionis dominium tenuerat. Quod cùm tempestate illa penès Arcades esset, Eléi prætextu exsulum Arcadibus illam ademerunt. Arcades iniuriâ exacerbati, missis initio legatis, castellum repetunt. vbi nemò attendit, arcessitis in belli societatem Atheniensibus, infesto Lassionem exercitu oppugnant. Sed quia præstò exsulibus manus auxiliatrix Eleorum fuit, pugna iuxta Lassionem committitur. Et dum Arcades numero longè superant, Elei funduntur, & plus quàm CC de suis amittunt. Iactis his belli seminibus dissidium hoc inter Arcades & Eléos longiùs proserpit. nam Arcades confestim inflatis successu animis, ducto in Elidis regionem exercitu, vrbes aliquot Marganum, Cronion, Cyparissiam & Coryphasion ceperunt. Interea Ptolemæus Alorites in Macedoniâ à fratre Perdiccâ, cùm triennium regnâsset, dolosè interemptus fuit. Et successor in regno Perdiccas quinquennium potestate regiâ Macedoniam tenuit.

LXX-VIII. Dein Timocrates Athenis Reipublicæ præfuit, & Romæ tres militum Tribuni, Titus Quinctius, Seruius Cornelius, & Seruius Sulpicius, consulari potestate surrogati sunt. Celebrata tamen à Pisatis & Arcadibus Olympias supra centensimam quarta, Phocide Atheniensi stadii victore. Sub hoc tempus accidit, vt Pisatæ quò antiquam patriæ dignitatem renouarent, fabulosis quibusdam & vetustis subnixi argumentis, Olympicos agendi conuentus ius penès se esse contenderent. Præsens ergo tempus ad disceptandam hanc controuersiam opportunum rati, Arcades tum Eleorum hostes ad belli societatem adsciscunt, horúmque auxilio in Eleos, qui iam ludos instituerant, expeditionē faciunt. quibus cùm Elei totis Reipubl. viribus sese opponerent,

atrox initur prælium, cuius Græci, qui tum ad Panegyricam hanc solemnitatē frequentes conuenerant, spectatores erant coronati: & quietè extráque periculi aleam positi, ad strenuá vtriúsque partis facinora plausus edebant. Victores tandem Pisatæ ludos administrarunt & hanc Olympiadem, quòd per vim & præter ius acta videretur, annalibus non adscripserunt. Inter has rerum vices, Epaminondas Thebanus, cuius maxima inter populares dignatio esset, ad ciues in concionem vocatos verba facit, quibus ad imperium maris capessendum illos hortabatur. In eo sermone iam diu antè præmeditato; negocium hoc tam peractu facile, quàm Reipublicæ conducibile fore ostendit, & cùm alia in medium affert, tum hoc etiam probat, quòd in terrâ dominantes, facilè etiam maris dominium sibi comparare queant. Athenienses enim licèt c c in bello Xerxico naues cum omni apparatu possiderent, Lacedæmoniis tamen qui decem præbebant, auscultâsse. Cùm hæc, multáque alia, quæ præsenti argumento conuenirent, disseruisset, Thebanos ad vendicandum sibi maris imperium induxit. Mox à populo scîscitur, vt triremes centum, ac totidem naualia exstruantur, tum vt Rhodii, Chiíque & Byzantii ad subsidiariam his inceptis operam nauandum inuitentur. Epaminondas ipse cum aliquātā manu ad iam memoratas ciuitates missus, Lachetem Atheniensium ducem, classe validá instructum, & Thebanorū conatus impedire iussum, ita perterruit, vt classem abducere cogeretur, vrbésque illas Thebanis subiunxit. Quòd si longius vitæ spacium huic viro concessum foret, terræ marísque imperium Thebani haud dubiè acquisiuissent. at quia breui post, prælio ad Mantineam clarissimam patriæ victoriam adeptus, heroicè occubuit; statim res Thebanæ cum ipso velut emortuæ conciderunt. verùm hæc singula paullùm infrà diligentiùs persequemur. Tum verò Orchomenum inuadere placuit Thebanis, idque ob hasce causas. Exsules nonnulli Reipublicæ Thebanæ statum in Aristocratiam trāsformare cupiebant; & ad consilii huius societatem c c c Orchomeniorum equites pellexerunt. Hi quòd Thebanorum edicto statâ quadam die ad armorum lustrationem excurrere solerent, sub idipsum tēpus impressionem facere constituerunt. Cúmque plures etiam alii se ad conatus huius expeditionem aggregassent, opportuno tandem tempore

LXXIX.

pore

pore conuenêre. Tum conſpirationis principes, quos cœpto-
rũ pœnitere cœperat, inſidias Bœotarchis aperiunt, & prodi-
tis coniurationis ſociis, hoc ſuo merito incolumitatem ſibi
comparant. At Orchomeniorum equitibus iuſſu magiſtra-
tus in vincula coniectis, inque concionem deinde productis;
ſupplicium capitale populus irrogauit. Orchomenios verò
ipſos ſub coronâ venumdari, vrbémque eorum exſcindi iuſ-
ſit. A vetuſtis enim inde temporibus infenſi Orchomeniis
Thebani fuerant, propterea quòd Heroum tempore tribu-
tum illis pendere, donec ab Hercule vindicarentur, coacti
fuiſſent. Nunc ergo commodam ſe occaſionem, & probabi-
lem vlciſcendi cauſam, adeptos rati, infeſtis Orchomenon
armis aggrediuntur. Ac ſtatim vrbe in poteſtatem redactâ;
quicquid virorum inerat, trucidant, imbellémque ætatem ac
XXX ſexum ſub haſtâ vendunt. Hoc ipſo tempore Theſſali
cum Alexandro Pheræorum regulo belligerabantur. ſed
quia compluries acie victi, magnam vim militum amiſe-
rant, de auxiliis ſibi mittendis, ac ſummo exercitus duce Pe-
lopidâ, Thebanos ſollicitarunt. virum enim iſtum Alexan-
dro inimiciſſimum, propter vincula pridem ab ipſo iniecta;
ac virilis animi robore eximium, imperatoriâ denique ſapi-
entiâ vbique gentium percelebrem eſſe, nôrant. Conuocato
igitur vniuerſę Bœotiæ cõcilio, legati mandata ſua exponũt;
Bœotique ad omnia, quę petebantur, faciles ac benignos ſe-
ſe exhibent, & Pelopidam euestigiò cum Iↄↄ cIↄ cIↄ in-
digentibus auxilium ferre iubent. qui cùm ſine morâ copias
educeret, fortè accidit, vt Solis lumen obſcuraretur. quod
prodigium multos reddebat ſolicitos. erántque inter hario-
los nonnulli, qui per hunc agminis egreſſum vrbis Solem
defecturum interpretarentur. & hac diuinatione nihil aliud,
quàm Pelopidæ interitum portendebant. His tamen nihil
motus Pelopidas fati ipſius ductu ad militiam hanc per-
rexit. Vbi in Theſſaliam peruenit, Alexandrum plus
quàm ccIↄↄ ccIↄↄ inſtructum, editiora iam inſediſſe
loca comperit. è regione igitur hoſtium caſtra meta-
tus, adunatis Theſſalorum copiis auxiliaribus, pugnam
cum aduerſariis commiſit. At cùm propter locorum emi-
nentiam præualeret Alexander, Pelopidas ſuâ ipſius vir-
tute prælium diſcernere contendens, in ipſum ſeſe du-
cem intulit. Quò cum ſelectiſſimorum iuuenum manu

fortiter obsistente, prælium fit acerrimum: quo Pelopidas, cùm militis tum ducis optimi munere defungens, omnem circa se locum strage hominum replet. tandem vbi finem certamini imposuit, profligatis, fugatísque hostibus, victoriam quidem adeptus est: sed ipse multis confectus vulneribus oppetiuit, vitámque heroico planè exitu profudit. Tum Alexander, altero iam prælio victus, fractis per omnia viribus, oppida iam pridem subacta, Thessalis restituere; Magnetésque & Phthiotidis Archiuos Bœotis tradere, & Pherarum dominatu in posterum contentus esse; ac Bœotorum deinceps amicitiam colere; per transactionem cogebatur.

LXXXI.

Etiamsi verò Thebani victoriam vndique celebrem tunc obtinuissent, omnes tamen passim se victos esse, ob interitum Pelopidæ, dictitabant. nam quia virum tam egregium amiserant, victoriam eius gloriâ multò inferiorem esse censebant. præclara enim sæpenumerò commoda patriæ suæ præstiterat, ac plurimum ad Reipublicæ Thebanæ amplificationem contulerat. Nam in vindicatione vrbis per exsules facta, vbi Cadmeam recuperarunt; omnes vnâ voce palmam tam præclari facinoris Pelopidæ assignant. quod sanè facinus probè peractum, omnium deinceps bonorum causa Thebanis exstitit. In pugnâ dehinc ad Tegeam vnus inter omnes Bœotarchas Lacedæmonios, Græcorum potentissimos deuicit Pelopidas. vbi propter victoriæ magnificentiam, primùm de Lacedæmoniis tropæum Thebani statuerunt. In Leuctricâ inde pugnâ sacræ cohortis dux fuit, cum quâ quòd Princeps in Lacedæmonios impressionem faceret, victoriæ auctor suis exstitit. In expeditionibus porrò contra Lacedæmonios susceptis, LXX millium Imperator fuit, & tropæum de Lacedæmoniis in ipsius Spartæ limine erexit, qui per omne prius æuum oppugnationis ignari fuerunt. Legatus ad regem Persarum in communi pacificatione, Messenen priuatim exemit: quam per CCC annos desolatam Thebani restaurauerant. Ad extremum cum Alexandro longè maioribus copiis instructo decertans, non modò victoriam obtinuit insignem, sed & famigeratum virtutis nomine exitum vitæ consecutus est. Inter hæc præclara belli certamina ita erga ciues affectus erat, vt ab exsulum inde reditu, ad suam vsque mortem, Bœotarchæ munere ac potestate perpetuò fungeretur, cùm nemo quisquam inter ciues,

ciues, istâ honoris prærogatiuâ dignus haberetur. Pelopidas ergò, quia sua virtute approbationem omnium promeruit, historicam à nobis etiam commendationem habeto. Sub idem tempus Clearchus Heracleâ vrbe Ponti oriundus, ad dominatum capessendum animum adiecit: cœptaque feliciter exsecutus, totum se ad imitationem Dionysii Syracusiorum Tyranni composuit. ac principatum Heracliensium per duodecim annos magnificè gessit. Interea dum hæc fiunt, Timotheus Atheniensium Prætor, pedestres ac nauales copias ducens, Toronen & Potidæam obsidet, expugnátque, & Cyzicenis obsidione laborantibus succurrit.

LXXXII.

Post anni huius exitum, Athenis Reipublicæ Princeps Chariclides, & Romæ Lucius Æmilius Mamercus, & Lucius Sextius Lateranus Consules sunt creati. Quo tẽpore Arcades cõmuni cũ Pisæis auctoritate & operâ ludos ad Olympiam ediderunt, & templi sacrarúmque opum inibi potestatem sibi vendicârunt. Et quia Matineenses, non pauca ex donariis ad profanos vitæ vsus transtulerant, sacrilegii auctores in hoc toti erant, vt bellum cum Eleis foueretur: ne restitutâ pace reddendis malè insumptorum rationibus obnoxii fierent. Quare cùm Arcades cæteri pacem componi vellent, seditionem ipsi, aduersus cognatam sibi gentem excitabant. In duas exinde factiones discessum: quarum vnam Tegeatæ, alteram Mantineenses ductitarent. Ac gliscente maiorem in modum dissidio, ad armorum tandem iudicium rem deuoluerunt. Et Tegeatæ missâ legatione, Bœotorum auxilia implorârunt. Bœoti statim Epaminondam belli ducem creant, & validis instructum copiis ad subleuandos auxilio Tegeatas mittunt. At Mantineenses illo Bœotorum exercitu & Epaminondæ gloria perterrefacti, ad capitales Bœotorum inimicos Athenienses & Lacedæmonios suam & ipsi legationem destinant, & de iungendâ belli societate eos solicitant. Magnum vtrinque militum robur suppeditatur, & crebra in Peloponneso certamina magnis viribus committuntur. Nec mora: Lacedæmonii in vicinam sibi Arcadiam impressionem faciunt. Epaminondas sub id tempus signa promouebat. & iam non procul à Mantinéâ aberat, cùm à Lacedæmoniis cum omni suorum multitudine Tegeatarum agros populari inaudit. Spartam igitur propugnatoribus vacuam esse coniectans:

ingens quidem facinus aggreditur; sed fortuna conatibus refragatur. Noctu enim infesto Spartam exercitu petit. sed rex Lacedæmoniorum Agis, vafriciem Epaminondæ suspectam habens, prudenter, quod subsecuturum erat, coniecit. & celeriter Epaminondam anteuertens, per cursores quosdam Cretenses, Spartanis domi relictis, iam iam ad Lacedæmonem oppugnandã accessuros Bœotos, se verò, quàm ocyssimè queat, patriæ subsidio venturum, significauit. in custodiâ igitur vrbem vt haberent deposito omni metu, præcepit. se enim cum auxiliis statim apparitururum. Cretenses iussa festinanter & raptim expediunt. quo factum, vt patriæ subigendæ periculum necopinatò Lacedæmonii effugerent. nam insidiis non detectis, de improuiso Epaminondas Spartam oppressisset. Sagacitatem ergo ducis vtriusque approbatione ac laude meritò quis prosequatur, prudentiæ tamen Imperatoriæ palmam Lacedæmonio tribuerit. Epaminondas ergò cùm totam illam noctem peruigil viæ spacium celeritate solicitâ peregisset, simulatque illuxerat, Spartæ exercitum admouit. Agesilaus verò qui ad custodiam vrbis relictus fuerat, vix paullò antè de singulis certior factus, quàm maximâ potuit diligentâ, vrbis curam gessit. Pueros igitur ætate grandiusculos, & senes tecta domorum, vt inde impressionem hostis in vrbem arcerent, conscendere iussit. ipse aliis, qui ætate ac robore valebant, in difficiles ante vrbem aditus distributis, locisque omnibus, quà transitus aperiretur, obseptis, aduentum hostis præstolabatur. Epaminondas autem, diuiso in plures acies exercitu, eodem vndique momento impressionem faciens, vt obiectos Spartanorum ordines vidit, statim rem hosti proditam intellexit. Nihilominus tamen, licèt angustiis viarum præpeditus, cum omnibus circumquaque cohortibus diutiùs manus contulit. multisque cladibus acceptis & illatis, non priùs à conatu suo destitit, quàm exercitus Lacedæmoniorum Spartam remeasset. Cùm magna itaque vis obsessis auxilio ventitaret, nocte iam ingruente, oppugnandi finem statuit. Tum ex captiuis fortè cognoscit, Mantineenses cum omni ciuitatis robore ad eripiendum Lacedæmonios periculo accelerare, conuersis igitur signis, non procul ab vrbe tum quidem castra metatur: sed statim iussis cœnare militibus, & aliquanto equitum numero illic

LXXII

LXXXIV

relicto,

relicto, quos ad matutinam vsque vigiliam in castris ignes alere iusserat, cum exercitu inde mouit, relictos Mantineæ desubitò obruere festinans. Postero itaque die, longissimarum viarum spacia emensus, ex improuiso repentè in Mantineenses impetum facit. Quanquam verò omnia, vt solers Imperator tum prouiderat, quod proposuerat tamen obtinere non potuit: sed fortunam sibi obnitentem expertus, inopinatò victoriam amisit. Quamprimùm enim ad vrbem defensore vacuam propiùs accessit, ex alterâ Mantineæ regione auxiliaris Atheniensium manus occurrit. Erant autem sex millia, quos Hegelochus, laudatus inter ciues vir, ducebat. hic idoneo in vrbem præsidio submisso, reliquum agmen, vt pugna disceptaturus, explicuit. E vestigio Lacedæmoniorum quoque & Mantineensium exercitus apparuere. omnésque vt de summâ tandem rerum decernerent, euocatis vndique auxiliaribus, sese accingebant. Mantineensibus opem ferebant Eléi, Lacedæmonii, Athenienses, & quidā alii: omnísque adeò numerus erat plus quàm ccIↃↃ ccIↃↃ peditum, & cIↃ cIↃ circiter equitum. Tegeatis verò operam nauabant auxiliarem Arcadum plerique robore ac opibus prævalentes, cúmque his Achæi, Bœoti, Argiui, & nonnulli de Peloponnesiis, extraneisq; sociis alii. quorū summa in vnum collectorum fuit ccIↃↃ ccIↃↃ ccIↃↃ peditum, equites verò tribus millibus haud pauciores.

LXXXV. Iámque ad capitale certamen exercitus vterque descenderat; cùm cæsis hîc & istic victimis extispices, victoriam vtrisque à diis portendi nunciârunt. Cæterùm pro dignitatis ratione, Mantineenses cum Arcadibus cæteris dextrum in acie cornu tenebant, quorum adstites & proximi in certamine socii erant Lacedæmonii, vicini his Eléi Achæique, infirmiores alii reliquam aciei partem integrabant. sinistrum verò cornu explebāt Athenienses. E regione Thebani in læuo quidem cornu seipsos locauerant, ita vt adstarēt proximè Arcades. dextrum verò cornu Argiuis tradiderāt: reliqua multitudo Eubœenses, Locri, Sicyonii, Messenii, Malienses, Ænianes, & cætera confœderatorum manus, aciem mediam stipabant. Equites vtrinque in cornua distributi erant. Dispositis ad hunc aciei modum copiis, cùm alteri iam alteris imminerent, tubæ bellicum canunt, exercitus vociferantur, ipsâque barritus magnitudine victoriam portendunt. Ac-

primum equeſtre à cornibus prælium committitur, in quo ſtrenuâ contentione ſemetipſi vincunt. nam Athenienſium equitatus in Thebanorum equites ſeſe immittens, non tam illorum virtute, aut proprio animorum robore, vel equeſtris rei peritiâ (his enim omnibus Athenienſium equitatus nulli ſecundus habetur) quàm multitudine & apparatu armorum, inferiores erant. Imperatoriâ certè aciei ſtructurâ hoſtibus longè concedebant. Perpaucos enim ipſi iaculatores ſibi attributos habebant: cùm triplo Thebanis plures eſſent ferentarii; qui fundis ac miſſilibus cæteris rem agerent, è finitimis Theſſaliæ locis ſuppeditati. hi namque à pueritiâ in eo pugnæ genere ſtudioſiùs exercitati, magnum conflictibus momentum, per ſuam in his peritiam, afferre ſolent. Quo factum, vt Athenienſes dum partim à rorariis ſauciantur, partim ab equitatu ſibi aduerſo premuntur, omnes fugam arriperent. Sed quòd fuga extra cornua committeretur, damnum illud acceptum facilè correxerunt. nam & ſuam inter retrocedendum phalangem non perturbant, & in Eubœenſes, & mercenarios quoſdam, ad vicinos occupandum colles præmiſſos, delati, manu cum eis conſertâ, internecione omnes occiderunt. Thebanus verò eques fugientium tergis non inhæſit, ſed in oppoſitum incurrens agmen peditum, aciem prætervehi nitebatur. Acris tum conflictus oritur. Iámque Athenienſes defatigati, terga obuertebant: cùm Eleorum præfectus equitum, extremam ſeruans aciem, fugientibus ſuccurrit, plurimiſque Bœotorum profligatis, pugnam redintegrauit. Ad hunc ergo modum Eleorum equitatus, cladem, in ſiniſtro cornu ſociis illatam, maturo ſubſidio reparauit. In altero verò cornu commiſſis inter ſe equitibus, ad exiguum pugna tempus in æquilibrio manſit: ſtatímque multitudine ac robore Bœotici ac Theſſalici equitatus repulſi Mantineenſes, cum magnâ ſuorum iacturâ ad phalangem ſuam refugerunt. Equeſtre igitur prælium huiuſmodi exitum habuit.

LXXXVI. Pedeſtres verò copiæ, quamprimùm manus cum hoſte contulerunt, vehemens & mirificum excitârunt certamen. in nullo enim vnquam Græcorum cum Græcis prælio, neque maior hominum multitudo conflixit, neque præſtantiores auctoritate Duces eminuerunt, neque ſtrenuiores in periculis ſuſtinendis viri ſeſe exhibuerunt. Nam quorum

ſumma

ſumma per illam ætatem virtus erat in acie pedeſtri, Bœoti, Lacedæmoniíque, quòd aduerſos ſibi ordines haberent, primi conflictum tam cupidè inierunt, vt nulla vitæ ratio haberetur. Initium ab haſtarum incurſu factum. quibus ob crebritatem ictuum maiori ex parte fractis, ad gladiorũ certamen deſcenſum fuit. Hinc corporibus conferti, omne genus vulnerum (iam punctim, iam cæſim feriendo) infligere, nec quicquam de pertinaciâ animorum remittere. Dúmque ad bene longum tempus diſcrimina fortiter ſuſtinent, inuictâ vtriusque partis ſtrenuitate effectum eſt, vt diu neutram in partem momentum pugnæ nutaret. Suum enim quisque periculum flocci faciens, & illuſtre quippiam edere cupiens, generoſo mentis ardore pro gloriâ mortem oppetit. Cùm ad longum verò tempus prælium ferueret, & quorſum victoria inclinatura eſſet, haud diſcerneretur, ſua ad victoriam opus eſſe virtute Epaminondas arbitratus, ſuo ipſius periculo diſcriminare prælium ſtatuit. Confeſtim ergò fortiſſimos quos habebat, aſſumit, horúmque globo ſtipatus, in medium hoſtium agmen impreſſionem facit. Tum ducẽ ſe cohorti ſuæ præbẽs, telo prim⁹ emiſſo, Lacedæmoniorũ ducem verberat. Cúmque mox alii quoque manus conſeruiſſent, aliis trucidatis, aliis perterrefactis, phalangem hoſtium perfringit. Lacedæmonii enim, quòd & auctoritas Epaminondæ, & conferti circa ipſum globi vis, terrorem iniiceret, è conflictu pedẽ referunt. inſtant verò Bœoti, & vltimũ quemque trucidant. vnde ingens cadauerũ multitudo coaceruatur.

XXVII. Tandem cùm Epaminondam laxatis animi habenis præcipitantiùs irruere vidẽt Lacedæmonii, cõcurſu in ipſum facto, multis cõfertíſque telis virum petunt; quæ partim declinat, partim depellit, nõnulla etiam è corpore euulſa in hoſtem retorquet. interea dum pro victoriâ conſequendâ heroicè decertat, in pectore lethale vulnus accipit, haſtiliq; defracto, & ferro in corpore relicto, acerbitate vulneris ſubactus, illicò prolabitur. Hîc vehemens de corpore conflictus inardeſcit, multíſque hinc inde cæſis, vix tãdem magno cum labore Thebani, viribus corporum præualentes, Lacedæmonios repellunt. Obortáq; fugâ, Bœoti, ad breue ſpacium inſecuti, reuertũtur, quòd cadaueribus potiri ante omnia neceſſarium ducerent. Reuocatis igitur tubarum ſonitu militibus, à pugnâ deſtiterũt omnes: & excitato vtrinque tropæo,

de victoriâ ambigebant. nam Athenienses victis ad collem Eubœensibus & cōductitiis, cadauera in potestate habebāt. contrà Bœoti, quòd acie Lacedæmonios vicissent, cæsósque in arbitrio suo haberent, victoriam sibi tribuerunt. Et ad tempus neutra pars de tollēdis ad sepulturam mortuis legationē misit, ne primas hosti concedere viderentur. primi tamen Lacedæmonii suos ad sepulturam misso caduceatore repoposcerunt: & tum suos vtrique inhumârunt. Cæterùm Epaminondas viuus adhuc in castra relatus fuerat. Ibi cùm accersiti ad eū medici, mortem certissimè insecuturā quamprimùm corpore telum extractū foret, asseuerarent, fortissimo vitam exitu terminauit. nam primò armigerum ád se vocatum, an clypeum seruasset, interrogauit. quod cùm affirmaret, oculísque rem subiiceret, vtri vicissent iterum quæsiuit; puero, Bœotos vicisse, respondēte; iam moriendi tempus est, inquit: statimque telum sibi eximi iussit. Ibi clamor amicorum, qui tum aderant, exortus: & cùm quidam largè profusis lachrymis, Itáne sine liberis è vitâ migras? diceret: Non per Iouem, ille respondit; sed filias duas, victoriam ad Leuctra & Mantinéam post me relinquo. Et statim educto hastæ mucrone, absque omni perturbatione animā efflauit.

LXX XVII

Iam quia præstantium virorum obitus honorificâ quapiam laude prosequi solemus, nequaquam decere nos arbitramur, si absque peculiari celebratione tanti viri exitum prætereamus. Hic enim mihi non suæ tantùm ætatis Imperatores arte & peritiâ militari, adde etiam, æquitate ac celsitudine animi, superasse videtur; (clarissimi enim hoc seculo viri, Pelopidas Thebanus, Timotheus, Conon, Chabrias, Iphicrates Athenienses, Agesilaus etiam Spartanus, licèt ætate paullò superior, floruerunt) sed illos etiam, qui ante se Medicis & Persicis temporibus; vt Solon, Themistocles, Miltiades, Cimon, Myronides, Pericles, aliique nonnulli apud Athenienses; & Gelo Dinomenis filius in Siciliâ, & quidam alii inclaruerunt. Quorum omnium virtutes si quis cum Epaminondæ solertiâ militari & gloriâ contulerit, virtutem Epaminondæ multis parasangis antecurrere deprehendet. Nam apud cæteros vnum duntaxat gloriæ decus eximium sese offerret: apud hunc omnes (in vnum veluti sidus) collectæ virtutes effulgebant. Corporis enim firmitudine, dicendi facultate, vigore animi, pecuniæ contemptu,

temptu, & æquitate, & quod omnium erat præstantissimum, fortitudine, ac scientiâ militari, quæ summum deceret imperatorem, multis infra se gradibus reliquit omnes. Hoc igitur viuo, patria summum imperium adepta est: vitâ autem functo, idipsum amisit, & deteriores subinde mutationes sensit: donec prætotum tandem inertiâ & stoliditate extremam seruitutem ac ruinam experta fuit. Hunc ergò vitæ finem Epaminondas, apud omnes virtutis gloriâ celeberrimus, est sortitus.

XXIX. Post eam pugnam Græci, cùm victoria anceps & fortitudo par esset, perpetuis certaminum laboribus defessi, fine tandem bellis imposito, commune pacis & armorum societatis fœdus ineunt, cui Messenios quoque includunt. Sed Lacedæmonii, qui odio Messeniorum implacabili arderent, propter illos conditionibus pacis subscribere nolebant: ideoque soli Græcorum in fœdus hoc non iurarunt. Quod ad scriptores, hoc anno Xenophon Atheniensis Græcorum historiam cum Epaminondæ interitu concludit. Anaximenes etiam Lampsacenus, qui primus rerum Græcarum historiam descripsit, à deorum ortu & generis humani primordiis exorsus, ad Mantineam illam prælium & Epaminondæ mortem deducit, vniuersas propè Græcorum & Barbarorum res gestas duodecim voluminibus complexus. Philistus denique Dionysii iunioris historiam duobus libris exsecutus, hîc illam finit.

XC. Hinc Molon Athenis summus prætor erat, & Romę consulatum gerebant Lucius Genucius & Quintus Seruilius. Tunc Asiani maris accolæ defecerunt à Persis: & satraparum nonnulli, Ducúmque nouos exorsi tumultus, Artaxerxi bellum intulêre. Sic & Tachos Ægyptiorum rex decreto in Persas bello & nauibus exstruendis, & pedestribus conscribendis copiis, operam dedit. plurimisque hinc inde è ciuitatibus Græciæ conductis, Lacedæmonios etiam in partes suas adduxit. Simultates enim hi cum Artaxerxe tum exercebant, quòd Messenios communi Græcorum fœdere comprehendi mandasset. Tanta in Persas vndique conspiratione excitatâ, etiam rex ad bellum sese instruebat. nam eodem tempore cum Ægyptiorum rege, & Græcis in Asia vrbibus, & Lacedæmoniis, horúmque adiutoribus satrapis & ducibus, qui mariti-

mas ſub imperio oras tenebant, ſimul belligerandum fuit. Nobiliſſimi inter hos erãt Ariobarzanes, Phrygiæ ſatrapes, qui Mithridatis demortui regnum poteſtati ſuæ vindicauerat; Mauſolúſque Cariæ Princeps magni nominis caſtella & oppida, quorum præcipua ſedes ac Metropolis erat Halicarnaſſus, arcem magnificam & totius Cariæ regiam complexa ſub ditione ſuâ habens, cum quibus Orontes Myſiæ & Autophradates Lydiæ præfectus, & de Ionum gente Lycii, Piſidæ, Pamphylii & Cilices: & præter hos Syri ac Phœnices, cunctique ferè maris Aſiatici littora accolentes, ſeſe coniunxerant. Per defectionem hanc tàm grandem pars altera vectigalium regi deceſſerat. Reliqua verò neceſſariis belli vſibus haud ſatis erat. At qui regis imperio renunciauerant, totius belli adminiſtrationem Orontæ committebant. Is poſtquàm imperium cum ſtipendio XX millibus conductitiorum in annum ſoluendo acceperat, ſocios belli, tantum ſibi fidei habentes, prodidit. nam magnificis ſe donis cumulatum, & totius maritimæ regionis præfecturâ honoratum iri, ſi defectores Perſarum in manus tradidiſſet, perſuaſum habebat. Primos igitur, qui pecunias attulerant, comprehenſos ad regem tranſmittit. multas inde vrbes & conductitiam peregrinorum manum, legatis à rege miſſis prodit. Similis tum etiam in Cappadocia proditio accidit, quæ peculiare quippiam & mirum ſibi adiunctum habuit. Artabazus regis copiarum ductor, magno cum exercitu in Cappadociam inuaſerat. Datames ergo prouinciæ illius ſatrapa cum multis equitum turmis ac CCIↃↃ CCIↃↃ auxiliariorum peditum, quibus ſtipendia numerabat, caſtra illi oppoſuit. Tum ſocer Datamis, equitatui præfectus, vt gratiam apud regem iniret: & propriæ ſaluti proſpiceret, poſtquàm pridiè cum Artabazo de proditione conueniſſet, noctu cum equitibus ad hoſtes tranſit. Datames verò exhortatus ad fidem & conſtantiam mercenarios, & donatiuum liberale pollicitus, in perfidos illicò ducit, eóſque iam cum hoſte ſe coniungentes aſſequitur. Mox Artabazi milites, ſimul & equites transfugas adortus, promiſcuè obuium quemque trucidat. Artabazus primùm quid rei hoc eſſet, ignorans, eum, qui fidem Datamis prodiderat, iam nouam agitare proditionem, exiſtimabat. ideò in aduentantes equites ferrum ſtringere, nec cædibus

XCI.

parcere

parcere ſuos iubet. Quo factum vt Mithrobarzanes (hoc defectori nomen erat) in medio concluſus, cùm hi, vt proditorem arcerent, iſti vt proditorem vlciſcerentur, in extremas anguſtias ſit redactus: cumque nihil ad conſultandum in iſtâ rerum perplexitate moræ concederetur, ad ſtrenuam ſe defenſionem conuertit, & cum vtriſq; dimicans, magnas ſtrages edit. Tandem plus decies mille interfectis, reliquos Datames in fugam conuertit, multisque trucidatis, tubâ militem ab inſecutione reuocat. Tum equitum, qui ſupererant alii ad Datamen reuerſi veniam exorant: alii in loco ſubſiſtunt, cùm, quò ſe verterent, ignorarent. erant autem circiter IↃ. quos circumfuſis vndique copiis configendos iaculis Datames expoſuit. qui licèt eximiam ſibi pridem hominum admirationem bellandi ſolertiâ peperiſſet, hoc ipſo tamen facto fortitudinis ſuæ artisque Imperatoriæ gloriam multò magis illuſtrem celebremque reddidit. Verùm Artaxerxes rex, de ſtrategemate hoc certior factus, virum è medio tollere maturauit, ac per inſidias breui pòſt interfecit.

CII. Interea dum hæc tractantur, Rheomithres à rebellibus in Ægyptum ad Tacho regem mittitur, & IↃ inde talentis longisque nauibus quinquaginta acceptis, Leucas, Aſiæ vrbem, cum claſſe petit. multosque defectorum duces huc accerſitos comprehendit, vinctosq; ad regem tranſmittit. & hoc proditionis munere proditor ipſe in gratiam apud regem offenſum reponitur. Iamque rex Tachos in Ægypto res ad bellum neceſſarias comparauerat. triremes enim CC, & mercenarios è Græciâ delectiſſimos CCIↃↃ, & præter hos LXXX millia peditum Ægyptiorum inſtructos habebat. Conductitii autem militis imperium tradiderat Ageſilao Spartano, qui cum CIↃ grauis armaturæ militibus in auxilium à Lacedæmoniorum gente miſſus fuerat; quòd hic præ cæteris & milites regere nôſſet, & fortitudine, munerisque Imperatorii ſcientiâ magnam ſibi auctoritatem conciliâſſet. Claſſi verò Chabriam Athenienſem præfecit, qui publico quidem iuſſu patriæ miſſus non erat, ſed priuatam in hac militiâ operam, à rege perſuaſus nauabat. Omne tandem imperium exercitus Ægyptiaci penès regem, ſummum belli moderatorem erat. Suadebat huic Ageſilaus, vt ipſe in Ægypto ſubſiſtens, legatorum operâ bellum adminiſtraret. verùm is obtemperare noluit, licèt præclarum ille conſilium

dedisset. nam postquàm exercitus inde longiùs processisset, iámque in Phœnicia statiua haberet, præses Ægypti, cui totiùs regni curam rex commiserat, desciuit: missisque ad Nectanabum regis filium nuncius hortator erat, vt ipse regnum in Ægypto capesseret. quo facto belli grauissimi incendium excitauit. Nectanabus enim militibus Ægyptiis à rege præfectus, cùm ad oppugnandas in Syriâ vrbes Phœniciæ missus esset, in structas patri insidias consentiens, præfectos largitionibus, milites pollicitationibus inuitat, & ad societatem belli adducit. Ægyptóque à rebellibus tandem occupatâ Tachos eâ re perculsus, per Arabiam ad regem adscendere, & perperam à se commissorum veniam petere, nō dubitauit. Illum Artaxerxes non solùm à noxâ absoluit, sed etiam summum belli contra Ægyptiós moti Imperatorem declarauit.

XCI. Nec multò pòst rex Persarum vitam cum morte commutauit, cùm tres & XL annos imperium tenuisset. Huic Ochus in regno succedens XXIII annos illud gubernauit, Artaxerxis cognomentum adeptus. Cùm enim Artaxerxes probè regnum administrâsset, pacis insigniter amans, & successibus prosperis vtens, posteros inde reges nomē transmutare in huius appellationem, Persæ iusserunt. Iam verò Tachos rex ad Agesilaum redierat, cùm Nectanabus plus quàm centum millibus hominum coactis in patrem duxit, eumque ad decertandum de regno prouocauit. ibi regem trepidabundum, nec armis experiri audentem videns Agesilaus, fortem & alacrem habere animum iubebat. non enim qui numero militum superent, sed qui strenuo virtutis robore præstent, victoriam adipisci. Atqui cùm his ille non moueretur, in vrbem quandam peramplam cum eo recedere cogebatur. Tum mœnibus inclusos Ægyptii primùm obsedere: pòst cùm magnam suorum iacturam in oppugnationibus facerent, muro fossâque vrbem circumuallarunt. opusque tanta operantium multitudo celeriter perfectum dabat. Commeatu tandem absumpto, Tachos salutis tuendæ spem amisit. Agesilaus verò bonam militibus spem retinere iussis, noctu in hostes eruptionē factâ, omnes ex inperato saluos conseruat. sed instant ponè Ægyptii, & quia campestris erat regio, hostes, vndique multitudine suorum circumuentos, internecione delere statuunt. Agesilaus interim

terim locum, quem vtrinque fossa amnis manu facta muniebat, cum suis occupat, ibique hostis aduentum præstolatur. Hinc ordinatâ, prout locus ille exigebat, acie fluuiique brachiis munita, prælium committit. Ibi quòd turba Ægyptiis nihil omninò ad rem conduceret, Græci autem virtute præcellerent, magnam Ægyptiorum stragem facit, & reliquos in fugam conuertit. Exinde Tachos facili negocio regnum recuperat, eiusque vindex vnicus Agesilaus magnificis, vti par fuit, muneribus honoratur. Reditu hinc in patriam instituto per Cyrenen, in viuis agere desiit. corpus eius melle conditum refertur Spartam, & regio ibi cultu ac honore sepelitur. Huc ergò res per Asiam hoc

XCIV. anno gestæ processerunt. Cæterùm in Peloponneso cùm post conflictum ad Mantineam communis inter Arcades pax sancita fuisset, saluo per vnum vix annum fœdere, bellum denuò inter eos conflatum est. In pactis scriptum fuerat, vt à pugnâ in suam quisque patriam rediret. Finitimæ igitur vrbes in Magnam (quam vocant) ciuitatem translatæ, quæ iampridem molestè hanc ex auitis sedibus migrationem ferebant, in pristinæ iurisdictionis oppida vltrò reuertebantur. At patriis hos laribus Megapolitæ iterum excedere cogebant. Natâ hinc controuersiâ, oppidani à Mantineis, cæterisque Arcadibus, Eleisque insuper, & aliis Mantinei belli sociis, auxilia petunt. Megapolitæ contrà Athenienses de societate armorum solicitant: qui non cunctanter cIↃ cIↃ cIↃ grauis armaturæ, & ccc equites, quibus omnibus Pammenes erat præpositus, subuenire iubent. Is ergò cùm copiis Megalopolim profectus, oppidorum aliis vi expugnatis, aliis terrore subactis, quotquot erant reduces Megalopolim redire cogit. Sic oppidorum in vnam ciuitatem coagmentatio, quæ huc vsque tumultus processerat, quo potuit fine, composita fuit. Historicorum in numero Athanas Syracusius, res à Dione gestas hinc exorsus XXXIII voluminibus conscripsit annorū tamen septem historiam, quæ Philistus intactam reliquit, libro vno comprehendit: & res summatim recensens, continuam historiæ seriem effecit.

XCV. Hinc cum Archontis munus Athenis penès Nicophemum esset, & consulare Imperium Romæ Caius Sulpicius & Caius Licinius administrarent, Alexander Pheræorū Ty-

rannus prædatorias naues Cycladibus insulis immisit, & nonnullis expugnatis, magno captiuorum numero potitus est. tum expositis in Peparethum mercenariis, vrbem circumsedit. Sed cùm præsidiaria Atheniensium manu, qui Leosthenem ibi ducem reliquerant, subleuarentur, Athenienses statim ipsos inuasit. Hi tum forte contra Alexandri milites ad Panormum commorantes, excubabãt. quos subitã impressione adortus, inopinatam Alexander felicitatem expertus est. Nam non modò suos ad Panormum destinatos grauissimis periculis exemit, sed etiam quinq; triremes Atticas, vnamque Peparethiam cepit, & sexcenta in potestatem suam corpora redegit. quo infortunio exacerbati Athenienses, dicam Leostheni capitalem impegerunt, damnatique bona publicârunt; & Charetem, eius loco prætorem designatum, cum classe attributâ emiserunt. hic formidando hostes, iniuriisque afficiendo socios, tempus exegit. in Corcyram enim socii nominis ciuitatem profectus, magnarum ibi seditionum turbas excitauit: quæ in plurimorum cædem & facultatum direptionem exierunt. quod fecit, vt populus Atheniensis apud confœderatos malè audiret. Quin etiam alia id genus facinora præter ius & fas commisit, nec quicquam (vt rem in pauca contraham) boni peregit, sed dedecus & infamiam patriæ conciliauit. Ad hunc vsque annum Dionysiodorus & Anaxis scriptores Bœoti, qui rerum Græcarum historiam contexuerunt, narrationes suas persecuti sunt. Iam nos, postquam res Philippi imperium antegressas recitauimus, libro huic, prout initio à nobis propositum fuit, colophonem imponemus: sequente deinceps libro, quæcunque ab ingressu regni ad vitæ vsque exitum rex iste gessit, vnà cum aliis, quæ per cognitas terræ partes acciderunt, complectemur.

HÆC

HÆC IN XVI. DIODORI LIBRO CONTINENTUR.

Vt Philippus, Amyntæ filius, regnum Macedoniæ acceperit.
Vt Argæum, regnum sibi vendicantem, deuicerit.
Vt Illyriis & Pæonibus debellatis, regnum auitum recuperarit.
De ignauia Dionysii iunioris, & Dionis exsilio.
Vt Dion, vindicatis in libertatem Syracusis, Dionysium bello fregerit.
Vt è patria eiectus, Syracusas denuò obtinuerit.
De Tauromenio in Sicilia condito.
Quæ gesta fuerint per Eubœam, & in bello sociali.
Philippus Amphipolim obsidet & capit.
Vt Philippus, redactis in seruitutem Pydnæis, aurifodinas adornarit.
Belli socialis exitus.
Tres simul reges contra Philippum vires coniungunt.
Vt Philomelus Phocensis, redactis in potestatem Delphis, cum templo fatidico: sacri belli incendium excitarit.
Vt oraculum illud initio fuerit repertum.
Philomeli Phocensis clades & interitus.
Onomarchus imperium adsumit, & ad bellum sese præparat.
Vt Bœoti suppetias Artabazo ferentes, Regis Satrapas vicerint.
Vt Athenienses Chersoneso potiti, agrum sortitò diuiserint.
Vt Philippus Methonen à se captam solo æquarit.
Vt Philippus deuictos Phocenses è Thessalia expulerit.
Vt Onomarchus Phocensis Philippum, duobus prælijs victum, in extremas periculorum angustias coniecerit.
Vt Onomarchus, victis Bœotis, Coroneam subegerit.
Onomarchus in Thessalia, acie cum Philippo & Thessalis confligens, succumbit.
Vt ipse suspendio affectus, cæteriq; tanquam sacrilegi mari submersi fuerint.

Vt Phayllus, in imperio successor, de argenteis aureisq; denariis multa conciderit.

Vt amplificatis stipendiis magnam conductitiorum turbam coëgerit.

Vt res Phocensium afflictas erexerit.

Vt ciuitates harumq; magistratus largitionibus corrumpendo, magna sociorum accessione se confirmarit.

Vt Pheræorum tyranni Pheris Philippo deditis, Phocensium societatem fuerint amplexi.

Phocenses ad Orchomenum cum Bœotis cōfligunt, & succumbunt.

Alii cum iisdem iuxta Cephissum & Coroneam conflictus, & Bœotorum victoria.

Vt Phayllus, expeditione in Locridem susceptâ, vrbes complures subegerit.

Vt Phayllus lentâ tabe corruptus, ægerrimè vitam finierit.

Vt Phalæcus, imperio suscepto, cùm ignauiter bellum administraret, eiectus fuerit.

Vt dissidium inter se Peloponnesii excitarint.

Vt Artaxerxes, aliàs Ochus nominatus, Ægyptum, Phœniciamq; & Cyprum recuperarit.

Vt Philippus, Chalcidicis vrbibus suæ ditioni adiunctis, vrbem maximè insignem euerterit.

Quæstio de sacra pecunia in profanos vsus expensa, & supplicia depeculatorum.

Vt Phocenses, qui supplices in Apollinis fanum confugerant, numero IↃ ad vnum omnes igni subitò fuerint absumpti.

Vt finis bello Phocensi impositus.

Vt sacrilegii Phocici consortes à diuina quadam potentia omnes plexi fuerint.

Timoleontis nauigatio in Siciliam, & res ab eo gestæ, ad vitæ vsq; finem.

Philippus Perinthum & Byzantium obsidet.

Philippus acie confligit cum Atheniensibus ad Chæroneam, & profliguntur Athenienses.

Vt Philippum belli Persici ducem cum summa potestate elegerint Græci.

Vt Philippus transiturus in Asiam necatus sit.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE Liber XVI.

1. IN cunctis tractationibus historicis officio scriptorum incumbit, vt aut ciuitatum, aut regum res gestas integrè à principio ad finem vsque libris suis complectantur. hoc enim maximè pacto historiam & memoriã facilè comprehendi, & perspicuam lectoribus fieri, iudicamus. nam res imperfectæ, quarum finis cum principiis non cohæret, cupidam studiosi lectoris intentionem interrumpunt. At quæ continuam ad finem vsque seriem narrationis comprehendunt, absolutam numeris suis rerum expositionem habent. quòd si ipsa rerum gestarum natura scriptores adiuuet, tum demum ab instituto hoc nullo modo absistendum est. Quocirca & nos, postquàm ad Philippi Amyntæ res deuentum est, gesta per hunc regem, vt volumine hoc comprehendamus, annitemur. Is equidem viginti quatuor annos Macedonum rex fuit: & minimis ab initio adiumentis vsus, regnum suum omnium in Europâ maximum effecit, & quam Illyriorum iugo seruili pressam acceperat Macedoniã, gentium & ciuitatum multarum & potentissimarum dominam reddidit. suâ denique virtute obtinuit, vt cùm sponte se ciuitates illi submitterent, totius Græciæ Imperator crearetur. Expilatoribus templi Delphici debellatis, cùm defensionem oraculo præstitisset, in Senatum Amphictyonum est cooptatus; & pietatis suæ in deos veluti præmium, ius suffragiorũ, Phocensibus ab eo deuictis, ereptum accepit. Iamque post Illyrios, Pæones, Thraces, Scythas, & conterminos hisce populos armis edomitos, ad euertendum Persarum regnum omni se studio conuerterat, promissisque in Asiam copiis Græcas vrbes in libertatem vindicabat; cùm à fato interceptus occubuit. Eas tamen & tantas post se copias reliquit, vt Alexandro eius filio, ad deponendum Persarum imperium socialibus auxiliis opus non foret. Atqui hæc omnia non

tàm fortunæ beneficio, quàm suæ virtutis grauitate, peregit. Imperatoriâ enim solertiâ, & robore virili, animique claritudine rex iste plurimùm excelluit. At ne in præfatione res ab eo gestas anticipemus, ad cõtinuam historiæ seriem, breui ad superiora facto recursu, procedemus.

II. Cùm Athenis præturam Archontis gereret Callimedes, Olympiade quintâ & centesimâ, quâ Porus Cyreneus stadii victoriam obtinuit; & Romæ Consules essent Cnæus Genucius & Lucius Æmilius: Philippus Amyntæ filius, & Alexandri, qui Persas bello subegit, parens, Macedoniæ regnũ hoc modo adeptus est. Bello fractus ab Illyriis Amyntas, vectigalia pendere victoribus cogebatur. hi filium eius natu minimum Philippum obsidis loco acceptum, Thebanis asseruandum tradiderant. qui rursus Epaminondæ patri adolescentulum commiserunt, cum mandato, vt depositum fidei suæ creditum diligenter custodiret, probéque educandi curam gereret. Pythagoreus tum quidam Philosophus Epaminondæ magister erat: cum quo dum educatur Philippus, cum profectu non vulgari Pythagoricæ disciplinæ particeps fuit. Cúmque ambo discipuli ingenium & diligentiam ad studia attulissent; euenit, vt ad excellentiam virtutis vterque perueniret. Epaminondas sanè magnis certaminum & periculorum difficultatibus euictis, Græciæ totius principatum nec opinatò patriæ suæ acquisiuit. Philippus autem iisdem auxiliis instructus, non inferiorem se Epaminondæ gloriâ præstitit. Nam post obitum Amyntæ, Alexander filiorum ætate maximus in regno successit. sed eo per dolum interempto, regnum arripuit Ptolemæus Alorites. hunc simili fraude Perdiccas, vita simul & regno priuauit. Verùm postquàm is ingenti prælio ab Illyriis superatus in ipso necessitatis momento, (id est, vbi maximè rege opus erat) cecidisset, Philippus frater, è custodia elapsus, regnum malè adfectum suscipit. in acie enim supra quatuor Macedonum millia occubuerant. qui superfuerant Illyriorum vires tantoperè expauescebant, vt ad persequendũ bellum nihil animi haberent reliquum. Per id tempus etiam Pæones, Macedonibus finitimi, ex cõtemptu illorum, agros populabantur. Et Illyrii rursus ingentes contrahebant copias, & nouam in Macedones expeditionem moliebantur. Huc accessit, quòd Pausanias quidam à stirpe regiâ oriundus,

dus, Thracum regis auxilio, Macedoniæ regnum inuadere conabatur. Quin etiam Athenienſes à Philippo alieni, Argæum in regnum auitum reducebant: iamque ducem ſuum Mantiam, cum ter mille probè armatis & claſſe inſtructiſſimâ ad hoc miſerant.

II. Macedones igitur ob cladem in prelio acceptam, & periculorum ingentium molẽ, in ſumma animorum perplexitate erant. Verùm enim verò licèt tãtum periculi ac terroris inſtaret, Philippus tamen malorum, quæ impendere videbantur, magnitudine nihil territatus, aſſiduis Macedones concionibus in officio retinebat, & pro fácundiâ, quâ pollebat, ad virilem animorum conſtantiam exhortando, fiduciam trepidis iniiciebat. Tum diſciplinæ militaris emendationem aggreſſus, bellicis viros armis decenter inſtruxit, aſſiduasque tractationes armorum, & certaminum exercitationes inſtituit. Nouam quoque condenſati agminis ſtructuram excogitauit, vſitatam Heroibus ad Troiam clypeorum conſertionem imitatus. primusq; adeò phalangis Macedonicæ concinnator eſt. In colloquiis benignus erat ac ſuauis, munerumque ac promiſſorum magnificentiâ vulgus ad ſummam erga ſe beneuolẽtiam pelliciebat. Quin & contra pericula, quæ multifariam imminebant, ſe veluti machinis quibuſdam ſagaciter promuniuit. Cùm enim Athenienſes omni ſtudio in hoc incumbere, vt Amphipolin recuperarent, & Argæum propterea in regnum ab ipſis reduci, videret: ſponte decedens ciuitatem ſuis legibus viuere permiſit. Pæonum miſsâ legatione, alios muneribus corrupit, alios pollicitationum blandimentis ineſcauit, pacemque ad præſens tempus cum eis pepigit. Sic & Pauſaniam à reditu auertit, rege qui illum reducturus erat, muneribus perſuaſo. Interea Mantias Athenienſis Imperator Methonen appulſus illic ſubſtitit, Argæum verò cum conductitiorum manu Ægas præmiſit: Is ad vrbem accedẽs hortator Ægæis erat, vt reditum ſuum approbarent, & primos regni vindices ſe ipſi exhiberent. ſed nemine adſentiente, Methonen retroceſſit. Tum Philippus cum inſtructis militum copiis aduentans, conſertâ pugnâ, multos de mercenariorum turbâ cecidit: reliquos qui ad collem quendam refugerant, poſt transfugarum deditionem, ex pacto dimiſit. Primo igitur hoc prælio victor Philippus, Macedonum ſuorum animos ad futura deinceps bellorum diſcrimina, fortiter ſubeunda,

valdè confirmauit. Thasii Crenidas(vt olim nominabātur) habitatoribus frequentant: quas rex postea de se Philippos nuncupatas,incolis repleuit. Hinc Theopompus Chius,scriptorum vnus, narrationum suarum de Philippo initium faciens,LIIX volumina contexuit; de V tamen inter hæc discrepatur.

IV. Archon dehinc Athenis Eucharistus,Romæ Quintus Seruilius,& Lucius Genucius Consules erant: cùm Philippus missis Athenas legatis ad pacem secum ineundum populum hoc ipso permouit,quòd nihil sibi iuris in Amphipolin vendicabat. Bello itaque Atheniensium liberatus, cùm Agim Pæonum regem fato concessisse audiret,commodam sibi Pæones inuadendi occasionem præbitam existimauit. armatâ igitur manu terram illorum ingressus,Barbaros aciè vicit,gentemq; deinceps parére Macedonibus coëgit. Restabant tamen hostes Illyrii, quos debellandi magno tenebatur studio. Aduocatâ igitur concione,cùm appositâ militem oratione ad bellum instigasset, copias in Illyriorum fines duxit,non minus CCIↃↃ pedites,& IↃ C equites sub vexillis habens. Bardylis autem rex Illyriorum, hostium aduêtu cognito,primùm legatos ad Philippum de pace redintegrandâ misit,his pactis, vt quæ tunc in potestate oppida haberent,vterq; sub ditione retinerent. Ad quod Philippus,se pacis quidem cupidum esse, sed eam non priùs admissurum, quàm cunctis Macedonici regni vrbibus decessérint Illyrii, respondit. Legatis itaque infecto negocio reuersis, Bardylis, victoriis antè partis,suorumque virtute confisus, validâ cum manu hostibus occurrit;decem millia peditum exquisitę virtutis & IↃ equites in armis habens. Cumque proximi essent inter se exercitus, subitò ingenti cum vociferatu prælium capessitur in dextro cornu Philippus cum robore Macedonum eximio versans, circumagi iussit equites, vt ex obliquò in hostes impressionem facerent;ipse à fronte irruens, certamen validissimum commisit. Illyrii contrà,quadratam aciē instruunt & fortiter in discrimen pugnæ cum hoste descendunt. diuque anceps,propter eximiā vtriusque exercitus fortitudinem,erat prælium. cadebant multi, longéque plures vulnerabantur & modò huc,modò illuc momentum pugnæ vergebat;prout vicissim à dimicantium virtute pondus accepit. Tādem cùm equitatus tum à latere,tum à tergo premeret,&

ret,& Philippus cum fortissimis suorum heroicè decertaret; vulgus Illyriorum in fugam se præcipitare cogitur. Ad longum inde spacium Macedones insequuntur. Plurimisque in fugâ trucidatis, Philippus tandem suis receptui signum dedit, excitatoque tropæo, defunctos in acie sepultura cohonestauit. Tum Illyrii, missâ legatione, vbi cunctis Macedonici nominis vrbibus excessêre, pacem impetrarunt; cùm plus IↃↃ cIↃ cIↃ isto in conflictu de ipsis occubuissent.

V. Nos postquàm per Macedoniam & Illyridem gesta recensuimus, ad aliarum res gentium nunc transitũ faciemus. In Siciliâ Dionysius Iunior Syracusanorum tyrannus, qui regnum pridem acceperat, cùm ineptus ad res gerendas, & patre suo longè inferior esset, animi pacifici, morumque lenitatis prætextu, ignauiam dissimulabat. ideò licèt hæreditarium veluti bellum cum Carthaginensibus accepisset; pacem tamen cum illis fecit. Cum Lucanis etiam negligenter aliquandiu bellum gessit: ac quanquam postremis aliquot pugnis superior abierat: belli tamen finiendi conditiones percupidè amplexus fuit. In Apulia duas condidit vrbes, quò tutum per Ionium nauigantibus transitum præstaret. nam Barbari maris accolæ magno nauium prædatoriarum numero diuagantes, sinum Hadriaticum mercatoribus infestum reddebant. Posthæc vitæ pacatiori se dedens, exercitationes militum bellicas exolescere permisit. Quare tametsi maximum in Europâ imperium, tyrannidemque adamante, vt pater iactabat, reuinctam, adeptus fuerat; effœminata tamen inertiâ de improuiso illud perdidit. quem verò ad modum euersus sit, & quæ singulatim egerit, vt iam recenseatur, dabimus operam.

VI. Iam Archontis magistratum Athenis Cephisodotus, & Romę consulare imperium Caius Licinius & Caius Sulpicius tenebant, cùm Dion Hipparini frater inter Syracusanos clarissimus è Siciliâ profugit, & animi sui præstantiâ illustri, tum Syracusanos, tum alios quoque Siculos in libertatem vindicauit; quod his de causis accidit. Dionysius senior ex vtraque vxore prolem susceperat: ex primâ, quæ Locrensis erat natione, Dionysium, in regno successorem: ex alterâ Hipparini, qui in summâ existimatione erat apud Syracusanos filiâ duos Hipparinum & Narsæum procrearat. huius secundæ vxoris frater erat Dion, vir magni in philo-

ſophiâ progreſſus, virtute inſuper & rei militaris ſcientiâ cũ-ctis ſuæ ætatis Syracuſanis longè præſtans. Hunc ſua nobilitas, animique magnitudo inſignis, tyranno ſuſpectum reddiderant, quippe qui ad tyrannidem deſtruendam peridoneus videretur. metuens ergò ſibi ab illo Dionyſius, virum ad necem raptum, è medio faceſſere decreuit. Id præſentiẽs Dion apud neceſſarios quoſdam initiò deliteſcit. poſtea ex Siciliâ in Pelopõneſum fugam capeſſit, Megacle germano & Charíclide qui militum tyranni præfectum egerat, comitatus. Vbi Corinthum peruenit, à ciuitate contendit, vti curam libertatis Syracuſiis reſtituendæ vnà ſecum capeſſant. illico mercenariorum ipſe manum contrahit, & armis conquirendis ſtudium impendit. dumque multi ad voluntatem eius ſeſe applicant, confeſtim panoplias comparat, validamq; ære militantium manum cogit. duobus exinde nauigiis, mercede conductis, arma & milites imponit. atque his tantùm inſtructis è Zacyntho, quæ Cephalleniæ adiacet, in Siciliam tranſmittit. Charicliden verò triremes aliquot, aliasque onerarias paullò pòſt Syracuſas adductum ire iuſſerat.

VII. Dum hæc geruntur, Andromachus Tauromeniẽſis, Timæi hiſtorici parens, vir opibus & claritate animi excellens, quicquid exſulum Naxi, quam Dionyſius exſciderat, reliquum erat, hinc inde congregauit, & collem, qui Naxo Tauri nomine imminet, habitandum illis dedit. & quia ad longum temporis ſpacium illic ſubſtiterat, à manſione hac in Tauro, Tauromenium nuncupauit. cúmque ſubitis hoc oppidum incrementis bearetur, factum eſt, vt & incolæ magnas opes, & vrbs dignitatem ampliſſimam ſibi compararet. Noſtrâ tandem ætate, translatis per Cæſarem è patriâ Tauromenitis, Romanorum coloniam accepit. Interea qui Eubœam incolunt, excitatis inter ſe diſſidiis, alii Bœotorum, alii Athenienſium ſubſidium implorant; bellumque per Eubœam exoritur. Etſi autem conflictus leuiores ac velitationes crebrò inter ipſos exſiſtebant, ac modò Thebani ſuperiores erant, modò Athenienſes victoriam referebant; magno tamen prælio nunquam dimicatum fuit. Tandem inſulâ per hoc bellum inteſtinum vaſtatâ, multâque hominum cæde vltro citroque peractâ, vix cladibus prudentiores facti, concordiâ inſtauratâ, pacem inter ſe conſtituêre. Bœoti igitur domum reuerſi, arma depoſuerunt. Athenienſes verò, cùm

rò, cùm Chii, Rhodii, Coi, & Byzantini defecissent, in bellum quod sociale vocatur, & triennium durauit, inciderunt. ad quod Charetem & Chabriam Imperatores delectos cum exercitu mittunt. Hi aduersus Chium profecti, sociorum auxilia à Byzantiis, Rhodiis, Cois, & Mausolo, Carum regulo, Chiis suppeditata, offendunt. Tum distributis ordine copiis, vrbem terrâ marique oppugnant. Et Chares pedestris exercitus ductor à terrâ muros inuadit, cumque oppidanis, qui eruptiones facerent, certamen gerit. At Chabrias ad portum euectus, prælium nauale acriter committit: sed naue prætoriâ rostrorum impetu perfracta, succumbit. Ibi qui in cæteris erant nauibus, tempori cedendum rati, incolumes euadunt. dux verò gloriosâ morte ignominiosam deditionem commutans, dum pro naui propugnat, vulnere accepto, cadit.

III. Per idem tempus, Macedonũ rex Philippus, postquàm Illyriis magno prælio deuictis, omnes ad Lychnitidem vsque paludem habitantes imperio subdiderat, pacem cum illis gloriosam pactus, in Macedoniam regreditur. & quia res propè collapsas virtute suâ erexerat, celebre inter Macedones nomen eius habebatur. Post hoc, cùm Amphipolitani inimicis erga Philippum animis multas belli causas præberent, validis eos copiis inuadit, admotisque ad mœnia machinis, acriter & assiduè oppugnationem vrgens, arietum vibratu muri partem deiicit, perque ruinas irrumpens, multis obsistentium prostratis, vrbe potitur, & statim multatis exsilio inimicis, humanissimum cæteris sese exhibet. Vrbs hæc cùm opportunum in Thraciâ, vicinisque locis situm habebat, permultum ad incrementa Philippo adiecit. nam subitò Pydnam quoque subegit. Sed cum Olynthiis societatem iniit, se Potidæam illis subiuncturum pollicitus; cuius adipiscendæ magno pridem studio tenebantur. Quia verò Olynthiorum vrbs opibus & potentiâ pollebat, & propter ciuium multitudinem plurimum momenti ad bellum habebat; factum est, vt qui dominationis amplioris cupidi erant, de illâ disceptarent. Quapropter Athenienses & Philippus, vt societatis fœdere sibi eum adiungerent, magno studio vtrinque contendebant. Sed enimuero Philippus expugnatâ Potidæâ Atheniense præsidium ex vrbe deduxit, & clementer tractatum Athenas remisit. non parum enim po-

pulum Atheniensem uerebatur, quòd potentia & dignitate ciuitas illa præstabat, Pydnamque seruitio mancipatam Olynthiis tradebat, agros simul & fundos territorii ipsis donans. Hinc ad Crenidas profectus, vrbem habitatorum frequentiâ amplificatam, de nomine suo Philippos nuncupauit. Quin & aurifodinas quæ per regionem illam erant, perquàm tenues & obscuras hactenus, operum structuris eò prouexit, vt plusquàm ClƆ talentûm reditum adferre possent. vnde coaceruatis breui diuitiis ad luculentiorem subinde maiestatem regnum Macedoniæ, hac opum abundantiâ promouit. aureum enim nummum, Philippicum ab eo dictum, cudit, & validas mercede militantium copias contraxit, multosque Græcorum ad patriæ suæ proditionem muneribus illexit. quæ singula particularis hinc rerum series planiora faciet. Nunc ad subsequentia stylum transferemus.

Iam Athenis Reipublicæ princeps erat Agathocles, Romæque consulatum administrabant Marcus Fabius, & Caius Poetelius; cùm Dion Hipparini in Siciliam ad opprimendum Dionysii tyrannidem traiecit. Exiguis verò adiumentis, vt nemo quisquam ante ipsum instructus, maximum totius Europæ dominatum, præter omnium spem euertit. quis enim credidisset, eum qui cum duabus tantùm onerariis appulerat, superiorem futurum dynastâ, qui longis nauibus CCCC, peditum millibus centum & X millibus equitum, armorum præterea, frumentique & pecuniarum tanto apparatu instructus erat quantus potentię illius conueniebat, qui in tantas, vt recensuimus, copias affatim sumptus facturus esset? & qui præter iam dicta, vrbem Græcarum omniũ maximam, portus insuper naualiaque, & arces egregiè munitas atque inexpugnabiles, tantam denique vim auxiliarium potentissimorum habebat? Successus autem Dionis maximè iuuabant, seueritas animi ac fortitudo, & in libertatem vindicandorum populariũm addictæ voluntates. & quod maius his omnibus, effœminata tyranni mollities & ignauia, odiumque subditorum aduersus ipsum. Hæc omnia cùm vno temporis momento simul concurrerent, res incredibiles ad exitum nec opinatum perduxêre. Verùm exordio hoc abrupto, ad rerum particulatim gestarum descriptionem nos conuertemus. Dion igitur è Zacyntho, Cephalleniæ

IX.

propin-

propinquâ, cum nauibus suis euectus, ad Minoam (vti voca-
tur) Acragantini tractus vrbem appulit. hæc à Minoe quon-
dam rege Cretensium condita fuit, quo tempore Dædalum
quærens, Cocali Sicaniorum regis hospes erat. tum verò
Carthaginensibus parebat, præfectusque eius Paralus, Dio-
nis amicus, prompto illum animo suscepit. Dion ergò cùm
desumptas ex onerariis quinquies mille panoplias Paralo
tradidisset, rogauit eum, vt plaustris Syracusas hasce deue-
hendas curaret. Ipse adiunctis sibi mercenariis, qui cIↃ erãt,
eodem iter intendit. In transitu Agrigentinos & Geloos,
nonnullosque de Sicanis & Siculis mediterranea incolenti-
bus, Camarinæos insuper & Madinæos ad liberandum cõ-
muni ope Syracusanos adhortatus sibi iunxit: cumq; his ad
labefactandum Tyranni opes perrexit. & quia ex omnibus
hinc inde locis armati ad ipsũ cõfluebãt, breui supra ccIↃↃ
ccIↃↃ hominum sub vexillis habebantur. Nihilominus
tamen ex Italiâ quoq; Græcorum & Messeniorũ multi ac-
citi fuerant, omnesque cum magna propensione animorum
non cunctanter aduentârunt. Quamprimùm verò agri

X. Syracusani confinia attigit Dion, multitudo hominum inter-
mis ex rure & oppido illi occurrit. cùm enim Dionysius ma-
lè fideret Syracusanis, multos armis exuerat. Eo tum fortè
tempore ad vrbes in Hadriâ nuper exstructas cum magnis
copiis hærebat. Interea duces ad custodiam vrbis Syracusa-
næ relicti, à defensionis usu reuocare ciues attentabant. V-
bi verò impetum multitudinis nullo modo cohiberi posse
vident, recessito peregrino milite, & coactis qui in vrbe Prin-
cipis adhuc partes fouebant, expletisque ordinibus inuade-
re defectores constituunt. Tum Dion quinque panopliarũ
cIↃ inter Syracusanos armis destitutos, distribuit, cæteros
etiam armis fortuitis, prout poterat, instruxit, conuocatis-
que in concionem publicam vniuersis, ad restituendum Si-
culorum nationi libertatem se venisse, profitetur, duces-
que iubet creari, qui & liberæ iurisdictioni restituendæ, &
tyrannidi funditus exscindendæ, idonei fuerint. Statim
vnâ voce ab vniuerso populo conclamatur, Dionem, eius-
que fratrem Megaclem, imperatores cum summâ potesta-
te eligendos esse. Confestim igitur à concione, instructo
inque ordinem disposito exercitu, ad vrbem mouet. dum-
que nemo patentem sibi campum asserit, fidenter mœnia

intrat,& per Achradinen in forum progressus,castris ibi locum deligit, cùm hostium nemo opponere se illi auderet. Numerus autem militantiũ cum Dione quinquaginta millibus non erat minor. hique omnes corollis redimiti,vrbem intrauerant,præeunte Dione cum Megacle, & xxx Syracusanis,qui exsulum in Peloponneso soli eandem periculi aleam cum ciuibus Syracusanis experiri voluerãt. Tunc XI. ciuitas tota pro seruitute libertatem induit; & tristitiam,tyrannidis comitem, in Panegyricam, festamque hilaritatem Fortuna mutauit,omnisque domus sacrificiis & gaudiis plena erat:cùm & homines in focis suis thymiamata adolerent, gratamque pro bonis præsentibus diis mentem testificarentur;& fausta pro futurorum exitu vota conciperent. crebra quoque iubilatio fœminarum tunc oriebatur super felicitate tam insperatâ exsultantium; & totâ passim vrbe concursus fiebant. non liber, non seruus, non peregrinus tum erat,qui Dionem non spectatum accelerasset, virtutemque viri,quàm omnes magis, quàm pro conditione humanâ suspiciebant. Nec præter rationem hoc illis accidebat. tam ingens hæc erat mutatio, & tam inopinatus illius euentus. nam vbi quinquaginta annorum seruitutem experti, per lõgum temporis interuallum libertatis iam obliuia traxerant; vnius hominis virtute effectum est,vt calamitate eximerentur. Sub id verò tempus ad Cauloniam Italiæ morabatur Dionysius. Philistum igitur,exercitus ducem,circa Hadriãtum versantem cùm classe accersit, vtque recto Syracusas cursu petat iniungit. cúmque ad eundem vterque locum citato itinere properaret: Dionysius septimo die post reditum Dionis Syracusas peruenit Mox astu Syracusios circumuenire cogitans, de pace legatos misit, per quos variis vtique modis ostendit,se populo dominatum restituere velle,si in Democratiâ honores aliquos insignes recipere sibi liceat. Legatos itaque ad se mitti petit,quibus cum,habito senatu,bello finem statuat. Syracusani in spes sublimes adducti,legationem ex primariis ad ipsum viris mittunt: quibus custodiâ statim adhibitâ, Dionysius de die in diem colloquium suspendit. Interim Syracusanos spe pacis custodias negligentiùs obire & ad dimicandum imparatiores esse videns,reseratis extemplò arcis,quæ in Insulâ est, portis, cum agmine instructo erupit.

Murus

Murus illic à mari ad mare Syracusanorum opera exstructus erat, hunc Dionysiani magno cum vociferatu & terrore inuadunt. cúmque non paucis excubitorum occisis, interius penetrassent, cum cæteris ad defensionem progressis, manus conferunt. Dion igitur contra fidem induciarum nec opinatò deceptus, cum fortissimorum agmine obuiam hosti tendit, prælióque conserto, cædem prolixam intra stadium peragit. Quanquam verò pugna exiguum interuallum intra murum commissa habebatur: non exigua tamen in locum hunc angustum turba militum confluxerat. quo factum, vt vtrinque virtute præcellentes in certamen descenderent. Dionysianos promissorum amplitudo: Syracusanis libertatis spes ad summum vincendi studium excitabat. Cùm igitur æqualis vtrinque in pugnando virtus esset, diu anceps consistebat prælium: multique cadebant, nec pauci vulneribus, aduerso pectore exceptis, conficiebantur. nam primipilares mortem pro aliis generosis animis oppetebant. Post hos collocati scutis cadentes protegebant. quæuis denique aduersa fortiter eluctantes, vltimum præ victoria discrimen in se recipiebant. Dion verò egregii quippiam in hoc prælio designare cupiens; vt suo victoriam Marte pararet, in medios hostium globos violenter sese intulit, & heroicè depugnando, trucidatis quamplurimis, totam mercenariorum aciem diuulsit, solúsque tandem in mediâ hostium turbâ relictus stetit. ibi licèt multis vndique telis in scutum & galeam coniectis impeteretur, armorum tamen firmitas periculum ab eo depulit, quoad dextrum sauciatus brachium, ob vulneris grauitatem labare cœpit. Nec multum aberat, quin hostium manus subiisset; nisi Syracusani, de incolumitate ducis soliciti, confertâ manu impressionem in Dionysianos fecissent, & Dione (qui iam viribus exhaustus erat) periculis exempto, hostes fugam arripere coëgissent. Sic cùm aliâ etiam muri parte ciues præualerent, peregrinus tyranni miles intra castella Insulæ fugâ sibi prospicere coactus est. Nobili igitur prælio victores Syracusani, libertate iã firmiter recuperatâ, tropæum contra tyrannum excitârunt.

XIII. Dionysius hac clade adfectus, vbi de dominatu suo actum iam esse vidit, idoneis arces præsidiis munit, & cæsos in acie (IↃ C C C hi erant numero) impetratis ab hoste cadaueribus, honorifi-

cè aureis nimirum coronis redimitos, & purpureis vestibus eleganter amictos, sepulturæ mandauit. hoc enim erga defunctos studio alios se inescaturum sperabat, vt pro tyrannide suâ discrimina promtiùs adirent. tum qui fortiter rem gesserant magnis ab eo muneribus honestantur. Misit inde qui de pace cum Syracusanis tractarent. At Dion nouas subinde excusationes commentus, legationis negotiũ procrastinabat. interea reliquam muri partem sine interpellatione absoluit. Tunc verò expectatione pacis hostem frustratus, legatos accersit. ibi cùm de bello componendo verba fierent; Dion, hanc vnicam pacificandi viam esse respondit; si tyrannide depositâ honores sibi quosdã Dionysius habere velit. Quod responsum cùm superbum nimis tyranno videretur, cum ducibus in Senatum aduocatis consultat, quâ ratione Syracusanos vlcisci queat. Omni quidem copiâ abundabat, præterquàm frumento, & mare insuper in potestate habebat. Ideò prædationibus agrum infestum reddebat, & alimentis pabulando ad tempus difficulter acquisitis, naues tandem onerarias & pecunias ad commeatus præstinandos misit. At Syracusani licèt nauium longarum haud multum haberent, opportunis tamen locis mercatores aggressi, magnam annonæ, quæ aduehebatur, partem ipsis adimebant. Rerum ergo Syracusanarum status tum ita se habebat.

XIV. Cæterùm in Græciâ Alexander, Pheræorum tyrannus, à Thebe vxore suâ eiusque fratribus Lycophrone ac Tisiphono, dolosè trucidatus fuit. Hi primò vt tyrannicidæ, in gratiâ non exiguâ fuerunt: sed consiliis postea mutatis, cùm militem peregrinum largitionibus sibi deuinxissent, pro tyrannis sese gesserunt, multósque voluntatibus ipsorum aduersantes trucidârunt, validisque copiis instructi, vi principatum retinuerunt. At Aleuadæ qui nuncupantur, homines propter ortus nobili dignitate celebres, tyrannos sibi oppugnandos proposuêre. Cùm verò per se tantæ molitioni non sufficerent, Philippi Macedonum regis auxilium sibi adiunxerunt. Hic in Thessaliam reuersus Tyrannos debellat, ciuitatibus libertatem recuperat, suámque erga Thessalos beneuolentiam magnopere testatam facit. quocirca in omnibus quæ postea gessit, perpetuos non solùm ipse, verùm etiam filius dehinc Alexander hos certaminum socios & auxiliares habuit. Inter

scripto-

ſcriptores Demophilus, Ephori hiſtorici filius, qui dereli-ctam à patre hiſtoriam belli, quod ſacrum nominatur, concinnauit, ab eo tempore exorditur, quo Delphici oraculi templum à Philomelo Phocenſi occupatum direptúmque fuit. Bellum verò id per annos vndecim, donec ſacræ pecuniæ raptores miſerè periiſſent, durauit. Calliſthenes verò decem libris res Græcorum complexus, ad templum nefario Philomeli ſcelere captum, hiſtoriæ ſeriem deduxit. A ſacrilegio verò hoc ſuæ Diyllus Athenienſis hiſtoriæ libros XXVII auſpicatus, res Græciæ & Siciliæ his temporibus geſtas recenſet.

V. Cùm Archontis magiſtratum Athenis Elpinus, & cõſulatum Romæ Marcus Popilius Lænas, & Cnæus Manlius Imperioſus adminiſtrarẽt, iámque Olympias ſexta poſt centeſimam ageretur, quâ ſtadii coronam meruit Porus Malienſis: in Italiâ multitudo quædam hominum promiſcuorum, plerique autem ſerui erant fugitiui, ex variis vndique locis circa Lucaniam confluxit. Hi primitùs vitam prædatoriam inſtituebant. mox excubiarum in agris, & incurſionum conſuetudine, rerum bellicarum exercitationem, vſúmque ſibi compararunt. Cùm bellicis ergò conflictibus terræ incolis ſuperiores euaderent, ad augmentum inſigne progreſſi fuerunt. Ac principio Troianam vrbem expugnatam diripuerunt; hinc, Arponio, Thuriíſque, & multis aliis ſubactis, propriam ſibi Rempublicam conſtituerunt: & quia plerique ſeruierant, Brutiorum nomen aſſumpsêre. indigenarum enim ſermone fugitiui Brutii nuncupantur. Brutiorum ergò in Italiâ multitudo hunc ad modum coaluit.

XVI. In Siciliâ tum Philiſtus Dionyſii legatus Rhegium tranſmiſit, & ſupra IↃ equites Syracuſas tranſportauit; aliúmq; his equitatum numeroſiorem, cum cIↃ cIↃ peditatu adiiciens, Leontinos qui deſciuerãt a Dionyſio, inuaſit. Noctu igitur furtim mœnia ingreſſus, partem vrbis occupat: vbi validus oritur conflictus, & ſuppetias ferentibus Syracuſanis, Philiſtus viribus inferior Leontinorum oppido exturbatur. Interim Heraclides, à Dione prætor nauium longarum in Peloponneſo relictus, cùm per tempeſtatum remoras ad reditum Dionis in patriam, & Syracuſarum liberationem maturiùs adeſſe non licuiſſet, venit tandem cum XX nauibus longis, & cIↃ IↃ armatis.

& quia vir nobilissimus erat, dignúsque habitus, qui tantæ rei preficeretur, nauarchus à Syracusanis declaratur, & communicato cum Dione consilio & operâ, bellum aduersus Dionysium administrabat. Sub hæc Philistus summus classis prætor à Dionysio creatus, triremibus LX instructis bellum nauale cum Syracusanis, numero nauium haud inferioribus, suscepit. Acre tum prælium conseritur, in quo suâ primùm virtute Philistus præualebat. sed ab hostibus tandem circumuentus; cùm Syracusani vndique circumfusè id summo studio agerent, vt Imperatorem viuum caperent: ille vt vitaret, quæ in captiuos committi solent, probra & cruciatus, mortem sibi consciuit; postquàm maximum sui vsum tyranno præbuisset, summámque fidei integritatem præ cæteris amicis principibus declarasset. Syracusani prælio victores dilancinatum Philisti cadauer, per totam vrbem tractârunt, & insepultum tandē abiecerunt. Dionysius ergo amisso amicorum strenuissimo, cùm qui dignè surrogaretur, non inueniret, nec per se belli onus gestare posset: missis ad Dionē legatis dimidiū regni primùm obtulit, mox totū ipsi cedere voluit. Sed vbi Dion respondit, æquum esse, vt arce Syracusanis deditâ, cum pecuniis & honoribus certis excedat; ad reddendam populo arcem, his pactis, vt mercenariis opibúsque adsumptis in Italiā traiiceret, paratus erat tyrannus: Dionísque consilium erat, vt oblata acciperentur. Sed populus ab importunis oratoribus in contrariam sententiam pertractus, Dioni refragabatur, quòd vi tyrannum à se expugnatum iri non dubitaret. Tum Dionysius conductitiorum fortissimos ad custodiam arcis reliquit: sed ipse thesauris cum omni regiâ supellectili in naues translatis, clàm inde soluit, & in Italiam traiecit. Interea Syracusani in partes discesserunt, dum hi militare imperium summámque potestatem Heraclidæ, quòd is nunquam tyrannidem affectaturus videatur, demandandum censent: alii Dionem rerum summæ præficiendum contendunt. Accessit huc, quòd plurimum stipendii exteris militibus, qui ex Peloponneso liberatum Syracusas venerant, debebatur. Cùm igitur pecuniarum indigentiâ ciuitas laboraret, mercenarii stipendiis fraudati in agmē sese colligebant, ter mille autem plures erant, spectatæ virtutis omnes, longóque rerum bellicarum vsu exercitati; quo factum, vt fortitudine Syracusanis longè præstarent.

præstarent. Ab his Dion rogatur, vt vnà secum deficiens de Syracusanis, vt communi hoste, vindictam exigat. quod ille, quãuis primùm denegaret, præsente tamẽ rerũ statu coactus, externi militis imperium deinde suscipit, cúmque illis coniunctus, Leontinos versus agmen duxit. At Syracusani inter se adunati, mercenarios persequuntur, & conserta inter vias pugnâ, post magnam suorum iacturam retrocedunt. Quanquam verò insignem victoriam obtinuerat Dion, iniuriarum tamen erga populares recordari noluit. Cùm enim de tollendis ad sepulturam mortuis caduceatorem ad ipsum mitterent, non solùm hoc ipsis concessit, sed captiuorum multos absque precio liberos dimisit. complures enim in fuga iam iam trucidandi, Dionis se causâ æquiores fuisse profitebantur. Eâque de causâ præsens mortis discrimen omnes effugerunt.

VIII. Posthac Dionysius Nypsium ciuem Neapolitanum, fortitudine ac militari scientia præstantem, cum imperio Syracusas mittit, cúmque eò naues onerarias, frumentis alióque commeatu refertas, expedit; Is à Locris prouectus, cursum Syracusas versus peragebat. Interea præsidiarii tyranni in arce, licèt ob defectum annonæ, summâ rerum necessariarum inopiâ vexarentur, ad tempus tamen aliquod magnâ animorum constantiâ famem tolerabant. Ad extremum verò, cùm necessitas naturam vinceret, nec vllam salutis viam aliam prospicerent, concilio per noctem inito, arcis ac suimet ipsorum postridiè deditionem facere Syracusanis decreuerunt. Iámque nox finita erat, & mercenarii caduceatores de pacificatione ad oppidanos mittebant: cùm extemplò Nypsius primo statim diluculo cum classe aduehitur, eámque in Arethusæ portu sistit. Statim ergo extrema (victus) penuria, in largam alimoniæ copiam mutatur. Tum exposito imperator milite, omnes in concionem aduocat, & oratione ad præsens tempus accommodatâ exercitum allocutus, cunctos ad futura deinceps pericula promptos & alacres reddit. Arx itaque iamiam tradenda Syracusanis, ad hunc, quem diximus, modum ex insperato conseruata est. Tum Syracusani impletis quotquot aderant triremibus, in hostem subitò inuehuntur, adhuc in eximendo commeatu occupatum. Et quamuis subita hæc esset incursio, præsidiúmque arcis mercenarium tumultuariè triremibus hosticis occurreret, nauale tamen prælium commit-

titur in quo victores Syracusani hostium naues aliquot demergunt, nonnullas capiunt, & reliquas in fugam actas ad littus vsque persequuntur. Hoc elati successu, sacra quidem ob partam victoriam diis magnificè peregerunt: sed interim ad conuiuia & heluationes conuersi, dum hostem deuictum (scilicet) floccipendunt, excubias negligenter administrant. Nypsius ergò cladem nouiter acceptam pugnando resarcire cupiens, cum ordinatis noctu copiis, ex improuiso murum nuper exstructum inuadit, vigilésque ex nimiâ fiduciâ & temulentiâ in somnum prolapsos offendens, scalas, ad hunc vsum fabricatas, applicat. quarum adminiculo ex præsidiariis fortissimi murum transcendunt; cæsisque custodibus, portas reserant. Impressione itaque subitò in vrbem factâ, Syracusanorum duces, ab ingurgitatione adhuc ebrii, auxilium suis ferre conabantur; sed cùm vinum conatus impediret, alii cadebant, alii fugæ se mandabant. Iámque vrbs capta erat, & milites ex arce fermè omnes intra munitiones vrbis penetrauerant: dúmque oppidani propter inopinatum hunc casum, & ordinis confusionem attoniti trepidant; ingens peragitur cædes. Et quia propugnatorum tyranni plures quàm cIↃↃ erãt, aciémque probè ordinatam habebant; nemo vires ipsorum sustinere poterat, quippe cùm tumultu & consternatione, ducúmque inopia victi impedirentur. Occupato igitur foro statim in domos ab hostibus iã victoria fretis irruitur. Ibi magna vis opũ diripitur: nec exigua fœminarum, puerorum, ministrorúmque turba in captiuitatem trahitur. In angiportis cæterísque vicis, resistentibus Syracusanis, continuæ fiunt dimicationes. multitudo ingens cadit, nec minor sauciatur. Et noctem quidem illam mutuis in se cædibus grassando, vtut sors ferebat, in tenebris transegerunt, nullúsq; locus in vrbe cadaueribus nõ stratus & oppletus erat. Quamprimùm verò illuxit, tum demum calamitatis magnitudo conspiciendam se dedit. Cùm ergo nullam, nisi à Dionis auxilio salutem haberent ciues, equitum suorum nonnullos ad eum in Leontinorum vrbem properare iubent, cum obtestatione rogatum, ne patriam hosti prædam fieri sinat, sed veniâ delictorum sibi concessâ, præsentis infortunii misertus, ex profligatissimâ conditione patriam alleuet, erigátque. Dion qui vir magnanimus erat, & mentẽ Philosophiæ studiis ex-

XIX

XX.

diis excultam & mansuefactam habebat, ciuibus suis neutiquam succensendum arbitratus, militibus stipendio conductis expeditionem persuadet. cúmque his iter confestim ingreditur, viámque Syracusanam emensus, ad Hexapyla peruenit. Ibi dispositâ in ordinem acie, concitatiùs pergit: & obuiam sibi habet magnam puerorum, mulierum, senúmque ex vrbe supra ccIↃↃ turbam. qui omnes supplicum more, profusisque eum lacrymis orabant, vt ærumnis hisce suis opitularetur. Interea præsidium arcis sui iam voti compos, ædes circumforaneas priùs direptas incenderant, iámque in reliquas impetu facto, quicquid facultatum inerat, prædam sibi faciebant: quo ipso temporis momento; Dion pluribus simul locis, impressionem in vrbem faciens, hostes, iam vnicè in rapinis occupatos, inuadit, & quotquot illi occurrunt, qui variarum supellectilium sarcinis humeros grauatos habebant, eos omnes trucidat. nam quia subito illos aduentu oppresserat, & sine ordine ac tumultuariè prædas hinc illinc hostes differebant, minimo negocio sternebantur omnes. Ad extremum cùm vltra cIↃ cIↃ cIↃ cIↃ, partim intra ædes, partim in viis, trucidati essent: superstites in arcem refugerunt, portísque occlusis, periculum euitârunt. Dion, vbi facinus hoc, omnium ab ipso priùs gestorum longè pulcerrimum, confecerat; domos iam flagrantes, exstinctis incendiis, conseruat, murúmque arci prætensum firmiter instaurat: & sic vnâ eadémque operâ vrbem præmunit, hostíque intercluso exitum ad terram obstruxit. Hinc vrbem à cadauerũ strage repurgat, erectóque tropæo, sacrum diis epulum, ob vindicatam patriæ salutem, instituit. Populus contrà, vt gratum Dioni animum testaretur, aduocata concione, summi imperatoris munus ei suffragiis publicis commendat, cultúsque heroicos impertitur.

Exin Dion, prout rebus ab ipso gestis consentaneum erat, omnibus, qui ex maleuolentiâ & odio in ipsum deliquerant, humaniter ignouit, populúmque monitis & exhortationibus crebris ad concordiæ, inter omnes æquè tuendæ, studium perduxit. Ciues autem per omnes passim ordines laude ac veneratione magnificè virum bene de ipsis meritum, vt vnicum patriæ seruatorem, remunerarunt. Atque hic tum Siciliæ status fuit.

In Græciâ, dum crudeſcente adhuc bello ſociali Chii, Rhodii, Coi, necnon Byzantii, cum Athenienſibus belligerantur. vtrinque magni fiunt apparatus, vt exitum rei pugnâ nauali experiantur. Athenienſes igitur, licèt Charetis ductu LX nauium claſſem iam antea expediuiſſent, alias tamen LX prioribus ſuperadditas, miſerunt: quarum preturam ciuium ſuorum nobiliſſimis Iphicrati & Timotheo commendarunt, vt, æquato cum Charete imperio, aduerſus rebelles ſocios bellum continuarent. Ex alterâ parte Chii, Rhodii, & Byzantii, cum auxiliaribus centum nauium claſſe inſtructâ, Imbrum & Lembum Athenienſibus addictas populantur. Inde magnis copiis Samum adorti agros deuaſtant, & vrbem terrâ marique oppugnant. Multas præterea iuris Attici inſulas diripiendo, pecunias ad belli vſus compilant. Athenienſium inde prætores contractis in vnum copiis, ad obſidendum Byzantium animos ſimul omnes adiecêre. Sed cùm ſub hæc Chii ſociique fœderis, Sami obſidione ſolutâ, ad Byzantiorum tutelam ſe conuertiſſent: omnes copiæ nauales ad Helleſpontum conuenêre. Iámq; proximum erat, vt prælio nauali decerneretur; cùm ſubitò ingens ventorum procella ingruens cœpta interuertit; Dúmque nihilominus, etiam aduerſante naturâ, Chares confligendum ſtatuit; Iphicrates autem & Timotheus, propter vim tempeſtatis, refragantur: Chares militum fidem obteſtatus, collegas proditionis incuſat, pérque literas populo ſignificat, ex induſtriâ prælium ab illis deſtitutum. quo exaſperati ciues, actionem vtrique intendunt, & multis talentis plexos ab imperii munere remouent. Chares exinde claſſis totius præturam adeptus, dum impendiis Rempublicam leuare properat, facinus quoddam præceps aggreditur. Pharnabazus à rege defecerat, iámque paruâ manu cum LXX Satraparum, quibus inſtructi erant, millibus dimicaturus erat. Ad hunc ſe Chares cum vniuerſis copiis aggregat. Pharnabazus igitur victoriam de regiis adeptus, vt gratiam pro benefactis repenſaret, tantâ illum pecuniæ ſummâ remunerat, vt in totum inde exercitum ſtipendia erogare poſſet. Pergratum hoc Charetis factum initio Athenienſibus accidit. ſed poſteaquàm per legationem de iſtâ Charetis iniuriâ rex cum ciuitate expoſtulauit, longè ſecius affecti erãt. diditus enim rumor erat, Regem CCC nauium ſubſidia hoſtibus Athenienſium pro-

XX

XXI

sium promisisse. Id reformidans populus bellum cum defectoribus componere decreuit, quos cùm non minùs pacis cupidos esse cognouit, facilè cum illis transegit. Sociale itaque bellum, cùm quatuor durasset annos, hoc fine terminatum est. Interim in Macedonià tres simul reges, Thracum vtique Pæonumque & Illyriorum contra Philippum conspirant. Hi Macedonibus finitimi, cùm vires Philippi, indies magis ac magis crescentes, liuidis oculis intuerentur; nec tamen iampridem ab eo victis pares ad rebellandum vires suppeterent; hoc modo victoriam de ipso relaturos se confidebant, si iunctis illi copiis bellum inferrent. Verùm hos, dum copias adhuc cogunt, nec vllos dum ordines instructos habent, subito aduentu oppressos, & perculsos, in iura Macedonici regni concedere Philippus coegit.

Postquàm Archon Athenis Callistratus, Consules Romæ Marcus Fabius, & Caius Plotius creati essent, bellũ, quod sacrum nominatur, conflatum est, nouémque annos durauit. Philomelus enim Phocensis, confidentià & scelerata morum prauitate nemini secundus, templo in Delphis occupato, bellum sacrum his de causis accendit. Cùm Lacedæmonii Leuctrico, quod cum Thebanis gesserant, bello deuicti essent, Thebani propter Cadmeam occupatã, Spartanis in Amphictyonum iudicio magnopere accusatis, grandem pecuniæ summam irrogârant. Phocenses etiam, quòd magnum terræ sacræ tractum, quæ Cyrrhæa nuncupatur, opere rustico excoluissent, repetundarum in Senatu Amphictyonum arcessiti, àc multis talentis condemnati fuerunt. Cùm verò multam non exsoluerent; Hieromnemones, impactà Phocensibus dicà, Senatum Amphictyonum rogârunt, vt nisi pecunià deo persolueretur, depeculatorum agros deo consecrarent. idemque à cæteris quoque damnatis, inter quos erant Lacedæmonii, exigenda quæ deberentur contendebant. quod si parére abnuerent, communi omnium Græcorum odio expositi forent. Hoc Amphictyonum decretum cùm Græcorum suffragiis comprobaretur, iámque propè esset, vt ager Phocensium sacris dei vsibus adiceretur: Philomelus, cuius summa tunc inter Phocenses dignitas erat, verba popularibus faciens, pecunias, ob multæ irrogatæ granditatem, nequaquam exsolui posse; pati verò vt ager deuoueatur, non effœminatorum modò hominum

esse, sed cum periculo cōiunctum, vitæq; omnium labefactationē & ruinam adferre, docebat; operā quoque dabat, vt pro quâ posset facultate, inter disserendū sententias Amphictyonum quàm iniquissimas esse, demonstraret; siquidē ob pusillū agri hactenus à se culti, mulcta longè maxima esset inflicta. Consiliū proinde illis dabat, vt iudiciū illud rescinderent, causasque, cur id facerent, nō exiguas Phocēsibus supetere confirmabat. Iā olim in potestate ac clientelâ ipsorū oraculū fuisse, in cuius rei testimoniū antiquissimi, omniúmq; maximi Poëtæ Homeri versus allegabat, vbi canit Poëta;

Qui Cyparisson habent, Pythonaq; rupe iacentem,
Phocenses, Schediusq; regunt, & Epistrophus acer.

Idcircò de patrocinio templi fatidici controuersandum esse, quòd patrium & auitum vtique esset Phocensibus, asserebat. Quod si absolutam sibi potestatem, vt summo imperatori, noui huius negotii traderent, summa illud dexteritate se administraturum, spopondit. Quid fit? Phocenses, multæ in se decretæ metu, dictatorem creant Philomelum. Is promissa factis gnauiter exsequitur; & statim itinere Spartam suscepto, arcanos hac de re sermones cum Archidomo Lacedæmonum rege confert, quòd ipsi nō minus, quàm sibi contendendum sit, vt irritæ sententiæ Amphictyonum reddantur. nam & cētra Lacedæmonios enormiter iniustéque Amphictyones pronunciasse. Consilium igitur Delphos occupandi, & si patrocinium eius sui iuris fecerit, Amphictyonum decreta antiquandi, regi aperit. Archidamus cui non improbaretur hæc oratio, in præsens quidem manifestis se illum auxiliis non instructurum, sed clanculùm pecuniis, & militibus qui stipēdia facerent, præstò futurum, recepit. Tum Philomelus acceptis ab eo XV talentis, déque suo totidem adiectis, peregrinos hinc inde milites stipendio conduxit. E Phocensibus autē CIↃ delegit, quos peltatos nominauit. Magnâ itaque vi militum coactâ, templum inuadit. Obsistunt quidem illi Delphorum nonnulli, qui Thracidæ nuncupantur; verùm hos ille occidit, & facultates eorum vulgo diripiendas permittit. cæterósque perculsos videns, bonum habere animum iussit, nihil enim mali passuros. Iámque fani occupati fama longè latéque vagabatur, cùm Locri finitimos incolētes tractus, armatis Philomelum copiis aggrediuntur, commisséque circa Delphos pugnâ, Locri

Locri ſuccumbunt,& poſt magnam ſuorum cędem,domum fugâ ſe recipiunt. Philomelus hac victoria excitatus, decreta Amphictyonum è columnis excîdit,& tabulas damnatorum aboleuit. Interea rumores paſſim diſſeminauerat, ſe neque templum exſpoliare conſtituiſſe, neque alterius iniqui facinoris deſignandi conſilia agitare : ſed quia prærogatiuam à maioribus traditam vindicet, & iniuſtas Amphictyonum ſententias abrogare cupiat; patriis Phocenſium legibus defenſionem præſtare.

XV. At Bœoti,publicam ad deliberationem congregati, templo ſuccurrendum decernunt, & armatorum confeſtim manum expediunt. Quæ dum geruntur, Philomelus muro templum circumdat; & conſcriptis hinc inde militum copiis, dimidium toti ſupererogans, ſtipendium auget, delectúque habito, Phocenſium fortiſſimos accenturiat; breuíque tam inſignem exercitum contraxit, vt non infra quinque millia ſub ſignis haberet, tranſitúque ad Delphos occupato, bello ipſum aggreſſuris iam formidabilis erat. Hinc armis in Locrorum terram promotis,compluribus in locis eam populatur, & iuxta flumen quoddam, caſtellum egregiè munitum præterlabens, caſtra ponit. Id oppugnationibus aliquot tentatum vbi capere nequit, obſidione intermiſſâ,cũ Locris manus cõſerens, x x ſuorũ amittit,quorũ cadauera dũ recuperare vi non poteſt,per caduceatorē,vt ſibi reſtituantur,petit. Locri collectione mortuorum negatâ,reſpondēt : apud vniuerſos Græcos cõmuni lege ſancitum haberi,vt Sacrilegi abiiciantur inſepulti. Hanc repulſam moleſtiſſimè ferens Philomelus,cũ Locrenſibus iterum confligit,omníq; ſtudio elaborans,nonnullis hoſtium interfectis cadaueribꝰ potitur: atq; ita ad permutationē inhumatorum eos cogit. Iámq; cãpos in poteſtate habens; Locride paſſim deuaſtatâ,cum milite prędis onuſto Delphis regreditur. Exin de belli euētu ex oraculo aliquid reſciſcere cupiens, vi Pythiam adegit, vt tripode cõſcenſo,reſponſum ſibi daret.

XVI. Poſtquàm verò mentio Tripodis hic ſeſe offert, hiſtoriam antiquitus de illo traditã,hîc repetere, nõ intēpeſtiuum arbitror. Olim à capris oraculum hoc inuentũ memoratur. cuius gratiâ mactatis vt plurimũ capris, ad hunc vſq; diē ſortes fatidicas Delphi captant. Inuentionis hunc porrò modũ tradunt. Terræ hiatus eo loco fuit, vbi nunc adytum (quod vocatur) templi exſiſtit,circumque hunc capræ paſcentes ob-

errarunt, quòd Delphi tunc nondum colerẽtur. Ibi frequenter accidit, vt quæcunque propiùs ad voraginem accedens despiceret, mirum in modum exsultaret, & vocem ab vsitatâ priùs dissonam emitteret. Id pastor gregis vt insolens admiratus, quid rei foret, exploraturus accessit & ipse, & despectans eodem modo, quo capræ adfectus abiit. nam istæ vt diuino adflatæ spiritu se gerere; hic futuros euentus præcinere. Mox famâ per rupis accolas diuulgatâ, quòd tam miris proximantes specui modis adficerentur, plures eo loci conuenère; cúmque propter rei nouitatem periculum facerent omnes, quicunque propiùs adierant, furore diuino corripiebantur. Hinc locus ille ceu fatidicus pro miraculo habitus, terræque oraculum esse creditum fuit. Durauit ad tempus ille mos, vt qui diuinàre vellent, antrò propinquantes de futuris alter alteri responsarent. Sed cùm multi, per excessum mentis lymphaticum, in specum desultarent, omnésque è conspectu hominum auferrentur; consultiùs accolis visum, ne quis idem periculum incurreret, vnum ex omni fœminarum sexu vatem consecrari, quæ fatidicis posthac effatis præesset; machinámque illi fabricari, quâ conscensâ, citra noxam afflatu diuino repleri, & consulentibus vaticinari posset. Machinæ tres erant bases; vnde tripodi illi nomen obuenit. figuram eius propemodum omnes hodiéque conflati ex ære tripodes imitantur. Quem igitur ad modum oraculi sedes inuenta, quibúsque de causis tripus exstructus sit, satis iam declaratum arbitror. Sortes à virginibus quondam editas, fama est, quòd & naturam haberent incorruptam & sexus cum Dianâ communionem. adde quòd seruandis oraculorum secretis magis idoneæ viderentur. Sed propinquiore (aiunt) memoriâ Thessalus quidam Echecrates, ad oraculum profectus, ex fatidicæ virginis intuitu, propter eximiam eius venustatem, amore exardescit, raptæque stuprum offert. quod facinus Delphos impulit, vt lege sancitâ cauerent, ne virguncula deinceps, sed fœmina quinquagenaria maior, virgineo tamen ornatu, ad moris antiqui in vaticinando memoriam, dei responsis præsideret. Hæc sunt, quæ de oraculo primitùs reperto, ex vetusta fabularum traditione, referuntur. Iam ad Philomeli res gestas regrediemur. Is fano in potestatem redacto, Pythiam ritu patrio ex tripode oraculum sibi reddere iussit. Cúmque vates, hunc

XXV

tes, hunc patrium eſſe morem diceret, minis illam adegit, vt
tripodem conſcenderet. Ibi mulier ad vim inferentis au-
ctoritatem ſeſe accommodans; Licere ipſi quicquid liberet,
reſpondit. quòd læto ille animo complexus, conueniens ne-
gocio ſuo reſponſum ſe habere, affirmauit. Idque ſtatim in
tabulâ deſcriptum, publicè omnibus legendum propoſuit,
vt omnibus demonſtraret, quòd rerum pro libitu gerenda-
rum licentiam ipſi deus tradidiſſet. Concione etiam popu-
li aduocatâ, diuinam ex adyto vocem multitudini exponit,
omnésque ad conſtantiam exhortatur. hinc ad negocia bel-
li denuò ſe conuertit. Quin & prodigium ad ipſum Apolli-
nis templum ei offertur. nam aquila fanum dei ſuperuoli-
tans, & ad terram ſe deuoluens, nutritas in templo colum-
bas venabatur, adeò vt nonnullas ex ipſis altaribus corripe-
ret. Eo portendi Philomelo & Phocenſibus hiſce ſtudiis oc-
cupati dictitabant: quòd rerũ apud Delphos potituri eſſent.
Hinc magnopere inflatus, amicorũ maximè idoneos lega-
tionibus deſtinat, horúmque nonnullos Athenas, quoſ-
dam Lacedæmonem, partem etiam Thebas; itidémque
cæteras Græciæ vrbes inſigniores, mittit, cum hac excuſa-
tione; Delphos à ſe occupatos, non quòd ſacris opibus in-
ſidias tendat, ſed vt fani patrocinium popularibus ſuis
vindicet. Rationem etiam pecuniæ cunctis Græcis red-
dere, pondúſque ac numerum donariorum recenſere, quiſ-
quis id exegerit, paratum ſe eſſe, confirmat. Rogat tan-
dem, ſi quis ex odio vel inuidia bellum Phocenſibus faceſſat,
vt ſecum arma potiùs coniungat; ſin minùs, vt ab armis ſal-
tem abſtineat. His mandatis cùm legati ſtrenuè fungeren-
tur, Athenienſes & Lacedæmonii, aliíque nonnulli ſociale
fœdus cum eo pacti, auxilia promittunt. Sed Bœoti cum Lo-
crenſibus, & quidam alii in contrariam eunt ſententiam,
bellúmque pro deo contra Phocenſes gerendum ſuſcipiunt.
Iſta per huius anni curriculum geſta fuere.

X-III. Iam Athenis Diotimus Archontis, Romæ Caius
Marcius, & Cnæus Manlius Conſulum munus adierant;
cùm Philomelus, quanta belli tempeſtas in ſe irruitura eſ-
ſet, proſpectum habens, ingentem vim militum ſtipendia
facientium contrahebat; quibus etiam Phocenſes armis
idoneos, habito delectu, aggregauit. At cùm pecuniis ad
bellum opus eſſet, à ſacris quidem donariis abſtinuit; ſed à

Delphis qui fortunæ benignitate ac diuitiis cæteros antеibant, pecuniarum, quantum ad stipendia mercenariorum satis foret, exegit. Cùm memorabilem igitur exercitum collegisset, sub dium prodiit, manifestè iam ostendens, se cum quouis Phocensium hoste ad decernendum esse paratum. Tùm arma in illum expedientibus Locris, prælio concurritur, ad Phædriades, vt nominantur, Petras, quâ Philomelus victor, multos hostium interemit, nec exiguum numerum cepit, nonnullos etiam de rupe se præcipites dare coegit. Ab hac pugna res prosperè succedentes, animos Phocensibus attollunt. Locrensibus contrà fortunæ iniquitas deprimit. Legatione idcircò Thebas missa, vt sibi deóque subueniatur, postulant. Bœoti, tum quòd suam ergà deos pietatem constare vellent, tum quòd rata haberi Amphictyonum decreta permultùm suâ interesset, per legatos à Thessalis cæterisque Amphictyonibus vt commune secum bellum facessant Phocensibus, contendunt. Postquàm ergò Senatusconsultum Amphictyones de bello contra Phocenses fecerunt, ingens motus & dissidium per totam Græciam exoritur. Pars deo subueniendum, ac Phocenses, vt sacrilegos, vltione persequendos censere; pars ad Phocensium defensionem inclinare. Dúmque ita in diuersa gentes vrbésque studia distrahuntur, Bœoti, Locrenses, Thessali, Perrhæbi, cúmque his Doriënses, Dolopes, Athamanes, Achæi, Phthiotæ, Magnetes, Æni anes, & quidam alii, deo suppetias decernunt. Cum Phocensibus societatem armorum iungunt Athenienses, & Lacedæmonii, & nonnulli ex Peloponnesiis alii. In partes verò istorum promptissimè transierunt cum quibusdam aliis Lacedæmonii, has ob causas. cùm Thebani in pugnâ Leuctricâ hostes debellassent, litem Spartanis in Amphictyonum iudicio intenderant, quòd Phœbidas Spartanus Cadmeam occupasset, eámque iniuriam Iↄ talentis æstimârant. Sed cùm post condemnationem illam ad definitum à legibus terminum adiudicatam multæ summam non dissoluissent; Thebani nouam contra illos actionem iniuriæ duplicis instituerant. Ad cIↄ igitur talenta condemnati Amphictyonum calculis Spartani, ob debitorum magnitudinem, eodem quo Phocenses prætextu vtebantur, quòd iniustam damnationis sententiam in se tulissent Amphictyones. Quocirca, licèt

XXI.

commune foret emolumentum, per se tamen Lacedæmonii condemnationis nomine bellum suscipere supersedebant. At sub Phocensium persona si Amphictyonum decreta irrita facerent, id equidem honestius in speciem existimabant. His ergo de causis summa propensione causam Phocensium adiutantes, tutelare ius templi interim acquirere sibi moliebantur.

XXX. Cæterùm vbi iam certum erat, validissimum à Thebanis exercitum in Phocenses duci, Philomelus maiore conductitii militis robore se confirmare statuit. At quia maiores bellum sumptus flagitabat, donariis sacris manus iniicere coactus, templum deprædatur. Quare cùm stipendii sesquiplum peregrino militi polliceretur, magna vis hominum ad eum confluit, & propter stipendii amplitudinem vltrò quàm plurimi imperio se eius addicunt. Modestorum tamen virorum nullus eam in militiam nomen suum est professus, quòd pietas erga deum aliud suadebat. Interim deterrimus quisque, deosque lucri sui gratiâ nauci habens, cupidè Philomelo sese aggregat. Breuique robustissimæ copiæ ex hominibus sacræ prædæ auidis coaluerunt. Affluentia igitur rerum omnium in causâ fuit, vt iustum non longo temporis interuallo exercitum Philomelus compararet. Et statim CCIↃↃ & amplius equitum peditumque instructa habens, in Locrensium agros expeditionem facit. Hi Bœotorum auxiliis confirmati occurrunt, prœliumque equestre committitur, quo Phocenses abeunt superiores. Haud multò pòst Thessali, cum finitimorum auxiliari manu, ad sex millia coacti, in Locridem descendunt, & inito cum Phocensibus conflictu, ad collem quem Argolam vocant, Martem aduersum experiuntur. Hinc cùm Bœoti cum CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ superuenirent: & Achæi è Peloponneso CIↃ IↃ in subsidium Phocensibus adducerent, copiæ vtrinque in vnum congregatæ locum, castra castris opponunt.

XXXI. Accidit tum, vt inter pabulandum mercenariorum numerus haud exiguus in manus Bœotorum veniret. quibus ante vrbis mœnia productis, præconis voce proclamari iusserunt, viros hosce, qui militarem sacrilegis operam prostituissent, ab Amphictyonibus capite multari. Nec mora, verba res sequitur, omnésque confodiuntur. Hac re vehementer exacerbati milites, qui Phocensibus

ſtipendiabantur, à Philomelo contendunt, vt eodem hoſtes ſupplicio dignetur. magnáque in hoc ipſi contentione incumbunt. ac plurimos hoſtium in agris palantes capiunt, & viuos Imperatori adducunt. quos ille omnes iaculis conficiendos ſuis tradit. Hac talionis exſecutione effecit, vt ſuperbum & immane ſupplicii genus hoſtes retractarẽt. Cùm verò deinde exercitus in alium regionis tractum ſe conferrent, iámque iter per ſyluas & aſpreta facerent, ex improuiſo primum vtrinque agmen inter ſe occurrit, oriturq́ue velitatio, & acris inde pugna, quâ Bœoti numero longè ſuperiores Phocenſium aciem profligant. cúmque fuga per confragoſos & difficiles exitu ſaltus fieret, multi Phocenſium & conductitiorum trucidantur. In his rerum anguſtiis Philomelus animosè decertans, multísque vulneribus confectus, in præruptum quendam locum coarctatur. dúmque nullam euadendi viam habet, cruciatus, qui captum ſe exciperent, metuens, præcipiti de rupe ſaltu ſe dimittit. Atque hoc modo Numini pœnas exſoluens vitam concluſit. Collega verò ipſius Onomarchus, Imperatoris munere ſuſcepto, cum reliquiis exercitus, quæ cladem hanc euaſerant, retromouit, & à fugâ ſparſim redeuntes cum cæteris coniunxit. Dum hæc geruntur, Philippus Macedonum rex Methonem expugnat, direptámque ſolo æquat, & Pagas in poteſtatem redactas imperium accipere cogit. In Ponto Leucon, Boſpori rex, moritur, poſt quadrageſimum regni ſui annum. ei Spartacus filius ſuccedens, regnum quinque annos tenuit. Romanis interea contra Faliſcos bellum oritur, in quo nihil egregium aut memorabile effectum, incurſionibus tantùm ager Faliſcorum deuaſtatus. In Siciliâ Dione, qui ſummum exercitus imperium tenebat, à Zacynthiis mercenariis interfecto, Callippus qui illos ad cædem inſtigârat, in imperio ſurrogatur, idq́ue per menſes tredecim adminiſtrat.

XXXII. Cùm Archontis deinde munus Athenienſes Eudemo, Romani conſulatum Marco Fabio, & Marco Popilio commiſiſſent, Bœoti victoriam de Phocenſibus adepti, quòd Philomelum, ſacrilegii principem & auctorem, à diis iuxtà & hominibus pœna affectum, ſuo exemplo alios à ſimili flagitio deterriturum exiſtimarent, domum copias reducunt. At Phocenſes belli metu in præſens

exſoluti,

exſoluti, Delphos regrediuntur, factóque ſociorum omniũ concilio, de bello inter ſe conſultant. Tum æquitatis maximè amantes, ad pacem inclinare; at homines impii, audaciaque & lucri cupiditate præ cæteris inſignes, diuerſum ſentire, & qui ſceleratis ipſorum conatibus patrocinaretur, aliquẽ circumſpicere. Onomarchus igitur oratione præmeditatâ, cuius præcipuum caput erat, vt quam amplexi fuiſſent ſententiam, tuerentur, ad bellum multitudinem inſtigauit; non tam publici commodi rationem habens, quàm priuatum emolumentum exiſtimans anteponendum. Iam etiam ſæpius ad graues multas, perinde atque cæteri, Amphictyonũ iudicio condemnatus erat. quas cùm iam expendiſſet, videns pace bellum ſibi optabilius eſſe, oratione plauſibili Phocenſes horumque ſocios ad perſiſtendum in Philomeli cœptis, incitabat. Summus proinde belli dux creatus, peregrini militis robore ſe confirmat, & vacuos cæſorum ordines explens, magnoque peregrinorum vndique collectitiorum numero exercitum adaugens, maximos in auxiliares copias, & alia gerendo bello conducibilia, apparatus facit. Ad perſequendum verò inſtitutum ſomnio quodam excitatus eſt, quod magni incrementi gloriæque præſagium habere videbatur. per quietem ſibi viſus eſt, æneum, quem Amphictyones in fano Apollinis dedicârant, Coloſſum ſuis manibus refingere, ad eam altitudinem, vt longè amplior exſiſteret. hinc magnam gloriæ acceſſionem, quam militari imperio conſecuturus eſſet, à diis ſibi portendi, autumabat. Sed res longè aliter ſe habebat; cùm è contrario id ſignificaretur: multam Phocenſium, quam ob violatas templi opes, religionemque inceſtatam Amphictyones eis imponerent, manibus Onomarchi ad ingens augmentum prouectum iri. quod & tandem euenit. Onomarchus ergò poſt acceptum imperium, ex ære ferroque magnam armorum vim conflauit. ex argento verò & auro monetam percuſſit, quam ad confœderatas huc illuc ciuitates miſit: inprimis autem magiſtratus harum largitione munerum ſibi obſtrinxit. quin etiam hoſtium multos corrupit, alios in ſocietatem pelliciens, alios vt interim arma non mouerent, inducens. Et hæc omnia ſine magno negocio perfecit, quòd homines argenti cupiditate laborarent. nam & Theſſalis præcipuæ inter ſocios dignationis, vt à bello ceſſarent, muneribus perſua-

XXXI.

sit. Si qui Phocensium aduersarentur, hos vinculis constrictos capite multauit, bonis eorum hastæ subiectis. Tum impressione in hosticum facta, Thronium expugnatum, mancipatis hominibus, vastat. Amphissenes metu perculsos imperata facere cogit. Vrbibus Doriensium captis, etiam agros populatur. Hinc Bœotiam ingressus Orchomenum cepit, & iam ad Chæroneæ obsidionē grassans, cùm à Thebanis victus esset, in patriam retrocedit. Per id tempus Artabazus regi perduellis factus, cum Satrapis, ad illud bellum destinatis, adhuc belligeratur. Initio quidem cùm Chares Atheniensium dux auxiliarem illi operam nauaret, aduersariis fortissimè resistebat. at illo digresso, iam auxiliis destitutus, ad ferendam sibi opem Thebanos perpulit. qui Panionem militiæ isti præfectum, traditis 1000 armatorum, in Asiam traiicere iusserunt. Hic Artabazo opitulans cùm regios duobus magnis præliis fudisset, ingens sibi Bœotisque suis gloriæ decus comparauit. pro miraculo enim habebatur, quòd Bœoti, iam à Thessalis deserti, quo tempore etiam ingens à Phocico bello periculū imminebat, copias suas trāsmare in Asiam expediuissent, & in conflictibus vt plurimùm victoriâ potirentur. Inter hæc, bellum Argiuis cùm Lacedæmoniis exardescit, initoque prælio ad oppidum Orneas, victoria penès Lacedæmonios stetit: qui post expugnationem vrbis Spartam reuertuntur. Chares etiam dux Atheniensium cum classe ad Hellespontum ingressus, primarium in littore oppidum Sestum cepit, & quicquid puberum illic inuenerat, trucidauit, cæteris in seruitutem raptis. Per idem tempus Cersobleptes, Cotys frater, quòd à Philippo auersus, Atheniensium verò amicitiæ deditus esset, vrbibus Chersonesi, Cardiâ tantùm exceptâ, Atheniensibus cesserat, iamq; colonias oppida sorte diuisuras, populus illuc miserat. Philippus igitur animaduertens Methonæos (in Thracia) vrbē suam tanquam belli arcē, hostibus prostituere, obsidione illam cinxit. quam ad tempus oppidani tolerârunt: sed viribus tandem inferiores, vrbem his pactis dedere coguntur, vt quicquid ciuium esset, cum singulis vestimentis Methona excederet. Tum excisâ Philippus vrbe agrum inter Macedones dispertitur. In hac oppugnatione sors tulit, vt teli iactu alterū percussus oculū rex eâ parte visum amitteret. Post hæc à Thessalis accitus, copias in Thessaliā traduxit. Ac primum

XXXIV.

XXXV.

mum cum Lycophrone, Pheræorum tyranno, certamen ei
fuit, vt Thessalis operam auxiliarē nauaret. Pòst vbi Lyco-
phron à Phocensibus auxilia sibi mitti petiuisset, Phayllus
Onomarchi frater cum Iↄↄ cIↄ cIↄ armatorum illuc mit-
titur. Tum Philippus agmen Phocensium, à se profligatum
Thessaliâ expellit. Onomarchus igitur qui totius iā Thessa-
liæ dominatū animo præceperat, cū omni exercitus sui robo-
re suppetias Lycophroni allatū venit. Cumq; Philippus suā
& Thessalorum illi aciem opponeret: Onomarchus nume-
ro militum superior, gemino prælio vicit, nec exiguā Mace-
donum cædē peregit, adeò vt Philippus in summū discrimen
adduceretur. cumq; iā milites ipsum desererent, exhortatio-
nibus suis ad multitudinē institutis, ægrè tandem obtinuit,
vt dicto sibi audientes essent. breuiq; pòst in Macedoniam se
recepit. Hinc expeditione in Bœotiam factâ, Onomarchus
collatis signis Bœotos vincit, & Coroneā occupat. In Thes-
saliam interim Philippus cum manu armatâ reuersus, Ly-
cophronem tyrannum oppugnabat. qui viribus impar, à
Phocensibus subsidia accersit, operam suam in conficiendis
Thessaliæ negociis pollicitans. Onomarchus igitur cum
ccIↄↄ ccIↄↄ peditatu, & Iↄ equitibus pedestri itinere,
auxilio tum illi venit. Ibi Philippus Thessalis, vt coniun-
ctis viribus bellum gererent, persuasis, peditum plus quàm
ccIↄↄ ccIↄↄ; & cIↄ cIↄ cIↄ equitum toto numero cō-
traxit. Mox prælium initur acerrimum: quo, quòd equites
Thessali tam virtute quàm robore præstabant, victoriā ob-
tinet Philippus, & Onomarchus cum suis fugam ad mare
intendit. Tum fortè fortunâ Chares Atheniensis cum mul-
tarum triremium classe præteruehebatur, quādo fœda Pho-
censium strages edebatur. Fugientes igitur proiectis armis
ad triremes adnatabant, inter quos etiam Onomarchus e-
rat. Finis tandem hic fuit, vt Phocensium & conductitiorum
vltra Iↄↄ cIↄ occumberent; quorum in numero etiam im-
perator erat, nec pauciores cIↄ cIↄ cIↄ in hostium manus
venirent. Onomarchum Philippus suspendio adfecit, cæte-
ros, vt sacrilegos, mari demergendos curauit. Exstin-
cto ad hunc modum Onomarcho, Phayllus eius frater Pho-
censium imperio præficitur. Is vt damnū acceptum repara-
ret, magnas peregrini militis copias coëgit, duplo maius sti-
pendium exsoluens, & accitis sociorum auxiliis se rorborauit;

XXXVI.

armisque ingenti numero fabricatis, aureum simul & argẽteum numisma cudit. Per idem tempus, Mausolus Cariæ regulus, post x x i v regni annum, è viuis exemptus est. cui Artemisia soror & coniux ad biennium successit. Tum etiam Clearchus Heracleæ tyrannus, cùm in Bacchanalibus ludos spectatum iret, duodecimo imperii sui anno trucidatur. Suffectus illi Timotheus filius, annos x v dominatur. Interea Tusci cum Romanis belligerantes magnum hostici agri tractum populantur, & incursationibus ad Tiberim vsque extentis, ad sua reuertuntur. Syracusis amici Dionis seditionem aduersus Callippum excitant; sed profligati ad Leontinos perfugiunt. Aliquantò pòst Hipparinus Dionysii frater cum armatâ classe Syracusas appellit; vbi Callippus prælio victus ex vrbe fugatur. Et Hipparinus regnum paternum à se vindicatum per duos annos obtinet. Cùm Archon in Republica Atheniensi Aristodemus, & Romæ Consules essent Caius Sulpicius, & Marcus Valerius, Olympias septima post centesimam agebatur; quâ de stadio victor rediit Smicrinas Tarentinus. Tum Phayllus Phocẽsium imperator, post fratris cladem & interitum, res Phocensium aduerso prælio & strage militum ad incitas penè redactas instaurare cœpit. Cùm enim vim pecuniarum inexhaustam possideret, ingens mercenariorum agmen conduxit, & sociorum non paucis, vt bellum vnà capesserẽt persuasit. Dum enim opum affluentiâ non parcè vtitur, non priuatos solùm homines, ad nauandam sibi operam promtos habuit, verùm illustres etiam ciuitates ad societatem pertraxit. nam Lacedæmonii cIↄ, Achæi cIↄ cIↄ armatos. Athenienses verò Iↄↄ pedites, & c c c c equites, quos Nausicles ductabat, illi misêre. Lycophron autem & Pitholaus tyranni Pheræorum, post interitum Onomarchi, iam auxiliis destituti, Pheras in manus Philippi tradiderunt, ipsique post datam fidem dimissi, contractis mercenariorum copiis ad duo hominum millia, cum his ad Phayllum se contulẽre, vt Phocensibus auxiliarentur. Nec exigua minorum vrbium pars suppetias Phocensibus ferebant, quòd affatim ab his stipendia erogarentur. Aurum enim cupiditates hominum exstimulans, ad emolumentum à lucro monstratum transfugere cogebat. Phayllus ergo cum agmine in Bœotiam progressus, ad Orchomenon prælio vincitur, multosq;

XXX VII.

suorum

suorum amittit. Hinc rursus ad Cephisum amnem inito cō-
flictu, Bœoti pugnâ superiores hostium vltra cccc cædunt,
& Iↄ circiter capiunt. Pauxillis hinc diebus elapsis, alia circa
Coroneam pugna committitur; quâ Bœoti victoriam ade-
pti quinquaginta Phocenses interimunt, centumq; ac xxx
viros capiunt. Nunc post res Bœotorum & Phocensium e-
XXX-VII. narratas, ad Philippum reuertemur. Hic cùm Ono-
marchum insigni prælio superasset, Pheræos à tyrannicæ
seruitutis iugo vindicauit, vrbique libertatem restituit. Ac
cæteris in Thessaliâ compositis, versus Pylas Phocensibus
bellatum ire perrexit. Sed cùm transitus ab Atheniensibus
negaretur, in Macedoniæ regnum, quod & rebus gestis &
pietate erga deum ampliauerat, se recepit. Interea Phayl-
lus, exercitu in Locros, qui Epicnemidii vocantur, traducto,
alias quidem vrbes vi subigit; vnam verò, quam Arycam in-
digetant, noctu per proditionis fraudem occupat; sed extur-
batus, suorum non minus cc amittit. Inde cùm ad vrbem,
quam Abas nominant, consedisset, Bœoti per noctem Pho-
censes adorti; numerum haud exiguum interfecere. quo
successu elatiores facti Phocensium terras inuadunt, easque
longè latéque populando magnam vim prædæ coaceruant.
In reditu autem dum obsessæ Arycæorum vrbi suppetias al-
latum veniunt, Phayllus subitò agmen horum adortus in
fugam vertit, vrbemque vi expugnatam diripit & exscindit.
At ipse lentâ tabe correptus, ad longum tempus cum mor-
bo conflictatur, interque sæuos tandem cruciatus, prout im-
pietati hominis congruebat, vitam finit, relicto qui Phocen-
sibus deinceps præesset Phalæco (is Onomarchi, qui belli
sacri incendium excitauerat, filius erat) vix dum pubertatem
ingresso. ideò curatorem ac legatum ei adiunxit Mnaseam
ex familiaribus suis vnum. Post aliquod tempus Bœoti, no-
ctu Phocenses aggressi, & ducem ipsorum Mnaseam, & cc
cum eo milites occiderunt. Nec longè pòst commisso ad
Chæroneam prælio equestri, Phalæcus succumbens, non
XXX-IX. paucos è turmis suis desiderauit. Dum hæc geruntur,
etiam in Peloponneso rerum perturbatio & motus exstitit,
his equidem de causis. Lacedæmoniis non bene conuenie-
bat cum Megalopolitis. Archidamo igitur duce, horum fi-
nes incursant. quâ iniuriâ exacerbati Megalopolitę, cùm suis
viribus hostem propulsare nequirent, à confœderatis auxi-

lia deposcunt. Argiui igitur & Sicyonii Messeniique cum omni robore confestim opitulantur. Hinc etiam Thebani cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ peditum, & Iↄ equites, quibus Cephisionem præfecerant, auxilio mittunt. Cum hac auxiliari manu expeditionem faciunt Megalopolitæ, & ad fontes Aphei castra locant. Lacedæmonii contrà cIↄ cIↄ cIↄ pedites à Phocensibus sibi adiungũt, equites verò CL à Lycophrone ac Pitholao, Pheræorum tyrãnide nuper deiectis, accipiunt. Cumque iustum sibi exercitum cõparassent, ad Mantineam castra metantur. Sed his ad Orneas Argiuæ ditionis vrbem promotis, prius eam expugnant, quàm hostes aduenissent. sociali enim fœdere Megalopolitis addicta erat. Quanquam verò contra illos erumperent Argiui, collatis tamen signis vicerunt, interfectis plus CC. Superuenere dehinc Thebanorum copiæ duplo quidem maiores, sed ordinis structurâ longè inferiores. Ibi valida conseritur pugna. cumq; victoria esset anceps, Argiui cum sociis in suas reditum vrbes instituerunt. Lacedæmonii verò impressione in Arcadiam facta, Elisũntẽ vi capiunt diripiuntque, & hinc Spartã regrediuntur. Post aliquod temporis interuallum, Thebani cum sociis ad Telphusam hostes profligant, cæsisq; plurimis, Anaxandrũ ducem & aliorum supra LX capiunt. Nec ita multò pòst duobus itidẽ præliis superiores multos aduersariorũ prosternunt. Ad extremum, cùm Lacedæmonii pugna quadam memorabili victoriã obtinuissent, exercitus vtrinq; suas ad vrbes remeârunt. Factis exinde inter Lacedæmonios & Megalopolitas induciis, Thebani quoque in Bœotiam recessere. Interea Phalæcus, in Bœotiâ hærens, Chæroneam cepit. At subuenientibus illi Thebanis, rursus eam amittit. Tum Bœoti, numeroso cum exercitu Phocidẽ ingressi, magnam eius partem deuastant, & quicquid in agris villarum ac facultatum erat, hostilem iñ modum diripiunt & euertunt. oppidula etiam nonnulla capiunt; magnâque vi prædæ coactâ, in Bœotiam sese referunt.

XL. Cùm Athenis Thessalus Archon esset, Romæq; Marcus Fabius & Titus Quinctius consulatum gererent, Thebani belli Phocici laboribus defessi, & per expensas ad summam rei nummariæ inopiam redacti, missis ad regem Persarum legatis, vt aliquam pecuniæ summã ciuitati suppeditaret, ab eo contenderunt. Ad quod perfacilem sese præbuit

Artaxer-

Artaxerxes,& ccc absque cunctatione talenta illis donauit. Inter Bœotos autem & Phocenses præter velitares pugnas, agrorumq; inuicem populationes, nulla res memoria digna hoc anno gesta fuit. In Asia, rex Persarum superioribus quidem annis, cum numerosissimâ armatorum multitudine in Ægyptum expeditionem fecerat, sed infelici euentu. Hoc demum tēpore bellū contra Ægyptios redintegrauit, peractisque rebus cōmemoratione dignis, suâ industriâ & strenuitate, Ægyptum, Phœniciam & Cyprum recuperauit. Vt verò historiam rerū illarū magis dilucidam faciamus, causas belli priùs explicabimus, tēporibus quæ huc pertinent paulùm repetitis. Cùm Ægyptii à Persis ante hæc tempora defecissent, Artaxerxes cognomento Ochus, quòd bellicæ rei studio non teneretur, vitam in quiete continebat. Licèt verò exercitus cùm ducibus expediret, improbitate tamen præfectorum, & imperitiâ effectum est, vt sæpenumero aduersam fortunam experiretur. Ideò quamuis in summo Ægyptiorum contemptu esset, animus tamen ocii pacisq; amans tolerare ignominiam hanc cogebat. Sub præsens verò tēpus, cùm Phœnices & reges Cypri, Ægyptiorū petulantiā imitati, arroganti eius contemptu ad rebellionem properarent, excitatus tandē rex defectoribus bellum inferre decreuit. sed legatos pro se mitti minimè consultum arbitratus, suis auspiciis & ductibus pro defensione ac tutela imperii belligerari constituit. Idcircò maximos armorum, telorum, commeatuum & exercituum faciens apparatus, ccc peditum, & xxx equitum millia, ccc præterea triremes, onerariasque cum cæteris res venales importantibus IƆ coëgit.

XLI.

Initium belli in Phœnices erupit, idq; ob hasce causas. Celebris in Phœnicia vrbs est Tripolis, cōsentaneam naturæ suæ appellationem habens. tres enim in ipsa vrbes cōtinentur, stadii interuallo à se diremtæ. vna Aradiorū, altera Sidoniorū, tertia Tyriorum cognomentum habet. Maximam hæc inter omnes Phœniciæ ciuitates dignationem obtinet; vtpote in quâ Phœnicum senatus conuenire, deque rebus maximis consilia tractare solet. Cùm itaque Satrapæ, legatique regii, in Sidoniorum vrbe tunc versantes, in mandatis exigendis contumeliosè atque superbè se erga Sidonios gererent, ciues malè tractati, quòd iniurias molestè ferrent, deficere à Persis animum induxêre. Mox cæteris etiam Phœnicibus,

vt libertatem secum capesserent persuasis, per legationẽ Nectanebon Ægyptiorum regem, hostilia cum Persis odia exercentẽ hortatur, vt in societatem belli ipsos recipiat. Iamque toti erant in belli apparatu. Et quia Sidon opulentiâ tum excellebat, & priuati mercaturæ beneficio amplissimas diuitias congesserant, illicò factum est, vt ingens triremium numerus ædificaretur, & numerosa peregrinorum militum vis contraheretur; arma etiam telaque & annonâ, nec non cætera bello conducibilia, breui in paratis haberentur. Vtque hostilis iniuriæ exordium facerent, Paradisum regium, in quo diuersari Persarum reges solebant, excisis arboribus deuastarunt. pòst fœnum, à Satrapis in belli vsum ad equos alendos collectum, incẽderunt. ad postremum Persas à quibus contumeliosiùs habiti fuerant, ad supplicia rapuêre. Et hoc modo bellum Persarum cum Phœnicibus exarsit. nam rex de his, quæ summâ confidentiâ rebelles peregerant, edoctus, cùm vniuersis Phœniciæ incolis, tum maximè Sidoniis vltionem comminatur.

XLII. Contractis igitur Babylone peditum & equitum agminibus, confestim in Phœnices mouet. Interea dum rex iter peragit, Syriæ præses, & Mazæus Ciliciæ princeps coniunctis viribus bellum Phœnicibus facessunt. Tennes contra Sidoniæ rex ab Ægyptiis quater mille Græcorum militum stipendia facientium, quibus Mentor Rhodius cum imperio præerat, in subsidium acceperat. cum his, & ciuium delectu Satrapas aggressus victor euadit, hostesque Phœniciâ expellit. Dum hæc in Phœniciâ geruntur, etiam in Cypro bellum incrudescit, res cum præsenti bello connexas habens. Erant in hac insulâ IX magni nominis ciuitates, quibus minora oppida, iurisdictioni illarum subiecta, adstipulabantur. vnaquæque suum habebat regem, qui Rempublicam administraret, regi tamen Persarum subiectus. Hi omnes factâ inter se conspiratione, Phœnicum exemplo desciuêre, & necessariis ad bellum præparatis, merum regnis suis imperium arrogabant. Commotus hac insolentiâ Artaxerxes, ab Idrieo Carum Principe (qui nuper imperii habenas acceperat, ex instituto maiorum amicus Persarum, bellique socius) per literas contendit, vt pedestres simul & nauales copias, quibus bellum regibus Cypri inferatur, cõscribat. Hic absque mora XL triremes adornatas, & IↃↃ

cIↄ cIↄ cIↄ mercenariorum his impoſita,ductu Phocionis Athenienſis & Euagoræ, qui ſuperioribus annis regiâ inſulam poteſtate tenuerat,in Cyprum mittit. Hi quamprimùm copias in Cyprum tranſuexerant,ad Salaminem vrbiũ maximam eas adduxêre. Iactoque vallo,& caſtris probè munitis,Salaminios terrâ marique oppugnauerunt. Tota iam pridem inſula pacem habuerat,& terra bonis affluebat. ideò milites,quorum in poteſtate agri tunc erant, magnas opes congerebant. quâ rerum abundantia procul diuulgatâ, plurimi ex oppoſitâ Syriæ & Ciliciæ continente vltrò ad hanc militiã,ſpe lucri,cõfluxêre. Tandem cùm Phocionis & Euagoræ exercitus ad duplũ excreſceret,in anguſtiã reges,pauorésq; maximos coniiciebãtur. Et in hoc tũ ſtatu Cyprus erat.

XLIII. Per id tempus rex Perſarum promotis à Babylone caſtris Phœniciam cum exercitu petit. At Mentor Sidoniorũ dux,cùm audiſſet, quantâ vi hoſtis immineret, rebellesque minimè pares fore iudicaret, priuatim ſalutis viam inire cõſtituit. idcircò fidiſſimum è famulitio ſuo Theſſalionẽ,clam Sidoniis ad Artaxerxem miſit, Sidonemque ei proditurũ ſe, ſtrenuamque in debellanda Ægypto operam nauaturum; cúmq; locorum Ægypti gnarus ſit, & vbi commodam Nilus exſcenſionem præbeat,accuratè nôrit, plurimum eo bello regi commodaturum,recepit. Rex vbi Theſſalionis orationem audiuit,mirificam voluptatẽ percepit, nec defectionis ſolummodò culpam ſe Mentori condonaturum,ſed magnificis inſuper præmiis ſe illum remuneraturum,ſi promiſſa factis comprobârit,pollicetur. Sed Theſſalio Mentorem, vt hoc dextræ ſtipulatione à rege confirmetur, petere inſuper addit. tum rex,vt cui fides non haberetur, irâ commotus, Theſſalionem vt capite truncaretur, auferendum tradidit. Is cùm ad ſupplicium duceretur, hoc tantùm ſubiecit; Tu quidem rex facies quod tibi libuerit: at Mentor qui hæc omnia tibi conficere poteſt, eò quòd fidem dare ſuperſederis, nihil promiſſorum effectum dabit. His auditis, ſententiam rex mutat, & reuocatos apparitores dimittere hominem iubet,dextramque Theſſalioni porrigit. hæc certiſſima fidei apud Perſas arrha eſt. ille ergo Sidonem reuerſus, clam Sidoniis quæ egiſſet Mentori renunciauit.

LIV. Interea rex præcipuam in eo felicitatem conſtituens,ſi Ægyptum ſubigat,quam infelici priùs ſucceſſu tentaſſet, ad

maximas Græciæ ciuitates legatos mittit, per quos auxiliares ad hoc bellum copias deposcit. Athenienses igitur & Lacedæmonii, amicitiam se quidem cum Persis tueri velle, sed auxilia iam mitti integrum non esse, responderunt. At Thebani Lacratem designatum ad hanc militiam ducem, cum ClƆ grauis armaturæ militibus, suppetias regi ferre iusserunt. Tria etiam millia suppeditârunt Argiui, quibus tamen ipsi ducem non præfecerunt, propterea quòd regi, Nicostratum pro duce nominatim expetenti, refragandum nõ esse censuerunt. vir iste tum agendo, tum consulendo plurimùm valebat, prudentiam furore quodam (adflatu heroico) temperatam habens. quòd enim robore corporis præstabat, Herculis exemplum in militiâ secutus, & leoninam in pugnis & clauam gestabat. Nec Græci, qui maritimas Asiæ vrbes incolunt, suis partibus deerant; sed & IƆƆ. ClƆ expedierũt, vt totus auxiliariorum è Græcia numerus esset CCIƆƆ. Sed iam ante horũ aduentũ rex, Syriam emensus in Phœniciã deuenerat, & castra non procul à Sidone locârat. Interim Sidonii, dũ circa apparatum moras rex nectit, frumentis, armis, telis magnâ diligentiâ sibi prospexerant. & nihilominus vrbẽ triplici fossâ profundâ simul & latâ, mœniumq; altè eductorũ structuris, circummunierant. Iussũ præterea militũ ex vrbano delectu numerum in gymnasiis, assiduisq; laboribus exercitatorum, bonoq; corporũ habitu, & viribus præstantium habebant. Diuitiis præterea, cæteroq; sumptu, hæc vrbs alias per Phœniciã longè antestabat. & quod non minimum, triremibus & quinqueremibus centum instructa erat. Iamque Tennes cum Mentore, conductitiorũ ex Ægypto militum præfecto, proditionis societatem inierat. hunc ergo ad custodiã partis cuiusdã in vrbe obeundã, & negocium proditionis adiuuandũ, relinquit. ipse verò cum IƆ militibus ex oppido egrediens ad publicum Phœnicũ conuentum se pergere simulabat. Habebat autem in comitatu centum primariæ nobilitatis ciues, ac si cõsiliarii forent. hos, quamprimùm ad regẽ accesserunt, comprehensos Artaxerxi tradit. qui Tennẽ vt amicum, comiter excipiens, centũ illos, tanquã defectionis auctores, iaculis configit. Hinc vbi quingenti Sidoniorum primores cum supplicium insignibus venissent, Tennẽ ad se reuocatum num vrbẽ ei tradere queat, percũctatur. (quouis enim alio potius modo quàm pactione

XLV

Sidonem

Sidonem occupare contẽdebat,vt ciuibus irrecuperabili damno affectis, horum supplicio reliquas vrbes perterreret.) quod cùm se facturũ Tennes confirmasset, rex implacabilẽ seruans iram, IↃ illos qui ramos oleæ supplicatorios præ se ferebant,omnes iaculis traiecit. Postea Tennes,cum mercenariis Ægyptiis congressus,vt ipsum cum rege intra mœnia reciperent,facilè persuasit. Hoc proditionis dolo Sidon in manus Persarum deuenit. Tunc rex Tẽnis operam sibi non amplius profuturam existimans, hominem interfici iussit. Interim Sidonii,ante regis aduentum, naues vniuersas cremauerant:ne quis oppidanorum suæ priuatim saluti abnauigando consulere posset. Tandem vbi mœnibus occupatis vrbem captam & innumeris hominum millibus vndique circumfusam,viderunt,se cum liberis & vxoribus intra ædes conclusos admotis flammis combussère. numerum hoc incendio consumtorum (si domestica simul ministeria connumeres) XL millia excessisse ferunt. Post hanc Sidoniorum cladem,qua tota vrbs vnà cum incolis in cineres consederat, rex rogum illum, hoc est aream igni desolatam, multis talentis vendebat. Nam quia beatà rerum omnium copià ciues floruerant,magna vis auri & argenti per incendium cõflata reperiebatur. Atque hic fuit calamitatis, quam Sidonii experti sunt,exitus. aliæque vrbes statim terrore perculsæ, Persis deditionem fecère. Paulò ante hoc tempus Artemisia Cariæ princeps vita defungitur, cùm biennium imperasset. Eius principatum Idrieus frater accepit, tenuitque per annos septem. In Italià Romani cum Prænestinis inducias, cum Samnitibus fœdus,inière. & CCLX Tarquinienses publicè in foro securi percusserunt. In Sicilià Leptines & Callippus Syracusani,copiis militaribus instructi, Rhegium quod à Dionysii tyranni iunioris præsidio adhuc tenebatur, oppugnant; eiectóque præsidio Rheginis iurisdictionem suam restituunt.

XLVI. Archon exinde Athenis erat Apollodorus, & Romæ Marcus Valerius,cum Caio Sulpicio Cõsul.cùm in Cypro Salamine ab Euagorà & Phocione circumsessa, vrbes cæteræ omnes se Persis submisère: At Protagoras Salaminis rex solus obsidionem tolerauit. Interim Euagoras paternũ sibi regnũ asserebat,& regis Persarum auxilio restitutionem sui in pristinum moliebatur.sed criminosè postea delatus apud

Artaxerxem; cùm rex Protagoram adiuuaret, abiectâ spe restitutionis, de obiectis se criminibus purgat, aliamque istâ maiorem in Asiâ prouinciam sortitur. quam cùm malè administrasset, in Cyprum denuò profugit, vbi comprehensus, capitale supplicium adit. At Protagoras, vltrò Persarum se imperio subiiciens, regnum Salaminis, nullo deinceps obstante, retinet. Interea Persarum rex, cùm post excidium Sidonis auxiliares copiæ ex Argis, & Thebis, Græcisque Asiæ oppidis ad ipsum venissent, coniunctis in vnum exercitibus, signa versus Ægyptum profert. Ad magnam verò paludem, vbi, quæ Barathra nominantur, occurrunt, per imperitiam locorum exercitus partem amittit. Quia verò de naturâ huius stagni, & rerum insolentiâ, quæ hîc contingunt, in primo à nobis libro dictum est, iterare iam illa supersedebimus. Post voragines autem illas superatas, rex ad Pelusium venit, quæ prima primi ostii vrbs est, vbi Nilus mare ingreditur. Hic Persæ XL stadiorum interuallo à Pelusio, Græci propè vrbem castra metantur. Interim Ægyptii, quòd longius ad præparandum bellò necessaria spacium illis Persæ dederant; omnia Nili ostia probè communierant; maximè verò Pelusium; quod & primum erat, & situm habebat perquàm opportunum. Tutabantur id quinquies mille præsidiarii, in quos Philophron imperium habebat. Thebanos autem cupido incesserat, virtutem suam, præ cunctis è Græciâ huius militiæ sociis, declarandi. ideò soli ante omnes alios fossam quãdam, vt arctam, ita profundam, conatu audacissimo traiiciendam aggressi fuerant. quam vbi superarunt, qui pro defensione Pelusii excubabant, ex oppido effusi manus cum Thebanis conserunt. Ingens tunc certamen oritur, quòd summâ vtrinque contentione res gereretur. cúmque totum illum diem in cõflictu exegissent, vix noctis interuentu tandem dirimuntur.

XLV. Postridie rex copias Græcorum in tria agmina diuidit, sic vt vnumquodque imperatorem Græcum haberet; cui dux Persa, qui virtute & beneuolentiâ cæteris præferretur, adhibitus erat. primum ordinem tenebant Bœoti, quorum imperator Lacrates Thebanus, dux Rosaces Persa. hic ad septem illos Persas, qui Magis imperium ademerãt genus referebat, Ioniæ Lydiæq; Satrapes. equitatus eum numerosus, nec exigua peditum Barbar. manus, sequebatur. secundum

agmen

agmen ex Argiuis constabat, imperatore Nicostrato, cui Aristazanes Persa collega erat adiunctus. is internûcium apud regem agebat, probatissimæ secundum Bagoam inter amicos fidei, ac selectissimorum militum IↃ, cum LXXX triremibus, attributos sibi habebat, tertiam Phalangem Mentor ducebat, is qui Sidonem prodiderat, sub quo prius mercenariorum agmen erat. commilito huius & imperii socius Bagoas, vir audax & ad omne facinus iniquum, vt nemo quisquam, promptus, cui rex plurimùm fidebat. hic Græcos regis clientes validamque Barbarorum manum, nec contemnendam classem, in potestate habebat. Rex ipse reliquum agmen penès se retinens, summæ totius belli intentus erat. Partitis ad hunc modum copiis Persarum, Nectanebos Ægyptiorum rex, quamuis numero longè inferior, tamen nec multitudine hostium, nec totâ illâ Persarum ordinatione, quicquam deterrebatur. Græcorum enim qui stipendia facerent CCIↃↃ CCIↃↃ, Afrorum totidem, & Ægyptiorum qui Bellatores nominantur, LX millia sub vexillis habebat. Accessit huc nauium fluuiatilium, ad pugnas & conflictus in Nilo accommodatarum, incredibilis propè numerus. Quin etiam ripam fluminis, quà Arabiam respicit, frequentibus castellorum præsidiis, & concinnis murorum ac fossarum ductibus, accuratè munitam habebat. Reliqui insuper apparatus ad bellum necessarii copiâ non exiguâ instructus erat.

IIX. Sed tamen per consilii inopiam & imprudentiam accidit, vt de summâ rerum deiiceretur. præcipua rei malè gestæ causa erat, quòd bellum rectè administrare nesciebat, & priore expeditione victoriam de Persis retulerat. Cùm enim nobilissimos tunc imperatores, Diophantum Atheniensem, & Lamium Spartanum, quorum excellens tum virtus, tum solertia in ductandis exercitibus erat, habuisset, cuncta horum operâ dextrè ac feliciter gesserat. Iam verò cùm se idoneum satis huic bello imperatorem fore, persuasum haberet, neminem in partem administrationis admittere volebat. ideoque nihil eorum, quæ salutaria exsistunt in bello, per imperitiam illam suam efficere potuit. Postquàm igitur oppida præsidiis non inualidis firmasset; ipse cum XXX millibus Ægyptiorum, & IↃↃ Græcorum, Afrorumque dimidio, aditus irruptionibus maximè opportunos insedit. Ad hunc ergo modum rebus vtrobi-

que instructis, Nicostratus Argiuorum ductor duces nactus Ægyptios, quorum liberi & vxores à Persis obsides tenebantur, cum classe per fossam quandam in locum à conspectu remotiorem transmisit, expositisque militibus, & castris ibidem firmatis, consedit. Qui vicinas tutabantur munitiones, Ægyptiorum præsidiarii, aduentu hostium cognito ad propulsandum eos ad Iↄↄ cIↄ cIↄ ocyus excurrebant. præfectus horum Cleinius ex insula Co, ad pugnam aciem explicat: suos contrà ordines recens aduecti instruunt. Ibi vehemens initur prælium, quo Græci Persarum socii præclarè decertantes, & ducem ipsum Cleinium perimunt, & de reliquo agmine plus quàm Iↄↄ trucidant. Quâ suorum cæde Nectanebos audita, quòd cæteras Persarum copias non magno fluuium negocio traiecturas putaret, non mediocriter expauescit. Veritus igitur ne hostis vim omnem in regiam vrbem Memphin conuertat, in defendendo huius curam præcipuè incumbendum sibi duxit. Cum manu igitur, quam circum se habebat, Memphim regressus, ad arcendam oppugnationis vim se præparauit. Interea primi agminis ductor Lacrates Thebanus, ad obsidionem Pelusii festinat, alueoque fossæ aliorsum deriuato, eductoque per siccum aggere, machinamenta vrbi admouit. cúmque ad longum mœnia tractum procubuissent, castelli propugnatores pro his alia, turresque ex ligno spectabiles properè excitarunt. Hæc circa muros conflictatio dies aliquot durabat, dum Græci pro castello propugnantes fortiter obsidentibus resistunt. At quamprimùm fama de regis discessu ad ipsos delata fuerat, metu correpti de compositione legatos mittunt. quibus cùm Lacrates sub iuramenti religione fidem dedisset, fore, vt Pelusii deditione factâ, cum rebus, quas tum efferrent, in Græciam reueherentur, castellum tradiderunt. Tum Artaxerxes Bagoam, qui Pelusium in potestatem reciperet, cum Barbarorum præsidio, mittebat. cuius milites oppidum ingressi, Græcis exeuntibus multa quæ exportabant adimere. illi contrà iniuriis affecti ægrè ferre, deosque iurisiurandi testes atque vindices non sine querelis obtestari. quâ re ad iustam indignationem excitatus Lacrates, Barbaros in fugam vertit, & aliquot prostratis, Græcos, contra fidem datam violatos, tutatur. Etsi verò Bagoas ex fugâ ad regem reuersus, Lacratem in crimen vocabat; pro merito tamen

XLI

tamen acceptos esse Bagoæ milites, rex iudicauit, & de Persis rapinæ auctoribus supplicium sumsit.

L. Hoc igitur modo Pelusium deditionem Persis fecit. At Mentor tertii agminis ductor, Bubastum multasq; alias vrbes subegit, quas vno hoc strategemate ad regis obedientiam reduxit. Cùm enim hæ omnes duarum gentiũ, Græcorum videlicet & Ægyptiorum præsidiis defenderentur, hunc rumorem in castris diuulgauit Mentor, cõstituisse Artaxerxem quàm humanissimè accipere & dimittere eos, qui vltrò in fidem regis vrbes dedissent: & contrà, quos vi superasset, non mitiorem illis pœnam adflicturum, quàm Sidonii luissent. portarum etiam custodibus mandauit, vt liberum transfugis exitum permitterent. quare cùm nullo prohibente captiui in castris Ægyptii abirent, breui per omnes Ægypti vrbes fama illa disseminatur. Extemplò dissensionibus inter peregrinum militem & indigenas exortis, oppida seditionibus implẽtur. vtrique enim certatim in hoc incumbebant, vt suo castella studio proderentur, vtque spes emolumentorum suas cum istâ victoris gratiâ permutarẽt. id quod statim Bubasti cœpit.

LI. Postquàm enim Mentor & Bagoas castra vrbi admouissent, Ægyptii Græcis nesciẽtibus, per quendam è suis deditionem Bagoæ offerunt, si impunè dimittantur. Hoc animaduerso, Græci nuncium persecuti retinent, terrore iniecto, vti se res haberet, ex eo cognoscunt. inde grauiter commoti, impetu in Ægyptios facto, alios occidunt, alios vulnerant, reliquos in angulum quendam vrbis compellunt. Profligati, quod factum erat Bagoæ significãt, vtque sine morâ vrbem à se traditam occupet, exorant. Interea etiam à Græcis caduceator ad Mentorem venerat. hic ergò Græcos secretò adhortatur, vt quamprimùm Bagoas oppidum intrauerit, Barbaros adoriantur. ingresso cũ Persis Bagoa, sed absque Græcorum consensu, simulac pars militũ intromissa fuit, Græci cõfestim portas occludunt, & Barbaros intra mœnia subito incursu oppressos ad vnum omnes trucidant, ipsumq; Bagoã capiunt. Hic totam salutis spem in Mentore sibi repositã cernens, vt incolumitatẽ sibi præstet, rogat & obtestatur, se nihil absq; sententiã illius deinceps facturum, spondens. Mentor, Græcis ad dimittendum Bagoam & deditionem vrbis sibi faciendam persuasis, successus huius titulum & laudem ipse aufert. Hinc post recuperatam

beneficio suo Bagoæ salutem, rerum omnium societatem, dato acceptoque iuramento, cum eo paciscitur, pactumque constanter ad vitæ exitum vsque seruat. vnde consecutum, vt hi duo inter se concordes plus quàm omnes amici & cognati apud regem Artaxerxem possent. Mentor enim per maritimos Asiæ tractus summus à rege præses declaratus, magno regi commodo fuit, dum conductos ære milites è Græcia identidem regi mittit, & res summâ fide ac strenuitate administrat. Bagoas, in superioris Asiæ Satrapiis regis loco dispensans omnia, eò potentiæ per illum cũ Mentore rerum omnium communicationem adscendit, vt regnũ in potestate suâ haberet, nec Artaxerxes quicquam absque eius voluntate ageret. eoque defuncto, imperii successores in reliquũ perpetuò ipse diceret & crearet, & omnia regis munia, præter solum nomen, vsurparet. Verùm hæc singulatim suo deinceps tempore exponemus. Iam verò post Bubasti deditionẽ vrbes cæteræ, metu adactæ, certis cõditionibus in Persarum fidem se dediderunt. Interim Mẽphi subsistens Nectanebos, vbi hostium expeditos progressus vidit, discrimini pro conseruando imperio, sese obiicere nõ audebat; sed spe regni abiectâ, & conuasatis plerisque thesauris in Æthiopiam exsulatum abibat. Artaxerxes itaq; totã Ægyptũ occupat: oppidorũ maximè nobilium mœnia destruit, fanisq; exspoliatis ingentẽ vim auri argẽtiq; coaceruat. Cõmentarios denique ex templis antiquis secum asportat. quos tamen Bagoas aliquantò pòst grandi pecuniæ summâ redimendos sacerdotibus concessit. Tum Græcos, quorũ operâ militiam istam confecerat, pro merito cuiusque muneribus amplissimis honoratos in patriã dimittit. Et Pherendato Ægypti prouinciam administrare iusso, Babylonem cũ exercitu redit, opibus spoliisq; quàm plurimis onustus, magnáque rerum strenuè & feliciter expeditarum gloriâ amplificatus.

LII.

Athenis tũ Archontis munere Callimachus, & Romæ consulatu fungebãtur Marcus Fabius, & Publius Valerius, cùm Artaxerxes, plurimùm sibi profuisse Mentorẽ videns, in bello per Ægyptum confecto, præ cæteris eũ amicis altè prouexit: vtque insigni fortitudinis præmio virum honestaret, centũ argẽti talentis, & ex aliis magni precii supellectilibus optima quæq; illi donauit. Oræ tãdẽ Asiaticæ præfecturã, & belli contra defectores administrationem ei commisit,

LIII.

supremo

ſupremo exercituum prætori deſignato. Cùm verò neceſſitudo Mentori cum Artabazo & Memnone, qui bellum Perſis non ita pridem intulerant, iámque ex Aſiâ profugi apud Philippum in Macedoniâ commorabantur, intercederet; ſupplicando regem inflexit, vt culpam viris condonaret. & ſtatim vtrumque cum omni familiâ ad ſeſe accerſiuit. Artabazo enim è Mentoris & Memnonis ſorore, XI filii, & X filiæ, prognati fuerant. quâ matrimonii felicitate plurimũ delectatus Mentor, adoleſcẽtes ad nobiliſſimas militiæ præfecturas euexit. Primam autem expeditionem contra Hermeam Atarnenſium tyrannum Artaxerxi rebellem, cuius in poteſtate munitiones vrbeſque complures erant, ſuſcepit. Hunc promiſſione quadam, fore vt noxæ apud regem eximeretur, ad colloquium pellexit: ſed fraude circumuentum in vincula coniecit, & annulo potitus, literas ad vrbes paſſim dedit, ipſius nomine ſignificans, quòd in priſtinam regis gratiam per Mentorem reſtitutus ſit. ſimul etiam qui caſtella in regis fidem acciperent, mittebat. Vrbium præfecti fide literis habitâ, pacémque cupidè amplexi, vbique arces & oppida regi permiſerunt. Hac ergo calliditate Mentor recuperatis citra periculum vrbibus defectorum, magnam apud regem gratiam iniuit, quòd imperatoris munus ſtrenuè atque efficaciter gerere videretur. Nec minùs alios etiam duces à Perſis alienatos, partim vi ſubactos, partim imperatoriâ arte circumuentos, omnes breui debellauit. Et hic tum rerum per Aſiam ſtatus erat. In Europâ, Macedonum rex Philippus Chalcidicas (Thraciæ) vrbes infeſto exercitu adortus, Zeiram caſtellum expugnatum diruit, & oppidorum nonnullâ formidine iniectâ imperata facere coëgit, Pheráſque Theſſaliæ denuò aggreſſus, Pitholaum inde tyrannum eiecit. Per id tempus Spartacus rex Ponti, cum quinque annos regnaſſet, mortem obiit, regnúmque adeptus frater eius Paryſades annos XXXIIX illud adminiſtrauit.

LIV. Poſt annum hunc exactum Athenis Theophilus Archon erat: Romæ conſulare imperium habebant Caius Sulpicius, & Caius Quinctius, quando octaua ſupra centeſimam Olympias agebatur, quâ Polycles Cyrenæus è ſtadio coronam retulit. Tum Philippus vrbes ad Helleſpontũ ditioni ſuæ adiicere properans, Micybernã & Tyronen citra pugnæ diſcrimen proditione occupauit. Hinc Olynthum

maximam eius regionis ciuitatem numeroso cum exercitu inuadens, duobus initio prœliis victos Olynthios ad tolerandam obsidionem adegit. dúmque crebris oppugnationibus vrbem tentat, magnam suorum muros subeuntium iacturam fecit. Tandem Euthycrate ac Lasthene, qui summo tum magistratu fungebantur, pecuniâ corruptis, eorum perfidiâ Olynthum sibi proditam cepit, captámque diripuit, & ciues seruituti addictos cum reliquâ prædâ venumdedit. quo peracto, magnis opibus ad belli vsum locupletatur, & cæteras vrbes sibi aduersantes perterrefacit. Dignis inde muneribus eos, qui in conflictibus strenuè rem gesserant, prosecutus, cùm magnam pecuniæ vim in potentiores hîc illic vrbium ciues erogaret, multos ad patrias sibi prodendas inescauit: adeò vt ipse gloriari non dubitaret, longè magis auro quàm armis regnum suum creuisse. Inter hæc Athenienses non æquis oculis augescentem Philippi potentiam intuentes, bello ab eo petitis subinde auxilia missitare, & per legatos ad conseruandam libertatem vrbes hortari, ciuésque proditionem molientes, vt capitali supplicio coercerent, suadere, omnibus societatem armorũ pollicentes. tandemq; apertos se Philippi hostes professi, bellum cum eo cœptare. Incitabat autem illos maximè ad patrocinium Græciæ suscipiendum Demosthenes orator, Græcorum omnium tunc temporis (ingenii acumine & eloquentiæ vi) præstantissimus. Verùm ciuitas proditionum libidinem in oppidanis reprimere non poterat. tam concitatus proditorum impetus, per Græciam tunc erat. Idcircò Philippum, cùm vrbem quandam præclarè munitam capere animum induxisset, ex quodam eius loci, qui nullâ vi expugnari vrbem posse diceret, quæsiuisse ferunt, num etiam fieri nequeat, vt aurum mœnia transcendat? nam vsu edoctus fuerat, quòd quæ armis subigi non queant, auro quàm facilimè debellentur. Largitionibus itaque passim in vrbibus proditores subornauit, aurique receptatores hospites & amicos suos appellitans: prauis sermonum & literarum commerciis hominum ingenia & mores corrumpebat.

LV.

Post captam Olynthiorum vrbem, partæ victoriæ nomine Olympicos diis ludos instituens, sacra magnificentissimo apparatu peregit, magnâque spectatorum frequentiâ coactâ, præclara edit certamina, & aduenarũ plurimos con-

LVI.

uiuiis

uiuiis adhibuit. Cúmque inter pocula colloquiis, & inuita-
tionibus crebris vteretur, multisq; pocula à se propinata ex-
hiberet, nec paucis munera largiretur, omnib9 denique pro-
missiones amplissimas liberaliter faceret: hoc ipso effecit, vt
quàm plurimi amicitiã eius expeterẽt. In conuiuio aliquan-
do Satyrũ histrionem, corrugatã habere frontẽ animaduer-
tens, cur solus nullã humanitatis suæ fructũ percipere vellet,
interrogabat. Cúmque responderet ille, optare se quidem
nonnihil ab eo beneficii cõsequi: sed vereri, ne si petitionem
institutam palàm fecerit, repulsam patiatur: exhilaratus rex,
quicquid petiuisset, se liberaliter erogaturũ cõfirmabat. Tum
ille duas hospitis sui cuiusdam virgines, iã nubili ætate, inter
captiuas teneri, has sibi restituendas expetere dixit, non sanè
vt aliquid ex munere isto lucelli sibi compararet, verùm vt de
suo dotatas nuptum elocet, nec aliquid ætatis flore indignũ
pati sinat. quàm eius petitionẽ rex probatã ratámque habẽs,
illicò puellas gratuitũ Satyro donũ concessit. Multa etiam
alia, & quidẽ omnis generis beneficia disseminans, multipli-
cẽ benignitatis mercedẽ reportabat. complures enim muni-
ficentiæ illius spe excitati studia & operam Philippo exhibẽ-
do, patriásque in manus eius tradendo, certatim se inuicem
præuenire cupiebant.

LVII. Sequenti anno Themistocles A-
thenis Archon, & Romæ Caius Cornelius, & Marcus Popi-
lius Consules erant creati; cùm Bœoti, agris Phocensiũ lon-
gè latéq; peruastatis, ad Hyampolin hostes profligarũt, LXX
circiter de numero ipsorum interemtis. sed aliquantò pòst ad
Coronéam cũ Phocensibus inito cõflictu, succumbũt, pluri-
mis suorum in acie cæsis. Hinc cũ Phocenses mediocres ali-
quot vrbes in Bœotiã tenerẽt, sumptis in eos armis Bœoti se-
getes in hostico fœdè populantur: sed in reditu vincũtur. In-
ter hæc negocia Phalæcus, dux summus Phocensiũ, de sacræ
pecuniæ furto anquisitus imperiũ amittit. Imperatores ei tres
sufficiuntur, Democrates, Callias, & Sophanes, qui sacræ pe-
cuniæ quæstionem, cùm Phocenses rationem à dispensato-
ribus reposcerent, exercebant. Administrationis verò pars
maxima fuerat penès Philonem. is, quòd liquidè rationẽ red-
dere nõ posset, damnatus, & torturæ, iussu prætorũ, subiectus,
multos furti consortes nominauit. ipséque tandẽ vltimis cru-
ciatibus affectus, dignũ impietate suà vitæ exitũ inuenit. De-
peculatores autem quicquid de furtis adhuc residuum atque

saluum erat, restituerunt quidem, sed ipsi vt sacrilegi, capite luerunt. Priorum sanè ducum, qui primus imperium gesserat, Philomelus à sacris Templi donariis se continuerat. successor verò eius & frater Onomarchus plurimum de consecratis deo ad belli sumptus conuertit. tertius inde Phayllus Onomarchi frater, dum Prætoris munere fungitur, nō pauca de repositis in templo, ad persoluendum conductitiis stipendia, concidit. aureos enim lateres CCC & LX à Crœso Lydorum rege dedicatos, binûm talentûm pondere, ad monetæ vsum conflauit. Eodem etiam modo, CCC & LXX phialas aureas, quarum singulæ duas minas habebant, aureique leonis & fœminæ signa (quæ omnia XXX auri talenta pendebant) tractauit: ita vt omne illud aurum, iuxta argenti rationem æstimatum, quatuor millia talentûm efficeret. Ex donariis porrò argenteis, quæ tum Crœsus tum alii consecrauerant, à cunctis prætoribus plus quàm IↃↃ CIↃ talentûm absumptum fuerat: adeò vt summa omnium, si aurea simul comprehendas, CCIↃↃ talentorum æstimationem excedat. Non desunt auctores, qui non minus sacrilegio abreptum fuisse tradant, quàm Alexander in Persarum thesauris postea acquisiuit. Quin & Phalæcus, cum ordinum suorum ductoribus, pauimentum templi eruere conatus fuerat, propterea quòd grandem auri argentíque thesaurum ibi contineri à quodam indicatum esset. is clarissimi iuxtà & antiquissimi Poëtæ Homeri testimonium adducebat, vbi sic canit:

Quanta nec includit Phœbi, qui spicula torquet,
Saxosa in Pythone, solum de marmore factum.

Iámque à militibus vicina Tripodi effodi cœpta erant; cùm illicò terræmotus exorti, terrorem Phocensibus iniecêre. & quia manifestis deorum prodigiis vindicta sacrilegis denunciabatur, ab opere destiterunt. Dux verò & auctor tam impii facinoris Philon (de quo iam dictum est) breui pòst meritas Numini pœnas exsoluit.

LVIII. Tametsi verò totum illud crimē opum sacrarum tàm nefariè dissipatarum Phocensibus adscriberetur, interim tamen Athenienses & Lacedæmonii, qui auxiliis Phocenses subleuabant, eidē culpæ obnoxii erant, quòd maiora quàm pro numero militum, quos mißitabant, stipendia acciperent. vsque adeò verò tempus hoc tulit, vt Athenienses proteruiùs in Numen delinquerent, & paulò ante expilationis Delphicæ nefas, cùm Iphicra-

Iphicrates ad Corcyram cum vi classiariâ subsisteret, & Dionysius Syracusanorum princeps, tum signa ex auro & ebore fabricata, Olympium & Delphos transmitteret, ille in naues, quæ dona votiua portabant, fortè fortunâ incidens, in potestatem redactas Athenas mitteret, cum hac sciscitatione, quid facto nunc opus esset? populúsque contrà, non scrupulosè deorum res examinare, sed quomodo militem alat, prouidere, ipsum iuberet. Quod patriæ decretum exsecutus Iphicrates, deorum ornamenta non secus ac quamuis prædam aliam distraxit. Vnde tyrannus irâ in Athenienses commotus, his verbis ad illos scripsit: DIONYSIVS SENATVI ET POPVLO ATHENIENSIVM: SALVERE ET BENE REM GERERE VOS, VT SCRIBAM, MINIME CONVENIT; QVANDOQVIDEM SACRILEGIA IN DEOS TERRA MARIQVE PERPETRATIS. QVIN ET SIMVLACRA, QVÆ CONSECRATVM DIIS MISIMVS, INTERCEPTA, IN PECVNIÆ VSVM CONCIDISTIS. QVA IMPIETATE, DEORVM MAXIMOS, APOLLINEM ET IOVEM OLYMPIVM, VIOLASTIS. Hæc tum Athenienses in Numen committere non verebantur, qui tamen Apollinem deum patrium & progenitorem suum esse gloriari solebant. Lacedæmonii etiam, quamuis Rempublicam suam cunctis gentibus admirabilem Delphici oraculi consilio instituissent, déque rebus maximis (vt ad hanc vsque tempestatem factitant) dei voluntatē exquirerent, cum profligatissimis tamen fani expilatoribus sacrilegæ impietatis societatem inire non dubitabant.

LIX. Cæterùm in Bœotiâ è tribus oppidis, quæ probè munita sub se habebant Phocenses, copias in Bœotiam expediebant. Cúmque affatim suppeterent, qui mercenariam illis operam ad militiam locarent, agros hostium populabantur, & per incursiones & conflictus superiores incolis abibant. Quamobrem Bœoti, cùm & belli oneribus premerentur, & magnam suorum militum iacturam fecissent, pecuniarum denique inopiâ laborarent, missis ad Philippum legatis subsidia petiuerunt. Pergratum regi accidebat, quòd res illorum afflictas cerneret; & spiritus Bœotorum Leuctricos restringere cupiens, milites non paucos misit, hoc solummodò cauens, ne oraculi despoliationem

neglexisse videretur. Castellum tunc exstruebant Phocenses ad oppidum, quod Abas vocant, iuxta quam Apollinis sacellum est. quos cùm armata Bœoti manu inuasissent, illi continuò in vicinas dispersi vrbes confugêre: alii circiter IↃ, in Apollinis templum delapsi, interierunt. Multa etiam alia tunc diuinâ quadam sorte Phocensibus acciderunt, sed hoc, quod iam memorabitur, omnium est euidentissimum. Qui enim fugâ sibi in templum consuluerant, deorum patrocinio se incolumes fore putabant. contrarium verò accidit. diuinâ enim prouidentiâ conuenientem sacrilegis pœnam exsoluerunt. Multũ stramenti circa templum erat. accidit igitur, vt igni, in tentoriis fugientium relicto, thori succēderentur, vnde ex improuiso tanta se flammâ commouit, vt & fanum, & qui in illud profugerant, viui comburerentur. Deus enim sacrilegis incolumitatem, quam supplicandó expetiuerant, concedere noluisse, visus est.

Archon tunc Athenis erat Archias, & Romæ Consules Marcus Æmilius, & Titus Quinctius, cùm bellum Phocense, quod in decimum annum extractum fuerat, finem ad hunc modum inuenit. Postquam Bœoti & Phocenses diuturnâ belli morâ debilitati essent, Phocenses missis Lacedæmona legatis, auxilia expetiuerunt. quibus Spartani CIↃ grauis armaturæ milites, quorum Archidamus rex imperator erat, in subsidium miserunt. Itidemque Bœoti suppetias à Philippo per legatos postularunt. qui assumptis in societatem Thessalis, cum exercitu validissimo in Locridem descendit, vbi Phalæcum denuò ad imperatorium munus euectum, cum numerosis conductitiorum copiis offendens, instructa acie bellum disceptare maturauit. Phalæcus tunc temporis Nicææ subsistens, vbi se viribus ad dimicandum imparem videt, ad paciscendum cum rege legatos mittit. Fiunt pacta in hasce conditiones, vt Phalæcus cum agmine, quod circum se habebat, quo libeat, inde facessat: Qui & statim data acceptáque fide cum turbâ militum stipendia facientium (IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ horum erant) in Peloponnesum discessit. Phocenses igitur omni spe deminuti, Philippo sese dedunt. Rex vbi citra pugnam ex insperato finem sacro bello imposuerat, cum Bœotis ac Thessalis senatum habebat, in quo senatusconsultum facit, vt indicto Amphictyonum concilio, eorundem arbi-

LX.

LI. trio totius rei cognitio integra permittatur. Ab his in eam sententiam itur, VT PHILIPPVS CVM POSTERIS SVIS IN AMPHICTYONVM COLLEGIVM ADSCISCATVR, ET GEMINI SVFFRAGII IVS, QVOD PHOCENSES DEBELLATI HABVISSENT, VSVRPET: VTQVE TRIVM IN PHOCIDE VRBIVM MOENIA DESTRVANTVR; NEC TEMPLI DEINCEPS, ET AMPHICTYONVM CVRIÆ PHOCENSES SINT PARTICIPES. NEC EQVOS IN POSTERVM ARMAQVE POSSIDEANT, VSQVE DVM PECVNIAS SACRILEGIO SVRREPTAS, DEO REPENSARINT. EXVLES PRÆTEREA PHOCENSIVM, ET QVOTQVOT IN PARTEM SACRILEGII VENERINT, PIACVLARES HABEANTVR, QVOS EX OMNI LOCO RETRAHERE CVIVIS LICEAT, AD HÆC VT CVNCTAS PHOCENSIVM VRBES SOLO (GRÆCI) ÆQVENT, IPSASQVE IN VICOS TRANSFERANT, QVORVM VNVSQVISQVE PLVS QVINQVAGINTA DOMVNCVLAS NON HABEAT, NEC MINVS STADII INTERVALLO A SE INVICEM PAGI DISTENT; PHOCENSES QVIDEM AGRVM SVVM RETINEANT, SED QVOTANNIS LX TALENTORVM VECTIGAL DEO PENDANT, QVOAD SVMMAM IN TABVLAS SACRILEGII TEMPORE RELATAM EXSOLVERINT. PYTHIORVM LVDOS PHILIPPVS CVM BOEOTIS ET THESSALIS EDAT, QVOD CORINTHII IN SCELERATI FACINORIS PHOCENSIVM CONSORTIO FVERVNT. AMPHICTYONES CVM PHILIPPO ARMA PHOCENSIVM ET MERCENARIORVM AD PETRAS ALLISA CONFRINGANT, ET RELIQVIAS HORVM COMBVRANT. EQVORVM DENIQVE AVCTIONEM FACIANT. Post hæc, quæ ad instaurandi oraculi curam pertinerent, & cætera omnia, quæ ad religionem & pacem communem, atque concordiam inter Græcos, facerent,

ordinabant. Decretis horum confirmatis, Philippus per omnia humaniter eos complexus, in Macedoniam exercitum reduxit, nec pietatis solùmmodò, & imperatoriæ virtutis gloriam sibi comparauit, sed ad futuram quoque imperii amplificationem magnos progressus fecit. Iamdudum enim, vt summus Græcorum imperator designaretur, bellúmque Persis inferret, cupidè expetebat: id quod etiam (tandem) euenit. Verùm hæc congruo deinceps tempore singulatim referemus. Nunc verò ad connexam præcedentibus historiæ seriem nos conuertemus. Sed priùs officii nostri esse ducimus de vindictâ, quâ sacrilegos oraculi direptores dii prosequuti sunt, aliquam hîc inserere mentionem. Cunctos enim in vniuersum, non modò qui principes sacrilegii exstiterunt, verùm etiam qui nefas hoc solùm attigêre, pœna inexpiabilis à Numine prosequuta est. Primus námque occupandi templi quasi architecton, Philomelus, casu quodam belli in angustias conclusus, præcipitem se deiecit. Frater eius Onomarchus, post susceptum vecordis ac desperati exercitus imperium, cum Phocensibus & mercenariis, qui simul cum ipso in acie stabant, concisus in Thessaliâ, cruciq; affixus est. Tertius qui maximam donariorum partem comminuit, Phayllus, cum diuturno conflictâs morbo, ne præcisè quidem à supplicio liberari potuit. Vltimus omnium Phalæcus, arreptis sacri peculatus reliquiis, in errore perpetuo, metúque ingenti, & variis periculis ad benè longum tempus vitam egit: nequaquam vt beatior scelerum consortibus foret, sed vt longiore torturâ excruciatus, & aduersis casibus apud complures innotescens, famigeratam passim calamitatem haberet. hic enim post fugam, quâ captiuitatem euasit, cum mercenariis initio circa Peloponnesum commorans, de sacri peculatus reliquiis militem sustentabat. post ad Corinthum onerarias aliquot magnas conduxit, & quatuor alias hemiolas secum habens, cursum in Italiam Siciliámque adornabat, futurum sperans, vt vel vrbem istic locorum aliquam occuparet, vel stipendio alicubi conduceretur. Inter Lucanos enim ac Tarentinos bellum tunc temporis coortum fuerat. ad nauigationis autem socios accitum se à Siculis Italísque simulabat. Cúmque vela faciens per altum mare tenderet; militum nonnulli qui in naui maximâ cum Phalæco vehebantur, colloquio inter se

LXII.

LXIII.

inter se habito, suspicionem illam ventilarunt, quòd à nemine accersiti essent. neque enim duces ab expetentibus auxilia missos simul ire cernebant, neque exiguam, sed bene longam, & molestiis plenissimam præpositam habebant nauigationem. Propterea non amplius credendum Phalæco arbitrati, cùm & transmarinam illam nauigationẽ reformidarent, inter se conspirant, ordinum apud mercenarios potissimùm ductores, strictísque tandem gladiis, tum Phalæcum, tum nauis gubernatorẽ perterrefactos retrò nauigationem instituere cogunt. Idem cùm fecissent, qui in cæteris nauibus erant, in Peloponnesum reuertuntur & Maleam Laconiæ promontorium simul appulsi, Gnosiorum ibi legatos, qui ad conscribendum peregrinos milites fortè aduenerant, offendunt. verbisque inter hos & Phalæcum, cæterosque duces commutatis, cùm largum præ manu stipendium numeraretur, omnes cum illis in Cretam transmittunt, Gnosiumq; transuecti, primo statim incursu vrbẽ quæ Lyctus vocatur, capiunt. Sed Lyctiis patriâ sede ita expulsis, insperatum subitò auxilium superuenit. Bellum per id tempus Tarentini cum Lucanis gerentes ad Lacedæmonios maiores suos de ferendis suppetiis legatos miserant, & Spartani, pro necessitudine cognationis, ad subueniendum illis prompti, terrestres ac nauales copias, quibus Archidamum regem præfecerant, collectas habebant. Iámque in Italiam soluturis, rogatum Lyctii venerunt, vt sibi priùs opem ferrent. inducti ad hoc Lacedæmonii, in Cretam transiêre, ac profligatâ conductitiorũ Phalæci manu, patriam suam Lyctiis vindicârunt.

IV. Tum Archidamus in Italiam profectus, auxiliarem Tarentinis operam nauat, & in prælio quodam egregiè dimicans occumbit, vir artibus imperatoriis, cæterâque vitâ laudabilis, sed ob societatem Phocensibus prestitam malè audiens, vt præcipuus occupandæ Delphorum vrbis & templi instigator & auctor. Rex Lacedæmoniorum fuit annos XXIII. & successorem habuit filium Agin per annos XV. pòst etiam milites, qui sub Archidamo meruerant, & direptæ quondam ex oraculo prædæ consortes fuerant, à Lucanis trucidati perierunt. Cæterùm Phalæcus, Lycto eiectus Cydoniæ oppugnationem aggreditur. dúmque machinas prosternendis mœnibus apparat, & propiùs ad vrbem adducit, fulminis igne cœlitùs delapsi machinæ cremantur, & ma-

gnâ pars militum, dum machinis succurrunt, flammis illis correpti, absumuntur. inter quos erat dux ipse Phalæcus. quamuis sunt, qui à militum suorum quopiam, quem offenderat, confossum tradant. Pars militum superstes, ab Eleis exsulibus conducta, in Peloponnesum transportatur, operámque suam ad oppugnandum populares illis nauat. sed cùm Arcades Eleis auxiliati pugnâ exsules superarent, magnus conductitiorum numerus cæditur, & reliqui ad IV millia viui capiuntur. hinc facta inter Arcades & Eleos captiuorum diuisione, Arcades suam partem sub hasta vendiderunt. sed Elei, propter nefas in oraculi direptione commissum, suos contrucidarunt.

LX

Ad hunc modum sacrilegii participes debitas Numini pœnas expendere. Nobilissimæ etiam Græcorum ciuitates post ab Antipatro debellatæ, imperium cum libertate perdiderunt. Quin & principum in Phocide vxores, quæ aurea ex Delphis monilia sibi circumdederant, meritas impietatis pœnas incurrerunt. Nam quæ Helenes torquem gestabat, in turpitudinē meretriciam prolapsa, formæ elegantiam proteruæ scortatorum libidini prostituit. Alia quæ Eriphyles ornatum sibi induerat, incensis à filiorum natu maximo, Furiarum œstro stimulato, ædibus, viua cum domo conflagrauit. Ad eum quem diximus, modū Numen contemnere ausi pœnas diis persoluerunt. Contrà, qui defensionem oraculo præstitit, Philippus ex illo tempore subinde magis auctus, ob suam erga Numen pietatem, Græciæ totius imperator ad extremum fuit renunciatus, regnúmque in Europa amplissimum sibi parauit. Iam postquam belli sacri historiam, quantum sufficere nobis videtur, persecuti sumus, ad alterius res generis nos referemus.

LXI

In Sicilia Syracusani tumultibus intestinis laborantes, cùm vario multorū dominatu seruilem ad modum premerentur, Corinthum legatos mittunt, per quos imperatorem, qui suscepta vrbis cura, illorum qui tyrannidem affectāt cupiditatem infringat, sibi dari petunt. Æquum Corinthiis videbatur, si generis primordia à se trahentibus subuenirent. quare de mittendo illuc Timoleonte Timæneti filio decretum faciunt. primas hic fortitudinis & scientiæ militaris tenebat, &. vt breuiter dicam, omni virtutis genere exornatus erat. Sed peculiare ei quippiam euenit, quod vt imperator deligeretur, non parum ei commodauit. Timophanes, eius

germanus,

germanus, qui Corinthios opibus & confidentiâ præstabat, iamdudum affectati regni indicia non obscura præbuerat. sub id verò tempus egenos fouendo, armáque comparando, & improbissimum quéque sibi aggregando, forum obibat: tyrannum quidem se esse dissimulans, interim tamen opera tyrannidis exercens. At Timoleon, ab vnius dominatione quàm maximè abhorrēs, initio argumētis permouere fratrē, vt à cœpto desisteret, cōnabatur. postquàm ille nō modò non audiret, sed indies etiā audaciores conciperet spiritus: quoniā verbis ad saniorē reduci mentē nequiret, in foro deambulās hominem obtrūcat. Hinc tumultus excitatur, dúmque ciues ad facinus tam insolens & atrox cōcurrunt, res in seditionem abit. pars enim Timoleonti, quòd ciuili sanguine dextram imbuisset, pœnā legibus constitutā infligi debere, censebant. alii contra virum hunc, vt tyrannicidam, laudibus adficiendum esse cōtendebant. Senatus propterea in curiā fit consessus, & controuersiā ad Senatum delatā, inimici Timoleontē (acerbissimè) criminantur. sed qui ad æquitatem propensiores erant, patrocinio viri suscepto, impunitatem illi tribuendā esse, consulūt. Nec dum decisa fuerat quæstio, cùm legati Syracusis aduecti, expositis in curia mandatis, quàm maturrimè imperatorē sibi mitti petunt. Timoleontem ergò mitti Senatui placet, vtq; rem tantò meliùs gerat, inusitatā quādam, mirámque optionē illi proponunt. Nam si probè Syracusis imperium gesserit, tyrannicidam se illum iudicaturos; sin auariùs, pro fratris interfectore habituros, confirmant. Timoleon ergò non tam metu periculi, quòd à Senatu impenderet, quàm studio virtutis, excitatus, præclarè & vtiliter rebus in Sicilia præfuit. nam Carthaginienses debellauit, vrbes Græcas à Barbaris euersas restituit, totíque Siciliæ libertatem reparauit. Syracusas denique & vrbes Græci nominis desolatas nactus, incolarū frequentiā honestauit. Verùm de his breui pòst, suo conuenienter loco disseremus. Nunc ad cohærentem historiæ partem calamus nobis transferetur.

VII. Iam Archontis præturam Athenis Eubulus, Romæ cōsulatum Marcus Fabius, & Seruius Sulpicius administrabant, cùm Timoleon Corinthius, supremus militiæ Syracusanę dux à ciuibus suis creatus, nauigationem in Siciliam adornabat. IƆCC igitur exteris stipendio conductis, & quatuor triremibus, cum quibus tres celeres ac expeditæ erant con-

iunctæ, impletis, Corintho soluit. In transcursu deinde tres naues à Leucadiis & Corcyræis adiunxit. Atque ita cum decem nauium classe Ionium, quem vocant, sinum traiecit. In hoc transitu peculiare quippiam & insolens Timoleonti obuenit, quo Numen, susceptum ab eo negotium adiuuans, futuram ipsius gloriam, & rerum gerendarum claritudinem, portendit. per totam enim noctem ardens in cœlo fax iter facientem præcessit, donec classem Italiæ aduertit. Iam antè Timoleon Corinthi à Cereris & Proserpinæ Sacerdotibus inaudiuerat, ipsas dearum nuncio per quietem edoctas esse, futurum, vt cum Timoleonte in consecratam sibi insulam nauigarent. Timoleon proinde comitésque lætos habebant animos, quòd dii cœptis fauore & ope sua adspirarent. optimam igitur nauium dearum Numini dicatam, Cereri ac Proserpinæ sacram nominari iussit. Iámque citra omne periculum classis Metapontium Italiæ contigerat, cùm triremis Carthaginiensium legatos vehens occurrit. hi cum Timoleonte colloquio instituto, ne belli initium faciat, neve Siciliæ pedem inferat, protestantur. At ille à Rheginis armorum societatem pollicitantibus aduocatus, Metapontio citra moram discedit, aduentus sui famam anteuertere properans. maiorem enim in modũ verebatur, ne Pœni maris potentes transitum in Siciliam præcluderent. summâ idcircò diligentiâ Rhegium traiicere maturat. Carthaginiẽses verò paullò ante hoc tempus de belli per Siciliam exarsuri magnitudine certiores facti, erga cõfœderatas Siciliæ ciuitates benignè se gerere; cum tyrannis Insulæ decisis controuersiis amicitiam iungere; inprimis verò Hicetam Syracusiorũ principẽ, quòd potentiâ cæteros anteiret, sibi conciliare. Tandem magnis instructi copiis tam pedestribus quàm naualibus, in Siciliam, Hannone duce transmittunt. Naues illis erant longæ CL: terrestris exercitus quinquaginta millia, currus CCC, & bigarum supra CIↃ CIↃ; & vltra hæc arma telàque omnis generis, & machinarum oppugnationibus destinatarum ingens numerus; frumenti denique rerumq; aliarum, quæ bellorum vsibus inseruiunt, copia ferè immensa. Primámque omniũ Entellinorum vrbẽ aggressi, peruastatis agris, oppidanos, intra mœnia conclusos, obsident. Vrbem tunc Campani tenebant; qui multitudine hostium perterriti, vrbes cæteras, quibus odia cum Pœnis intercedebant, de ferendis auxiliis

LXVII

xiliis solicitant. Aliorum quidem nemo postulatis illorum assensit. soli modò Galerini c I ɔ armatos subsidio miserunt. quos tamen in itinere obuiam facti Carthaginienses multitudine circumuentos ad vnum omnes contrucidarunt. Campani quidem Ætnam inhabitantes auxiliis Entellam, consanguinitate deuinctã, subleuare initio parati erant, sed clade Galeriensium auditâ, bello abstinere satius fore duxerunt.

XX. Tum verò temporis Dionysius pristinum in Syracusas imperium exercebat. Hicetas ergo validam eò manum duxit, castrísque fossâ vallóq; ad Olympéum munitis, Dionysium, pro tyranno in vrbe se gerentem, oppugnabat. Sed protractâ ad tempus aliquod obsidione, propter commeatus inopiam, Hicetas ad Leontinos (ex hac enim vrbe expeditiones faciebat) exercitum abduxit. Consectatus eum Dionysius, dum agmen extremum lacessit, pugnæ causam præbuit. Hicetas enim, conuersis in hostem signis manus cum eo conserit, & plus quàm tribus conductitiorum millibus interfectis, reliquos in fugam compellit. dúmque citato fugientes cursu insectatur, vna cum ipsis in vrbem irrumpit, & Syracusis, præter insulam, potitur. Atque ita res tunc inter Hicetam & Dionysium gerebatur. Sed Timoleon, triduo post Syracusas recuperatas, Rhegium appulsus, in propinquo vrbis portu stationem habebat. Aduenerant tunc x x Carthaginiensium triremes; cúmque Rhegini Timoleontis cœpto fauerent, & concilio populi indicto, de compositione conciones instituerent, Pœni, reditum Timoleonti in patriam persuasum iri arbitrantes, vigilum stationes non diligenter satis dispositas habebant. Timoleon ergo nullam fugæ significationem præ se ferens, ipse quidem tribunali adhærebat, sed i x interim classis suæ nauibus præceperat, vt quàm citissimè cursum inde arriperent. Interea dum Carthaginensium animi circa Rheginorum orationem, astuto consilio prolixiorem, distracti sunt, Timoleon ad relictam se nauem clanculum subducens, ocyssimè in altum prouehitur. Carthaginienses hoc strategemate decepti, abeuntem persequi conantur. verùm quia longiùs ille spacium iam anticipauerat, & nox imminebat; Timoleon cum suis Tauromenium euasit. Princeps eius vrbis Andromachus, perpetuò Syracusanorum rebus studens, benignè profugos excepit; nec parum ad hoc, vt persequentium

vim effugerent, ipsis contulit. Hicetas posthæc quinque millibus delectissimorum in exercitu militum contra Adranitas ductis, prope vrbem castra posuit. Timoleon verò aliquot cohortibus à Tauromenio acceptis, inde mouit, in vniuersum non supra mille ducens. Egressus autem sub principium noctis, altero die iter Adrianum versus confecit. Ibi forte fortuna Hicetianos, iam ad cibum sumendum conuersos, opprimit, & in castra impressionem faciens, plus quàm ccc interfectis & Ↄↄc captis ipsa quoque castra occupat. Huic strategemati aliud coniungens, agmine raptim ducto Syracusas pergit, iterq; cursim emẽsus, ex improuiso in vrbẽ Syracusanam irrumpit, cùm celeritate suâ etiam in fugam coniectos anteuertisset. Has itaque res annus ille habuit.

Lycisco dehinc Athenis præturam Archontis gerente, & Romæ Marco Valerio, & Marco Popilio Consulibus creatis, cùm nona post centesimam Olympias agebatur, quâ stadii coronam Aristolochus Atheniensis promeruit. Romani primum cum Carthaginiensibus fœdus inierunt. In Caria tum Idrieus Carum princeps diem postremum obiit, septem annis in regno exactis, quem Ada soror & coniux in imperio secuta, annos quatuor regnauit. In Sicilia Timoleon, Adranitarum & Tynderitarum societate confirmatus, non mediocri militum numero, inde sese auxit. Syracusas interim magna rerum perturbatio obtinebat, quòd Dionysius insulam teneret; Hicetes Achradinam & nouam vrbem in potestate haberet; Timoleon reliqua vrbis loca occupasset; Carthaginienses denique centum quinquaginta triremium classe magnum portũ intrassent, & cum quinquaginta millibus terrestrium copiarum iuxta consedissent. Iámque metum tanta hostium multitudo Timoleonti iniecerat, cùm subitò inopinata quædam mutatio rerum contigit. Primò enim Marcus Catanæorum tyrannus, copiis egregiis instructus, Timoleonti se adiunxit. postea castellorum multa libertatis amore voluntates studiáque ad eundem inclinarãt. Corinthii denique decem naues milite completas, & stipendium de suo erogatum Syracusas transmisêre. quo factum, vt animos Timoleon resumeret & Pœni, timore perculsi, non satis prudenter è portu regressi, cum toto exercitu in suæ ditione statiua discederent. Auxiliis ad hunc modum Hicetâ destituto, iã ciuibus superior Timoleon vrbe Syracusarum potitur.

LXXI.

potitur. Statim & Messanam, quæ in Carthaginiensiũ partes transierat, in fidem suam recepit. Atque is tum Siciliæ status erat. In Macedoniâ interim Philippus, odii Illyriorum, quod quasi hæreditarium à patre acceperat, & controuersiæ quam pertinaciter fouebat, stimulis incitatus, cum valido terras illorum exercitu inuadit, agrósque populatus, multis vrbium expugnatis, cum prædâ copiosissimâ in Macedoniã sese refert. pòst in Thessaliã profectus, tyrannos ex oppidis exturbat. atque Thessalos ad reddendam sibi beneuolentiam hoc pacto adstringit. per horum enim societatem Græcorum se fauorem non magno consecuturum negotio, sperabat. id quod exitus etiam docuit. Finitimi enim Græci statim iudicio Thessalorum de Philippo sese attemperantes, magnâ animorum propensione fœdus cum rege inierunt.

LXXI. Archonte dehinc Athenis Pythodoro, & Romæ consulare imperium administrantibus Caio Plautio, & Tito Manlio, Timoleon Dionysio, iam ad summam trepidationem adacto, persuasit tandem, vt arcis deditionem faceret, & abdicato principatu, in Peloponnesum, sub tuti discessus fide, cum facultatibus suis abiret. Hic ergo per ignauiam animíq; deiectionem, tyrannidem famigeratissimam, & adamante, vt prædicabant, reuinctam, quo dictum est modo, reliquit, & in egestate reliquum vitæ transegit. cuius tum vita, tum fortunæ commutatio, luculentum iis exemplum præbet, qui stolidè felici rerum successu efferuntur. nam qui CCCC priùs triremes habuerat, non multò pòst in naue onerariâ, eâque non magnâ Corinthum deportatur, & mirificum mutatæ insigniter conditionis speculum exhibet. Timoleon insulâ castellísque, quæ Dionysius pridem tenuerat, occupatis, arces per insulam & regia tyrannorum palatia euertit, oppidisque præsidio hactenus custoditis libertatem reddidit. & continuò ad scribendum leges conuersus, eas sanciuit, quæ populari administrationi conuenirent. Priuatorum quoque contractuum iura, & cætera diligenter ordinans, in hoc maximè operam dedit, vt æqualitatem instauraret. Summi præterea honoris magistratũ annuum, quem Iouis Olympii Amphipolian, id est, *famulatum* Syracusani nominant, instituit, primusque Iouis Olympii Amphipolus, id est, *famulus*, erat Callimenes. Hinc mos apud Syracusios inoleuit, vt magistratibus hisce anni deinceps inscriberentur.

quod ad præsens vsque tempus, quo historiam hanc concinnamus, & Reipublicæ status immutatus est, durauit. postquàm enim Romani cum Siculis ciuitatis suæ iura communicarunt, famulorum munus antiquari cœpit, cùm supra CCC annos floruisset. Atque ita se res Siculæ tunc habebant.

LXII. In Macedonia, Philippus Græcis per Thraciam oppidis ad mutuam beneuolentiam inuitatis, expeditionem in Thraces mouit. Cersobleptes enim illorum rex Græci nominis ad Hellespontum vrbes subiungere, & agros passim vastare, non desinebat. Vt barbarorum itaque conatibus sese obiiceret Philippus, magnum in eos exercitum duxit, & multis prœliis victor, barbaros bello domitos ad decimas regno Macedoniæ persoluendas adegit. Oppidis etiam, vbi opportunum videbatur conditis, proteruam Thracum audaciam repressit. Quod ad scriptores, Theopompus Chius, historiæ suæ de gestis Philippi tres libros, qui res Siculas complectuntur, intexuit. Exorsus autem à Dionysii senioris dominatu quinquaginta annorum tempus recensens, in exsilio Dionysii iunioris desinit. Hi tres libri à quadragesimo primo ad quadragesimum tertium vsque numerantur.

LXIII. Cùm verò Archontis prætura Atheniensibus esset penès Sosigenem, & Romanæ vrbis consulatus administraretur à Marco Valerio, & Caio Petilio, Arymbas rex Molossorum, post decimum regni sui annum, vitâ decedit, filio post se relicto Æacidâ, qui Pyrrhum genuit. sed in defuncti locum adiutante Philippo Macedone Alexander Olympiadis germanus sufficitur. In Siciliâ Timoleon aduersus Leontinos, ad quos numerosâ cum manu Hicetas se receperat, arma sumpsit, & primo quidem conatu nouam, quam vocant, vrbem oppugnabat. sed cùm magna vis militum inibi conclusa de mœnibus subeuntes facilè propulsaret, obsidionem re infectâ soluit. Engyumque Leptinæ tyrannide pressam, aggressus, continuis vrbem oppugnationibus fatigabat, omnes in id neruos intendens, vt expulso tyranno Engyanis libertatem redderet. Dum his Timoleon occupatur, Hicetas, omnibus è Leontio copiis eductis, Syracusas oppugnatum venit. sed cùm ingens sui militis damnum faceret, ad Leontinos confestim retrocedit. Interea Leptinem, terrore ad deditionem perculsum, Timoleon datâ incolumitatis fide, in Peloponnesum dimittit, tyrannorũ à se bello fractorũ

exsilia

exsilia Græcis suis ostentans. Et quia Leptinis dominatum Apolloniatæ etiam sustinuerant, Apolloniam simul in fidē accipit,& tam his quàm Engyanis iurisdictionem suam reddit. Sed cùm rei nummariæ difficultate premeretur, nec esset vnde militi stipendium numeraret, CIↃ armatos cum ducibus spectatissimis in prouincias Carthaginiensium excurrere iubet. Hi terras illorum longè latéque populati, prædam, quam inde luculētissimam retulerant, Timoleonti tradunt. quâ sub hastâ venundata, cùm pecuniarum vim magnam coëgisset, ad prolixum inde tempus stipendia conductitiis persoluit. Mox Entella quoque potitus,& XV ex ciuium numero, qui Carthaginiensium partibus maximè addicti fuerant, capite multatis, cæteros in libertatem vindicauit. Cúmque viribus & rei militaris gloria magis ac magis cresceret Timoleon, quotquot erant per Siciliam Græcarum gentium vrbes, propēsis se animis cunctæ Timoleonti submisêre, quòd singulis vti legibus suis viuerent, concedebat. Quin etiam multæ Sicanorum Siculorumque & aliarum gentium Carthaginensibus subiectarum ciuitates, maturè per legatos, vti in sociale ab ipso fœdus reciperentur, contendebant. At Senatus populusque Carthaginensium, ignauiter bellum à præfectis suis administrari videns, alios cum instructis militum copiis mittendos decreuerunt. Propterea non cunctanter è popularibus optimum quemque,& Afrorum quos bello aptos iudicarent, ad hanc militiam delegerunt. Præter hæc curarunt, vt magnam æris copiam in promptu haberent, & conductitiis Hispanorum, Gallorum & Ligurum copiis se instruxerunt. Naues insuper tam longas, quàm vehendis commeatibus aptas non exiguo numero cogebant: de cætero quoque apparatu ita soliciti, vt nihil vberius confici posset.

LXXV. Archonte Athenis Nicomacho,& Consulibus Romæ, Caio Marcio, & Tito Manlio Torquato, Phocion Atheniensis Clitarchum Ererriæ tyrannum, à Philippo ciuitati præfectum, bello fregit. Tum in Cariâ Pexodorus fratrum ætate minimus Adam regno expulit, & per annos quinque, ad Alexandri in Asiam expeditionem vsque, principatum tenuit. Philippus autem subinde potentior factus, in Perinthum arma mouit, quæ in Atheniēses prona, conatibus eius aduersabatur. Obsidionem igitur intentans, in dies singulos

machinis vrbi admotis, per vices ita, vt semper integri fessis succederent, mœnia quassat. Turribus præterea LXXX cubitorum, quæ turres Perinthiorum longè supereminerent, excitatis, ex superiori loco circumsessos fatigat; arietumque incursu muros verberans, horumque fundamenta suffossionibus longè productis labefactans, magnam eorum partem demolitur. Sed cùm Perinthii strenuè se defenderent, aliúmq; breui murum exstruxissent, mirificæ pro mœnibus concertationes & pugnæ gerebantur. Interim dum magno vtriusque ardore conflictatur, rex catapultarum copia abundans propugnantes è primis hostes conficit. Quo factum, vt Perinthii multis quotidie suorum amissis, subsidiis telisque & catapultis è Byzantio missis sese confirmarent. Iamque viribus hosti pares animos resumunt, & discrimina pro salute patriæ fortiter subeunt. Nihil tamen interim rex à studio remittit; sed diuiso in plures cohortes exercitu, coronâ vrbem cingit, aliosque aliis per vices sufficiens continenter diu noctuque mœnia oppugnat. Cumq; XXX sub signis millia, telorumq; & machinarũ tum diruendis mœnibus aptarũ, tum cæterarum multitudinẽ infinitã propè haberet, obsessos valdè premebat. Iamq; propter moram obsidionis lõgius protractam, crebrasq; oppidanorum cædes & vulnera & necessariorum inopiam periculum erat, ne vrbs propediem in hostium manus veniret; cùm fortuna periclitantium saluti deesse nolens, auxiliũ nec opinatum eis cõciliauit. Diuulgatis enim per Asiã potentiæ Macedonum incremẽtis, Persarum rex, cui tantæ Philippi vires suspectæ esse cœperunt, regionum maritimarũ Satrapis per literas demandat, vt quãto possint robore Perinthiis subueniant. Hi ergo cõiunctis animis & opibus, numerosas mercenariorum cateruas, æris signati vim magnã, largámq; frumẽti & telorum copiã, aliáq; cuncta ad belli vsum necessaria, subministrant. Sic & Byzantii ducem & militum suorum optimos illuc mittunt. Iam æquatis vtrinque viribus, belloque redintegrato, tantâ rursus cõtentione oppugnari defendique vrbs cœpit, vt maiore nõ posset. Nã Philippus assiduo arietum incussu partem aliquã muri prosternere, & missilibus ferratis à propugnaculis vrbicos depellens, quã per ruinas muri cũ denso militum globo irrumpere, quã scalis nudatas defensoribus pinnas cõscẽdere. Ideò cùm gladiis res cominus gereretur, alii occumbere, alii

LXXVI.

re, alii multis vulneribus confici. Siquidem præmia victoriæ dimicantium vtrinq; virtutẽ excitabant. Macedones enim dum opulentã se vrbẽ direpturos, muneraq; à Philippo honorifica cõsecuturos, persuasum habent, emolumentorũ spes ad quæuis aduersa fortiter sustinendum accendit. Obsessos dum oculis quasi subiectas habent calamitates, quæ expugnationem comitantur, generosis animis nihil discriminis pro incolumitate suâ, patriæque subterfugiunt. Plurimum obsidione pressis ad totius belli victoriam cõtulit natura loci. ad mare enim Perinthus sita est, in edito Peninsulæ iugo, ad stadii longitudinem porrecto. ædes inter se cõfertas & altitudine conspicuas habet. nam aliæ identidem alias pro accliuitate collis supereminent, formáque vrbis quandam theatri similitudinem refert. Idcircò licèt mœnia longo tractu deiicerentur, non multum tamen munimentis ipsorum decedebat. Angiportis enim obstructis, superiores subinde domos loco muri insidebãt. Philippus itaque post varios labores & casus periculosissimos muro superato, alium quem ædificiorũ situs effecerat longè firmiorem inuenit. At enimuerò, cùm omnia bello conducibilia promptè & affatim è Byzantio suppeditarentur, exercitum in duo partitus, dimidium ad oppugnationem cõtinuandam, sub optimorum ducum imperio reliquit; cum cæteris raptim ductis ipse Byzantium inuadit, idque acerrimè oppugnare cœpit. Oppidani, qui militem, tela, cæteráque bellis commoda Perinthiis cõmodauerant, in magnam perplexitatem coniiciuntur. Hæc tum ad Perinthum & Byzantium gerebantur. Hîc Ephorus, scriptorum vnus, historiæ suæ opus cum obsidione Perinthi cõcludit. Monimentis autẽ suis res à Græcis & Barbaris ab Heraclidarum reditu per IↃCCL annorũ decursum gestas, & in XXX volumina, quorum singuli præfatio adhæret, distributas comprehendit. Hinc vbi historiam finit Ephorus, alterum opus exorditur Diyllus Atheniensis, Græcorum & Barbarorum gesta ad Philippi vsque obitum contexens.

LXXVII.

Cùm Athenis Theophrastus Archon, & Romę Marcus Valerius cum Aulo Cornelio Cõsul esset, decimaque supra centesimã Olympias iniisset, quâ victoriam è stadio Anticles referebat Atheniensis, ibi Philippo Byzantium obsidente Senatus populusque Atheniensis pacem, quã cum eo firmauerant, violatam arbitrati, extemplò numeros as cõtra ipsum

LXXVIII.

copias nauales subsidio Byzantinis mittunt. quos Chii & cũ his Coi, Rhodiique, & Græcorum alii quidam secuti, auxiliares eodem copias mittunt. Eo Græcorum concursu Philippus territatus, obsidione intermissa, pacem cum Atheniensibus cæterisque Græcis, quos aduersos habebat, constituit. In Siciliam interea Carthaginenses post magnos belli apparatus, copias traiiciebant: quarum numerus in vniuersum LXX peditum millia, cum iis, quos in Siciliâ iam in statiuis habebant, excessit. equites verò currusque bellici, cum bigis non pauciores CCIↃↃ erant. naues deniq; longas CC, & onerarias, equos, instrumenta, commeatum, & id genus reliqua, vehentium plus quàm CIↃ. Nec verò, de tantâ hostilis exercitus magnitudine certior factus Timoleon expauit, licèt militum eius numerus in arctum restrictus esset. sed cùm bellum ipsis adhuc intercederet cum Hicetâ, rem tandem componit, militumque eius accessione non parum vires exercitus sui auget. Commodissimum verò duxit, si bellum cum Pœnis gerendum in Carthaginiensium territoria transferret, vt agros sociorum hoc pacto inuiolatos conseruaret, hosticosque è regione damnis adficeret. Extemplò igitur mercenariis & Syracusanis cum reliquis sociis in vnum congregatis, concionem publicam instituit; vbi accommodatis ad præsens negocium verbis, ad certamen de summâ rerum fidenter adeundum multitudinem exhortatur. quam orationem cùm assensu & lætis acclamationibus cuncti exciperent, & se quàm ocyssimè in hostem duci iuberent: signa promouit, non plures omnino quàm CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CIↃ secum ducens. Iamque in Agrigentinorũ fines peruentum erat, cùm subitò ingens in castris tumultus & seditio exoritur. Quidam nomine Thrasius, ex illorum grege vnus qui stipendia facerent, vir temeritate ac confidentiâ nulli secundus; (qui Phocensium etiam socius in templi Delphici exspoliatione fuerat) consentaneum prioribus ausis facinus admisit. Cùm enim plerique omnes, qui sceleris in oraculum patrati consortes fuerunt, meritis à Numine suppliciis (vt paullò antè relatum est) affecti essent, hic solus diuinæ prouidentiæ vltionem subterfugisse videri poterat. & tunc conductitiorum manipulos ad seditionem concitare nitebatur. Timoleontem namque mente captum ad certissimam militẽ necem ductum ire, clamitabat; Sexies (inquit) numerosior

LXX-IX.

numerosior est Carthaginiensium exercitus, & sic omni ap-
paratu bellico instructus, vt nemini hac in parte concedat.
Nihilominùs ille victoriam pollicetur, quasi tesseris de mili-
tum suorum animabus ludat; cùm debita per longum tem-
pus stipendia, ob rei pecuniariæ difficultatem, expedire ne-
queat. Suadebat igitur, vt Syracusas regressi stipendia flagi-
tarent, nec ad profligatam istam expeditionem illum seque-
rentur. Non ingratus erat hic sermo cõducticiis, dum-
que ad innouandum res se conuertunt, Timoleon multùm
obsecrando, amplissimumque donatiuum pollicendo, diffi-
culter tandem obtinet, vt à tumultu desistant. Nihilominùs
tamen Thrasio cIↃ adhærent, quorum castigationem in a-
liud tempus prorogat. Interim Syracusas amicos per literas
monet, vt desertoribus benignè acceptis, exhibito stipendio
satisfaciant. ita equidem exortum perturbationis incẽdium
prorsùs exstinguit. Sed contumaces à gloria illustris victo-
riæ excludit. Interim reliquis alloquiorum humanitate ad
pristinum beneuolentiæ affectum reductis, in hostem, non
procul inde castra metatum, mouet. Tum indictâ concione
militari, exaggerando Pœnorum ignauiam, & felices Gelo-
nis successus in mentem reuocando, multitudinis animos ad
prælium audentiores facit. Cumque omnes vnâ voce excla-
marent, impressionem in Barbaros faciendam, pugnamque
sine morâ inceptandam esse: fortè accidit, vt apiorum fasci-
culi ad insternendos thoros, à iumentis apportarentur. hoc
victoriæ omen se amplecti dixit Timoleon, Isthmiacã enim
coronam ex apio contexi. quin etiam milites, Timoleonte
sic iubente, ex apiis sibi corollas nectunt, hisque capita redi-
miti, cum gaudio in hostem tendunt, ac si certam dii victoriã
portenderent. quod etiam euentus ratum fecit. Nam ex in-
sperato, non suâ tantùm virtute, sed deorum etiam adiumẽ-
to, hostem superàrunt. Timoleon etenim instructâ acie de
collibus quibusdam ad flumen descendebat. Iamq; ccIↃↃ
Barbarorum transierant, cùm subito eos incursu ipse me-
dium phalangis obtinens, inuasit. Validum ibi certamen in-
horrescit: in quo virtute manuumque promptitudine supe-
rantibus Græcis, fusa ista Barbarorum strages editur. Dum
ita qui priùs transmiserant, fugæ sese tradunt, totus Cartha-
ginensium exercitus flumen transgressus cladem suorum e-
mendat. Recrudescente igitur prælio, cùm iam Pœni

XX. (margin, beside "rentur.")

LXXXI. (margin, beside "mendat.")

multitudine suâ Græcos circũmuenire iam inciperent, mox nimbus vehemens præcipitatur, & ingens simul vis grãdinis decidit, fulguráque ac tonitrua cum vẽtis rapidissimis ingrauescunt. quorum omnium procella Græcorũ terga, & Barbarorum facies impetebãt. vnde consecutum, vt Timoleontis exercitus hãc aëris importunitatem facilè toleraret: Pœni verò sustinendis tot aduersis impares, cùm simul à Græcis quoq; vrgerentur, fugã arriperent. Dũmq; tota se multitudo ad flumen vertit, & pedites cum equitibus ac curribus permixti diuagantur, mutua inter se collisione protriti, & sociorum gladiis hastisque transfixi cladem fœdissimam, & cui nullam adhibere opem liceret, sustinebant. Alii ab hostium equitatu in vortices fluuii agminatim cõpulsi, ex vulnerum tergis inflictorum crebritate occũmbebant. Multi etiam citra ictum hostilem, cùm propter metum, nimiámque multitudinem, & difficultates amnis, tot corpora in arcto coacervarentur, peribant. & quod non minimum erat, è pluuiis immodicè fusis violentiore tunc impetu fluuius decurrẽs, multos præsertim qui cum armis ad tranatandum sese in illum abiecerant, demersit. Tandem qui sacram Carthaginiensium cohortem explebant numero bis mille ac IↃ animorum robore & gloria, nec non fortunarum amplitudine cæteros anteibant, præclarè dimicantes ad vnum omnes cæduntur. De cætera commilitonum turba non minus CCIↃↃ cadunt: vltra CCIↃↃ IↃↃ capiuntur. Curruum pleriq; in ipso conflictu diffracti; CC solummodò in potestatẽ venere. Iumentis, bigis, & reliqua vehiculorum multitudine Græci potiuntur; Armorum pars maxima gurgitibus hausta intercidit. Mille tamẽ loricæ & plures quam CCIↃↃ clypei, in prætorium Timoleontis comportantur, quorum alia in templis Syracusanorum fixa, vel inter socios belli distributa sunt. alia Corinthum transmissa, in Neptuni sacrario Timoleon dedicari iussit. Tametsi autem ingẽs opum vis capta erat, (quòd aureis & argenteis poculis aliisque magni precii ornamentis pro opulentiæ suæ magnitudine Carthaginienses abundarent) quicquid tamen huius erat, id totum in fortitudinis præmium militibus cõcessit. Qui discrimen pugnæ euaserant Carthaginienses ægrè se Lilybæum receperunt, eò pauoris ac consternationis redacti, vt nec naues ingredi Africamque repetere, veluti iam propter offensam deũm à mari

LXX-XII.

Libyco

Libyco absorbendi, auderent. Tam fœdæ calamitatis nun-
cius Carthaginem allatus, maiorem in modum animos il-
lorum fregit, & primo quoq; tempore cum exercitu Timo-
leontem ad opprimendos sese venturum, existimarunt. Qua-
re confestim Gesconem Hannonis fratrem, exilio pridem
multatum, reuocant, & quod animi promptitudine & ad-
ministrandi rē bellicam scientiā præstare videbatur, ducis ei
munus demandant. Sed ciuium deinceps corpora discrimini
bellorum permittere non consultum rati, ex aliis gentibus,
maximéque Græcis, militē stipendio conducere statuunt: ni-
hil quicquā dubitantes, quin ob diuitias Carthaginis & mer-
cedis amplitudinē plurimi se ad hanc militiam aggregaturi
essent. Idoneos etiam in Siciliam legatos mittunt, cum mā-
datis, vt quibus possent conditionibus pacem instaurarent.

LXX-XIII.

Post exitum huius anni, Archontis nomine Athenis
præerat Lysimachides, Romanæ verò Reipublicæ cōsulari
potestate Quintus Seruilius & Marcus Rutili⁹, cùm Timo-
leon Syracusas regressus ante omnia mercenarios omnes,
qui à fide illius signisq; auctore Thrasio discesserant, tanquā
proditores vrbe expulit. qui in Italiam transportati, oppidum
quoddam maritimum in Brutiis occupatū diripuere. quam
insolentiam Brutii non ferendam rati, magnum illicò exer-
citum in eos duxerunt, expugnatóque oppido, vniuersos
contrucidarunt. tam calamitosum exitum Timoleontis de-
fectores, velut improbitati suæ præmium, tandem sortiti
fuerunt. Hinc Postumium Tyrrhenum, qui XII nauibus
prædatoriis mare nauigantibus infestum habebat, Syracu-
sas amici nomine ingressum, comprehendit, & capitali sup-
plicio affecit. Omni tum etiam humanitate complectitur
quinque millia hominum, quos ad nouas occupandum se-
des Corinthii transmiserant. Posteaquam verò per legatos
pacem Carthaginenses multis ab eo precibus expetiuerunt:
his illam pactis concessit, vt vniuersas Græci nominis vrbes
libertate suâ frui sinerēt. Lycusq; amnis prouincias vtrinque
disterminaret: nec tyrānis deinceps cōtra Syracusanos auxi-
lia suppeditare Carthaginiensibus liceret. Hicetā exinde bello
domitū sepultura dignatur: & Campanos, expugnata Ætnâ,
delet. Quin & Nicodemū Centorippinorū tyrannum adeò
perterrefecit, vt ex vrbe profugeret. Tum Apolloniaden, qui
pro Agyrinensiū principe ac domino se gerebat, dominatu

ſe abdicare cogit,& populum in libertatem vindicatum, Syracuſana ciuitate donat. omnibus denique tyrannis per Inſulam exſtirpatis,ciuitates ab illis oppreſſas liberat,& ſocietatis fœdere ſibi adſtringit. Hinc præconis voce per vniuerſam Græciam proclamari iuſſit, Senatum populumque Syracuſanum agros domoſque offerre omnibus, qui Reipublicæ Syracuſanæ membra fieri cupiunt. Quo factum, vt plurimi ad nouæ quaſi hæreditatis ſortitionem conuolarent. Tandem in Syracuſanam communionem, ſorti diuiſionis nondum ſubiectam,quadragies mille,in Agyrinéſem(quòd ager ibi ampliſſimus,& ſingularis regionis amœnitas eſſet) decies mille coloni deſignantur. Nec longa interceſſit mora,cùm veteres etiam leges Syracuſanorum, à Diocle ſcriptas,corrigendas ſibi propoſuit. Sanè quæ priuatarum rerum commercia aut hæreditates concernerent, in his nihil mouit,nihil reformauit. at quæ ad Reipublicæ adminiſtrationem & commoda pertinerent, eas pro ſuo iudicio ſicut expedire videbatur, emendauit. Emendationi huic præfuit Cephalus,patriâ Corinthius, vir ab eruditione ac prudentia bonam famam cõſecutus. Hoc negocio perfunctus, Leontinos in ciuitatem Syracuſanam tranſtulit, & Camarinam, numero ciuium ampliatam, non parum auxit. Et quid multa? dum omnia per Siciliam ſumma cum tranquillitate & pace ordinat ac conſtituit, breui effecit, vt ciuitates magnos ad felicitatem progreſſus haberent. nam per diſſidia bellaque inteſtina,quibus iam longo tempore Sicilia vexabatur & per tyrannorum ſubinde excitatorum multitudinem,eò deuentum erat, vt vrbes habitatoribus vacuæ, agri ceſſante cultura,vaſti ſterileſque,& manſuetorum fructuum expertes,iacerent. Cùm verò colonorum frequentia tunc increbreſceret,& diuturna pax per omnia vigeret, ager paſſim,operantium ſtudio excultus, varios omnis generis fructus edere cœpit:quibus magno cum emolumento mercatoribus venundatis, mirum in modum breui opes ſuas cumularunt.quæ rerum abundantia in cauſâ fuit vt magnificæ paſſim ædificationes in honorem deûm per illam ætatem inſtituerentur. Vt(exempli gratia)domus Syracuſis,quæ à LX lectis cognomentum accepit,cuncta per Siciliam opera, magnitudine & ſtructurâ excellés,quam princeps Agathocles eduxit:& quia deorum templa ex alto deſpiceret,manifeſtâ

LXXXIV.

festâ Numinis indignatione fulmine cœlesti tacta fuit. Deinde turres ad minorem portam, quarum inscriptiones exoticis continentur saxis, & nomen Agathoclis qui illas exstruxit, præ se ferunt. huc accedunt, tum conditum non longè pòst ab Hierone rege Olympeum in foro, & propè Theatrum ara, per stadii longitudinem excurrens, altitudinis verò & latitudinis proportione illi respondens. In minoribus porrò oppidis, quibus Agyrinæorum vrbs accensetur, quæ ob dictam priùs frugum abundãtiam nouos etiam ipsa colonos ad diuisionem agrorum recepit. Theatrum etiam pòst Syracusanum, omnium totâ Siciliâ pulcerrimum; deûmque fana & Curiam in foro; turres præterea magnifici operis; & monimentorum Pyramides, ingenti mole, eximiaque arte spectandas, excitauit.

XXV. Postquàm Athenis Charondas ad munus Archontis, & Romæ Lucius Æmilius & Caius Plotius ad cõsulare imperiũ delecti fuerant, Philippus Macedoniæ rex iã plerisque Græcorum in amicitiã suam pellectis, id omni contentione deinceps agebat, vt perculsis Atheniensibus, imperiũ Græciæ absque controuersia obtineret. Quapropter Elatéã subitò occupat, & euocatis illuc copiis, bellũ Atheniensibus vltrò inferre constituit, victoriã facilè adepturum se sperans, quòd propter ictum pacis fœdus ad bellum imparati essent. id quod etiam sic euenit. Nam capta Elatéa, quidam noctu Athenas aduolant, Elatéam in Macedonum potestate iam esse, & Philippum cum omnibus statim copiis in Atticam vẽturum nunciantes. Atheniensium præfecti, re tam inopinatâ cõsternati, tubicines ad se accitos per totam illam noctem classicum sonare iubent. Famâ itaque celeriter per omnes vbique ædes diuagatâ, ciues arrectos metu animos habebant. Quàm primùm verò illuxit, populus, antequàm à magistratu, vt solenne erat, vocaretur, in theatrũ concurrit. quo cùm Prætores exercituum, adducto secum indice, venissent, isque rem exposuisset, silentium & pauor theatrum occupat, nec cui illorum, qui ad populũ agere solebant, aliquid ad cõsulendum animi subest. Et licèt præco identidem, qui de omnium salute verba facerent, euocaret, nemo tamen, qui in medium aliquid consilii proferret, comparebat. In summâ igitur rerum perplexitate & trepidatione, multitudo in Demosthenem oculos conuertit, qui in medium progressus, ad

firmitatem animorum populũ exhortatur,& quàm primùm Thebas mittendos esse legatos ostendit,qui Bœotos ad cõmune pro libertate omnium certamen vnà cum ipsis adire exhortentur. A cæteris enim cõfœderatis auxilia petere præsens tẽporis angustia non patiebatur:quòd intra spacium bidui rex Atticã ingressurus videretur.cúmque per Bœotiã iter faceret,vnicũ à Bœotis auxilium restabat. Nec dubium erat, quin Philippus amicitia & fœdere cum Bœotis coniunctus, eosdem in transitu ad bellum Atheniensibus inferendũ solicitaturus esset. Placuit hæc sententia populo, ac statim auctore Demosthene de mittendâ legatione plebiscitũ scribitur;sed qui facundiâ maximè polleat,ad munus hoc obeũdum quæritur.ad quod ipse facilẽ inuitantibus sese præbens, summâ celeritate pergit, Bœotis persuadet, Athenas redit. Populus ergo duplò maioribus copiis, quàm priùs habuerant,per accessionem Bœotorum instructus,animum rursus ad bonas spes erexit. Mox etiam duces bello Charetem & Lysiclem præfecit,quos cum toto agmine in Bœotiam contendere iubet. Omnes quos tunc florida ætate ciuitas Attica habebat, mirâ animorum promptitudine sese ad militiam hanc obtulerant. Ideò raptim confecto itinere Chæronéam Bœotiæ peruenêre.quorum celeritatem Bœoti demirati,nihil diligentiæ etiam ipsi reliquum fecerunt, sumptisque armis obuiam Atheniensibus progressi, & castris ipsorum adunati,hostis aduentum exspectârunt. Philippus autẽ initiò legatos ad concilium Bœotiæ miserat, inter quos nobilissimus erat Python hunc enim tam celebrem dicẽdi facultas reddiderat, vt in concione de iungenda societate ipsi Demostheni opponeretur: vbi cæteris quidem præstantior, Demosthene autem inferior habitus fuit. Quid? quòd Demosthenes ipse in quadã orationum à se cõpositarum veluti rem magni ponderis confecerit, de sermone contra oratorẽ istum habito gloriatur his verbis; *Tunc ego Pythoni nimis cõfidenter agenti, cũ veluti torrente verborũ nos obrueret, nequaquã cessi.* Quanquã verò societatẽ Bœotorum non obtinebat Philippus,nihilominus tamen cũ vtrisq; armis disceptare cõstituit. Ideo exspectatis priùs,quæ sequebãtur auxiliis, Bœotiã ingreditur, peditatũ ccIↃↃ ccIↃↃ ccIↃↃ haud minorẽ,nec infra bis mille equites ducens. Exercitus vterque ad pugnam erat paratissimus:spiritu quidẽ & promptitudine animorum,

LXXVI

nimorum, nec non virtute alter alteri nihil cõcedens; sed militũ numero belli administrandi scientiã rex longè prę̃stabat. Is enim variis in bellis crebrò collatis cum hoste signis dimicauerat, & vt plurimùm victoriâ potitus, magnã sibi rei bellicæ experientiã cõparârat. Atheniensiũ contrà optimi quiq; duces Iphicrates, Chabrias, Timotheus vltimũ iam diẽ obierant: reliquorum omniũ princeps Chares imperatoriâ strenuitate cõsilióq; à vulgari & gregario milite nihil differebat.

XX-VII. Sub ortũ ergo lucis, acies vtrinq; expediri cœpit. Rex filium Alexandrum pubertatis annos ingressum, qui virtutis & acrimoniæ in rebus peragendis manifestâ iam tum documenta præbuerat, vnum cornu regere iubet; ducibus quos tum selectissimos habere licuit, illi attributis. Ipse cum delecto militum robore alterum tenens cornu, ordines, prout temporis ratio exigeret, suo quemque loco, instruit ac disponit. Athenienses pro gentium diuersitate series aciei distribuunt, & permisso Bœotis altero cornu, ipsi reliquum administrant. Atrox tunc prælium ad longum tẽpus conseritur, & magna fit vtrinque strages, victoriæ spe in neutram inclinãte partem: donec Alexander patri fortitudinis suæ specimen exhibendi tanto studio contendens, vt nihil reliquum faceret, viris strenuissimis conatum eius adiuuantibus, primus vicinã hostium aciem perrupit, multisque prostratis, oppositos sibi defatigauit. Idẽ cùm adstites quoque facerent, etiam proximi ordines lacerati sunt. post magnas tãdem strues cadauerum eâ parte excitatas, aduersum sibi cornu primus in fugam Alexander vertit. Nec minùs rex ipse in primâ acie dimicans, vt nec filio victoriæ titulum concederet, obiectum sibi agmen primâ è statione suâ depulit, eóque in fugã tandẽ coniecto, victoriæ auctor exstitit. Atheniensium hoc prælio CIↃ ac plures cecidêre, nec pauciores duobus millibus capti sunt. Magna pariter Bœotorum multitudo interempta est, nec exigua in manus hostium venit. Ab hac pugnâ tropæum Philippus statuit, & cõcessis ad sepulturã mortuis, victoriale sacrum diis fecit, & bellatores, qui viros sese fortes præbuerant, pro merito cuiusque honorauit.

LXX-XVIII. Sunt qui tradant, Philippum cùm post largam meri ingurgitationem, ostentandæ victoriæ causâ lasciuam cum amicis comessationẽ instituisset, per mediã captiuorum turbam incessisse, verbisque contumeliosis aduersæ fortunæ casum miseris exprobrasse.

Vbi Demades orator, qui captiuorum in grege tunc erat, orationis libertate vsus, verbum coërcendæ regis petulantiæ accommodatum enunciârit. ad hunc verò modum locutus fertur: *Quando personam Agamemnonis fortuna tibi, Rex, induit, Thersitæ facta repræsentare nonne te pudet?* Hac increpationis solertiâ motus (vt aiunt) Philippus vsque adeò, totum priorem habitum immutauit, vt non solùm abiectis corollis, adiuncta comessationi petulantiæ signa, procul facessere iusserit, sed virum etiam, qui liberiùs ipsum reprehẽdisset, admiratus, è captiuitate liberatũ honorifico deinceps loco apud se habuerit. Gratiis ergò Atticis per Demadæ familiaritatem delibutus, captiuos omnes absque precio liberos dimisit. ac depositâ tandem, quæ victoriæ comes est, superbiâ, missis ad populum Atheniensium legatis, amicitiæ & societatis fœdus cum ipsis renouauit: impositoque Thebis præsidio, pacem Bœotorum genti concessit. Hanc cladem passi Atheniẽses, Lysicli summo belli præfecto, capitale supplicium irrogarunt, Lycurgo ipsum accusante; qui maximã inter eius ætatis oratores dignitatem habebat, & vectigalia ciuitatis XII annos multâ cum laude administrârat, vitamque cum summâ virtutis gloriâ exegit; sed acerbissimus omnium accusator. Orationum eius dignitatẽ & amaritiem, vel ex his verbis, quibus in accusatione Lysiclis vtitur, conieceris. *Belli prætor fuisti ô Lysicles. & quanquam ciuium* CIↃ *occubuerint, bis mille captiuitatem subierint, Tropæum ad vrbis huius ignominiam sit excitatum, vniuersæ Græciæ iugum seruitutis iniectum; & hæc tandem te duce, te summo belli imperatore acciderint; viuere tamen audes, solisque iubar intueri sustines, & in forum prodire non erubescis, patriæ tuæ dedecoris pudendi, & opprobrii monimentum?* Singulare quippiam hac tempestate euenit. Quando enim ad Chæronéam depugnatum fuit, eadẽ die ac horâ, aliud in Italiâ certamen inter Tarentinos & Lucanos est commissum, in quo Archidamus Lacedæmoniorũ rex, auxiliarẽ Tarentinis operã exhibens, oppetiuit. Lacedæmoniorum ille regnum per annos XXIII administrauit. Successit ei filius Agis, nouemq; annos clauũ tenuit. Per id tẽpus Timotheus Heracleæ Põticæ dominus, XV principatus anno vitâ defungitur; cui frater Dionysius succedit, duosq; & XXX annos dominatũ illic obtinet.

LXXXIX.

XC.

Archontis magistratum Athenis Phrynichus, Consularẽ Romæ

Romæ Titus Manlius Torquatus & Publius Decius inie-
rant, cùm Philippus rex ob victoriam sub Chæronéa partã
celsos gerens spiritus, postquàm nobilissimis Græciæ vrbi-
bus pauorem iniecerat, hoc omni connixione agebat, vt
totius Græciæ imperator deligeretur. Famâ igitur de se
sparsâ, quòd Persis bellum inferre pro Græcorum emolu-
mentis, & ob admissam in sacra deûm impietatem, vindictã
de illis sumere in animo haberet, statim beneuolentiã Græ-
corum sibi adiunxit. Cúmq; humanum ac liberalem omni-
bus priuatim ac publicè se exhiberet: ciuitatibus tãdem se de
commodis Reipublicæ cum ipsis consultare velle, denuncia-
uit. Publico igitur conuentu apud Corinthũ indicto, de bel-
lo contra Persas suscipiendo disserit, & præclarã de successu
rei spem faciens, ad belli societatem cõcilium exhortatur. Ad
extremum Græciæ totius imperator cum summâ potestate
creatus, magnificos in expeditionem illã apparatus facit, cer-
toque militũ auxiliariorũ numero singulis vrbibus indicto,
in Macedoniã redit. Atq; hoc modo Philippi res constitutæ
erant.

CI.

In Siciliâ verò Timoleon cùm Siculorũ iuxta ac
Syracusanorũ republicã instaurasset, octauo administra-
tionis suæ anno viuere desiit. Syracusani igitur, qui magnâ
hunc virũ æstimatione habuerãt, ob benefactorum magni-
tudinẽ magnificũ ei funus adornant; quod cùm efferretur
multitudine conuocatâ, hoc psephisma à Syracusanis pro-
mulgatur; vt ducẽtarum sumptu minarũ Timoleonti funus
peragatur, & parentatione institutâ anniuersariâ, certamini-
bus Musicis, equestribus & gymnicis memoria illius in o-
mne tẽpus honestetur; quòd debellatis barbaris maximas
Græcorũ in Siciliâ vrbes deductis coloniis frequentasset, &
libertatis Siculorũ vindex exstitisset. Per idem tempus Ario-
barzanes diẽ suum obiit, regni sui anno vigesimo sexto. quẽ
Mithridates in regno consecutus quinque & xxx annos re-
gnauit. Tum Romani, infestâ acie cũ Latinis & Campanis
ad vrbẽ Suessam cõgressi, victores abeunt, & parte agrorũ
victos multant. Manlius autẽ Consul, cuius auspiciis res hoc
prælio bene gesta fuerat, triumphũ egit.

XCII.

Cùm Pytho-
dorus Atheniensis reipublicæ princeps esset, Romæq; con-
sulatu fungerentur Quintus Publilius, & Tiberius Æmilius
Mamercus, Olympias vndecima supra centesimã agebatur;
quâ Cleomãtis Clitorius è stadio palmam retulit. Hoc anno

Philippus, summus belli dux à Græcis factus, bellũ Persicum inchoauit, ac statim Attalum & Parmenionẽ, cum parte copiarum & mãdatis, vt vrbes ibi Græcas liberarent, in Asiam præmisit. Ipse deorum consensu bellum suscipere maturans, an victoriam de rege Persarum adepturus esset, Pythiam interrogauit. quæ huiusmodi oraculum ipsi cecinit:

Serta gerit Taurus, tamq; adstat, qui immolet illum.

Id ambiguè dictum ad suam Philippus vtilitatem detorquebat, quasi Persam victimæ instar iugulatum iri, fatidico carmine prædiceretur: sed rei veritas longè aliter se habebat; quòd ex aduerso significaretur, fore nimirum, vt Philippus in frequenti hominum conuentu, sacróque deûm epulo, veluti taurus coronis redimitus, mactandus esset. Interim deos sibi visus auxiliares habere, plurimùm lætabatur, ac si iamiam Asiæ captiuitatis iugum Macedones impositurí essent. Continuò igitur magnificum diis sacrificium instituẽs, Cleopatræ, ex Olympiade sibi editæ, nuptias simul celebrauit. hanc Alexandro Epirotarum regi, qui germanus Olympiadis frater erat, in matrimonium dabat. Inter deûm verò honores, cùm etiam conuiuio nuptiali, quàm plurimos Græcorum interesse cuperet: certamina Musica, conuiuiáque amicis & hospitibus excipiendis magnifico cum apparatu & splendore adornauit. Ex vniuersâ igitur Græciâ eximios amicos & hospites singulares euocat; & familiaribus suis ac necessariis iniungit, vt quàm plurimos eis notos ex peregrinis hinc inde locis accersant. In hoc enim maximè operã dabat, vt suam Græcis beneuolentiam & humanitatẽ luculentè testatam faceret, & pro delatis imperii bellici honoribus per benignos & familiares hosce cõgressus gratiã illis retribueret. Ex omnibus ergo locis ingens hominum multitudo ad solennitatẽ illam confluxit. XCIII Dúmque nuptiæ cũ insigni ludorũ & certaminũ magnificentia Ægis Macedoniæ peraguntur, non tantũ pro sese nobilissimi quique, sed etiã magni nominis vrbes pleræque aureis coronis Philippũ honorificè munerãtur. In vrbiũ numero Atheniẽses simul erãt. ibi dum coronã à populo missam præco voce clarâ commẽdat, ad finẽ annectit, si quis post structas Philippo insidias Athenis receptum quærat, eũ sine cunctatione deditũ iri. per hanc vocem fortuitò prolatam, diuinâ quadam prouidentiâ insidiarũ iam iam imminens periculum deus Philippo denunciauit. Id genus etiam

nus etiam aliæ, ceu diuino quodam afflatu, voces edebantur, quibus vitæ exitus regi portenderetur. Interfuit tunc conuiuio Neoptolemus Tragœdus, magnitudine vocis & nominis celebritate facilè primus. hunc carminum à se iniunctorum, inprimis verò expeditioni Persicæ conuenientium, aliquot recitare iusserat. Artifex ergo poëma quoddã ad transitum Philippi in Asiam (vt putabat) accommodum, quo felicitatem regis Persarum, quantumuis magnam, & toto orbe decantatam, à fortunâ tamen pessum aliquando dãdam perstringeret, his verbis exorditur:

Vos celsiores animos æthere habentes,
Cupitis spacia ampla terræ.
Ædes supra ædes struitis tumore inani:
Stolideq; curriculum vitæ extrahitis.
Sed ecce grassans celeri pede heu tenebras
Operi obiicit, breui spes
Tacitusq; morte longas
Resecat, labore satis cumulatus Orcus.

Alia etiam his connexa adiicit, quæ ad eandem omnia sententiam tendebant. Sed Philippus in his, quæ recitabantur, totus erat, & cogitatione suâ prorsus ad regis Persarum euersionem ferebatur. Simul etiam redditum è tripode sibi effatum animo reuoluens, quod cum Tragœdi verbis planè consentiret. Soluto tandem conuiuio, cùm ludi in diem proximum redintegrandi essent, ingens turba, durãte adhuc nocte, in theatrum concurrit. Vbi cum cætero apparatu sumtuosissimo XII imagines deorum præferuntur, quàm artificiosissimè confectæ, & splendidissimo rerum pretiosarũ cultu mirificè exornatæ. inter has decimum tertium Philippi simulacrum, diuino per omnia habitu, ostentatur. quo cõsessus in deorum senatu maiestatẽ sibi rex arrogabat. Pleno iam theatro ipse candidam indutus stolam prodit, satellitibus, vt per longum se interuallum sequerentur, iussis; ostẽdere enim cunctis volebat, quòd beneuolentiâ Græcorum munitus, satellitum præsidio neutiquam indigeret. Ad hoc igitur maiestatis culmen elatum, dum omnes lætis acclamationibus, magnisque laudibus prosequuntur, virumque beatissimum prędicant, ex inopinato & præter omnium exspectationem insidiarum vis, & ruina vitæ regem occupat. Vt autẽ narrationi plus accedat lucis, causas insidiarũ prius

X CIV.

exponemus. Pausanias quidã erat patriâ Macedo, sed è gente, quam Orestidem vocitant, oriundus, corporis regii custodum vnus, & propter elegantiam formæ regi carus; Is alium quendam eiusdem nominis adolescentem, vt à Philippo amari vidit, probrosis verbis incessit, semiuirum esse, qui amores quorumlibet vltro acceptaret, dictitans. Ille contumeliam hanc indignè ferens ad tempus silentio tegit. pòst, cum Attalo, quid deinceps faciendum sit, communicans, voluntariam sibi mortem opinione citiùs consciscit. cùm enim post dies non multos contra Pleuriam Illyriorũ regem Philippus acie dimicaret, Pausanias pro rege suo propugnans, quotquot in eũ tela iacerentur, corpore suo excipit, atq; vitã ita finit. Diuulgatâ eius morte Attalus, ex purpuratis aulicis vnus, multumq; apud regem pollens, ad conuiuium Pausaniam alterum vocat, largoque mero grauati corpus, ceu meretricis, contumeliosâ proteruitate stupris exagitandum prostituit. ille à temulentiâ ad sobriam mentẽ reuersus, cùm tantã iniuriæ atrocitatem grauissimè doleret: Attalum corã rege accusat. qui licèt non parum scelestissimo hoc facto cõmoueretur, tamen ob necessitudinem cum Attalo, & quia operã eius præsens rerũ vsus exigeret, animaduertere in flagitium noluit. fuit enim Attalus Cleopatræ, post alterã vxorem à rege in matrimonium acceptæ, auunculus, & præmissi in Asiam exercitus imperator designatus, vir in certaminibus bellicis perquàm strenuus. quamobrem vt animũ Pausaniæ, ob iniuriam sibi factam acerbissimo dolore accẽsum, mitigaret, eximiis affectum muneribus ad honestiorem inter corporis sui custodes locum prouexit. XCV. At Pausanias iram fouens implacabilem, non iniuriæ solummodò auctorem, sed pœnæ irrogandæ etiam neglectorem, vlcisci decreuit. In proposito autem maximè illum confirmauit Hermocrates sophista. huic enim cùm operã daret Pausanias, & in disputatione quadã scholasticâ percunctaretur, quonã pacto illustrissimum sibi nomẽ aliquis cõparare posset? si, qui maximas res gessisset, virum interficeret, sophista respondit: cum huius enim mentione, istius simul memoriam coniunctam fore, qui cædem perpetrârit. Hunc sermonem ad iræ suæ cupiditatem accommodans Pausanias, & propter animi commotionem nullam sententiæ dilationem interuenire sinens, per eos ipsos ludorum dies insidias cõposuit, hoc

equidem

equidem modo. Equis ad portas vrbis dispositis, ad ostia theatri regreditur Gallico, quem occultum habebat, gladio accinctus. Philippus tunc amicos, à quibus eò deductus fuerat, præire se in Theatrum iubebat, stipatoribus per interuallum aliquod inde remotis. Ibi dum solum esse regem videt, accurrit, & transuersarium per latera vulnus inferens, mortuum humi prosternit, ipseque festinanter ad preparatos sibi iuxta portas equos, fugam intendit. Euestigiò satellitum alii ad corpus regis properant; alii ad sicarium persequendum effunduntur: inter quos Leonatus, Perdiccas, & Attalus erant. & sanè Pausanias in fugâ illâ prægressus, conscenso properanter equo anteuertisset, nisi calceamento viti cuidam implexo detentus procidisset. tum Perdiccas cum sociis iam resurgere conantem opprimunt, & multis ictibus confossum trucidant.

XCVI. Hunc itaque Philippus, qui potentissimus inter omnes suæ ætatis reges in Europâ euasit, & XII se diis, velut eiusdem maiestatis consortem, ob imperii magnitudinem annumerauerat, vitæ exitum est sortitus; postquam XX & IV annos imperasset. Rex iste à tenuissimis regni adiumentis exorsus, amplissimam inter Græcos monarchiam sibi comparasse, & imperium non tam armis strenuè gerendis, quàm sermonis comitate in congressu, & benignæ voluntatis erga homines declaratione, auxisse, iudicatur. Ipsum vtique Philippum, magis de imperatoriâ arte, & conciliatis dextrè benigno sermone hominum animis, quàm auxiliarium viribus & strenuitate gloriari solitum perhibent. pugnarum enim successus, vniuersis eiusdem militiæ sociis esse communes, quæ verò affabilitate & benignis sermonibus effecisset, horum laudem sibi vni adscribendam, dictitabat. Iam postquàm regis huius exitum attigimus, hîc vt initio propositum, libro quoque finem imponemus. Sequentem ab Alexandri in regnum paternum successione exorsi, omnes eius res gestas vt vno comprehendamus libro, operam dabimus enixè.

XVII. DIODORI SICVLI LIBER,

In duas partes diuisus hæc in sese complectitur;

In primo volumine, vel sectione primâ hæc sunt capita:

Vt

Vt Taxilẽ Indorũ regem ſibi adiunxerit, Poróque ingenti pugna ſuperato, & capto, regnũ propter fortitudinẽ reſtituerit.
Narratio de ſerpẽtibus regionis illius & fructibus admirandis.
Vt finitimas gentes partim in fidẽ acceperit, partim debellarit.
Vt prouinciam Sopithæ in poteſtatem redegerit.
De optimarum legum inſtitutis in prouinciæ huius oppidis.
De canum Alexandro donatorum præſtantia.
De regis Indorum narratione.
Quod, cùm Alexander Gandaridis bellum illaturus, Gangem flumẽ trãſire in animo haberet, Macedones ſequi noluerint.
Quòd poſitis militiæ ſuæ terminis, reliquos Indiæ populos Rex acceſſerit, & à ſagittæ ictu in magnum vitæ periculum deuolutus ſit.
Vt per Indum flumen in Oceanum Auſtralem denauigarit.
De ſingulari quadam pugna ex prouocatione inita.
De Indis in vtraque fluuii ora ad Oceanum vſque ſubactis.
De inſtitutis per traditionem acceptis, & legibus indigenarum, populiſq; beluinam vitam agentibus.
Qui Oceanum intrarant, cum Alexandro iterum ſe coniungunt, iuxta mare ſtatiua habenti, & quæ per nauigationem obtigerint, recenſent.
Vt excurſibus denuò factis, magnos oræ maritimæ tractus præternauigarint.
Alexander tricies mille iuuenes ex Perſis delectos diſciplinis bellicis imbuit, eorumq; agmine, Phalangis Macedonicæ loco, ſeſe munit.
Vt Harpalus, ob vitæ mollitiem, & enormem pecuniarum profuſionem, malè audiens, Babylone profugerit, & ad populum Athenienſem ſupplex ſe contulerit.
Vt fuga ex Attica elapſus, cruenta morte perierit, & talentis IↃCC *apud Athenienſes depoſitis* CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ, *& mercenarios* IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ *circa Tænarum Laconiæ reliquerit.*
Vt Alexander Macedones ſenio confectos, ære ipſorum alieno CCIↃↃ *talentûm impendio, priùs diſſoluto, in ſuam quoſque patriam dimiſerit.*
Vt exorta Macedonum ſeditione, auctores puniuerit.
Peuceſtes, CCIↃↃ *ſagittarios & funditores ex Perſarum delectu Alexandro adducit.*
Vt ordines rex inſtruxerit, ita vt Macedones Perſis eſſent permixti.

Vt Macedonum filiis bello genitis educationis sumptus & disciplinæ mercedem, vniuersis ccIↃↃ numero, liberaliter suppeditarit.

Vt Licosthenes bellum Macedonibus mouere cœperit.

Expeditio Alexandri in Cossæos.

Vt regi Babylonem petenti Chaldæi prædixerint, fore, vt vrbem illam ingressus fato concederet.

Vt Alexander initio absterritus Babylonem declinarit: sed pòst à Philosophis Græcis persuasus vrbem introierit.

Quanta legatorum multitudo ad ipsum venerit.

De funere Hephæstionis, & sumptuum magnificentia in illud factorum.

De prodigiis Alexandro exhibitis, eiusque morte.

DIODORI SICVLI BIBLIOthecæ historicæ Liber XVII.

I. ANTECEDENS hunc liber, qui operis nostri sextus est & decimus, ab initiis regni Philippi, Amynta patre geniti, exorsus, tum omnes Philippi res ad obitum vsque gestas, tum quæ alii quoque reges, nationes & ciuitates per regni illius tempus, quod XXIV annorum fuit, peregerunt, cõprehendit. In hoc quæ sequuntur expositurí, initium inde sumemus, vbi Alexander regnare cœpit. simul etiam, dum principis huius facta ad finem vsque recensemus, ab aliis per notissimas orbis partes gesta complectemur. sic enim res faciliùs memoriâ retineri arbitramur, cùm in certa digestæ capita connexum principio finem habent. Breui autem temporis interuallo res maximas hic rex confecit, operúmque suorum magnitudine, quæ propriâ ingenii solertiâ & virtute designauit, reges omnes, quotquot ab omnium seculorum memoriâ celebrantur, superauit. Nam intra annos XII, non exiguam Europæ partem, totámque ferè Asiam subegit, ac tantam hinc nominis celebritatem meritò consecutus est, vt priscos heroes & semideos gloriâ exæquarit. Verùm vt anticipemus in præfatione quippiam laudabiliter ab hoc rege factorum, non opus esse ducimus. nam res ipsæ

singulatim enarratæ gloriæ eius maiestatem satis indicabunt. Alexander ergo paternum genus ab Hercule, maternum ab Æacidis trahens, naturam & virtutem maiorum gloriæ consentaneam habuit. Nunc tempore, quod narrationi huic congruit, indicato, ad institutæ historiæ materiam nos conuertemus.

II. Cùm Archon Athenis Euænetus, Romæ Consules essent Lucius Furius, & Caius Mænius. Alexander gubernaculis regni susceptis, iustas ante omnia pœnas cædis paternæ auctoribus infixit. Hinc vbi quam potuit sepulturæ patris diligentiam impenderat, negocia regni longè melius, quàm quisquam putasset, constituit. Quamuis enim iuuenis admodum esset, & ob paucitatem annorum contemneretur, primò vulgus in beneuolentiam suam plenis humanitate alloquiis pellexit. Inter alia, nomen regis dumtaxat mutatum esse, res verò non deterius, quàm viuo adhuc parente, administratum iri dixit. Legationes etiam benignè audiens, ad tuendam Græcos beneuolentiam, quàm à patre velut hæreditariam accepissent, adhortatur. Tum crebra armorum expeditione studiisque bellicis militem exercens, morigerum ad omnia exercitum sibi reddit. Insidias regno ipsius nectebat Attalus, Cleopatræ, quam alteram Philippus vxorem duxerat, auunculus. Hunc igitur è medio submouendum statuit. nam & paucis ante regis obitum diebus puer è Cleopatra Philippo natus erat. Legatus paulò antè in Asiam cum exercitu, Parmenione collega transmiserat Attalus. ibique, cùm & beneficiis & sermonis illecebrâ milites demulceret, gratiam nõ mediocrem apud exercitum iniuerat. Non igitur sine causa rex ab eo cauendũ sibi existimauit; ne quando, adiutantibus Græcis regi aduersis, regnum sibi vendicaret. Ex familiarium proinde numero Hecatæum deligit; eúmque cum manu armatorum non exiguâ in Asiã mittit, hoc potissimùm iniungens, vt viuum sibi Attalum sistat; sin effici hoc nequeat, vt dolo hominem cum prima occasione interficiendum curet. Ille in Asiam transuectus, sociatis cum Parmenione & Attalo copiis, negocii sibi demãdati tempus commodum exspectabat.

III. Interea Alexander multos Græcorum ad res nouas moliendum arrectis esse animis, certior factus, in magna consilii perplexitate hærebat. nam Athenienses, Demosthene in Macedones populum concitante,

citante, obuiis Philippi interitum auribus læti exceperant, déque principatu Græciæ Macedonibus neutiquam cedendum arbitrabantur. iámque transmissis ad Attalum legatis, secretò totius negocii administrationem cum eo communicauerant, multásque ciuitates ad libertatem asserendam instigabant. Ætoli de reducendis Acarnanum exsulibus, quos Philippus extorres egerat, tum fecerant decretum. Ambraciotæ, suadente Aristarcho, præsidium inibi collocatum eiecerant, & reipublicæ administrandæ potestatem populo restituerant. Eodem modo Thebani pellendũ è Cadmeâ præsidium, Alexandróque imperium Græciæ nequaquam concedendum, publicè sciuerant. Arcades vt soli Philippum Græcię principem facere abnuerant, ita nec Alexandro addicti tunc esse volebant. Peloponesii cæteri, vt Argiui, Eléi, Lacedæmonii, & quidã alii, studio iurisdictionis propriæ totis sese animis dederant. Gentes denique non paucæ, quæ tractus vltra Macedoniam incolebant, ad defectionem spectabant, & magnus inter barbaros illic motus erat. Quæ licèt ita se haberent tantis regno negotiis, & tot vndiq; terroribus occupato, quãtumuis adolescẽs, omnes principatus sui difficultates, breui tẽporis spacio, præter omniũ existimationẽ, expeditas ac planas fecit: dũ hos colloquiorũ blanditiis, istos metu in viã reducit. nonnullos etiã vi domitos imperata facere cogit.

IV. Primos itaque Thessalos cognationis antiquæ ab Hercule vsq; deductæ admonitos, tum sermonum humanitate, tũ amplitudine munerum promissorũ excitatos, ad hoc induxit, vt imperium Græciæ a patre sibi hæreditariò traditum, publico Thessaliæ decreto ipsi deferrẽt. quo impetrato, conterminas etiam gentes in eundẽ fauorem adduxit, & ad Pylas transgressus, conuocato Amphictyonũ Senatu, vt communi omnium decreto summus Græciæ dux crearetur, effecit. Ambraciotis oratione humanissimã hoc persuasit, libertatẽ, quã ipsi paullò antè vindicarint, propenso in eos fauore, iam tũ se reddere illis cõstituisse. Vt verò dicto minùs audiẽtes perterrefaceret, copias Macedonũ ad terrorẽ instructas, citatis itineribus in Bœotiam traduxit: & castris iuxta Cadméam positis, ciuitati Thebanorum metũ incussit. Sub quo tẽpus Athenienses, transitu regis in Bœotiã explorato, floccipendere illum desinunt. celeritas enim iuuenis, & in rebus efficiendis grauitas, diffidentes ab illo magnoperè

percellebat. Athenienſes igitur de comportandis, quas ruri habebant, rebus, & mœnibus pro facultate muniendis, decretum faciunt; miſſisque legatis orant Alexandrum, vt veniam ipſis tribuat, quòd imperium non citiùs illi permiſiſſent. cum legatis etiam Demoſthenes ire iuſſus fuerat. ſed is cum cæteris ad Alexandrum non peruenit. nam ex Cithærone Athenas repetebat: vel quòd ob orationes publicè contra Macedones habitas, ſibi timeret, vel, vt inculpatum regi Perſarum ſe reſeruaret. magnam enim pecuniarum vim à Perſis, vt Macedonum cauſam in dicendis ſententiis oppugnaret, hunc accepiſſe fama eſt. quod Æſchinem quoque in oratione quadam, vbi munerum captationem Demoſtheni exprobrat, his verbis notaſſe dicunt: *Nunc regiũ quidem aurum abundè ſumptus illi ſubminiſtrat. Verùm nec hoc diu ſufficiet, nullæ enim vſquam diuitiæ improbis moribus ſat grandes eſſe poſſunt.* Porrò cùm legatis Athenienſium perhumaniter reſpondiſſet Alexander, ingenti populum metu liberauit. Legationes inde ac ſenatores Concilii ad Corinthum ſibi occurrere iubet. quò cùm veniſſent, qui conſiliis publicis præeſſe ſolebant; perbenignâ rex oratione diſſerens eò Græcos permouit, vt ſummum Græciæ imperatorem Alexandrum deſignarent, & auxilia contra Perſas, ob maleficia in Græcos vlciſcendos, ei ſciſcerent. hos conſecutus honores in Macedoniam rex cùm exercitu remeauit.

V. Iam memoratis Græciæ rebus, ad alia per Aſiam geſta ſtylum transferemus. Nam à Philippi interitu, Attalus ſtatim ad res nouandas ſe conuertit, iamque fœdus cum Athenienſibus, ad oppugnandum communi opera Alexandrum, inierat. ſed mutato pòſt conſilio, epiſtolam à Demoſthene ſibi redditam & aſſeruatam tranſmittit Alexandro, verborum blandimentis ingeſta ſibi crimina diluere conatus. Sed cùm Hecatæus Attalum iuſſu regis per dolum obtruncaſſet, Aſiaticus Macedonum exercitus ad defectionem propendere deſiit: quòd & Attalus iam exſtinctus, & Parmenio erga Alexandrum optimè affectus erat. Sed cùm de Perſarum regno iam ſcripturi ſimus; hiſtoriæ tempus, vt paulò altiùs repetamus, neceſſum eſt. Regnante pridem Philippo, Ochus Perſis imperabat, crudelémq; & violentum erga ſubditos ſeſe gerens, ob aſperitatem morum in odio cunctorum erat. Bagoas ergo militum tribunus, con-

ditione Eunuchus, ſed naturâ ſceleratus & bellicoſus, veneno regem tollit, medici ad hoc operâ vſus : filiúmque eius natu minimum Arſen nomine, in regnum collocauit. ſimul etiam fratribus noui regis (quorum tenerior adhuc ætas erat) necem intulit : vt deſertus hoc modo rex, tanto plus obſequii illi præſtaret. Cùm verò ſceleribus iſtis offenſus adoleſcens, quòd pœnas de auctore ſumturus eſſet, manifeſtis argumentis declararet ; inſidiis deprehenſis, Bagoas Arſen cum liberis, tertio imperii anno è vitâ tollit. Regiâ domo ſic ad ſolitudinē redactâ, cùm nemo ex eâ gente ſupereſſet, qui ſucceſſionē in regno ſibi vēdicaret, Dariū, ex amicis quendā adoptatum, in regni poſſeſſionē cóllocat. Hic Arſanum (qui Artaxerxis Perſarū regis frater erat) parentem habebat. Bagoæ autem ſingulare quiddam & memoratu dignum euenit. ſanguinariâ enim crudelitate, cui hactenus adſueuerat, inductus, medicatâ potione etiam Darium necare inſtituit. ſed inſidiis per indicium patefactis, rex Bagoæ comiter aduocato, poculum tradit, & ad ebibendum illud vi hominem adigit.

VI. Dignus regno propterea habitus eſt, quòd virtute Perſis omnibus anteire crederetur. Cùm enim Artaxerxes rex bellum aliquando cum Caduſiis gereret, & quidam ex hoſtium numero, vir corporis & animi firmitate nobilis, aliquem ex Perſis, cuicunque animus tam præſens & alacer, ſingulare ad certamen prouocaret, nemine ſe obuiam dare auſo, Darius iſte ſolus adiit periculum, & prouocatorem interemit. ob quod magnificis à rege præmiis honeſtatus, primam virtutis gloriam inter Perſas retulit. Ob hoc itaque viri ſtrenui facinus dignus qui regno præeſſet iudicatus, imperium accepit, ſub idem fermè tempus, quo defuncto Philippo Alexander ſucceſſit. Talem ſanè virum cùm virtuti Alexandri fortuna dediſſet aduerſarium, vt plura magnis viribus certamina inter eos de principatu committerentur, euenit. Verùm iſta res illorum ſingulatim explicatæ clariora deinceps facient. Iam ad connexam hiſtoriæ ſeriem nos referemus.

VII. Darius itaque, iam ante Philippi mortem ad regni culmen euectus, vt futurum inde bellum in Macedoniam auerteret, ſtudioſè contendebat. ſed poſtquam ille viuere deſiit, metu ſolutus, iuuentutem Alexandri non magni faciendam exiſtimauit. Poſtquam verò ſtrenuitas rerum gerendarum & celeritas effecerat, vt imperator totius Græ-

ciæ crearetur Alexander; iámque virtus adolescentis vbique gentium prædicabatur: ad meliora demum consilia reuocatus a re ipsa, multum cogendis exercitibus diligentiæ aduertit, & comparatâ magnâ triremium classe, numerosáque militum vi contractâ, duces omniû optimos delegit: inter quos etiam Memnon ille Rhodius erat, virtute ac peritia rerum militarium excellens. hunc quinque conductitiorû millibus attributis, rex iusserat, vt Cyzicum profectus, subigendæ vrbis periculum faceret. is hanc armatorum manum per Idam ducebat. montem illum ab Ida Melissæi nomen traxisse fabulantur. & altitudine cæteros ad Hellespontum sitos exsuperans in medio sui specum diis aptum habet; vbi deas Alexandri iudicium subiisse perhibent. Idæos quoque Dactylos in eo natos fama est; qui principes à deorum matre artem edocti, ferrum cudere cœperût. Res singularis & admiranda loco huic accidit. nam circa ortum caniculæ in summo montis vertice tanta aëris circumfusi est tranquillitas, vt iuga illa ventorum flatus superemineant: & sol profunda etiamnum nocte ita oriri videtur, vt radios non in circuli figuram conuersos habeat, sed flammam per multos hinc illinc tractus dispergat, vnde fit, vt finitorem terræ ignes plurimi contingere videantur. qui paullò pòst in vnam coarctantur magnitudinê, donec plethri tergemini spacium existat. tunc demum luce iam appetente, solis corpus veluti iam completum sese exhibens, vsitatâ diei lucem reddit. Porrò Memnon supergressus eum montem impressione subitâ, Cyzicenorum vrbem inuadit, nec multum aberat, quin in potestatem suam redegisset. conatis tamen illis excidens agrum populatur, &, ingenti prædâ onustus, redit. Inter hæc Parmenio Grynium vi capit, ac ciues sub coronâ vendit. hinc Pitanen oppugnat, sed Memnon superueniens, incusso Macedonibus terrore, obsidionê soluit. Posthæc Callas cum Macedonum & conductitiorum agmine in Troade cum Persis, numero longè superioribus, confligit; sed victus in Rœtéum sese recipit. Atque is tum Asiæ status erat.

VII

Alexander verò compositis Græciæ motibus, arma in Thraciam expedit, gentésque multas ibi tumultuantes perterrefaciens, ad imperata faciendû cogit. Tunc & Pœoniam Illyridémque & conterminas hisce terras, inuadit, & incolarum plurimis, qui à fide regis desciuerant, subactis, Barbaros illis

illis finitimos imperio suo adiungit. His dum occupatur, quidam nunciatum adueniunt, multos Grecorum rebus nouis intentos esse, nec paucas Græciæ ciuitates, inprimis verò Thebanos, imperio eius renunciasse. His vehementer exacerbatus, in Macedoniam retrò tendit, turbas in Græcia sedare quamprimùm maturans. Iámque præsidium Macedonum è Cadmeâ expellere Thebani properantes arcem obsidebant, cùm illicò rex superueniens iuxta vrbem, cum toto exercitu consedit. Thebani iam ante regis aduentum fossis profundis, densáque vallorum serie, Cadméam ita cinxerant, vt nec auxilia, nec commeatus intromitti possent. ad Arcades præterea, & Argiuos Eleósque miserant, qui de auxiliis solicitarentur. per legatos etiam Athenienses, vt præstò sibi essent, rogitârant, magnámque vim armorum gratis à Demosthene acceperant, quâ turbam inermem instruxerant. Ex illis ergò, quorum auxilia Thebani implorauerant, Peloponnesii, copias ad Isthmum præmiserunt. quas ad regis vsque aduentum, qui in exspectatione erat, mores nectere iubebât. Athenienses, licèt Demosthenis suasu auxilia Thebanis decreuissent, copiarũ tamen nihil miserunt, cùm quò belli momẽta inclinatura essent, obseruarent. Interea & dux præsidii intra Cadmeâ Philotas, Thebanos magno in oppugnationẽ apparatu incumbere videns, magnam firmandis mœnibus diligentiam impendebat, telorúmque omne genus maximo numero sibi comparauerat.

IX. Postquam verò cum vniuersis copiis ex improuiso rex è Thraciâ venisset, incertáque esset sociorum accessio; interim tamen longè maiores hostium vires manifestissimè conspicerent; coacto ducum senatu, de belli ratione Thebani consilia cœpêre, placuitque omnibus, vt pro reipublicæ suæ libertate decertarent. quam sententiam cùm etiam vulgus comprobaret, omnes magnâ sese animorum promptitudine ad pugnæ discrimen accingebant. Sed rex ad tempus suos continens, mutandi consilii spacium illis permisit, nequaquam fore existimans, vt vna ciuitas tantas contra vires in aciem descenderet. nam vltra x x x millia peditum, nec infra tria millia equitum Alexander tunc temporis habebat, omnésque in bellicis conflictibus exercitatissimi erant, & Philippi commilitones in omnibus fermè pugnis inuicti manserant; quorum etiam virtute & alacritate confisus, finem imperio Persarum afferre in

animum induxerat. Quod si Thebani temporum difficultati cedentes de pace & transactione legatos ad Macedones misissent, libenter conueniendi sui copiam illis præbuisset rex, & cuncta rogatus concessisset. Nam oppressis Græciç tumultibus, minùs impeditum cum Persis bellum gerere cupiebat. Postquàm verò à Thebanis contemtui se haberi animaduertit, vrbem funditus delere, & hoc terrore conatus aliorum, qui desciscere fortè auderent, inhibere statuit. Iámque instructa ad dimicandum acies erat, cùm rex per caduceatorem proclamari iussit, vt quicunque Thebanorum vellet, ad se transiret, & communi Græcorum pace frueretur. Thebani contrà ambitione cum hoste certãtes, è turre quadam altissimá præconis voce denunciárũt, si cui animus cum magno rege & Thebanis Græcos in libertatem vindicare, & tyrannum Græciæ opprimere, ad ipsos se conferret. Hinc summo dolore ictus Alexander, ad eam iracundiæ acerbitatem processit, vt omni genere supplicii Thebanos mactandos iudicaret. Efferatus igitur animo machinas ad oppugnationem vrbium destinatas componit, aliáque ad conflictum expedit. X. Interea Græci mole periculorum Thebanis imminentium animaduersâ, calamitates quidem iamiam illos obruituras molestissimè ferebant, auxilio tamen vrbem leuare neutiquam audebant, quòd temerè nullóque vsi consilio in manifestam se perniciem præcipitassent. sed Thebani promtè, magnâque animorum fiduciâ discrimina excipiebant. Fatidicæ tamen quædam voces, & deorum portenta dubitationem illis mouerant. nam quod primum fuit, in Cereris fano subtilis quędam araneæ tela expandi visa est, quæ pallium magnitudine æquans, Irin cœlestem per omnia similem in circuitu repræsentabat. de quo Sortes illis Delphicæ hoc oraculum cecinerunt;

Hoc monstrum cunctis Numen mortalibus offert,
Præcipuè Bœote tibi, & vicina colenti.

Patrium deinde oraculum Thebanis hanc vocem edidit,

Commoda fert alii, tela hæc, aliiq; ruinam.

Prodigium hoc tribus ante regis contra Thebas aduentum mensibus accidit. Sub ipsam verò impressionem, Alexandri statuæ in foro dispositæ, multum sudoris emittere, magnísque guttis oppleri sunt conspectæ. & præter hæc, nunciatum quidam magistratibus venerunt, quòd lacus in Oncheste

vocem

vocem mugitus instar reddiderit. & quòd aquæ superficies in Dirce cruoris specie inhorruerit. Adfuerunt è Delphis alii, qui culmen fani de manubiis Phocensium à Thebanis extructi, cruentum videri referrent. Qui coniectandis igitur prodigiorum significationibus operam dari solent, per telam deorum ab vrbe discessum; per Iridis colorem, variorum tempestatem negociorum, per imaginum sudorem, extremam malorum perpessionem, per sanguinem denique pluribus in locis visum, fœdas in vrbe cædes portendi affirmârunt. Consilium idcircò dabant, vt quia futuram vrbi calamitatem tam apertè dii significarent, ne collatâ cum hostibus acie bellum disceptarent, sed alium componendi eius modum per conditiones longè tutiorem quærerent. At Thebani nequaquam animos emolliri sinebant, quin ex contrario ardore suo prouecti, felicem pugnæ Leuctricæ, aliarúmque, vbi victorias propriâ virtute insperatas obtinuissent, successum alter alteri in memoriam redigebant. Quo factum, vt Thebani promptitudine animorum magis forti quàm prudente vsi, internecinam patriæ in calamitatem se præcipitârint.

I. Interea cùm tridui ad summum spacio rex omnia, quæ ad oppugnationem vrbis & exercitus instructionem conducerent, præparasset: exercitum in tres partes diuidit. vnam vallum vrbi prætensum aggredi iubet. alteram Thebanorum aciei obiicit. tertiam ad subueniendum defessis, & redintegrandum successione prælium, in subsidiis relinquit. At Thebani equitatum intra vallum constituunt. seruos autem manumissos, exsulésque & inquilinos, mœnia per vim adorituris opponunt. Ipsi cum Macedonicâ regis phalange mœnibus vim facturâ, licèt numero longè superarentur, manus conserunt. Tum liberi & vxores ad templa decurrunt, deósque, vt patriam è summo discrimine eripiant, supplices exposcunt. Vbi Macedones approximârant, designatum sibi agmen singuli inuadunt, datóque tubis signo, clamor sub idem tempus ab vtroque exercitu tollitur, ac leue telorum genus in hostem expeditur. quo statim consumto, gladiis cominus res geri cœpit. ibi demum atrox initur pugna. Macedones enim, quòd & militum numero, & phalangis impressione præualerent, vim, haud facilè sustinendam, inferebant. Thebani rursus, quòd viribus corporum supereminerent, & perpetuis gymnasiorum studiis ex-

ercitati essent, præsentiâ insuper animorum excellerent, difficilima quæque fortiter tolerabant. ideò plurimi vtrinque sauciari, nec pauci vulneribus aduersis cadere. In medio decertantium conflictu gemitum simul & vociferatum, crebrásque exhortationes audiuisses; à parte Macedonum; ne strenuè priùs gesta turpitudine aliquâ contaminarēt: apud Thebanos; ne liberos & parentes, in extremæ seruitutis discrimen venire, patriámque cum familiis vniuersis ferocissimæ Macedonum libidini prostitui & exponi finerent: quin potiùs commissæ ad Leuctra & Mantinéam pugnæ, facinorúmque toto passim orbe decantatorum, quisque secum recordaretur. Ad longum itaque tempus, vt ambiguus pugnæ euentus esset, summa dimicantium virtus efficiebat.

XII. Hinc vbi promptissimè libertatis amore Thebanos decertare, Macedones rursus pugnando fatigari, vidit Alexander, triariis, quos in subsidiis collocauerat, vt vicem laborantium in pugnâ exciperent, imperauit. Macedones igitur subitò in Thebanos iam defessos impetu incursantes, grauiter hostes premunt. multósque conficiunt. nec tamen ideò victoriam hostibus Thebani concedunt. quin potiùs eò studii & alacritatis processerant, vt omnia iam aduersa nihili æstimarent: tantúmq; animorū virtus illis adiecerat, vt Macedones se Thebanis inferiores fateri, exclamarēt. Cúmque cæteri omnes integras subsidiorum vires in eiusmodi successione hostium reformidare soleant, hi soli animosiùs se periculis obtulerunt, quando in locum defatigatorum subsidiarium hostes agmen submittebant. Dúmq; inuictâ vtriusque partis contentione ita pugnatur, rex portam quandam exiguam à statione vigilum destitutā videns, Perdiccam eò cum cohortibus aliquot mittit, qui ingressu illius occupato, in vrbem introrumpat. hoc imperata strenuè exsequente, Macedones per angiportum in vrbem statim penetrant. Quamuis autem Thebani, quòd primam dudum phalangem debilitassent, iam secundæ fortiter resisterent, bonam victoriæ spem concepissent; tamen vbi partem vrbis occupatam animaduertêre, statim intra muros pedem referunt. Quæ dum geruntur, equites Thebanorum vnà cum pedestri agmine in vrbem recurrere festinant, multósque suorum obtritos perimunt. ipsi etiam dum trepidanter, & confusè vrbi sese ingerunt, inter vicorum angustias, fossásque in arma sua incursantes,

santes, vitæ iacturam faciunt. Inter hæc præsidiarii Cadmeæ
ex arce velut torrens effusi, Thebanis occurrunt, & pertur-
batos adorti, prolixam cædem faciunt. Captâ igitur ad
hunc modũ vrbe, intra muros prolixa malorũ omnis gene-
ris tela struebatur. Macedones enim ob præconii illius su-
perbiã, acerbiùs quàm belli ius cõcedit, in Thebanos sæuie-
bant, multisq; minis in miseros inuecti, absq; vllâ misericor-
diæ ratione quemuis obuiam sibi factũ obtruncabant. Inter
has ærumnas tamẽ animus Thebanorũ, libertatis amorem
tutabatur. tantumq; aberat, vt de vitâ tuendâ soliciti essent, vt
in occursu cum hostibus colluctantes ad inferẽdum sibi vul-
nera spontè prouocarent. Vrbe namq; captâ, nemo Theba-
norum, qui Macedonum cuipiam, vt vitæ suæ parceret, sup-
plicasset, nemo qui ad genua victoris ignobiliter procidisset,
est cõspectus. At nec vlla virtutis afflictę miseratio apud ho-
stes erat; nec dies quamlibet longa ad explendã vindictę cru-
delissimæ libidinem sufficiebat. Tota equidem vrbs agi, rapi,
pueri iuxta ac virgines matris nomen miserabili voce incla-
mantes, huc illuc trahi. & vt paucis omnia complectamur,
familiæ cum totâ cognatione raptabantur, omnesq; ciuitatis
tribus captiuitatis iugũ subibãt. Thebanorũ adhuc supersti-
tũ, alii corpora vulneribus concisi & transfixi, licèt anima iã
deficeret, hostẽ tamen complexi, cũ lucro & solatio interẽpti
à se hostis expirabant. alii hastæ fragmento innixi, cũ obuiis
manũ conserebant, & postremũ certamen obeuntes, quantò
carior libertatis, quàm vitę incolumitas sibi esset declarabãt.
Tametsi verè ingens hominum cædes patrabatur, adeò vt
omnia vrbis loca cadaueribus repleta viderentur: nemo ta-
men erat, qui tam calamitosam afflictorum sortem intuens,
misericordia illos prosequutus fuisset. Nam etiam homines
Græci, vt Thespii, Platæenses, Orchomenii, & quidam alii,
inimicè erga Thebanos affecti, qui tunc sub rege stipendia
faciebant, vnà cum aliis in vrbem irruperant, odiúmque
suum inter extremas afflictorum clades exserebant. vnde ac-
cidit, vt multa atrocissimæ immanitatis exempla per vrbem
cernerentur. cùm Græci à Græcis immisericorditer macta-
rentur, & eiusdẽ gentis necessitudine inter se obstricti, nõ ha-
bito communis linguæ respectu trucidarentur. Interuenien-
te tandem nocte, diripiuntur ædes, pueri, muliebris sexus, æ-
tasque grandæua, qui in templa refugerant, cum extrema de-

honestatione abducuntur. Cæsi fuerunt de Thebanis vltra millia sex, capti plures tricies mille. Opum verò immensa vis distrahebatur. Macedonum supra 500 occubuerant; quos sepeliendos rex curauit. Tum Senatu Græcorum conuocato, ad communem patrum conscriptorum sententiam retulit, quomodo ciuitas Thebanorum tractanda foret. Vbi ad consilii disceptationem peruentum, quidam de maleuolis Thebanorum exitiales eis pœnas incutiendas censent, eósque cum barbaris contra Græcos conspirâsse, demonstrant. nam Xerxis tempore inter socios Persarum armis suis Græciam oppugnasse, solósque Græcorum, vt benefactores, à rege Persarum honorari; Legatis etiam Thebanorum solia proximè ante reges collocari. His & id genus aliis commemoratis, animos Senatorum in Thebanos vsque adeò concitârunt, vt vrbem solo æquandam, captiuos venumdandos, exsules Thebanos totâ vbique Græciâ ad pœnam retrahendos, nec ab vllo Græcorum Thebanum recipiendum, decernerent. Rex igitur in hac concilii sententiâ acquiescens, vrbem euertit, magnúmque pauorem Græcis defectioni obnoxiis inflixit. E captiuorum autem distractione talenta argenti CCCC & XL coëgit.

XIV.

XV.

Hinc misit Athenis, qui Oratores decem, inter quos Demosthenes & Lycurgus primarii erant, quòd populum contra ipsum concitassent, dedi postularent. Fit ergo conuentus, vbi cùm Legati ad multitudinem introducti postulata regis exposuissent, ingens ciuitatem angustia & perplexitas inuadit, dum & reipublicæ dignitatẽ tueri cupit, & simul propter Thebanorum exitium grande aliquod malum reformidans, in magnâ trepidatione versatur, vt quæ finitimorũ rebus aduersis iam cautior facta esset. Cúmque multi in concione sermones haberentur: Phocio tandem ille Bonus, qui contrariam Demostheni in administratione reipublicę rationẽ sequebatur, exsurgens, eos qui ad supplicium flagitarẽtur, Lei & Hiacynthi natas imitari, vltróque mortẽ subire, ne quid irrecuperabilis detrimenti respublica patiatur, iussit. Ignauiæ insuper & timiditatis crimẽ illis obiecit, quòd pro salute ciuitatis mortẽ recusarent. Sed hũc populus, offensis animis dicta excipiens, per tumultũ eiecit. Tunc oratione Demosthenis probè meditatâ populus ad misericordiam inflexus, viros se tueri velle ostendit. Ad extremũ Demades à Demosthene, vt ferunt, a-

micis

micis quinque talentorum largitione persuasus de eximendis periculo reis sententiam tulit. Psephisma præterea magno artificio scriptum legit, in hoc oratorum excusatio, populique pollicitatio, quòd in reos secundùm leges, si digni viderentur supplicio, animaduertere vellent, continebatur. Populus hoc Demadis commentum approbans, & decretum illud ratum esse iubet, & Demadem cum aliis quibusdam ad regem mittit, adiunctis mandatis, vt pro Thebanis simul exsulibus intercedens regem oret, vt tutum horum receptum populo concedat. Demades ergò legationem dextrè obiens, eloquentiæ suæ robore omnia confecit. nam vt criminibus Oratores exsolueret, & reliquorum omnium Atheniensibus copiam faceret, Alexandro persuasit. Posthæc in Macedoniam rex cum exercitu regressus, copiarum duces & amicorum præcipuos accersit, initóq; consilio, quid de expeditione in Asiam sentiant, quando bellum inchoandũ, & quâ ratione gerendum sit, sententias illorum exquirit. Antipatri sanè ac Parmenionis consilium erat, vt liberis priùs gignendis operam daret, ac tunc demũ rebus tam arduis manus admoueret. Sed rex, quòd & naturâ esset acer, & omni cessationi in negociis inimicus, sententiæ refragabatur. nam sibi, qui summus totius militiæ imperator à Græciâ iam creatus esset, & inuictas à patre copias accepisset, domi ad celebrandũ nuptias & sobolem exspectandum residere, turpe equidem fore, demonstrabat. Quamobrem postquàm de commodis huius belli eos docuisset, animosque ad certamina inflammasset, magnifica diis sacrificia, & scenicos Ioui Musisque ludos, ab Archelao eius antecessore institutos, ad Dium Macedoniæ peregit. Durauit huius festi celebritas ad nouẽ dies, ita vt Musæ cuiusque nomini dies vnus dicaretur. Quin & tabernaculum, quod centum lectos caperet, instruxit, vbi necessarios, ducesque & ciuitatum legatos conuiuio excepit. Post splendidos ergo conuiuii apparatus, quo nõ solùm magnam hominum multitudinem opiparè tractauit, sed in vniuersum pariter exercitum victimas, aliaque festiuæ hilaritati congrua distribuit, copias hinc illinc adsumsit.

Archon tunc Athenis erat Ctesicles, Romæque Consules Caius Sulpicius, & Lucius Papirius, quando Alexander cum exercitu ad Hellespontum progressus, ex Europâ in Asiam copias traiecit. Ipse quinquaginta cum nauibus longis

Troadem appulsus, Macedonum primus hastam è naui eiaculatus littore defixit, & puppi exsiliens à diis ipsis Asiam hasta subacta in se accipere, ostendit. Mox Heroum, Achillis & Aiacis cæterorumque sepulcra inferiis, & aliis quæ ad gloriosam venerationem pertinent, honorat. Et recensitis diligenter copiis, quæ cũ ipso transfretarant, ccIↃↃ & cIↃ cIↃ cIↃ Macedonum, septem millia sociorum, & quinque millia eorum qui stipendia merebant, in peditatu sunt inuenta: hisq; omnibus Parmenio erat præfectus. Sequebantur hos Odrysæ, Triballi & Illyrii ad IↃↃ. mille præterea sagittarii, quos Agrianes vocant; ita vt xxx millium peditatus esset in vniuersum. equitũ porrò fuerunt è Macedonia cIↃ IↃ ccc. Philotâ Parmenionis filio ductore. è Thessaliâ totidẽ, quos Callas Harpali ducebat. è reliquâ Græcia toto numero IↃ c, sub Eurygyii imperio. Præcursores tandem è Thraciâ, & Pæones IↃ cccc, qui Cassandrum habebât ducem. vt vniuersus equitum numerus esset cIↃ cIↃ cIↃ cIↃ IↃ. In Europa interim sub Antipatri administratione peditũ xii millia, & cIↃ IↃ equites reliquerat. Cùm digressus ex Troade rex ad Mineruæ delubrum venisset, Alexãder sacrificus ante fanum Ariobarzanis, Phrygiæ quondam Satrapæ, imaginẽ humi prostratam animaduertit. & quædam alia non infausti ominis signa videt. Accedens igitur regem prælio equestri non exiguo victorẽ esse futurum asseuerat; inprimis si circa Phrygiã in certamen cũ hoste se dimittat. Suis præterea manibus nobilẽ hostiũ ducẽ in acie necaturũ iri, adiungit. Hæc enim à superis & potissimùm Mineruâ, quæ multum opis ad felices rerum successus allatura sit, ipsi portendi.

Alexander itaq; hanc vatis prædictionẽ pro ratâ gratâque habens, splendidũ Mineruæ epulũ adornat, suâq; armatura illi dicata, de repositis in templo aliam inter omnes firmissimã desumsit; quâ primâ deinde pugnâ vtens, gloriosam suâ ipsius virtute victoriã adeptus est. sed hæc paucis pòst diebus euenerunt. Interea Persarum duces, cùm longiùs moram transitu Macedones prohibere non possent, quam belli contra Alexandrum gerendi inirent rationem, congressi deliberarant. Memnon ibi Rhodius, imperatoriis artibus perquàm celebris, ne collatis signis dimicarent, sed agris longè latéque peruastatis, necessariorum inopiâ vlterius progrediendi facultatẽ Macedonibus intercluderent, naualibusque

X. VI.

simul

simul & terrestribus copiis in Macedoniam deportatis,totā belli molem in Europam transferrent,censebat. Etiamsi verò consilium huius viri optimum erat(vt euentus postea docuit)reliquorum tamen ducum assensionem impetrare nequiuit, ac si consuleret ea quæ magnitudini animorum in Persis neutiquam conuenirent. Quare cùm sententia de cōflictu cum hostibus ineundo peruicisset,acciris vndique copiis,præfecti iam numero longè superiores in Phrygiam ad Hellespontum castra mouent,eaque proximè Granicū metantur,vt pro munimento fluuium haberent.

X. Alexander de Barbaricarum confluxu copiarum certior factus, citatis itineribus pergit,& castra ita castris obiicit,vt medio tātùm amne disiungerentur. Interea Barbari,pede montis occupato,nihil mouebāt,satiùs fore arbitrati, si in transitu hostes adorirentur, & dispersâ Macedonum phalange victoriā se faciliùs adepturos existimabant. Sed Alexander magnā rē fiduciâ gerens,sub primam diei lucem traiiciendis copiis hostem anteuertit,ordinatamque, vt decebat,aciem explicauit. Huic quàm latè frons porrecta erat,equitatus sui multitudinem Barbari opponebant,quòd primum mouere certamen per hos constituissent. Sinistrum latus Memnon Rhodius, & Arsamenes Satrapa,cum suo quisque equitatu,obtinebāt. Post hos Arsites Paphlagoniorum equitum turmas regens, collocatus erat. Successit huic Spithrobates Ioniæ Satrapa, equites Hyrcanos ducens. In dextro cornu dispositi erant bis mille ex Mediâ equites, Arrheomithrem secuti, & Bactriani numero pares. Medium agmen aliarum gentium equitatus ingenti numero, & robore eximio, in totum supra ccIↃↃ habebant. peditatus verò Persicus centum millibus hominum haud erat minor. Post primam igitur aciem constituti,quietem agebant,quòd equites labefactandis Macedonum viribus sufficere iudicarent. Etiam equitum vtrinque concursus alacriter fiebat; cùm Thessalorum, quibus Parmenio in sinistro cornu dux erat, turmæ hostilis aciei impressionem magno animorum robore exceperunt. Alexander cum optimorū equitum delectu sinistrū cornu administrans,primus cōcitatum in Persas equum immisit,cumq; hoste consertus,cædem ingentem fecit. Certatur à Barbaris strenuè,dū animos suos virtuti Macedonū oppōnūt.

XX. In vnum verò tunc locum,ad certamen victoriæ disceptandum

fortuna longè optimos congregârat. nam summus Ioniæ præfectus Spithrobates, natione Persa, Dariiq; regis gener, fortitudinis eximiæ vir, cum ingenti equitum manu in Macedones impetum fecerat; proque eo quadraginta stipatores, omnes sanguine iuncti, & virtute nulli cedentes, propugnabant. cum his aduersos sibi hostes grauissimè premere, & animosè dimicans partim cædere, partim vulnerare. Cumque violentum eius impetum nemo sustinere posset, Alexander conuerso in Barbaros equo, cominus cum Satrapâ cõgreditur. Ibi Persa, optato deûm munere hanc singularis pugnæ occasionem datã arbitratus, si suâ forsitan virtute à maximis terroribus Asiã liberare, & famigeratissimã hostis audaciam manibus suis infringere, & imminẽs Persarum gloriæ dedecus auertere posset, saunium (teli genus est) prior in Alexandrum coniicit, tantoq; roboris impetu incumbit, & tam violenter hastam impellit, vt perrupto Alexandri scuto, dextram eius epomidem (*humeri summitatẽ*) per thoracem traiecerit. Rex iaculum brachio extractum abiicit, & calcaribus equo admotis, valido roboris connixu in medium Satrapæ pectus hastam infligit. quo perpetrato, adstantes vtriusque exercitus ordines, præ summæ fortitudinis admiratione clamorem sustulêre. Sed quia cuspide in thorace fractâ, hastilis frustum inde resultârat, stricto Persa gladio Alexandrum inuadit. qui hastam priùs arreptam in faciem eius ita adegit, vt ictus penetraret. Quo temporis momento Rosaces interemti frater, equo inuectus, tam periculosum capiti regis vulnus incussit, vt casside perfractâ, caput leuiter sauciaret. iamque in eundem hiatum, alterum repetiturus erat ictum, quãdo Clitus Nigri cognomento, accelerans equum, manum barbari abscidit. Circa fratrem vtrumque glomerati consanguinei, initio iaculis Alexandrum impetunt, mox cominus aggressi, nullum discrimen non adibant, vt Alexandro necem inferrent. Is licèt multis grauibusque periculis implicatus teneretur, ab eâ tamẽ hostium multitudine, nequaquam vincebatur. Iam duos in thorace ictus acceperat, vnamque plagam galeæ, & tres clypeo, quem è templo Mineruæ detraxerat, inflictam habebat; nihilo magis tamen cessit: sed præsentis animi celsitudine contra omnes difficultates assurrexit. Interea plures alii nobilissimi ducum circa ipsum occumbebant; inter quos illustrissimi erãt Atyxyes & Pharnaces,

XXI.

ces,vxoris Darii frater;itemque Mithrobarzanes dux Cap-
padocum. Multis ergò ducibus int rfectis, cunctisque Per-
ſarum ordinibus Macedonum virtute profligatis,primi qui
contra Alexandrum in acie ſtabant,in fugam cōpelluntur.&
poſt hos alii quoque fugam arripiunt. Quo factum, vt pri-
mam fortitudinis laudem communi omnium confeſſione
Alexander ex eo prælio referret: totiusque victoriæ auctor
fuiſſe exiſtimaretur.ſecundam ab eo virtutis gloriam equites
Theſſali,quòd turmis optimè vſi, præclarè dimicaſſent, ob-
tinuêre. Fuſo fugatoq; equitatu, pedites inter ſe commiſſi ad
breue tempus decertarunt. nam Barbari fugâ ſuorum per-
culſi,deiectis animis etiam ipſi terga vertunt. Vniuerſus cæ-
ſorum numerus in acie Perſarum fuit cc I ɔ ɔ pedites,duóq;
amplius millia equitum viui in hoſtis manus venerunt vltra
vicies mille. Poſt eum confl ctum rex ſuos qui oppetierant
magnificè ſepulturæ tradit, excitatiores ad diſcrimina pu-
gnarum reddere cupiens milites eiuſmodi honeſtamentis.
Refectis inde copiis per Lydiam proceſſit,vrbemq; Sardia-
norum,cum arcibus & theſauris inibi conditis, Mithrinne
præfecto,voluntariam deditionem faciente,occupat. In-
terea Perſæ ex pugnâ elapſi,cum imperatore ſuo Memnone
profugerant Miletum. Hanc proximè caſtrametatus rex,
continenti muros aſſultu,feſſis integros ſubſtituens,per dies
ſingulos oppugnabat. Qui oppugnabantur,initio facilè de
muris ſe defendunt,quòd magna vis militum in vrbe cōgre-
gata,& vberrima telorum,atque cæterarum rerum,ad tole-
randam obſidionē militum, copia in promtu eſſet. vbi verò
acriùs rex mœnia,adhibitis machinis quaſſare, & oppugna-
tionem terrâ marique validiſſimè vrgere cœpit;iamque Ma-
cedones per diſiecti muri ruinas irruperant, ibi viribus infe-
riores in fugam conuertuntur. Et Mileſii cōfeſtim, ritu ſup-
plicum ad genua regis proſtrati, ſeſe & vrbem in eius fidem
tradunt. Ex Barbaris alii à Macedonibus trucidantur, alii ex
oppido dilapſi fugam intendunt; reliqui omnes capiuntur.
Cum Mileſiis humaniter & perbenignè egit;ſed cæteros o-
mnes mancipiorū loco diſtraxit. Cumq; nullus deinceps vſus
foret naualiū copiarum, & res ea magnos ſumptus poſtula-
ret,claſſem totam diſſoluit, pauculis tantùm nauibus exce-
ptis,quibus ad obſidionalia inſtrumenta vehendū vteretur:
inter quas etiā x x auxiliares erant Atheenienſiū. Sunt,

[margin notes: II. ; XXIII.]

qui imperatoria quadam prudentia hanc soluendæ classis rationem initam ab Alexandro, confirment. cùm enim aduentante Dario, prælium ingens committendum esse appareret, Macedones longè animosiùs dimicaturos, si omnẽ fugæ spẽ sibi præcisam viderent, illum existimasse. quod ipsum in pugna ad Granicum ab eo factitatum sit: vbi prouiderat, vt a tergo præliantibus amnis foret, ne, cùm certum fugientibus exitium in fluuio immineret, quisquam de fuga cogitaret. Per insequens etiam tempus Agathoclem Syracusiorum regem commentum hoc bellicum Alexandri secutum, magnam & insperatam sibi victoriam peperisse. cum exigua enim manu in Africam transuectum, incensis nauibus omnem fugæ spem militibus ademisse, iisque hoc pacto ad strenuè dimicandum coactis, Carthaginenses, quamuis permulta hominum millia contra ipsum instruerent, hac arte profligasse. Post captam Miletum, Persarum & conductitiorum multitudo, ducumque strenuissimi, Halicarnassum cateruatim se receperunt. Vrbium hæc in Caria maxima tunc erat; in qua regum sedes, arcibus elegantissimè conditis exornata. Per hoc ipsum tempus, Memnon vxorem liberosque ad Darium, veluti depositum quoddã mittit: simul benè ipsorum incolumitati prouisum existimans, simul etiam regem tam bonos obsides nactum, eò promptiorem fore, ad rerum omnium administrationem sibi credendam, sperans. quod & euentus statim confirmauit. Extemplò namq; Darius, missis ad accolas maris Asiatici littoris, vt omnes Memnoni obedientiam præstarent, demandauit. Hic ergo summam imperii adeptus, quæ ad elidendam Halicarnassi oppugnationem conducerent omnia præparabat. Rex interim oppugnationis instrumenta & annonam mari Halicarnassum mittit; & ipse cum toto agmine in Cariam contendit. quàque iter faceret, vrbes sermonis & officiorum humanitate sibi deuincit. Inprimis verò benignitatis suæ merita Græcis vrbibus testata facit, dum suis vti legibus, & à vectigalibus immunes esse, iubet: se pro liberatione Græcorum bellum in Persas suscepisse, identidem professus. Dumque iter adhuc facit, fœmina quædam, nomine Ada, generis ortu reges Cariæ quàm proximè attingens, illi occurrit: & verba super auito regno faciens, ad recuperandũ illud regis auxiliũ implorat. quod cùm vindicare sibi illam iussisset, Caras simul

XXI

hoc erga fœminam merito sibi quàm beneuolentissimos ef-
fecit. continuò enim ciuitates, missis ad regem legatis, aureis
illum coronis honorant, promptamque ad cuncta operā de-
ferunt atque pollicentur. Positis igitur ad vrbem castris, op-
pugnationem validam & terribilem instituit. nam primò per
vices oppugnantium continenter mœnia impetēdo, totos in
conflictu dies consumebat. pòst omni machinarum genere
admoto, fossisque ante vrbem trium adminiculo testudinē
expletis, arietum impactu turres murosque turribus inter-
iectos, quatiebat. & parte quadā euersa, per rudera deinceps,
consertis cum hoste manibus, vi in vrbem penetrare conten-
debat. Sed Memnon initiò Macedones mœnia oppugnan-
tes, quòd defensorum numero polleret, facilè propulsare, in-
strumentisque adactis, cum valida manu ex vrbe noctu effu-
sus, ignem machinis inijcere. Magnis igitur certaminibus
ante vrbem coortis, Macedones virtute quidem longè præ-
stabant; sed Persæ numero & apparatu validiores erant. Ad-
iutabant eos in conflictu super muros dispositi, dum præa-
cutis catapultarum missilibus nonnullos ex hostibus trans-

XV. figunt, quosdam vulneribus debilitant. Classicum vtrin-
que tubarum sonitu, & vociferatus simul vndique increbre-
scit, dum vtriusque partis milites egregiis suorum facinori-
bus intensâ voce acclamant. Iam alij sublatas in altum de
machinis flammas extinguere conantur: alij conferta cum
hostibus manu prolixam edunt stragem: pars intus pro mu-
ris collapsis, alios, prioribus longè apparatu grauiores, exci-
tat. Duces, cum Memnone in prima fronte pugnam cien-
tes, magnifica rem fortiter gerentibus munera offerunt.
Vnde factum, vt incredibile tam hìc quàm illic vincendi stu-
dium esset. Ideoque cernere tum erat, hos aduersis vul-
neribus confectos, iamque animum agentes ex acie de-
portari: illos, globo circa prostratorum corpora facto, a-
cerrimos pro referendis illis ad sepulturam conflictus
subire. alios, atrocitate periculorum iam remissiores fa-
ctos, magistrorum hortatu fiduciam resumere, animisque
reuocari. Sub ipsis tandem portis Macedonum nonnul-
li, cumque his Neoptolemus, vir spectatissimus, cadunt.
Duæ iam turres ad solum profligatæ, duoque turrium in-
terstitia deiecta erant; vbi Perdiccæ manipulares quidam
ebrii muros arcis temerè noctu inuadunt. sed Memnon

imperitiâ horum animaduersâ, cum suis erumpit, & multitudine longè superior, Macedones in fugã vertit, multisque vitam adimit. Cognito isto casu, Macedones cateruatim suis opitulantur, & pugna tunc aspera incrudescit. Tandem vbi Alexander cum manipulo suorum illis se ostendit, Persæ retropulsi, in vrbem denuò concluduntur. Tum cæsos ante mœnia per Caduceatorem rex factis induciis repetebat. At Ephialtes & Thrasybulus Athenienses, pro Persis arma tũc gerentes, ad sepulturam minimè reddendos esse censebant. Memnon tamen hanc regi petitionem largitur. Exin ducibus inter se consultantibus, Ephialtæ sententia erat, nequaquam exspectandum esse dum captâ vrbe omnes captiuitatem subirent: sed ductores ipsos cum mercenariis, pro salute cæterorum periculum aggressos, hostes inuadere debere. Memnon ergo peculiari quodam impetu ad virtutem rapi videns Ephialten, plurimumque in eo spei, propter animi præstantiam & singulare corporis robur, positum habens: quod consultum illi videbatur, agendum permittit. Is duobus conductitiorum millibus, quos ex omni numero accuratè delegerat, sibi adiunctis, dimidium facibus accensis instruit, cæteros in hostem armatos ire iubet. portisque subitò apertis, cum primâ luce se cum agmine effundens, in machinamenta ignem coniicit; & statim ingens flamma concitatur. Alios in altam constitutos phalangem ipse ducens, in Macedones, ad machinarum tutelam appropera ntes, impressionem facit. Rex, quid fieret persentiscens, Macedonum primores in fronte aciei ponit; inque horum subsidio delectissimos suorum collocat. his tertiam substituit aciem illorum, qui virtute cunctos superabant. Ipse verò totum ducens agmen, hosti, qui propter aciei firmitatem nullâ certaminis vi subigi posse videbatur, sese obiectat. interim alios qui incendium restinguant, & machinis succurrant, ire iusserat. Immensus vtrinque clamor simul excitatur, tubisque classicum insonantibus, grande certamen initur, dum ad summam gloriæ assequendæ cupiditatem nihil facerent reliquum. Ignem quidem ne vlteriùs grassetur, facilè Macedones impediunt. at in conflictu Ephialtæ agmen hosti præpollebat. is enim viribus corporis longè aliis præstans, quotquot manus conferrent, omnes interemit. Quique in muro recèns exstructo stationem

habebant,

habebant, continuò telorum iactu plurimos confecerunt. In eo namque turris ad centum cubitorum altitudinem educta fuerat, catapultis mucronatis referta. Cùm autem Macedonum plurimi caderent, & reliqui multitudine telorum fatigati pedem referrent, Memnoq; cum longè maiore militum numero subueniret, ipsemet etiam rex consilii perquã dubius erat. Iamque præualentibus oppidanis subitam rerum mutationem conflictus sortitur. Macedones enim veterani, qui tunc quidem ob ingrauescentem ætatem, vacationem à pugnis habebant; sed Philippo quondam militantes conflictibus non paucis victores extiterant; hoc temporis momento ad strenuitatem pristinam excitantur. Cúmque animorum firmitudine, ac rei militaris peritiâ, longè aliis præstarent, tyronibus, iam pugnam detrectantibus, acerbissimis ignauiam verbis exprobrant: mox vnum in agmen coëuntes, ipsi consertis inter se clypeis hostem, iam se vicisse arbitrantem, obuii excipiunt. Ac tandem Ephialte, multisque aliis neci traditis, reliquum vulgus in vrbem refugere compellunt. vnáque Macedones cum fugientibus permixti, intra mœnia sub noctis initium proruunt. cùm rex tamen receptui cani iussisset, in castra se recipiunt. Hinc Memnoni cęterisque ducibus ac Satrapis, inter se congressis, vrbem relinquere placuit. Optimorum ergo militum præsidio, cum idoneo apparatu in arcem collocato, reliquam hominum turbam & opes in Con secum transportarunt. Alexander verò sub primum diei ortum, quid factum esset, cognito, vrbem ipsam diruit, sed arcem muro fossáque insigni cinxit. Tunc partem copiarum cum præfectis in mediterranea ad vicinas gentes in ditionem redigendas, ire iussit qui bello strenuè administrato, vniuersas illas terras ad maiorem vsque Phrygiam imperio Alexandri subiungunt, & ex hostico commeatum militi subministrant. Alexander ipse totam littoralem Asiam vsque ad Ciliciam subigens, plurimas vrbes per deditionem acquirit; Castella verò munitiora per vim, acriter oppugnando, capit, inter quæ vno mirum ad modum potitur. hoc igitur vt gestum sit, ob insolentiam rei, meritò non est prætermittendum.

XVII (margin)

XVI. (margin) In extremis Lyciæ finibus magnam quandam & insigniter munitam rupem incolebent Marmarenses; hi, dum

iter illac facit Alexander; nouissimum eius agmen adorti, complures Macedonum interficiunt, magnumque tam captiuorum, quàm iumentorum numerum abripiunt. quâ proteruitate rex irritatus, oppugnare locum instituit, omni nixu in hoc incumbens, vt vi illo potiretur. sed Marmarenses, tum virtute suâ eximiâ, tum locorum firmitate confisi, obsidionem fortiter sustinebant. Per vnum itaque & alterum diem absque intermissione oppugnantur. iamque certum erat, regem non destiturum quo ad Petram expugnasset. Seniores igitur eius gentis initio iunioribus suadent, vt violentâ defensione posthabita, quibus possent conditionibus, cum rege pacem ineant. quod cùm illi detrectarent, & cuncti vnà cum libertate patriæ interire obnixè mallent. tandem vt liberis, vxoribus senibusque interemtis, ipsi, qui firmitate virium salutem sibi acquirere possent, noctu per medias hostium stationes penetrando in montes proximos aufugiant, exhortantur. Placet iuuentuti consilium, & statim fit edictum, vt vnusquisque domi suæ, vnà cum genere propinquis, delicatissimo cibo potuque refectus, extremum illud malum sustineat. Sed honestiùs quibusdam ex iuuenum cœtu (erant autem circiter IↃ C) visum est, à cæde cognatorum abstinere, & post incensas domos eruptione extra portas factâ, in montanis quærere receptum. mox quod decretum erat peragitur, & per hos, vt cuique suus pro sepulcro focus sit, effectum datur. Ipsi per media circumsidentium castra noctu elapsi, in montes propè sitos aufugerunt. Hæc quidem illo anno gesta sunt.

XXI

Sed in sequente, quo Nicocrates Athenis Archon fuit, & Romæ in consulari magistratu successerunt, Cæso Duilius, & Lucius Papirius, Darius grandem pecuniæ vim Memnoni transmisit, eumque totius belli imperatorem declarauit. Is numerosis mercenariorum cateruis vndique contractis, & CCC nauium classe cum omni apparatu instructa, in belli administrationem gnauiter incumbit. Chium itaque sibi adiungit. & Lesbum cum classe petens, Antissam, Methymnum, Pyrrhum & Eressum, non magno negocio, capit. Sed Mitylenen & Lesbum, quia maior erat, magnoque apparatu & propugnatorum multitudine probè instructa, per multos dies oppugnatam, post magnam suorum iacturam difficulter tandem expugnat. Cuius

ius ſtrenuitatis fama, cùm ſubitò percrebuiſſet, Cycladum Inſularum pleræque de pactionibus ineundis legationes miſerunt. Rumor tunc allapſus erat Græciæ, Memnonem totâ cum claſſe Eubœam inuaſurum: vnde factum, vt magno Inſulæ ciuitates metu perculſæ eſſent, & Græcorum nonnulli Perſarum ſocietatem amplexi, animos rerum nouarum ſpe arrectos haberent. Huc acceſſit, quòd Memnon Græcorum non paucis largitione corruptis, vt ſuas ad Perſarum ſpes aggregatas vellent, perſuaſerat. Atqui viri huius virtutem ad ampliora progredi fortuna non permiſit. cùm enim in valetudinem aduerſam incidiſſet, periculoſo quodam morbo correptus, è vitâ deceſſit. eiuſque morte res Darii labefactatæ ſunt. Rex enim totam belli molem ex Aſiâ in Europam translatum iri ſperauerat.

XX. Sed vbi de Memnonis obitu cognouit, amicorum ſenatu conuocato, deliberationem proponit, vtrum legati cum exercitu, an verò ipſe rex cum vniuerſis copiis eò profectus, cum Macedonibus fortunam certaminis experiri debeat. Tunc, vt rex ipſe in aciem deſcendat; (hoc enim modo promptiorem ad certamen fore multitudinem Perſarum) à nonnullis ſuadetur. Sed Charidemus Athenienſis, qui ob virtutem, & imperatoriæ artis præſtantiam, in magnâ erat admiratione, (ſub Philippo enim meruerat, in adminiſtrandis eius negociis princeps & conſultor optimus) Darium præmonet, ne regni fortunam aleæ temerè committat, ſed vt imperium Aſiæ rerumque ſummam ipſe quidem in poteſtate retineret, ad bellum verò legatum, qui virtutis ſuæ experimenta dediſſet, mittat. Centum quoque millia, quorum tertiam partem è Græciâ mercede conducat, ad expeditionem iſtam ſufficere confirmans; ſe quod cœptum foret probè confecturum, diſertè pollicetur. Aſſenſum initio verbis eius rex præbebat. Sed cùm obſtinatiùs refragarentur amici, & Charidemum in ſuſpicionem raperent, quaſi ſummam belli adminiſtrationem ideò affectaret, vt Perſarum imperium Macedonibus traderet; tantam Charidemus iram concepit, vt ignauiam Perſis exprobraret. quibus verbis exulceratum regis animum multò grauiùs offendit: dumque ira, quid expediat, proſpicere non ſinit; Charidemum baltheo

apprehenſum ex lege Perſarum, Darius ad necem abripiendum ſatellitibus tradit. qui dum ad ſupplicium trahitur. breui futurum, vt pœnitudine huius facti rex ducatur, & euerſionem regni intuitus, pœnas ſupplicii tam iniqui expendat, vociferatur. Hunc vitæ exitum Charidemus, magna ſpe deiectus, ob intempeſtiuam oris libertatẽ, conſecutus eſt. Regem verò ſimul ac ira animum dimiſit, ſtatim pœnitentia ſubiit, ſeque ipſum, vt qui peccatum atrociſſimum commiſiſſet, incuſauit. ſed regia poteſtas, quod factum erat, infectum reddere nequaquam potuit. Quanta igitur Macedonum virtus eſſet coniectans, & Alexandri ſtrenuitatem ob oculos ſibi ponens, idoneum Memnoni ſucceſſorem, cui ſummam belli commendaret, inquiſiuit. ſed cùm nullum reperiret, ipſe tandem in diſcrimen, pro regni ſalute adeundum, ſe demittere cogitur. Ex omnibus igitur locis confeſtim milites euocat, & Babylonem conuenire iubet. tum ex amicis & cognatis idoneos ſibi viſos deligit, quorum aliis imperia, quæ ſingulis conuenirent, diſpartitur; alios in hoſtem ſecum ire iubet. Quàm primùm ergo definitum expeditionis tempus aduenit, omnes Babylone congregantur. peditum numerus CCCC millia, equitum millia centum exceſſit. Cùm tam validis copiis Babylonem egreſſus Ciliciam verſus mouit, vxorem & liberos, filium nempè & duas filias matremque in comitatu habens. Inter hæc Alexander, priùs quàm Memnon obiiſſet, vbi Chium vrbesque Lesbi occupatas, & Mitylenen vi captam, Memnonem inſuper CCC triremibus Macedoniam inuaſurum, & Græcorum plurimos ad defectionem paratos, intellexit, non mediocriter erat perturbatus. Sed quàm primùm de Memnonis obitu nuncium accepit, angore illo ſuperſedit. Sed breui pòſt morbo grauiſſimo laborare cœpit, quo periculosè decumbens, medicos accerſit. at cæterorum quidem vnuſquiſque ad deſperatam medicationem difficilem ſe præbebat. vnus tantùm Philippus Acarnan genere, qui ſubita quadam, audacique medendi ratione vti ſolebat, medicata potione vim morbi ſe leuaturum promiſit. cui rex libenter obſequitur, quòd Darius iam Babylone mouiſſe nunciaretur. Medicus igitur per exhibitum illud medicamentum, dum & naturam ægrotantis, & artem ſuam adiutricem habet, morbo Alexandrum continuò liberauit. qui cùm præter ſpem tantum

tum

tum vitæ periculum euasisset, donis magnificentissimis medicum adfecit, & in fidissimorum ordinem amicorum recepit.

Per idem tempus mater regis, tum de aliis, quæ commodo fore putabat, tum quòd Alexandrum Lyncestæ cauere operæ precium foret, per literas eum admonuit. erat is fortitudine præstans, animique generosi plenus, & inter cæteros amicos Alexandrum comitantes fidei non postremæ. cùm igitur multa etiam alia criminationi non dissentanea concurrerent, captus ille & constrictus, dum quæstio super eo habeatur, custodiæ traditus fuit. Posthæc Darium paucorum itinere dierum abesse edoctus Alexander, Parmenonem cum exercitu ad transitum & portas, quas vocant, occupandum præmittit. qui statim illuc profectus, Barbaris, qui loca ista priùs insederant, deiectis, transitu potitur. Darius autem, vt exercitum haberet minùs impeditum, impedimenta turbamq; bellis inutilem Damasci, quæ Syriæ vrbs est, deposuit. Hinc Alexandrum difficultates locorum præoccupasse, cognito, quòd in apertis decertare campis ipsum non ausurum coniectaret, magnis itineribus in eum duxit. Locorum verò, per quæ Alexander ibat, homines, tum paucitatem Macedonum adspernati, tum multitudine ingruentis Persarum exercitus territati, posthabito Alexandro, Darii in partes concedunt, alimoniam prætere a, cæteraque necessaria magnâ animorum propensione Persis subministrant; suis denique præiudiciis victoriam Barbaris despondent. Interim Alexander Issum, Ciliciæ vrbem non ignobilem formidine perculsam, occupârat.

Per exploratores inde certior factus xxx tantùm stadiis abesse, iamque cum acie terribilem ad modum instructa appropinquare Darium, benigno deûm fauore occasionem sibi datam existimauit, vt vnius prælii victoriâ toti Persarum imperio ruinam acceleraret. Oratione igitur ad præsens negocium accommodatâ, militum suorum animos ad certamen de summa rerum hortando accendebat. Peditumque ordines, & equitum turmas, prout loci eius ratio exigere visa est, disponens, equites ante totam aciem constituebat, peditatu à tergis illorum, in subsidiis, manere iusso. Ipse dextrum agens cornu, cum equitum fortissimis hosti obuiam procedit. Cornu læuum equites

Thessali, fortitudine bellandique peritiâ cæteros longè exsuperantes, obtinebant. Iamque intra teli iactum peruentum erat; vbi tantus missilium velut imber effunditur, vt præ densissima illorum copiâ ex mutuo inter se concursu ictus infirmiores redderentur. Mox cùm bellicum vtrinque tubarum clangore intonuisset, Macedones primi, excitato barritu, clamorem ingentem edunt: dumque à Barbaris ex aduerso responsatur, omnis regio montana in propinquo mugitum retorquet: sed crassitudo huius vociferationis priorem longè superabat, quippe quam millia hominum quingenta simul extulerant. Tunc Alexander, oculis per omnia circumuersis, Darium sicubi videret, inuestigabat. quem simul vt in conspectum accepit, illicò cum equitum circa se delectu in eum inuehitur, non tam Persas superare, quàm victoriam suo Marte conciliare, properans. Interim etiam reliquus vniuersus equitatus conflictum init, fitque prolixa cædes. Sed dimicantium virtus ambiguum victoriæ iudicium, dum huc illuc propter alternam subinde mutationem fluctuat, ad tempus faciebat. neque enim iaculantis neque ferientis ociosus aut irritus cuiusquam ictus erat, quòd certus in tantâ multitudine vbique scopus esset. Ideò quàm plurimi vulneribus aduersis confici. alii ad extremum vsque halitum fortiter præliantes, vitam priùs quàm virtutem relinquere.

XXXIV. At ordinum ductores pro suis manipularibus propugnantes, suæ virtutis exemplo gregarios etiam milites ad fortitudinem excitare. Multas tunc vulnerum species, variasque & ingentes pro victoriâ contentiones, cernere erat. Oxathres Persa, Darii frater, magnam fortitudinis laudem promeritus, vt Alexandrum peruicaci in Darium studio tendere conspexit, eiusdem fortunæ periculum cum fratre communicare statuit. cum præstantissimis igitur equitum, quos è turmis suis delegerat, in Alexandri globum impressionem facit: & quia pietatem erga fratrem gloriæ sibi omnium illustrissimæ conciliatricem fore sperabat, pro Darii quadrigis propugnare insistit, tamque scienter quàm audacter cum hostibus congressus multos ad terram profligat. Quòd verò Macedones circa Alexandrum nullis strenuitate concederent, ingens citò strues cadauerum circa Darii currum excitatur. Dum enim quisque regi manus

Iniicere cupit, animosissimè vltrò citroque dimicatur. In hoc conflictu multi ex nobilissimis Persarum ducibus ceciderant. inter quos Antixyes & Rheomitres, Ægyptique Satrapes Tasiaces. Cúmque multi ex Macedonum etiam parte occumberent, vt ipse quoque Alexander circumfusis hostibus in femine sauciaretur, euénit. Tunc equi Darii iugales, qui currum eius trahebant, multis vulneribus adfecti, & cadauerum in orbem coaceruatorum multitudine consternati, frænis excussis, regem in medios fermè hostes abripuissent; nisi in extremo versans periculo habenas apprehendisset, principatus sui maiestatem, & legem Persarum regibus præscriptam hoc modo transgredi coactus. Interim alium ei currum ministri adducunt. in quem dum transcendit, perturbatio oritur; & Darius ipse, hoste pertinaciter incumbente, stupore metuque corripitur. Mox Persæ, regem suum trepidantem vt videre, fugam omnes capessunt. Sed cùm fuga inter angustias locorum & aspreta fieret, mutuo semet concursu proculcant, multique citra hostilem ictum emoriuntur. Aceruatim etiam alii prorsus inermes, alii suis adhuc armis instructi iacebant. quidam nudos eò vsque gladios retinuerant, dum commilitones his transfixi interimerentur. plurimi tamen, in patentiores campos elapsi, concitatissimo equorum cursu in amicas huc illuc vrbes profugerunt. Inter hæc Macedonum phalanx, & pedestre Persarum agmen ad exiguum tempus in acie stabat. fuso enim equitatu, iam veluti præludium victoriæ factum erat. omnes itaque Barbari statim terga vertunt. dumque per fauces illas fugam capessunt, breui totæ illic conualles cadauerum strage opplentur. Sed noctis interuentu adiuti Persæ in varia passim loca facilè dilabuntur.

XXXV.

Macedones verò persecutione intermissa, ad prædæ direptionem se conuertunt. præcipuum verò ipsis negocium est, circa tabernaculum regis, quod preciosissimarum ibi rerum diues esset copia. vnde consecutum, vt magnâ argenti, nec exigua auri, vestiumque incomparabili precio æstimandarum vis è prætorio efferretur. Haud secus amicorum regis & sanguine coniunctorum, ducumque cæterorum opes non modicæ distrahebantur. non enim ex regiâ tantùm domo, sed etiam

propinquorum & necessariorum familiis, sexus fœmineus in vehiculis deauratis, patrio quodam more Persarum, comitabantur. Vnaquæque illarum pro diuitiarum amplitudine, ac consuetudine delitiarum sumptuosissimi apparatus, mundique muliebris copiam secum circumferebat. Perquam verò miserabilis tum erat captiuorum status. nam quæ priùs in pilentis magnificis vix commodè satis inuectæ, nullam corporis partem nudam conspici sinebant, tunicâ vix simplici amictæ, vestitumque lacerantes, cum lamentis è papilionibus tunc prosiliebant, & implorata deorum commiseratione ac ope, victorum se genubus aduoluebant.

Nonnullæ manibus tremulis corporis sibi ornatum detrahere, passisque crinibus per aspera se loca proripere, & concursu inter se facto, opitulatrices implorare illas, quæ ipsæ aliorum ope indigebant. Alii capillis arreptas abstrahebant; alii discerptis vestibus nudis corporibus manus iniecerant, & imâ hastilium parte misellas verberabant: omneque contumeliæ genus in res Persarum honoratissimas & vbiq; celebratas, fortunæ indultu, exercebatur. Macedonũ tamen moderatiores, illã fortunæ mutationẽ intuentes, condolentiâ quadam infelicissimorũ hominũ sortem miserabantur: à quibus res intimæ & omnium carissimæ iã longissimè essent remotæ; peregrinę.a. & omnium inimicissimæ quàm proximè adessent; sors denique ad infelicissimam probrosamque captiuitatem deuenisset. Maximè verò ad lacrymas & misericordiam adstantes prouocauit Darii mater, cumque eâ regis vxor, duæque natæ iam nuptiis habiles, & filius adhuc puer. Fortunæ enim circa illas mutatio, & subitarum calamitatum magnitudo oculis subiecta, vt vicem illarum infelicissimam dolerent, intuentes non ab re promouebat. De Dario enim vtrum adhuc superstes viueret, an verò in communi aliorum strage & ipse periisset, nihil constabat. Interim à viris armatis, qui quos caperent ignorarent, & multa per ignorantiam indecôra facerent, Prætorium diripi, totamque denique Asiam vnà secum hastæ velut subiici, videbant. Satraparum vxoribus ad genua illarum prouolutis, & subsidium petentibus, non modò nihil opis adferre poterant, verùm vt suam ipsarum calamitatem sublcuarent, precibus contendebant. Tum regis ministri,

XXXVI.

stri, occupato Darii tabernaculo, balneas & mensas, quibus ille vsus fuerat, apparabant, accensisque tædis bene multis regem exspectabant, vt ab insectatione reuersus, omnem Darii apparatum occuparet. Asiæq; totius imperium felici hoc augurio capesseret. Porrò in acie ceciderant ad cxx millia peditum, equitumq; haud minus ccIↄↄ. Ex Macedonum autem peditatu ccc & cl equites. Pugna igitur ad Issum huiusmodi exitum sortita est.

Sed vt ad reges ipsos reuertar, Darius cum omni exercitu profligatus, fugam intendit, & equos longè optimos subinde mutans, quantâ cursus vi poterat, se longius inde proripuit, dum Alexandri manus euadere properat, ac Satrapias attingere superiores habet propositum. Alexander verò cum familiarium & optimorum equitum turmâ vestigiis fugientis instans, magno assequendi illius studio flagrabat. & cc stadia emensus, circa mediam noctem in castra redit: vbi postquàm corpus multo labore vexatum balneis recreasset, ad quietem & ad cœnam inde se conuertit. Interim ad matrem Darii quispiam veniens, Alexandrum à persequendo Dario, cui optima spolia detraxisset, reuersum nunciarat. Hîc ingens mulierum gemitus eiulatusq; oritur. & multitudine captiuarum in communem cum reginâ luctum ob triste nuncium effusâ, lamentis omnia replētur. Rex igitur, quid fœminis accidisset, intellecto, Leonatum, ex purpuratis familiaribus vnum, eò mittit, qui & vanum illis pauorem eximeret, & Sisygambrin (Darii matrem) hac denunciatione, viuere adhuc Darium, & Alexandrum conuenientem pristinæ dignitati rationem ipsarum habiturum, & cras ad humanitatem suam factis declarandum, eas allocuturum esse, consolaretur. Captiuæ igitur, quòd tum improuisa & prorsus insperata sibi felicitas contigisset, Alexandrū perinde ac deum veneratæ, ploratum ac lamentationem intermisêre. Rex verò quàm primùm illuxit, cum amicorum vno, quem maximo in precio habebat, Hephæstione reginas inuisit. sed quia par quidem vtrique corporis cultus. Hephæstioni verò maior tum formæ, tum staturæ dignitas erat: Sisygambris hunc, regem esse rata, prouoluto corpore illum veneratur. sed statim nutu manuque adstantium Alexandro designato, Sisygambris ob errorem pudefacta, repetito venerationis ritu, Alexandrum salutat. Quam

alleuans rex, Nihil est, inquit, mater quod hic te angat; nam & iste Alexander est. appellatione igitur illâ humanissimâ dum matronam ætate prouectam matrem nominat, quæ sua erga ipsas clementia futura sit, liquidò significat. cumq; alteram sibi matrem illam fore confirmasset, è vestigio quod verbis promiserat, re ipsa ratum fecit.

Nam regio illam ornatu circumdat, & dignitatem pristinam cum honoribus qui eam decerent, restituit. quippe omnem illi famulatum & cultum à Dario quondam concessum reddit; alium de suo non minorem insuper donans. Virginum præterea connubiis longè melius à se, quàm si pater ipse maritos eis deligeret, prouisum iri, filiumque regis, non secus ac suus si esset, se educaturum, & honoribus regiis dignaturum, spopondit. Aduocatum ergo osculatus, vt intrepido se vultu intuentem, & nihil omninò præ se ferentem pauoris, conspexit, ad Hephæstionem conuersus, hic puer sex annorum, ait, virtutis supra ætatem specimen exhibens, patre longè melior est. Darii simul vxoris, & regalis circa ipsam magnificentiæ, ne quid pristinâ felicitate indignum patiatur, prouidam se curam habiturum, recipit. Multis insuper aliis misericordiâ & humanitate plenissimis eas verbis allocutus effecit, vt ob inexspectatæ lætitiæ magnitudinem in vberrimas fœminæ lacrymas sese effunderent. supra hæc omnia tandem dextram illis porrexit. Vnde consecutum, vt non tantùm beneficiis his ornati, laudibus eum prolixis remunerarentur, sed omnes militiæ huius consortes incomparabilem eius clementiam & benignitatem pleno ore celebrarent. Ego sanè inter multas Alexandri res, quas magno cum honestatis & laudis decore gessit, nihil hoc ipso, neque maius, neque scriptione ac monimentis historiarum dignius esse arbitror. Vrbium enimuerò expugnationes & secundi conflictus, quæque alia prosperè in bellis geruntur, vt plurimùm fortunæ potiùs benignitate, quàm virtutis præstantiâ, homines adipiscuntur. at misericordiam in summâ potestate deuictis & calamitosis impertiri, hoc demum prudentiæ soli acceptum est referendum. Plerique enim, per fortunæ indulgentiam in rebus secundis cristas tollunt, & ob prosperos successus superbâ benignæ sortis fiduciâ tumentes, communis hominum infirmitatis obliuiscuntur. idcirco etiam qui fortunam propitiam,

vt gra-

vt graue quoddam onus perferre nequeant, plurimos videre licet. Itaq; Alexander, etsi hanc vitæ nostræ tempestatem multis ætatibus præcessit, iustam tamen etiam à posteris dignamq; suis virtutibus prædicationem nanciscatur. Cæterùm Darius cursu Babylonem versus confecto, reliquos à pugnâ Issensi collegit, & quamlibet magnâ clade affectus; nequaquam tamen animo fractus est, sed per literas Alexandrum monuit, vti fortunæ prosperitatem humanitus ferret, & magnâ pecuniarum vi acceptâ, permutationem captiuorum faceret. totum insuper Asiæ tractum, quem Halys flumen cursu definit cum vrbibus illi concessit, si amicus quàm hostis esse mallet. Tum Senatum amicorum ille conuocat, verasq; literas occultans, alias prout ad commodum ipsius vergerent, conscriptas in medium profert. quo factum, vt legati absq; effectu remitterentur. Darius ergo, negocium per literas componi posse diffidens, in apparatus belli maximos incumbit. Milites, quos aduersa proximi conflictus sors inermes fecerat, armaturis denuò instruit. aliosq; miro delectu in ordines militares succenturiat. Adhæc collectas in superioribus prouinciis copias, quas celeritas expeditionis eum relinquere coëgerat, accersit. Tantum deniq; in redintegrationem exercitus studii impendit, vt numerus, eo, qui ad Issum fuerat, duplo maior esset. octingenta enim peditum & ducenta equitum millia conuenêre. & præter hæc curruum falcatorum ingens multitudo. Hæc (tam memorabilia) anno illo peracta sunt.

XI. Proximè autem insequẽte, quo Athenæ Niceratum Archontem, Roma Marcũ Atilium, & Marcum Valerium Consules habuit, & Olympias altera post centesimã decimã Grylo Chalcidense victore, celebrabatur, Alexander postquàm ad Issum depugnatũ erat, tum suos in acie cæsos, tum ex hostibus etiam fortitudine cõspicuos, terræ mandauit. Pòst, magnificis deos epulis veneratus, milites, qui præclara virtutis documenta in prælio ediderant, pro cuiusq; merito præmiis honestauit. quo facto, per dies aliquot exercitui recreandi sui copiam præbuit. Inde Ægyptũ infestis armis petens, cùm Phœniciam attigisset, alias quidem vrbes promptâ incolarum deditione, omnes in fidẽ suam accepit. Tyrii soli, cùm rex Herculi Tyrio sacrum apud illos facere cogitasset, ingrediendę vrbis suæ copiã pertinaciùs illi denegant. Id permolestè ferens Alexander, vrbi se

vim Martiam illaturum minitatur. ſed Tyrii obfirmatis ad tolerandam obſidionem animis ſeſe parant; tum quòd magnam apud Darium ſe inituros gratiam, & ob beneuolentiæ fideique erga ipſam conſtantiam præclaris ſe donis remuneratum iri putarent, dum in diuturna & periculoſa vrbis oppugnatione diſtracto Alexandro moram Dario ad bellum reparandum ſuppeditarent: tum quòd plurimum fiduciæ munitionibus Inſulæ, & præparatis rerum copiis, in Carthaginenſibus etiam, à ſe oriundis, ſpem collocatam haberent. Rex ergo, licèt à mari, tum propter rerum ad murorum defenſionem præparatarum copiam, tum propter claſſem inibi inſtructam, oppugnationem difficilimam fore: à terrá verò, quòd vrbs quatuor ſtadiorum interuallo à continente abeſſet, nihil effici poſſe animaduerteret; quiduis tamen periculi atque laboris ſuſtineri, quàm ab vnâ nec adeò quidem magnifaciendâ vrbe, Macedonum potentiam deſpici, præſtabilius eſſe iudicabat. Antiquam ergo Tyrum (vt tunc vocitabant) confeſtim demolitur: totq; myriadum lapides congerentium opera fiebant, vt ad duûm plethrorum (CC pedum) latitudinem moles iaceretur. & quia vniuerſos vrbium vicinarum incolas acciuerat, non multum intercedebat temporis, cùm operarum multitudine opus abſolueretur.

XLI. Tyrii interim nauigiis ad molem aduecti, per riſum & ludibria regem interrogare, num ſuperiorem Neptuno ſe fore autumaret? Pòſt, vbi contrà quàm exiſtimârant incrementa moles acceperat, liberos & vxores cum ſenio cōfectis Carthaginem tranſportare decernunt: ætate autem florentes ad murorum defenſionem deligunt, & ad naualem pugnam (LXXX enim triremes habebant) expeditos reddunt. Tandem deponendâ quadam apud Carthaginenſes liberorum & vxorum parte (hoſtem) anteuertunt: ſed ab operãrium multitudine præuenti, cùm nauibus reſiſtendo non eſſent, oppugnationem ex omni parte tolerare coguntur. Quanquam verò magnam catapultarum, aliorumque machinamentorum ad depellendum expugnationem conducibilium vim habebant: aliis tamen longè pluribus ſe inſtruxerunt, idque non difficulter; quòd machinarum fabris, omniſque generis artificibus Tyrus abundaret. Per hos cùm varia nouæq; artis inſtrumenta adornarentur, accidit, vt vniuerſa

uersa vrbis pomeria machinis replerentur, ad eam partem maximè, vbi mœnibus agger imminebat. Iamque ad teli iactum à Macedonibus productum erat opus: cùm in dubio versantibus discrimine, prodigia à diis exhiberentur. nam fluctus ex alto mari incredibilis beluam magnitudinis ad molem appellit, quæ ad aggerem prouecta nihil equidem incommodi attulit: sed altera corporis parte acclinata ad mediocre tempus illic hæsit: multumq; erroris hac rei nouitate iniectum spectantibus fuit. Cúmque rursus in mare enatasset, vtrosq; religione occupauit: dum auxilio Neptunum sibi fore, pars vtraque animis ad suam vtilitatem inclinatis, hoc signo portendi auguratur. Prodigia insuper alia, quæ perturbationem ac terrorem vulgo incuterent, acciderunt. nam inter comedendum apud Macedones, qui frangebantur panes, colorem sanguineum referebant. Quidam (apud Tyrios) visum sibi obtigisse affirmabat, quo vrbe se excessurum, Apollo denunciasset. vbi cùm vulgus in gratiam Alexandri sermonem hunc confictum suspicaretur, iamque ad lapidibus obruendum hominem iuuenes properarent, à magistratibus ille subductus in templum Herculis profugit, atque hoc modo, quòd dei se tutelæ supplex commisisset, supplicium capitis euasit. Hinc Tyrii superstitione inducti, catenis aureis simulacrum Apollinis in basi deuinxêre, impedituri, vt persuasum habebant, dei ex vrbe migrationem.

XLII. Posthæc cùm molis incrementum terrorem oppidanis iniiceret, scaphas complures acutorum missilium tormentis & catapultis, sagittariisque & funditoribus onerant, & in exstruentes aggerem inuecti, multos sauciant, nec pauciores interimunt. Cùm enim in turbam densam inermémq; omnis generis tela confertim torquerentur; nullus frustra, quippe in expositos ictibus & indefensos, iactum dirigebat. nam quia in illâ molis angustiâ obuersam hosti frontem habere cogebantur, accidit vt non ex aduerso tantùm, sed etiã à tergo, missilibus ferirentur, neq; quisquam sibi ab vtrinq; sauciantibus cauere posset. Alexander itaque, vt detrimentum hoc inopinatum quàm citissimè resarciret, nauigiis quotquot habebat cum milite expeditis, ita vt dux ipse esset, ad reditum Phœnicibus intercipiendum, magno studio ad portum Tyriorum contendit. Tunc Barbari metuentes, ne

si portu foret potitus, vrbem etiam propugnatoribus vacuam caperet, summa festinatione ad vrbem redire instituunt. Vtraque sane pars propter summam præuertendi contentionem, remis strenuè rem agebat. Cumque Macedones iam iam portum subirent, parum aberat, quin omnes interiissent Phœnices. via tamen per vim aperta extremis nauium amissis, salui in vrbem rediere. Etsi autem rex magna spe deiectus erat, perficiendæ tamen moli iterum gnauiter incubuit, nauiumque frequentia effecit, vt operarii deinceps tutiores essent. Iamque opere ad vrbem quam proximè perducto, capi eam posse, non obscurum erat: cum vehementior exsurgens Caurus, bonam aggeris partem corrupit. Hæc fortuita molis ruina, Alexandrum tantopere animi perplexum reddidit, vt tentatæ obsidionis illum pœniteret. Sed tamen gloriæ studio incitatus incredibili magnitudine arbores in montibus excisas (illuc) deportauit, illisq; vna cum ramis terra aggesta impletis, vim fluctuum obstruxit. Postquam igitur euersas molis partes celeriter restituisset, iamque intra teli iactum ab operantium multitudine agger fuisset promotus, machinis in molis arce constitutis, petrariis mœnia deiiciebat, missilibusque acutis in propugnaculis collocatos submouebat. His (catapultis) sagittarii & funditores præstò erant, & complures de propugnatoribus oppidanis grauiter sauciabant.

XLIII. Mari tamen adsueti Tyrii, quibus artifices & machinarum structores non deerant, singularis industriæ artisque remedia sibi compararant. nam aduersus catapultarum tela rotas crebris intersepimentis distinctas fabricantur. Has dum machinæ cuiusdam adminiculo circumuersant, telorum alia comminuunt, alia in transuersum distorquent. impetum denique in omnia quamlibet violentum infringunt. Lapides autem è petrariis rotatos, dum machinis quibusdam mollibus, & facilè cedentibus excipiunt, vim tormentorum languidiorem reddunt. Tum rex oppugnatione ex aggere non contentus simul omni classe, veluti corona vrbem cingit, & circumquaque mœnibus accuratè lustratis, tam mari quam terra oppugnaturum se vrbem, non obscurè præ se ferebat. Ast vbi Tyrii cum classe occurrere non auderent, tres in portus ostio fortè stationem habentes rex adortus omnes confringit; & hinc in castra regreditur.

greditur. Mox Tyrii, vt mœnia duplo firmiora redderent,
quinque cubitorum interuallo in medio relicto, murum
alterum decem cubitos latum ædificant, & vacuum inter
vtrumque ſpacium lapidibus & ingeſtâ terrâ complent. A-
lexander verò iunctis inter ſe triremibus, impoſitisque o-
mnifariam machinamentis, ad centum vſque pedes murum
diruit. Et iam per rudera in vrbem irrumpi cœptum erat.
at Tyrii denſo telorum imbre effuſo, vix tandem hoſtes
auertunt, & profligati muri partem per noctem inſequen-
tem denuò exſtruunt. Poſteaquàm verò aggere cum mœ-
nibus coniunctæ vrbs in peninſulæ formam redacta fue-
rat, pro defenſione murorum, plurima eaque ingentia
certamina committi cœptum eſt. Nam licèt mali atroci-
tatem in conſpectu haberent, & calamitates expugnationi
adiunctas perpenderent: ita tamen animos contra pericu-
lum obfirmârunt, vt mortem contemptui haberent. Cùm
enim Macedones tantæ altitudinis turres admouerent, vt
murorum pinnas æquarent: & per pontes inde proiectos
audacter in mœnia tranſcenderent, Tyriis ex fabrorum in-
genio & ſolertiâ multa propugnationis auxilia ſuppete-
bant. hamatos enim tridentes eximiæ magnitudinis fabri-
cati, cominus locatos in turribus percutiebant. his in cly-
peos hoſtium defixis, quòd funes habebant annexos, quos
apprehenderant, ad ſe pertrahebant. nam alterutrum neceſ-
ſe erat, aut vt omiſſis armis, & nudatis corporibus in tan-
tâ multitudine telorum ſauciarentur, aut illis ob pudorem
retentis, præcipitati è turribus interirent. Alii retibus pi-
ſcatoriis in dimicantes ſupra pontes coniectis, quòd impli-
citas reddiderant manus, attractos ad terram deuol-
uebant.

LIV. Aliud inſuper miræ artis inuentum contra Macedonũ
virtutem excogitârant, quo hoſtium optimos quoſque hor-
rẽdæ & inexplicabili calamitati inuoluerũt. clypeos enim ex
ære ferroq; cuſos arenâ replebant, eoſq; tam diu igni multo
torrebant, donec incãdeſceret arena. hanc cùm machinâ qua-
dam in animoſiſſimè pugnantes conîicerent, extrema il-
los calamitate afficiebant. nam loricis & interulis ſe inſi-
nuans arena, carneſque feruore intenſiſſimo perurens,
nullum malo remedium concedebat. idcircò non ſecus
ac torturis ſubiecti, licèt omnis generis querelas cum ob-

ſecratione coniunctas ederent: nemo tamen qui opitularetur, erat. vnde præ affectionis illius atrociate, ad furorem adacti, inter miſerabiles & non explicandos cruciatus animam exhalabant. Interim etiam flammas, veruta & lapides in hoſtem mittere Phœnices non deſinebant, adeò vt multitudine telorum hoſtium virtus ſuccumberet. Antennis præterea falcatis funes arietum quibus concitabantur ſuccidentes, vim inſtrumentorum eneruabant. Tum machinis igniferis grandes è ferro maſſas in confertam hoſtium turbam mittebant, quæ propter denſitatem illorum aberrare non poterant. Coruis autem manibuſq; ferreis in loricis conſiſtentes abripiebant. Et quia multitudine propugnatorum abundabant, omnes oppugnantium machinas eludebant; multis inſuper neci datis.

XLV

Etſi verò ſummè perculſis animis conflictus difficultas vix amplius ſuſtineri poterat; nihil tamen de priſtinâ Macedones audaciâ remittere: ſed identidem ante ſe proſtratos ſupergreſſi aliorum clades in documentum ſuum vertere. Interim cùm Alexander catapultas ſuper balliſtas ſtatuiſſet, ingentibus ſaxis inde miſſis, mœnia quaſſat. & è catapultis magnam omnis generis telorum vim torquens, grauiſſima conſiſtentibus in muro vulnera infert. Cui malo vt machinamentum aliquod opponant Tyrii, rotas marmoreas ante mœnia ſtatuunt, eaſque inſtrumentis quibuſdam circumagitantes, delata è catapultis tela confringunt, aut in obliquum auertentes, ne quid ictu ſuo noceant emiſſa tela, efficiunt. Ad hæc coria pelleſque duplicatas, & fuco oblitas, conſuunt. his balliſtarum ictus excipiunt. & quia molliter cedebant, vis lapidum euibratorum facilè diſſoluebatur. Denique nullum non fortitudinis genus in defenſione adhibent Tyrii. & quia auxiliorum copia largè ſuppetebat, iam audentiores hoſti obuiam eunt. ideoque mœnibus & ſtationibus in ra turres relictis, in ipſos erumpunt pontes, virtutemque ſuam hoſtium ſtrenuitati opponunt. cum quibus conſertis manibus congreſſi, ingens pro patria certamen ineunt. Erant inter ipſos, qui ſecuribus partes de corpore occurrentium, quæcunque ictui expoſita eſſet, reſecarent. Ibi Macedonum dux quidam, Admetus nomine, fortitudine ac robore corporis eximius, cùm impetum Tyriorum animoſiùs exciperet, in medium caput ſecuri percuſſus heroicè

roicè vitam illicò finiuit. Alexander itaque Tyrios Macedonibus suis præualere conflictu videns, nocte iam appetente receptui canit. & primò quidē soluere obsidionem, & in Ægyptum expeditionem facere, constituit. sed mutato statim consilio, cùm Tyriis defensæ vrbis gloriam concedere, turpe duceret: quamuis vnum solummodò ex amicis, nempe Amyntam, Andromenis fratrem sententiæ approbatorem haberet: ad oppugnationem iterum se conuertit.

XLVI. Macedones igitur, ne fortitudine ipso deteriores se exhiberent cohortatus, vbi classem vniuersam necessariis ad bellum instruxisset, terra simul marique vrbem aggreditur. Animaduertens autē eam muri partem, vbi naualia erant, non ita firmā esse triremes, quæ machinas selectissimas vehebant, ceu iugo inter se connexas, illùc adigit. Ibi facinus, quod nec spectantes facilè crediderint, peragere ausus fuit. namque pontem ex ligneâ turri cùm vrbis mœnibus adiecisset, solus per illam in murum transcendit, nihil fortunæ inuidiam reueritus, nec vehementissimo Tyriorum impetu absterritus: sed copias, quæ Persis in certamine superiores exstiterant, virtutis spectatrices habens. Cæteros quidem Macedones subsequi se iussit, ipse verò princeps eorum, qui vim cominus inferebant, alios hastâ, alios ense feriens obtruncat: nonnullos etiam clypei vmbone subuertens, nimiam hostis audaciam compescit. Dum hæc verò geruntur, aliâ in parte aries vastam mœnium ruinam effecerat. Quare cùm & per nudata vrbis latera Macedones irruerent, & Alexander cum suis in murum transiisset, vrbs iam capta erat. Nec tamen oppidani virtutis suæ immemores erant: sed cohortati se mutuò viarum angustias munire, & pugnā eo vsque continuare, dum omnes conciderentur, quorum numerus VII millia exsuperabat. Rex verò imbellem ætatem fœmineumque sexum, seruituti addicit, iuuenesque omnes, quorum numerus non infra CIↃ CIↃ erat suspendio adficit. Atqui tanta captiuorum turba inuenta fuit, vt quamuis maxima pars Carthaginē deportata esset, reliquorum tamen vltra XIII millia numerarentur. In tantas ergo calamitates Tyrii maiori strenuitate quàm prudentia obsidionem tolerare ausi, post VII mensium oppugnationem, inciderunt. Tum aureas Apollini catenas & vincula Rex detraxit, & deum hunc deinceps Apollinem Phil-Alexan-

drum (quod est *singularem Alexandri amicum*) vocari iussit. Cúmque magnifica Herculi sacra peregisset, & honore affectis militibus qui strenuam in oppugnatione operam nauârant, defunctos honestissimè tumulasset, Tyriorum vrbi regem præfecit cui Ballonymo nomen.

XL Eius verò historiam accuratiorem posthabere, ob tam admirabilem sortis conuersionem, indignum fuerit. Postquàm enim rex superior, ob amicitiam cum Dario, imperio exutus fuerat, Alexander Hephæstioni potestatem dedit, vt quem hospitum suorum vellet, regem Tyro designaret. hic beneuolentiam suam hospiti, ad quem ex animi sententiâ diuerterat, testatam faciens, vrbis principem illum renunciare constituit. is verò, licèt opibus & dignitate ciues anteiret, tamen cùm nullâ reges cognatione attingeret, oblatum munus non accepit.

Permissum igitur ab Hephæstione, vt aliquem è regiâ stirpe delectum nominaret. ibi quendam è regiâ familiâ superesse indicat, virum quidem prudentem & bonum, sed extremâ paupertate afflictum. Huic cùm principatum Hephæstio concessisset, negocii huius procurator statim ad designatum contendens, in horto quodam ipsum offendit mercede aquas haurientem, lacernáque vilissimâ amictum: quem, mutatione fortunæ indicatâ, regiâ stolâ indutum, cæterísque ornamentis decentibus instructum, in forum perduxit, ac Tyriorum regem declarauit. Idque populo, tam inexspectatum euentum demiranti, fuit quàm acceptissimum. Sic ille amicissimus deinceps Alexandro regnum obtinuit, exemplum his (euidentissimum) qui subitam fortunæ variationem nondum cognouerunt. Iam recensitis Alexandri factis, narrationem aliò conuertemus.

XLVIII. In Europâ Agis Lacedæmoniorum rex, mercenariorum VIII millia qui ex prælio ad Issum euaserant, adscitis, nouas res in Darii gratiam agitare cœpit. nam classe ab hoc, magnáque pecuniarum vi acceptâ, in Cretam transmisit, & pleráque illic oppida in potestatem redacta, Persarum sequi partes coëgit. Amyntas verò, qui è Macedoniâ exsul ad Darium confugerat, pro Persis in Ciliciâ steterat, & ex acie ad Issum cum quatuor millibus conductitiorum elapsus, cùm ante Alexandri aduentum, Tripolin Phœniciæ traiecisset, ex omni classe, quantum satis esset militibus suis nauium,

uium, delegit, reliquis incensis. Cum his in Cyprum transgressus, & militibus nauibusque pluribus instructus, ad Pelusium transmisit; & potitus vrbe, à Dario se missum ductorem, præ se tulit: quòd Satrapes, Ægypti prouinciam administrans, in Cilicia Persis militans occubuisset. Inde Memphin subuectus, loci incolas ante vrbem conserta acie deuicit. qui non multò pòst, milite ad prædas dilapso, ex oppido egressi, & solutis ordinibus res agentes & ferentes adorti, & ipsum Amyntam & omnes eius ductum secutos, ad internecionem cecidêre. Hunc ad modum Amyntas, res arduas quidem molitus, sed præter spem conatibus excidens, vitam absoluit. Sic & alii præfecti, exercituumque ductores, à pugnâ ad Issum superstites, Persicæ fortunæ spebus adhuc innitebantur. alii enim vrbes opportunas Dario asseruabant. alii nationes in fidem suam pertractas ad comparandos exercitus, aliosque vsus tempori conuenientes, accommodabant. Interea Senatus Græcorum, XV legatos cum aurea corona, quæ rei bene gestæ præmium foret, gratulatum Alexandro de victoria prope Issum, mittere decreuerant. Is tum Gazam, Persarum præsidiis defensam, admotis copiis, oppugnabat; & post bimestrem obsidionem vi vrbem cepit.

LIX. Iam Archon Athenis erat Aristophanes, & Romæ consulatum gerebant Spurius Postumius, & Titus Veturius: cum Alexander res ad Gazam exsecutus Amyntam decem nauium classe instructum in Macedoniam misit; cum mandato, vt qui inter iuuenes eximii haberentur ad militiam deligeret. interea cum exercitu ipse toto Ægyptum petit, vrbesque eius absque Martis discrimine in fidem accipit. nam quòd Persæ multa nefariè in sacra commiserant, & violenter imperitârant; animo lubente Macedones recepêre. Rebus autem in Ægypto constitutis, ad consulendum Hammonis oraculum profectionem suscepit. Iam itineris dimidium exegerat: cùm Cyrenensium legati occurrunt, coronam afferentes cum donis magnificis, inter quæ ter centum equi ad bella condocefacti, & quinque erant quadrigæ de præstantissimis. quibus acceptis, amicitiam & societatem cum illis iunxit, atque inde cum comitatu ad fanum dei perrexit. Ad solitudines cùm esset peruentum, & solum prorsus aridum, sumptis aquis;

regionem altiſſimis ſabuli cumulis obrutam peragrabat. Sed quatriduo exacto, vbi aqua, quam (iumenta) deuexerant, iam defeciſſet, cum ſummâ tandem penuriâ conflictabantur. Dumque in magnâ perturbatione & conſilii inopia verſantur, ecce derepente cœlo præcipitatus imber præſentem humoris defectum inexſpectatò correxit. euentum igitur hoc, contrà quàm ſperauerant ſeruati, deorum prouidentiæ acceptum referebant. Tunc aquis è valle quadam hauſtis, quantum in dies quatuor ſufficeret ad leuandam ſitim, quatridui deinceps itinere torridam illam ſolitudinem pertranſierunt. At cùm de viâ, propter arenarum multitudinem, ipſis non conſtaret; qui præibant, regi nunciant, coruos à dextrâ crocitantes ſemitam rectâ ad oraculum præmonſtrare. Rex igitur quod euenerat pro felici augurio acceptans, aduentumque ſuum deo gratum eſſe interpretans, maiori alacritate progreditur. Ac primùm ad amaram (vt nominant) paludem deuenit: inde ſtadia centum emenſus, vrbes Hammonis nomine celebres præterit. hinc vnius diei itinere peracto, conſecratum deo lucum attingit.

L. Regionem fano circumiectam arenæ vaſtæ ac ſiticuloſæ includunt, omni humaniore cultu deſtitutæ. hæc tamen ad quinquaginta ſtadia tam in latitudinem quàm longitudinem porrecta, fontibus amœniſſimis & paſſim manantibus irrigatur, arborumque omne genus maximam partem fructus gignentium copioſè alit. Cœli autem temperies verno tempori ſimilis eſt, & licèt æſtuoſis torridiſque locis vndique ambiatur: ſalubritatis tamen mirificæ temperiem ſola ibi degentibus ſubminiſtrat. Templum equidem à Danao Ægyptio conditum eſſe memorant. Cæterùm terram hanc deo ſacram, verſus meridiem & occaſum Æthiopes: ad ſeptentriones, Numidica Afrorum natio: tractum ad mediterranea excurrentem, gens Naſamonum, quæ vocatur, accolit. Hammonii (ſacri nemoris incolæ) vicatim habitant. In medio territorii arx exſiſtit triplici muro firmata. munitio prima vetuſtorum principum regiam continet. altera Gynæcéum, liberorum ſcilicet coniugumq; & propinquorum habitationes, adeoque totius loci propugnacula, templum denique dei, & ſacrum fontem, vnde quæ deo offerantur luſtrationem accipiunt, complexa eſt. in tertia ſatellitum diuerſoria, & excubiæ illorum qui princi-

pem

pem armati comitari solent, habentur Haud procul arce extrinsecus alterum Hammonis fanum iacet, quod multæ arbores proceræ inumbrant. & fons proximus est, quem Solis, ab eo quòd accidit, nuncupant. aquam enim habet, cum horis diei miris subinde vicibus se variantem. nam sub lucis ortum tepidam emittit. die hinc progrediente, pro horarum succedentium ratione, frigescit. sub æstum verò meridianum frigedo eius summa est. quæ rursus paulatim remittit vsque ad vesperam. tunc appetente nocte rursus incalescit, ad mediam vsque noctem, vbi exæstuat: exinde calor sensim deficit: donec vnà cum exortâ luce pristinam teporis vicem recuperârit. Simulacrum dei è Smaragdis & quibusdã aliis est coagmentatum: & peculiari nouoque planè vaticinandi genere, oracula edit. in aureâ enim naui à sacerdotibus LXXX circumfertur: qui humeris deum gestantes eò tendunt, quo fortè fortunâ dei nutus illos agit. sequitur ingens matronarum virginumque turba, per totum iter Pæanas canentium, deumque hymno patrio celebrantium.

L. Porrò cùm introductus in templum Alexander à sacerdotibus deum intueretur; vates natu grandior ad illum accedens, salue, inquit, fili; & hanc à deo appellationem habe. Cui respondens ille, accipio pater, ais, tuusque deinceps nuncupabor: si tamen orbis totius imperium mihi cõcesseris. Sacerdos ergo delubrũ adit; cúmque viri, qui deum (pro ritus more) subleuant, ad destinata quædam vocis signa se mouissent; ille (ex adyto) respondet: deum quod peteret, certissimè effectum dare. Excipiens eum Alexander, Quod quærendum ex te restat, ô numen, ait, mihi quæso, referas; vtrum omnes parentis mei interfectores vltione adfecerim: an verò aliqui subterfugerint. Quin meliora profers! vates exclamat; nemo enim mortalium parenti tuo insidias struxerit. at qui Philippum interemerunt, supplicium luerunt omnes. quod autem ex deo natus sit, magnitudinem successuum in rebus feliciter gerendis certissimum fore argumentum, adiecit. nam vt hactenus à nemine fuerit superatus, ita perpetuò inuictum etiam deinceps futurum. Responsis hisce oblectatus Alexander, cùm magnificis deum honorasset muneribus, in Ægyptum retrò mouit, in qua magnam cõdere vrbem statuit.

LII. Negocio igitur huic præfectis iniunxit, vt locum inter paludem & mare complexi, ædificatio-

ni operam darent. Ipse locum metatus, cùm vrbem solerter in vicos tribuisset, Alexandriam de nomine suo appellauit, situ ad vicinum Phari portum maximè opportuno. In vicorum dispositione prudenter hoc consideratum erat, vt Etesiæ venti vrbem perflarent. hi enim dum ex pelago vastissimo vrbis aërem refrigerant, cum benignâ temperie multum salubritatis habitatoribus conciliant. Eum porrò ambitum murorum fecit, qui & amplitudine excelleret, & firmitatem haberet admirandam. cùm enim hinc lacus, illinc mare mediam complectatur, duos tantùm aditus à terrâ, eosque angustos & facilimo præsidio tutandos, habet: formamque vrbis chlamydi similem efficit. quam mediam ferè platea secat, magnitudine & elegantiâ admirabilis. In longitudinem enim, quâ à portâ ad portam excurrit quadraginta stadia, in latitudinem pedes centum habet: totaque domuum & templorum structuris magnificentissimis exornata est. Iussit præterea Alexander, vt regia, tum loci amplitudine, tum operum magnificentiâ admirabilis, fieret. Nec tamen Alexander solummodò, verùm etiam qui successerunt illi Ægypti reges vsque ad nostram ætatem, operibus impendiosissimis plerique omnes regiam adauxerunt. Vrbs denique temporibus insecutis tantum incrementi accepit, vt à multis inter primas vrbium per orbem terrarum numeretur. magnitudine enim elegantiaque, & redituum vbertate, adde etiam commodis ad victum pertinentibus aliis, multum præstat. Multitudo præterea incolarum habitantes in aliis ciuitatibus longè superat. nam quo tempore nos in Ægyptum appulimus vltra CCC millia esse liberorum capitum in illâ degentium, regemque ex Ægypti vectigalibus plus quàm sex millia talentûm accipere, qui incolarum descriptiones habent, nobis retulêre. Vbi verò Alexander quosdam ex amicis nouæ vrbis ædificationi præfecerat, omnesque Ægypti res disposuerat, in Syriam cum exercitu regreditur.

LIII.

De aduentu eius vt nuncius venit Dario, copias vndique contrahit, & quæ ad pugnam cum eo conserendam vtilia essent, præparat omnia. enses enim ac gladios longè maiores quàm antea fuissent reddidit, siquidem hæc ad victoriam in Ciliciâ multùm Alexandro commodasse videbantur. Quadrigas etiam falcatas numero CC, ad terrore percel-

lendum

lendum hostes opportunè inuentas, construxit. ex singulis
enim iuxta equum vtrumque, qui catenis currum trahe-
bant, spicula iugo affixa trium spithamarum (*dodrantum*)
longitudine prominebant, mucronibus in aduersas (ho-
stium) facies directis. ad axium decubitus alia duo hære-
bant in directum, quæ perinde ac priora facies hostium ad-
uersas ferirent, longiora tamen illis atque latiora. hisque
falces in summo annexæ erant. Armorum igitur splendore,
Ducumque strenuitate cùm exercitum omnem probè exor-
nasset, Babylone mouit, cum IↃ CCC peditum millibus, &
equitum haud minùs ducentis millibus. In progressu à de-
xtrâ parte Tigris erat, à læuâ, Euphrates. ducebat autem per
regionem omni copiâ beatam, quæ & iumentis pabuli affa-
tim suppeditaret, & militi satis alimentorum exhiberet. Ad
Ninum verò hostem acie instructâ excipere festinabat, quòd
camporum illic planities ad excipiendum tot copiarum vno
loco congregatarum multitudinem commodissima esset.
Ibi ad vicum quendam (Arbela vocata) castris positis, quo-
tidiè acies explicans, dum assiduè militem disponit atque
exercet, morigerum sibi reddit. Non leuis enim metus in-
cesserat, ne in tantâ gentium variarum multitudine, linguis
inter se discrepantium, tumultus inter dimicandum ori-
retur.

IV. De pace quidem iam antea legatos ad Alexandrum
miserat, terris omnibus intra Halym fluuium concessis. duo
præterea talentûm argenti millia obtulerat. Cùm ille ab-
nuisset; tum alios ad eum mittit, per quos eum laudat, quòd
matrem cæterosq; captiuos tàm honestè tractârit, ac petit, vt
amicitiâ secum initâ, quicquid terrarum citra Euphraten es-
set, triaque millia talentûm argenti, & filiarum alteram vxo-
rem accipiat. Si enim gener factus in filii quasi locum
succedat, in totius quoque regni societatem venturum.
Hoc Alexander ad omnium amicorum Senatum retulit, &
de conditionibus ipsi oblatis re cum illis communicata, vt
LIII. quisq; liberè suam diceret sententiam, contendit. Ibi cùm a-
liorum nemo, quòd res ardua esset in quæstionem veniens,
consilium exponere auderet: Parmenio exorsus; Ego, si Ale-
xander essem, inquit, oblata acciperem, paciq; fœdus junge-
rem. Cui Alexander; & ego si Parmenio essem, acciperem
respondit. aliisque insuper animi excelsi verbis vsus, Persa-

rum conditionibus repudiatis, quum pluris gloriam, quàm munerum promissorum vtilitatem, faceret, hunc ad modum legatis respondit: Nec Mundum, si duo fuerint soles ornatum suum ordinemque conseruare, nec orbem terrarum, si duo reges simul imperent, citra tumultum atq; perturbationem consistere posse. Renunciari ergo iussit Dario, si priora affectet, vt de summo rerum omnium imperio secum dimicet. sin posthabitâ, gloriâ vtilitatem & ocii delicias præferat, iussis Alexandri obtemperet, & regiam in alios potestatem vt princeps, Alexandri tamen benignitate concessam, exerceat. Mox Senatu dimisso, exercitum ad hostium castra promouit. Inter hæc Darii vxor vita excesserat, quam Alexander magnificis cum honoribus funerauit.

LV. Darius, vbi responsum hostis accepit, bellum verbis transigi posse desperans, milites quotidiè instructis ordinibus exercet, & ad imperata faciendũ inter conflictuũ discrimina promptos & alacres reddit. Interim ex amicis quendam Mazæum, cum delectâ armatorum manu, ad transitum fluminis custodiendum, vadumque occupandum, mittit. Aliis insuper dat negocium, vt qua transeundum esset hosti, regionem vrendo populentur. propugnaculi enim vice fluminis alueo contra hostis accessum vti statuerat. At Mazæus flumen, ob profunditatem & cursus violentiam, non facilè transiri posse videns, custodiâ illius supersedit, operamque suam populatoribus regionis adiungens, cùm tractum illum lõgè lateque euastasset, imperuium hosti, ob alimenti penuriam, fore existimabat. Alexander vbi ad transitum Tigris peruenit, de vado ab accolis edoctus, non labore solùm maximo, sed etiam extremo cum periculo, copias traducit. nam vndarum altitudo pectora superabat, fluuiique impetus tam rapidus erat, vt subducto pedum vestigio multos transeuntium abriperet. Aqua etiam arma intercurrens non paucos abstulit, periculisque extremis immersit. Sed Alexander vt vehementiæ vndarum obsisteret, manus inter se arctè conserere, totamque corporum molem veluti iugo connexam habere iussit. Seruatis ad hunc modum, in tam ancipiti transitus discrimine, Macedonibus, diem illum ad recreationem militi concessit. Postridie instructâ acie in hostem iuit, & propiùs accedens castra posuit.

LVI. Dum autem, quantus Persicarum copiarum numerus

rus, & quanta periculorum ingentium magnitudo ſit, animo perpendit, & quòd nunc de ſummâ rerum diſceptatio in manibus verſetur, anxiè de euentu ſolicitus, noctem illam inſomnem ducit. circa excubias verò matutinas ſomno tàm profundo correptus quieuit, vt nec ortâ iam luce expergefieri potuerit. Gratum fuit hoc initiò amicis, vt qui vegetiorem ad periculum incumbens regem fore, ſi longiùs quiete frueretur, exiſtimarent. vbi verò protracto diutiùs tempore, ſomnus regem non dimiſit, Parmenio inter neceſſarios eius natu maximus, ſuo nomine inter ordines, vt ad prælium ſint accincti, imperia diſtribuit. At cùm regem nec tum ſomnus remitteret: amici propiùs accedentes vix tandem illum excitant. dumque omnes rei inſolentiam demirantur, cauſamque ex ipſo audire cupiunt, Alexander omni ſe metu ac ſolicitudine à Dario exoneratum ait, qui copias in vnum locum congregârit. vnius enim diei de ſummâ rerum diſceptatione à cunctis laboribus & diuturnis periculis quietem ſe habiturum. Nec mora, cùm accommodatâ præfectos oratione cohortatus, præſenti fortique animo contra imminentia pericula eſſe iuſſiſſet, inſtructis in Barbaros copiis tendit, ita, vt ante phalangem peditum turmas equitum collocatas haberet.

II. In dextro cornu eam conſtituunt turmam, cui Clitus, Niger cognomento, præerat. hanc amici excipiebant, quorum dux erat Philotas, Parmenionis filius. hinc alii ſeptem ordines equitum eodem duce, ſequebantur. poſt illos Argyraſpidum pedeſtre agmen erat, armorum nitore, militumque virtute excellens, quos Nicanor Parmenionis regebat. In ſubſidiis horum poſuit Elimiotidem quam vocant manum, Cœno ductore. in ſerie proximà Oreſtarum & Lynceſtarum ordines ſub imperio Perdiccæ, ſtabant. Hos Meleager cum acie ſuâ excipiebat; & poſt eum Polyſperchon Stymphæos ducebat. Vicinam inde ſeriem Philippus Balacri continuabat. & Craterus poſt ipſum. Equitum, quos recenſuimus, ordinem equitatus è Peloponneſo & Achaia in auxilium miſſus integrauit, Phtiotis & Malienſibus, Locris etiam & Phocenſibus quibus Erigyius Mitylenentis præerat, adiunctis Theſſali deinceps ductore Philippo conſiſtebant, virtute ac turmatim e-

quitandi solertiâ cæteris longè præeuntes. Ab his sagittarios ex Cretâ, & stipendia merentes ex Achaiâ, disposuit. In vtroque autem cornu aciem incuruam fecit, ne multitudine suorum Persæ, Macedonum paucitatem circumuenire possent. Falcatorum verò curruum irruptionem hac solertiâ Rex anteuertit. peditibus in phalange edixit, vt concitatis propiùs quadrigis, clypeos ordine coniunctos sarissis pulsent: quo strepitu consternati equi, retrorsum se proripiant. quod si vi perrumpere tentent, spacium illis concedant, per quòd absque Macedonum periculo transcurrant. Ipse dextrum sibi cornu regendum sumit; acieque in obliquum versâ, suâ industria & virtute quicquid aderat periculi discernere constituit.

LVI Darius, pro variarum gentium distinctione, aciem explicârat: ipseque aduersum Alexandro cornu tenens, in hostem ducebat. Iamque propinquabant inter se exercitus, cùm tubis vtrinque bellicum canitur. Tum magno vociferatu milites concurrunt, & statim currus falcati, summâ vi incitati, magnam consternationem & terrorem Macedonibus incussêre. nam & Mazæus equitum ductor, cum densis turmis post quadrigas inuectus, falcatorum irruptionem multò terribiliorem effecit Interim dum phalanx vt à rege præceptum erat, clypeos inter se iunctos sarissis ferit, ingens subitò fragor exsistit. plerique ergo currus, attonitis equis, auertuntur: & quia impetus illorum nullâ inhiberi vi potest, retrò ad suos cursum reflectunt. Cæteri in phalangem impressione factâ, dum iusta Macedones interualla concedunt, effusi per illa partim iaculis confixi ruunt, partim euadunt. Nonnulli impetu violentissimo prouecti, dum ferramentorum aciem obuiis quàm efficacissimè infligunt, plurimis variâ mortis specie exitium afferunt. tantus enim aciei vigor, tanta vis erat in spiculis, ad exitium fabricatis, vt multis brachia vnà cum clypeis amputarentur. nec paucis ceruice præcisa capita, integro adhuc visu & retento vultus habitu, ad terram voluerentur. quibusdam lethali ictu latera dissecantur; vnde mors repentè subsecuta.

LIX. Vbi verò propiùs coniunctæ acies, iamque tela, quæ ex arcubus & fundis coniici solent, vnà cum verutis exhausta erant, manibus dimicari cœptum est. Primum igitur certamen ab equitatu initum, Macedonibus in dextro cornu rem

gerenti·

gerentibus. Darius autem læuum cornu regens, cognatos
habebat propugnatores. Erant autem cIↄ equites in v-
nam redacti turmam, virtute ac beneuolentia (in regem)
spectati. hi cùm regem fortitudinis spectatorem haberent,
vim telorum in ipsum coniectorum magnâ alacritate exce-
pêre. Coniuncti & his erant Melephori, strenuitate nu-
meroque præstantes: & præter hos Mardi & Cissæi, qui &
proceritate corporum, & animorum vigore admirationem
sui concitabant. Aderant his Prætoriani, in regiâ excubare
soliti, & Indorum virtute pollentissimi. hi magno clamore
in hostem illati ferocissimè pugnare, Macedonesque suorum
multitudine premere. Mazæus præterea dextrum cornu
tutans, & cum equitum fortissimis strenuè pugnam ciens,
statim ad primum hostis incursum non paucos interemit.
Tum Cadusiorum bis mille, & Scytharum mille equites
eximios misit, iussitque vt circumuecti hostium cornu, in
vallum ipsorum ad impedimentis potiendum, incursionem
facerent. qui non segniter imperata exsecuti, cùm in castra
Macedonum irrupissent, captiuorum nonnulli correptis
armis Scythas adiutare, & impedimenta diripere. vocifera-
tus igitur & tumultus, propter rei nouitatem inopinam, to-
tis castris oboritur. Tum captiuæ quidem aliæ ad Barbaros
se recipiunt. at Darii mater Sisyngambris à cæteris (ad
discessum) inuitata, non assentitur, sed beneuolâ quadam
affectione quietè se loco continet: dum nec dubiis fortunæ
casibus fidem habet: nec gratæ erga Alexandrum mentis of-
ficium deserendum arbitatur. Tandem maximâ impedi-
mentorum parte direptâ Scythæ ad Mazæum reuersi pro-
speri successus nuncium reportant. Eadem sortis benignita-
te pars equitum Dario circumiectorum Macedones, qui
resistebant, numero fatigatos, in fugam compulerant.

X. Cùm secunda igitur hæc Persis ad victoriam incli-
natio contigisset: Alexander hoc vnicè contendens, vt
quàm ocyssimè profligatam suorum aciem repararet, cum
regiâ equitum alâ, aliisque nobilissimis in Darium ipsum
inuehitur. Persarum rex fortiter impetum hostis excipiens,
de curru, vnde pugnabat, iaculis in se irruentes submouet,
nec pauci illum tutantur. Dumque imperator imperatorem
infesto animo petit, misso in Darium iaculo Alexander,
ipsum quidem non contingit, sed aurigam illi adsistentem
feriens prosternit.

Clamore igitur à regiis excitato, qui procul ſtabant regem ipſum occubuiſſe, credebant. Cúmque hi primi in fugam ſe effudiſſent, proximi etiam ſequebantur. quin & agmen Dario vicinum laxatis ordinibus ſenſim cedebat: donec altero propugnantium latere nudato, etiam ipſe metu perculſus fugam intendit. Ad hunc ergo modum Perſis in fugam conuerſis, magna vis pulueris ab equitum curſu in altum extollitur. Vnde factum, vt veſtigia hoſtium premente cum ſuis Alexandro, per denſā nimii pulueris nubem quo Darius fugam capeſſeret, conſpici nequirent. cadentium ſolummodò gemitus virorum, ſonituſque equorum, & continuus flagellorum ſtrepitus exaudiebatur. Dum hæc geruntur, Mazæus in cornu dextro conſtitutus, quòd equitatu fortiſſimo valeret, grauiter oppoſitum ſibi agmen vrgebat. Licèt ergo Parmenio cum Theſſalorum equitatu aliiſque ſibi adiunctis in magno diſcrimine verſaretur, impreſſionem tamen ad tempus ſuſtinebat. Et primò quidem ſtrenuè pugnans, Theſſalorum virtute ſuperior erat. at vbi Mazæi agmen tum numero tum viribus ſubinde actiùs incumberet, alæ Macedonum ſuccumbebant. Fit ergo prolixa ſtrages: nec vis Barbarorum ampliùs ſuſtineri poteſt. ideo miſſis equitibus Alexandrum rogat Parmenio, vt quàm celerrimè ſuccurrat. hi quàm citiſſimè poſſunt mandatum exſequi contendunt. At vbi magnam ab acie partem auulſam audiunt, re infectâ reuertuntur. Parmenio tamen, quantâ potuit ſolertiâ Theſſalorum turmis vtens, profligatis quamplurimis, vix tandem Barbaros Darii fugâ conſternatos, ad fugam adegit.

LXI. Darius interim, quòd imperatoriæ artis vſu præſtaret, denſitate pulueris adiutus, non, vt alii Barbari retrò, ſed in contrariam partem curſum arripuit, & occulto, propter altè excitatum puluerem, diſceſſu, periculum euaſit, omneſq; fugæ comites in vicos Macedonum tergis obuerſos, incolumes traduxit. Ad extremum Barbaris omnibus in fugam coniectis, cùm Macedones continuè vltimos cæderent; breui effectum, vt quicquid planiciem iſtam loci attingeret, totum cadaueribus repleretur. De Barbaris igitur in hac pugnâ amplius xc millia equitum peditūque cæſi; Macedonum verò ad lo interempti, & vulnerati quàm plurimi. inter quos nobiliſſimi ducum vnus, Hephæſtio, cuſtodibus regii corporis

poris præfectus, brachium iaculo traiectum habebat. Inter cæteros ductores etiam Perdicca, Cœnus, Menidas & quidam alii vulnerati. Prælium itaque ad Arbela hunc exitum habuit.

I. Archon tunc Athenis erat Aristophon, & Romæ consulatum exceperant Cneius Domitius & Aulus Cornelius, cùm didita per Græciam fama de conflictu ad Arbela, ciuitates multæ, quibus incrementa potentiæ Macedonum suspecta erant, pristinam tueri libertatem, dum aliquid adhuc Persis virium superesset, decreuerunt. Darium enim, pecuniis ad magnas exterorum militum copias conducendum subministratis auxilio fore: nec tantas opes Alexandrum, vt exercitum distrahere ausit, habiturum. quod si Persas ab eo debellari patiantur, destitutis auxilio, vires sibi ad libertatem asserendam defuturas. Ad defectionem nuper exorta per Thraciam seditio illos inuitabat. Memnon enim imperator in Thraciam missus, cùm & militum & animorum satis haberet, concitatis Barbaris, ab Alexandro defecit: magnoque ad se pertracto exercitu in manifestum iam bellum incumbebat. Quam ob causam omnibus hinc inde copiis accitis Antipater, per Macedoniam in Thraciam profectus, Memnoni bellum infert. Hoc ita districto, Lacedæmonii idoneum belli reparandi tempus se iam nactos arbitrati, Græcos ad ineundam pro libertate concordiam exhortantur. Tum Athenienses, præ Græcis aliis honoribus ab Alexandro affecti, quietè in officio se continebant. At Pelopõnesiorum plerique, & nonnulli ex aliis conspiratione inter se factâ, in militiam hanc nomina profitebantur. Pro viribus igitur cuiusque ciuitatis habito iuuenum optimorum delectu, non minus XX peditum, & ad duo equitum millia, recensuerunt. Administratio totius belli erat penes Lacedæmonios: qui totis viribus ad disceptandum de summa rerum, Agide summum obtinente imperium, exibant.

XIII. Antipater de concursu Græcorum certior factus, bellum in Thracia, quâ potuit transactione composuit, & cum vniuersis copiis in Græciam mouit, acceptisque a confœderatis Græcorum auxiliis non minus XL millia coëgit. Commisso igitur prælio, Agis rex strenuè pugnans cadit, & Lacedæmonii cùm ad longum tempus in prælio fortiter perseuerassent, tandem sociis cedere coactis, etiam ipsi Spartam

versus regressum instituunt. Occubuerunt in hac pugnâ de Lacedæmoniis, sociisque non minus quinque millibus & trecentis; de Antipatri militibus tribus millibus quingentis. Circa Agidis verò interitum singulare quippiam euenit: cùm præclarè dimicans multa in aduerso corpore vulnera accepisset, à militibus in patriam referendus portabatur. sed ab hoste circumuentus, vbi nullam suæ incolumitatis spem videt reliquam, suos quàm citissimè abire, seque necessariis patriæ vsibus reseruare iubet; ipse armis suis instructus genuque subnixus hostes arcet, & cæsis aliquot, tandem confossus mortem oppetit, cùm regno præfuisset annos IX. At nos Europæ res exsecuti, ad ea quæ in Asiâ sunt gesta, singulatim explicanda reuertemur.

XVII. DIODORI LIBRI
Pars altera.

DArius prælio ad Arbela victus, fugam ad prouincias superiores intendit, tum vt sese per locorum distantiam recolligeret, tum, vt sat temporis ad reparandum exercitum haberet, studiosè laborans. Primus igitur cursus Ecbatana illum tulit, vbi aliquandiu subsistens, relictos à fugâ milites ad se recepit, armisque nudatos rursum instruxit. A finitimis etiam gentibus militem euocauit, Satrapasque ac duces in Bactris & præfecturis superioribus per nuncios eò missos, vt in beneuolentiâ & fide erga se persisterent, admonuit. Interea Alexander, funeratis post victoriam, qui in acie occubuerant, Arbela ingreditur: magnamque deliciarum, ornatusq; regii & gazæ barbaricæ copiam, quippe ter mille argentipondo (talenta) inuenit. Sed cùm vicinum aëris tractum ex tanta cadauerum strage infectum iri, facilè colligeret, translatis statim castris, cum omnibus inde copiis Babylonem peruenit, vbi cùm ab incolis benignè exciperetur: & lauta Macedonibus hospitia præberentur: ab ærumnis eo vsq; exantlatis exercitum recreauit. vtraq; dies XXX, commodorum abundantiâ, & ciuium hospitalitate sic illum attinen-

ãttinente, in vrbe commoratur. Tum Agathonem Pydnæū,
cum Iↄ c c Macedonum præsidio, custodiæ arcis præfecit;
Apollodoro verò Amphipolitæ, & Meneti Pellæo, Babylo-
nis & Satrapiarum ad Ciliciam vsque administrationem
commisit: traditisq; cIↄ talentis argenti, vt quantas possent
militum copias conducerent, mandauit. Mithrinæ, qui Sar-
dium arcem prodiderat, Armeniam concessit. De pecuniis
denique, quibus illic potitus erat, minas equiti senas, auxi-
liaribus quinas, ex phalange Macedonibus binas, & pe-
regrino militi honoris causâ bimestre stipendium do-
nauit.

Iamq; promotis Babylone castris, in itinere rex erat:
cùm Iↄ ex Macedoniâ equites, & vI cIↄ peditum; adhæc
Iↄ c equites è Thraciâ, & Trallienſium cIↄ cIↄ Iↄ è Pe-
loponneso insuper cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ peditum, ac cIↄ fer-
mè equites, ab Antipatro in supplementum missi, aduenêre.
Hos quinquaginta amicorum regis è Macedoniâ filii, ad cu-
stodiam regii corporis destinati, comitabantur. quibus re-
ceptis, in profectione institutâ perrexit, sextisq; castris in Si-
tacinam præfecturam deuenit. Et quia hæc regio quicquid
ad vsum vitæ necessarium esset largè suppeditabat, complu-
res in eâ dies substitit, tum quòd exercitum ab itineris mo-
lestia reficere studeret: tum quòd ordinum militarium accu-
ratiorem suscipere curam, & præfecturas ad gradus altiores
extollere, exercitumque numero militum, & strenuitate du-
cum validiorem efficere, in animo haberet. Nec mora
quæ decreuerat perfecit: initaque de optimis quibusque
censurâ quàm diligentissimè, cùm multos ab amplis ma-
gisteriis ad sublimiorem potestatis gradum promouisset,
hac ratione factum est; vt omnes tandem præfectos ad ma-
iorem dignitatem, & amorem simul erga se firmissimum,
proueheret. Gregarii quoq; militis rectius ordinandi, curam
suscepit, multisque ad commodiorem vsum inuentis, etiam
hunc ad meliorem statum redegit. Cùm denique effecisset,
vt exercitus totus beneuolentiâ eximiâ imperatorem com-
plecteretur, & imperiis quàm obsequentissimum se præbe-
ret, fortitudine etiam nullis cederet: ad quæ restabant cer-
tamina deinceps, contendit. In Susianam cùm peruenisset,
regiam toto orbe celeberrimam occupat, Abulete vrbem
sponte suâ tradente. Literis à quibusdam est proditum iussis-

ſe hoc Darium illos, quorum fides ei ſpectata erat. idque in hunc finem à rege Perſarum eſſe factum, vt rebus arduis diſtricto Alex. dum vrbes clariſſimas theſauroſque maximos recipit, ocium ſubtraheretur, Dariuſq; interim ad inſtaurandum bellum ſat temporis haberet.

Alexander itaq; oppido & theſauris in regiâ potitus, auri & argenti formâ non ſignati plus XL millia talentûm inuenit. has opes longâ ætate intactas conſeruârant reges: vt ad inopinatos fortunæ caſus, quo refugerent, in promtu foret. præter hæc etiam IX millia talentûm Darico ſigno notati, aderant. In hac opum recenſione nouum quiddam regi accidit. In regiâ is ſellâ conſederat, quæ cùm excelſior, quàm pro habitu corporis eſſet, vnus ex regiis pueris pedes imum ſolii gradum non contingere videns, allatam Darii menſam pedibus ita ſuſpenſis ſubdidit. Hæc vbi quàm aptiſſimè conuenit, Rex quidem facti ſolertiam probat: ſed ex Eunuchis ſellæ adſtantibus quidam, hac ſortis mutatione vehementiùs animo commotus, lacrymas profundit. Id animaduertens Alexander, quid mali accidere vidiſti, vt ita fleas? rogat. cui ille; nũc tuus quidẽ ſeruus ſum, vt antea Darii: ſed quia naturali quadam propenſione dominum amo, menſam, ab eo ſummo in honore habitam, nunc eò contemtus deiectam, abſque ſingulari mœſtitiâ intueri haud poſſum. Hoc reſponſo ad conſiderationem, quanta imperium Perſicum mutatio excepiſſet, rex adactus; inſolens à ſe facinus commiſſum, & ab humanitate, quâ erga captiuos vtendum eſſet, alienum, reputare cœpit. Aduocatum ergo qui menſam collocarat, remouere illam iubet. ſed aſtans illi Philotas: Non inſolentiæ hoc eſt, ô rex, ait, iniuſſu tuo factum: ſed boni cuiuſdam genii prouidentia & voluntate id euenit. Quod pro dextro omine rex accipiens, menſam regiæ ſellæ ſuppoſitam loco permanere iuſſit.

LXVI Poſt hæc Darii matrem & filias natumque Suſis reliquit: ſed magiſtris, qui Græcam eos linguam edocerent, adhibitis. Ipſe verò cum copiis inde mouens, quartis caſtris ad Tigrim fluuium deuenit. Is è montibus Vxiorum ortus, primò per regionem aſperam, magniſque foſſis interciſam, ad cIↄ ſtadia defertur. Hinc à campis exceptus, clementiore ſubinde alueo eos percurrit: & Iↄ c inde ſtadia emenſus, in Perſicum mare ſe inſinuat.

Amne

Amne ſuperato Alexander terram Vxiorum petit fertiliſſi-
mam. Nam aquis largiſſimis perrigata fructus omnis gene-
ris copioſiſſimè producit. Ex his tempeſtiuè per autumnum
deſiccatis omnis generis condimenta ad vſum & voluptatem
hominum, mercatores per Tigrim in Babyloniam deue-
hunt. Omnes verò aditus à Madete, qui propinquâ cogna-
tione Darium attingebat, & validiſſimo exercitu inſtructus
erat, præſidiis munitos offendit. Dumque locorum firmi-
tatem diligentiùs explorat, & nullum per rupes tranſitum
patere cernit: indigenarum quidam è gente Vxiorum, &
locorum peritus, Alexandro pollicetur, ſe per anguſtam
quandam perdifficilemque ſemitam eò vſque ducturum mi-
lites, vt ſupra capita hoſtium euadant. Probato rex ſermo-
ne, mediocrem duci manum adiungit. Ipſe interea, vt quan-
tum eius fieri poſſit, tranſitum ſibi aperiat, obſidentes adi-
tum inuadit, acrique prælio, dum integri feſſis ſubmittun-
tur, commiſſo, & Barbaris certamine diſtractis, ex impro-
uiſo qui miſſi fuerant ſe tranſitum cuſtodientibus loco ſupe-
riori oſtendunt. Perculſis rei nouitate Barbaris & in fugam
dilapſis, rex tranſitu potitur, & ſubitò cunctas per Vxianam
vrbes in ditionem redigit. Motis inde caſtris, Perſiam
verſus progreditur, & die quinto Suſiades, quas vocant, pe-
tras ingreditur. Has iam antè inſederat Ariobarzanes cum
peditum xxv millibus & equitibus ccc. Rex autem por-
tam illam vi ſe occupaturum exiſtimans, per anguſta impe-
ditaque loca, nemine moleſtiam faceſſente, cum agmine
contendit: Barbarique ad tempus tranſitum permittunt. Si-
mulac verò ad medias loci difficultates & anguſtias peruen-
tum, illicò vires ſuas expediunt, crebraque ingenti pondere
ſaxa deuoluunt: quæ in Macedones præcipitata magnam
ſtragem faciunt. Nec exigua illorum pars iaculis rem deſu-
per è rupibus agere, ſemperque in turbâ, confertâ vbicunq;
tela intenderent, aliquos ferire. Alii, miſſis è manu lapidi-
bus, Macedones, vi perrumpere conantes, retropellere. Et
quia locorum aſperitate adiuti præualebant: magnum nu-
merum occidere, nec minorem ſauciare. Alexander ergo
cùm tantæ cladis atrocitati obſiſtere non poſſet, videretque
ex hoſtibus non modò non cadere quenquam, ſed nec vulne-
rari: de ſuis verò plurimos interire, ac fermè omnes in pri-
mâ acie vulneribus confectos, tubâ receptui ſignum dedit.

& è faucibus illis retrogressus, ad ccc stadia, castris locum delegit. Tum ex incolis sciscitatus, nũ quà alius foret transitus, omnes respondent nusquam alibi patere iter; multorum tamen dierum circuitu intrari posse. At rex turpe sibi ducens, si militum cadauera insepulta relinqueret, eaque ad sepulturam expetere, ignominiosum sibi, ac manifestam victoriæ concessionem fore, animaduertens, quotquot tum captiui adessent, vt ad se adducerentur, imperauit. Inter hos quidam erat duas callens linguas; Persicam videlicet & Græcam. Qui natione Lycium se esse, & captum aliquando in bello, nunc annos complures in vicinis montibus gregum pasturæ adhibitum esse, indicauit. Regionis itaque notitiam se consecutum, per tractus illos nemorosos exercitum deducere, vt à tergo excubiis aditum tuentibus immineret, se posse, confirmauit. Rex, ingentia viro præmia pollicitus, duce illo, per noctem montium iuga, quamuis magno cum labore superat. ingens enim copia niuium calcanda venit, & per regionem saxis præruptis, voraginibusque profundis, & crebris vallibus interruptam, transeundum fuit. Hanc emensus simul ac primis hostium stationibus in conspectum venit, illas statim concidit: in proximis autem excubiis collocatos cepit. tertiisque in fugam coniectis, aditus omnes in potestatem redegit. Et militum Ariobarzanis partem maximam cæcidit.

LXI. Hinc ad Persepolin ducens, literas in itinere à Teridato vrbis præfecto accipit. His significabatur. Si aduentu subito opprimeret eos, qui vrbem Dario integram conseruare niterentur, vrbem à se traditam in fidem accepturum. Citatis igitur itineribus cum exercitu pergit. & Araxe ponte iuncto, milites transmittit. In hoc copiatum progressu insolens dirumque spectaculum occurrit, quod in auctores facinoris odium, erga irreparabili damno affectos miserationem, & communem doloris affectionem, meritò excitauit. Nam supplicantium ritu obuiam illi procedunt Græci quidam, quos superiores Persarum reges in seruitutem abstraxerant: circiter Iↄ ccc numero erant, iam senes plerique. omnes autem mutilati: ita vt aliis manus, aliis pedes, nonnullis aures & nares amputata essent.

Si qui scientiam aut artem aliquam callerent, inque disciplina progressus fecerant, cæteris membrorum extre-

morum

morum resectis, ea tantùm reliquerant, quæ ad exercendam artem facerent. Omnes igitur, qui & profectæ ætatis dignitatem, & corporum supplicia intuebantur, afflictissimorum hominum animas misericordiâ prosequebantur. maximè verò Alexander vicem miserorum doluit, vt nec lacrymas continere potuerit. Hi vna quasi voce omnes exclamant, & Alexandrum, vt calamitatibus hisce succurrat, obsecrant. Rex ergo primoribus ad se accitis, se rationem illorum accuratè habiturum, & prout magnificentiâ suâ dignum foret honoratis, reditum in patriam curaturum, promittit. At illi inter se congressi, habito consilio, illic permanere satius esse, quàm in patriam reuerti, iudicant. restitutos enim se, huc illuc, dispersum, & quamdiu superfuerint, ignominiosis ob hanc fortunæ iniquitatem ludibriis affectum iri. At si in communi versantes calamitate simul degant, ex similitudine alieni infortunii suæ miseriæ percepturos solatium, arbitrantur.

Denuò ergo regem adeunt, & quid decretum habeant, exponunt, vtque conueniens statui præsenti adiumentum exhibeat, deprecantur. Is decretis ipsorum comprobatis, ter millenas vnicuique drachmas, quinasque stolas viriles, & totidem fœmineas, bina insuper boum paria, & oues quinquagenas, totidemque medimnos tritici, donat. Immunes etiam ab omnibus tributis Regi persoluendis facit, ac curatoribus mandat, vt ne à quoquam iniuriâ afficiantur, diligenter prouideant. Hac beneficentiâ Alexander, prout liberali eius indole atque humanitate dignum erat, infelicissimorum hominum calamitatem subleuauit.

Tum Macedonibus (conuocatis) demonstrauit; Persepolin, regni Persarum caput omnium Asiæ vrbium infestissimam hactenus Græcis fuisse. ideò diripiendam militibus eam, regiâ tantùm exceptâ, concessit. vrbs hæc omniũ sub sole ditissima erat, priuatis quoque domibus per multas ætates omni felicitatis genere refertis. Incursu ergo in illam facto Macedones, viros omnes trucidant, & facultates copiâ redundãtes & variâ supellectili ornamẽtisq; refertas, diripiunt. Ibi magna vis argenti, nec minor auri huc illuc distrahi; preciosissimæ vestes, aliæ purpura infectæ, aliæ textu-

tis aureis variegatæ, ingenti numero victoribus in præmium cedere; & magna, totoque orbe famigerata Persarum regia ludibrio, & extremæ vastationi exponi. Macedones autem, tametsi prædâ vndique circumfluerent, cupiditatem tamen, subindè pluribus inhiantem, explere non poterant. Et eò vsque insolentiæ processerat inter diripiendum auaritia, vt inter se ferro dimicarent, & multi, quòd maiorem prædæ partem occuparent, interimerentur. aliqui de inuentis magnæ æstimationis rebus, partes gladio resciſſas sibi auferebant. nonnulli etiam manus aliis, quas rebus controuersis iniecerant, irâ perciti, amputabant. Fœminas cum ornatu suo ad stuprum abreptas seruituti tandem addicebant. Ita factum, vt Persepolis, quò magis vrbes alias felicitate antecesserat, eò plus calamitatum mole eas superaret.

LXX

Tunc arcem ingressus Alexander, thesauros inibi accepit. qui congestis, à primo rege Persarum Cyro, ad præsens vsque tempus, reditibus, magnam auri & argenti vim complectebatur. nam centum & xx millia talentûm, auro ad argenti rationem reducto, illic sunt inuenta. Cùm autem pecuniæ illius partem ad necessarios belli vsus auferre: partem Susis deponere: vt ibi custodiretur, constituisset; mulos, tum dossuarios, tum iugales, magno numero, & cum his cIↃ cIↃ cIↃ camelos clitellarios, è Babyloniâ & Mesopotamiâ contrahi iussit; quibus omnia ad loca destinata transuexit. Nam quia animo ab incolis prorsus alieno erat; nec committendum aliquid fidei ipsorum; nec aliter agendum censebat; quàm vt Persepolis ad extremam vastitatem redigeretur. De cuius regiâ propter magnificentiam operum pauca quædam recensere non alienum arbitramur. Arx memoratu dignissima triplici muro circundata est quorum primus structuris sumptuosissimis eductus erat, & altitudinem habebat xvi cubitorum, propugnaculis suis exornatus. secundus cæteris quidem operibus primo similis, sed bis tantò altior exsistit. tertius formam habet quadratam, & ad lx cubitorum altitudinem exsurgit: ex lapide durissimo & ad durationem perpetuam accommodè coagmentatus. In vnoquoque laterum æneæ sunt portæ, & ænei iuxtà valli xx cubitorum: quorum hi ad terrorem adspectu iniiciendû, illæ ad firmiorem loci munitionem constructæ erant. In orientali arcis plagâ mons est quatuor inde plethris (id est,

cccc

cccc pedibus) distans, quem regium vocant. in hoc enim regum sepulcra inerant. nam excisa illic petra erat, complura in medio domicilia complectens. in quibus conditoria defunctorum, nullum quidem aditum manu factum, præbebant: sed instrumentis quibusdam, arte magistra fabricatis, sublatos mortuorum loculos, excipiebant. In hac arce, regibus & militibus excipiendis sumptuosi operis diuersoria erant, & thesauri ad pecunias asseruandas percommodùm exstructi.

LXII Hinc Alexander festo, ob victoriam feliciter partam instituto, magnifica diis sacra peragit, amicosque epulo quàm lautissimo excipit. Adhibitæ in conuiuium etiam fœminæ, corpore quæstum facientes, erant. Gliscente iam compotatione, cùm & ebrietati licentiùs indulgeretur, factum est, vt insania plerosque mero oneratos, simul corriperet. Tunc vna ex fœminis, quæ conuiuio intererāt, Thais, genere Attica, pulcerrimum inter omnia per Asiam gestorum facinus ab Alexandro patratum iri affirmat, si comessabundus cum ipsis regiam incendat, & si res Persarum tantis euectæ laudibus, exiguo temporis momento fœminarum manibus deleantur. Discurrente hoc sermone inter iuuenes, quorum animos (vti solet) extra rationis limites auferebat temulentia, præeundum sibi quispiam, exclamat, vtque facibus accensis vlciscantur impietatem in Græcorum templa commissam exhortatur. Hanc vocem lætis clamoribus excipiunt alii: soli tamen Alexandro facinus hoc conuenire, dictitant. Excitato igitur his verbis rege, quotquot erant, intermissâ compotatione, exsiliunt, & victricem Libero patri comessationem se agere profitentur. Extemplò ingens facum numerus coit, & assumtis quæ tum aderant, fœminis Musicis, Rex duce Thaide meretriculâ, cum cantu, tibiisque & fistulis, ad saltationem processit. illa verò à rege prima faculam ardentem regiæ iniicit. cæteris exemplum imitantibus, celeriter totus circumquaquam locus, vi flammarum in cinerem consedit. Admirationem præcipuè meretur, quòd sacrilegum Xerxis Persarum regis facinus in arcem Atheniensium designatum vnica muliercula violatæ vrbis ciuis, post multos tandem annos per lusum, eodem cladis genere vlta fuit.

LXXIII.

His autem perfunctus Alexander, reliquas Persiæ vrbes adoritur; & quibusdam vi captis, quibusdam humanitatis famâ in fidem suam adductis, motis porrò castris, in Darium tendit. Is iã è Bactrianâ, aliisq; prouinciis militem cogere cœperat: sed celeritate hostis præpeditus, cum triginta millibus Persarum & Græcorum æra merentium, Bactra perfugerat. Hic Bessi, qui Bactris præerat, dolo, interea dum retrò tendit, obtruncatur. Vixiam spiritum exhalârat, cùm Alexander equitatu secum rapto illum assequitur, mortuumque vt inuenit, regio more sepeliendum curat. Traditur verò à quibusdam, quòd adhuc spiranti superueniens, indignissimam eius sortem deplorârit, rogatusque à Dario, ne cædem inultam pateretur, id se facturum promiserit. Besso equidem persequendo statim operam dedit. Cùm verò longissimis ille spaciis anticipatis in Bactrianam fugâ euasisset, assequi se hominem non posse animaduertens, retrò se conuertit. Hic rerum Asiaticarum tum erat status. In Europâ verò, Lacedæmonios magno prælio victos, clades ea legatos ad Antipatrum mittere perpulit. hic responsum ad Græciæ totius conuentum reiecit. qui Senatu Corinthi habito, cùm multa in vtramq; partem disputasset, rem Alexandri iudicio submittendam esse decreuerunt. Antipater ergo quinquaginta Spartanorum nobiliss. obsides accepit: Et Lacedæmonii missis in Asiam legatis veniam delictorum expetiuêre.

LXXIV.

Anno hoc exacto Athenis Cephisophon Archontis munere fungebatur, Romæ Caius Valerius & Marcus Clodius consulatum gerebant. Tunc Bessus, post Darii interitum cum Nabarzane ac Barxaente, multisque aliis, è manibus Alexandri elapsus in Bactrianam peruenit. Et quia Satrapes regioni huic à Dario iampridem datus erat, & magistratus illum populo notum reddiderat: vindicandæ libertatis multitudini auctor & suasor fuit, terræque situm & conditionem, quòd difficiles haberet aditus, & sufficientem tuendæ libertati virorum copiam aleret, magno ipsis adiumento futurum, demonstrauit. huc accessit, quòd belli totius administrationem in se recepit. Multitudine igitur, quantum satis esset, persuasâ, vt rex nuncuparetur, effecit. Tum militem conscribere, armorum vim apparare, & alia quæ necessitas tum incumbens flagitaret, procurare.

Inter

Inter hæc Alexander, Macedones Darii obitum militiæ finem sibi præstituisse, surrectisque animis iam reditum in patriam moliri, videns, in concionem aduocatos, oratione ad præsens tempus idoneâ sic exstimulauit, vt ad expeditiones, quæ restarent, obsequentissimos haberet. Græcarum dehinc ciuitatum auxiliarios, ad se congregatos, cùm pro gestorum merito laudasset, sacramento militiæ huius absoluit, talentum equiti, denasque minas pediti, muneris loco exhibens. Sed præter hæc stipendii quicquid debebatur, exsoluit, & quantum sufficeret in patriam regressuris viatici, adiecit. quibus verò deinceps cum rege militiam obire lubitum esset, eos trinis talentis munerauit. Ingentibus omninò donis milites honorauit; quòd & naturâ magnanimus esset; & in persequendo Dario maximam pecuniarum vim in potestatem redegisset. à gazarum enim custodibus IIX millia talentûm acceperat. Præter hæc in militem distributa, cum ornamentis & poculis XIII millia talentûm efficiebant. Summa autem furto sublatorum, & per vim abstractorum, longè amplior censebatur.

LXXV Copias inde versus Hyrcaniam ducens, tertio die prope vrbem, quam Hecatompylon vocant, castra locat. hîc quia prædiues erat regio, & omnia quæ in vsum & fructum hominis cederent, largissimè exhibebat, dies aliquot exercitus refectioni tribuit. Tum stadia CL emensus, ad petram quandam præcelsam castra ponit. radicibus subiectum erat antrum, diis ipsis non indecorum, ex quo Stiboetes fluuius ingens erumpit. qui concitato impetu per tria circiter stadia decurrens ad saxum quoddam repercutitur, quod mammæ formam referens, vastum terræ hiatum infra se habet. quo, iam in geminum diuisus alueum, magno cum fragore se præcipitat; vndisque ad petram allisis, totus in spumas conuersus, per stadia CCC deinceps sub terrâ voluitur: donec nouum quasi ortum sibi rursus aperuerit. Hinc cum agmine Hyrcaniam ingressus, oppida illius cuncta vsque ad mare Caspium, quod & Hyrcanum appellitant, subegit. In pelago isto multos eximiæ magnitudinis serpentes, & pisces omnis generis, qui colore à nostratibus plurimùm differant, gigni perhibent. Hyrcaniam vbi penetrauit, ad vicos nomine ac re beatos, peruenit. Regio enim hæc fructuum vbertate cæteras

longè ſupereminet. vnaquæque enim vitis, aiunt, metretam vini producit. inter ficus arbores quaſdam tantâ fru-ctuum copiâ exuberare, vt decem medimnos exſiccatis ficubus impleant. Relictum in meſſe frumentum in terram cadit, & abſq; ſemente progerminans, frugum vim maximam ad maturitatem perducit. Arbor in gente illâ exiſtit, quercui formâ non abſimilis, quæ mel foliis deſtillat. Hoc incolæ collectum in vſus ſuos prolixè conuertunt. Eſt etiam volucris hîc quædam beſtiola, Anthredonem vocant, api quidem minor, ſed maximè nobilis & conſpicua. per montes enim pabula quæritans, varios hinc inde flores delibat; inq; petris concauis & arboribus cœlo tactis alueolos habens fauorum celias confingit, & liquorem eximiæ dulcedinis ac melle non inferiorem conſtipat.

LXXVI. Interea dum Alexander Hyrcaniam & finitimas illi gentes peruadit; ex præfectis, qui cum Dario fugerant, in poteſtatem eius ſe dedunt, quibus humaniſſimè in gratiam receptis, magnam clementiæ gloriam reportauit. eoque obtinuit, vt Græci, qui auxiliarem in expeditionibus Dario operam nauauerant, cIↃ & IↃ circiter, præſtantiſſimi equidem viri, continuò ſe fidei eius permitterent. qui & veniam conſequuti, iiſdem ſtipendiis in ordines diſtribuuntur. Percurſis deinde Hyrcaniæ maritimis, Mardorum (vt vocitantur) regionem inuadit. Hi cùm robore præſtarent, potentiam regis quamlibet increſcentem, adſpernati, nec legatione, nec vllo honore, ipſum dignati fuerunt: ſed occupatis montium faucibus cum IↃↃ cIↃ cIↃ cIↃ armatorum manu confidenter Macedonum aduentum præſtolabantur. Hoſtes igitur rex adortus, prælioque congreſſus, pleroſque cæcidit, & reliquos in montium anguſtias coëgit. At dum incendiis regionem populatur, accidit, vt pueris, qui regios ducebant equos paullulùm à rege diuulſis, Barbarorum incurſione optimus illius equus abſtraheretur. donatus hic fuerat à Damarato Corinthio, omniaque cum rege certamina per Aſiam hactenus obiuerat. nudus vbi erat, equiſonem admittebat ſolum. at regio inſtructus ornatu, nec huic præbebat acceſſum: ſed Alexandro ſoli adſiſtebat, corpuſq; inflexis genubus ſubmittebat adſcenſuro. ob has equi dotes tantò moleſtiùs eius caſum ferens, per totam vndique terram arbores cædi, ac per interpretem denun-

ciari

ciari iubet, ni equum reddiderint, regionem ad extremam
vastitatem conspecturos redactam,& qui incolerent vniuer-
sos trucidatum iri. nec mora, effectum habent minæ. territi
itaque Barbari, caballum restituunt, & maximi sumptus
munera simul afferunt. per quinquaginta denique legatos
veniam sibi dari petunt. obsides igitur viros honoratissimos
ab illis Rex accepit.

LXVI.

Hinc in Hyrcaniam regressum Thalestris Amazo-
num regina conuenit. hæc terris inter Phasim & Thermo-
dontem imperitabat, pulcritudine & robore corporis ex-
cellens,& genti suæ ob virilem animi celsitatē in veneratio-
ne habita. reliquis autem copiis ad fines Hyrcaniæ relictis,
cum CCC Amazonibus, habitu bellico instructis, ad regem
se contulerat. Is nec opinatum reginæ aduentum speciemq;
Amazonum eximiam non leuiter admiratus, cuius gratia
venerit, Thalestrin interrogat. ad communicandos cum re-
ge liberos, illa fateri non erubescit. illum enim rerum ge-
starum magnitudine ac claritate viros omnes supergressum:
se autem corporis animique viribus fœminas antestare. bo-
nam igitur spem esse; sobolem è parentibus tam eximiis
virtute cæteros mortales superaturam. Delectatus (hoc ser-
mone) rex, eius petitioni se obsecuturum tandem recepit,
& XIII dies cum eâ versatus,honorificis donatam muneri-
bus, in regnum suum dimisit. Hinc voti se compotem esse
factum, & imperium sine æmulo te[illegible]e arbitratus, delica-
tos Persarum mores, luxumque regum Asiaticorum, æmu-
lari cœpit. Quod primum igitur fuit, apparitores regiæ ex
Asiaticis legi iussit. tum viros nobilissimos in hastigerorum
satellitum ordinem adsciuit. quorum in numero etiam Oxa-
thres Darii frater erat. Quin & Persicum diadema capiti
imposuit, candidamque tunicam cum baltheo regibus Per-
sarum vsitato, & cæteris, præter femoralia & candym, quem
vocant, induit. Amicis etiam togas purpuratas distribuit,
& equitibus Persicum ornatum accommodauit. Concubi-
nas insuper, prout Darius consueuerat, circumducere secum
cœpit: quarum turba dierum numero haud inferior erat. pul-
critudine autem, vtpote ex fœminis per totam Asiam præ-
stantissimis delectæ, eminebant. hæ sub vnamquamq. no-
ctem regis lectum circuibant, vt quam liberet ad concubi-
tum rex adoptaret. Ad hos tamen mores Alexan[illegible]r [illegible] ra-

rò demittens, priſtinis vt plurimùm inſiſtebat: quòd offenſam Macedonum formidaret. cùm tamen nihilominùs de rege multi conquererentur, muneribus eos placauit.

LXXVIII. Tunc fama ad ipſum de Satibarzane Darii Satrapâ perlatâ, quòd milites à rege delectos peremiſſet, & conſpiratione cum Beſſo initâ, commune bellum Macedonibus inferre decreuiſſet: expeditionem contra illum ſuſcepit. Satibarzanes autem copias in Chortacanâ, nobiliſſimam illic terrarum vrbem, naturâque inſigniter munitam, congregârat. at quum primùm rex in conſpectum venit, exercitus regii magnitudine ac ſtrenuitate Macedonum, quæ iam vbique gentium inclaruerat, perterritus, cum cIↄ cIↄ equitum ad Beſſum ſe proripuit, vt quàm celerrimè opem ſibi ferret, exhortaturus. Cæteris, vt in montem quendam, qui * vocitatur, & difficilimos paſſim habet aditus, latebraſq; cùm hoſtibus rectâ fronte congredi non auſis percommodas, ſe reciperent, mandauit. Quod vbi factum, Rex omni, vt ſolebat diligentiæ conatu enixus, cùm in ampliſſimam quandam rupem, & naturâ loci munitam, refugiſſent: eò adegit obſeſſos, vt deditionem facerent. Pòſt, omnibus in hac prouinciâ oppidis in ditionem ſuam redactis, ſoluit ex Hyrcaniâ, & ad regiam Dranginæ vrbem profectus, ſtatiua illic habuit, exercitumque recreauit.

LXXIX. Per hæc tempora improbum quoddam facinus, & priſtinâ bonitate p[illegible] indignum commiſit. Nam quidam familiarium regis (Dimnus ei nomen) de re quapiam regem incuſans, cùm iræ nimiùm indulgeret, inſidias regi cõparat. is exoleti, cui Nicomacho nomen, amore flagrabat. huic vt in communionem ſceleris veniret, perſuaſit. ſed adoleſcentulus cùm adhuc eſſet, rem totam cum fratre Cebalino communicat. qui metuens, ne de conſciis aliquis inſidias regi prior indicaret, ipſe detegere illas ſecum conſtituit. Prætorium itaque ingreſſus Philotam obuium habet, & quæ audiiſſet per colloquium expoſitis, vt abſque omni cunctatione regi quid agitetur, renunciet, exhortatur. Philotas inſidioſæne molitionis participatione, an negligentiâ, dubium, delata per indicium ad ſe ſegniùs curat. ingreſſus enim ad regem, prolixo inuicem de variis rebus communicato ſermone, nihil eorum, quæ Cebalinus indicâſſet, renunciat. egreſſus verò Cebalino, idoneum aperiendæ rei tem-

pus

pus sibi non concessum, refert. postridie tamen, cum rege se collocuturum solo, cunctaque se, quæ per illius indicium cognouisset, liquidiùs expositurum, promisit. At cùm nec postero die negocium expediret, timens Cebalinus, ne, si per alterius indicium res manifestaretur, in periculo ipse hæreret, omisso Philotâ, quendam è pueris regiis adit, & singulis accuratè expositis, vt quàm celerrimè regi omnia nuncientur, orat. is, Cebalino intra armamentarium abscondito, regem, qui tum balneo corpus curabat, de re ad se delatâ, & Cebalini occultatione, certiorem facit. Rex non parum commotus, Dimnum è vestigio comprehendi iubet, deque cunctis edoctus Cebalinum ac Philotam ad se accersit. vbi cùm quæstione de cunctis habitâ, res diligenter examinata esset, Dimnus suâ se manu confodit. Philotas autem, etsi negligentiæ culpam fatebatur, coniurationis tamen fœdus inficiatione constanti à se repellebat.

XXX Rex ergo Macedonum iudicio cognitionem permisit. hi multis in vtramque partem disputatis, Philotam cæterosque reos capite multandos esse censent. inter hos fuit etiam Parmenio, qui inter primos regis amicos censebatur. Etiamsi verò tunc non aderat: filii tamen operâ insidias has tentasse, erat suspicio. Philotas igitur, cùm per tormenta insidiarum confessio extorta esset, cum aliis damnationi obnoxiis, patrio Macedonum ritu, supplicium capitale subiuit. quo etiam affectus est Alexander Lyncestes, conspirationis in regem accusatus. is iam triennium in custodia detentus fuerat. nam huc vsque propter necessitudinem, quæ cum Antigono ipsi intercedebat, cognitio erat prorogata. Tunc verò ad iudicium Senatus Macedonum eductus, cùm verbis ad sui defensionem destitueretur, trucidatus fuit. Per dromadarios inde camelos quosdam misit Alexander, quorum operâ, famam de Philotæ supplicio anteuertens, Parmenionem, insidiosè circumuentum, necauit. Mediæ is præfectus erat, Regisque thesauros, qui centum & LXXX millia talentûm continebant, fidei suæ concreditos habebat. Sub hæc à Macedonum exercitu secreuit eos, qui voces in regem asperiores emisissent, necemque Parmenionis indignè ferrent: & qui datis in Macedoniam literis de rebus ad regem spectantibus, quædam non satis æqua ad

ſuos perſcripſiſſent. hos in vnam cohortem, quam extraordinariam nominabat, ſeparatos collegit, ne vocibus intempeſtiuis, & immoderatâ ſermonis libertate reliquam Macedonum turbam ſimul corrumperent.

His expeditis, cùm per Dranginen agenda conſtituiſſet: exercitum in Arimaſpos duxit. hoc quidem olim nomen illis erat: ſed nunc Euergetæ vocitantur. nominis ratio hæc eſt. Cyrus, qui primus à Medis imperium ad Perſas tranſtulit, in expeditione quadam, cùm propter victus penuriam in locis incultis ad extremum redactus eſſet diſcrimen, adeò quidem, vt miles militis carne famem mitigare cogeretur. tum Arimaſpi ccIↃↃ ccIↃↃ ccIↃↃ plauſtris frumentum aduexêre. Rex itaque cùm ſecus quàm ſperauerat periculum euaſiſſet, non vectigalibus modò gentem exſoluit: ſed aliis inſuper muneribus affecit, priſtinoq; nomine abrogato, *Euergetas* nuncupauit. In horum itaq; regionem cùm exercitum duxiſſet Alexander, humaniter ab incolis & amicè exceptus, donis, prout magnificentiâ ſuâ dignum erat, gentem remunerauit. Cùm id à finitimis etiam Gedroſiis fieret, meritam quoq; his gratiam retulit. Duabus his gentibus Teridaten Prætorem dedit. Interea dum hoc accurat, nunciatum venerunt quidam, Satibarzanem cum magnâ equitum manu è Bactrianâ in Areorum nationem progreſſum, adduxiſſe incolas, vt à fide Alexandri deſciſcerent. de quo certior factus rex, partem exercitus, Erigyii & Staſanoris ductu, contra illum miſit. Suo interim ductu Arachoſiam ſubegit, vtque imperio ſuo obſequentes eſſent, effecit.

LXXI.

Annus ille prætcrierat: cùm Euthycritus reipublicæ Athenienſis Archon, Romæ Conſules erant Lucius Plotius, & Lucius Papyrius. Olympias autem poſt centeſimam decima tertia agebatur. Tum Alexander in Paropamiſadas exercitum duxit. Regio horum, ſub axe Septentrionum poſita, niuibus tota oppletur. & ob rigorem haud tolerandum ab aliis gentibus adire nequit: Maxima eius pars plana eſt, arboribuſq; caret, ac multos hîc illic vicos diſperſos habet. In his domorum tecta è laterculis, cum teſtudine in acutum faſtigium exeuntibus, confecta ſunt: in medio foramen luci excipiundæ eſt relictum, per quod & fumus emittitur. Et quia ædium parietes omni ex parte bene coagmen-

LXXII.

gmentati sunt. affatim contra frigus incolæ muniuntur. qui
propter niuis redundantiam, pleroq; anni tempore, intra do-
mos se continent: vbi quæ suo conducant victui præparata
habent. Vites & arbores fœcundas aggestâ tellure operiunt,
perq; hybernam tempestatem ita relictas, vbi germinandi
vices appetunt, regestâ terrâ iterum nudant. Naturâ hic tra-
ctus per omnia sic comparatus est, vt neque viridis neque a-
mœni quicquam in eo conspiciatur. sed nix candida & re-
splendens cum glacie congelata obtegit omnia. Nihil præ-
terea auium hîc nidulatur, nihil ferarum syluas percurrit.
vnde fit, vt per omnes terræ partes, neque hospitium neque
accessus aduenis præbeatur. Nihilo minùs tamen rex, licèt
hæc omnia expeditioni obstarent, solitâ prouectus audaciâ,
& tolerantiâ Macedonum adiutus, hanc locorum difficulta-
tem superauit. Hinc tamen euenit, vt militum & eorum, qui
extrà ordinem sequebantur, plurimi viribus destituti relin-
querentur. nonnullis fulgor niuis cum rigore, in oculis ipso-
rum refractus, perniciem afferebat. Nihil ex interuallo per-
spicuè videri poterat; nisi quòd fumus tantùm pagos indica-
bat. quod pro signo adstantium foco incolarum Macedo-
nes accipiebant. Hoc itaq; modo pagis illis occupatis, ab-
undantiâ commeatuum (quos inuenerant) milites ex æru-
mnis sibi restituuntur. Et breui, quicquid hominum ibi fuit,

XX-III.

in ditionem regis concedit. Posthæc ad Caucasum pro-
gressus castra posuit. A quibusdam mons ille Paropamisus
nuncupatur. hunc, quâ latitudo eius tenditur, intra dies XVI
transgressus, vrbem condidit ad portam, quâ in Mediam via
aperitur, quam Alexandriam nominauit. In medio Cauca-
si petra est decem stadiorum ambitu, & altitudine quatuor,
vbi etiam Promethei spelæum, & Aquilæ nidus, compe-
dumque ac manicarum signa ab accolis monstrabantur.
Alias etiam vrbes Alexander condidit, per vnius ab Alexan-
driâ iter diei remotas. In has septem Barbarorum, & tria
extra ordines sequentium millia, ac stipendiantium quot-
quot vellent, collocauit. Hinc expeditis iterum copiis in Ba-
ctrianam mouit. Bessum enim diadema sumsisse, magnum-
que colligere exercitum audiuerat. Et hæc quidem Alexan-
der gerebat. Interea missi in Aream duces, defectionis au-
ctores cum instructissimo quem collegerant, exercitu inue-
niunt. Imperator horum erat Satibarzanes, vir rei milita-

ris scientiâ & virtute bellicâ eximius. castrisque iuxtà positis, crebræ velitationes existunt: & inter paucos ad tempus aliquod leuiores pugnæ committuntur. Hinc ventum ad iustam aciem: vbi cùm æquum prælii discrimen Barbari (sua virtute) effecissent: dux ipse Satibarzanes, galeâ suis manibus è capite detractâ, quis esset ostentat, & si quis viritim secum dimicare vellet, è ducibus prouocat. huic Erigyius occurrit, & heroico certamine inito, victoria cedit Erigyio. Tunc Barbari prætoris sui morte perterriti, fide acceptâ, se cum armis regi tradiderunt. Interea Bessus regem se nominauerat, & diis facto sacrificio, amicos conuiuio excipiebat. Inter pocula cum quodam è familiaribus (Bagodoræ nomen erat) dissidere cœpit, quem & auctâ contentione, cùm vehementer exarsisset, interimere statuebat, nisi amicorum suasu consilium mutasset. At ille, ex mortis periculo elapsus, noctu ad Alexandrum perfugit. Huius salute, ac spe munerum ab Alexandro referendorum inuitati Ducum primores, inter se conspirant, Bessumque captum ad Alexandrum perducunt. Rex magnificis eos donis excepit. Bessum verò Darii fratri, cæterisque propinquis ad supplicium, illorum arbitratu de eo sumendum, concessit. Hi omni contumeliæ & cruciatus genere in hominem grassati, corpore tandem minutatim conciso, particulas huc illuc fundis disiecerunt. *** His conditionibus dato acceptoque iureiurando, Regina magnitudinem in Alexandro cum admiratione suspiciens, munera quàm pretiosissima transmisit, & quicquid imperasset facturam se, pollicita est. *** Tunc mercenarii prout conuenerant, statim ex vrbe discedunt, & Iↄ ccc stadia progressi, nullo prohibente castra locant. nihil enim de euenturis paullò pòst in mentem venerat. Alexander verò, implacabili eos odio prosequens instructo Barbaros agmine persequitur, subitaque impressione adortus, magnam illorum cædem peragit. Ibi conductitius primò miles vociferari, contrà quàm iuratum esset, hostiliter se inuadi, deosque impietatis regiæ in eos perpetratæ vltores implorare. sed intensâ rex voce illis acclamans: se quidem, vt ex vrbe excederent, permisisse: non vti perpetuò deinceps Macedonum amici forent, respondet. Illi ergo periculorum magnitudine haud perterrefacti, coniunctis ordinibus sese muniunt, totâque acie in orbem

LXX. XIV.

bem coactâ, liberos & fœminas in medium recipiunt: vt omni ex parte oppugnanti se hosti, minore cum periculo obsistatur.

Cùm igitur omnem vitæ spem abiecissent, præsenti animorum fiduciâ, & tot certaminibus spectatâ virtute animati, validissimâ hostem pugnâ excipiunt. Ex aduerso, dum vt Barbaris nullâ in parte deteriores sint, enituntur Macedones; magno cum metu ac terrore coniunctus erat conflictus. Dum enim cominus pugnatur, & vir virum implicat: vulnera necesque variis modis inferuntur. Nam Macedones diruptis sarissarum impetu Barbarorum peltis, ferri aciem ipsis corporibus infigunt. Mercenarii lanceis in confertam hostium turbam proiectis, dum propè, qui petuntur, expositos habent, ictu non aberrant. Sed cùm magna pars sauciaretur, nec minor occumberet, fœminæ indutis cæsorum armis, operam suam in conflictu viris adiungunt. extremum quippe discrimen, & rei quæ tum gerebatur, magnitudo, vt ad strenuam defensionem accingerentur, ipsos adegit. Pars igitur armata clypeorum obiectu maritos adiuuabat: pars sine armis impressione factâ prehensisque hostium clypeis, magnum eis impedimentum
» afferebant. Ad extremum omnes cum vxoribus strenuè
» dimicantes, dum gloriosam mortem vitæ cum dedecore
» transigendæ præferunt, multitudine superati occubuêre. Inutilem verò inermemque turbam Alexander inde abductam cum fœminis adhuc reliquis equitibus concessit.

LXXXV.

Complures etiam alias vrbes expugnauit, & opponere se ausos interemit. Atque hinc ad petram, quam Aornon vocitant, perrexit: in hanc enim, quòd munitissima esset, qui superfuerant de incolis, confugerant. Hanc, vti fama est, Hercules ille priscus oppugnare aggressus, propter ingentes terræ motus interim obortos, aliaque deûm prodigia, re infectâ abscesserat: quod cum inaudisset Alexander, tanto maiori expugnandi castelli desiderio, vt videlicet cum deo gloriæ studio certaret, exarsit. Ambitus petræ stadiorum fuit centum, altitudo XVI. superficies autem plana, & ex omni parte rotunda erat. radices ad meridiem Indus, fluuiorum per Indiam maximus, alluebat. partes alias præaltæ voragines, & inuiæ rupes cinxerãt. Loci difficultatem speculatus Alexander, vbi se vi expugna-

re illum non poſſe intellexit : ſenior quidam cum duobus filiis eum adiit, qui cum extremâ paupertate conflictans, diu in locis illis vitam tolerauerat, domiciliumque in ſpecu quodam, vbi tres lectuli erant, petræ inciſi, habebat. hîc dum ſenex cum filiis commoratur, locorum peritiam ſibi comparauerat. is itaque cùm ad regem progreſſus, de conditione ſuâ illum edocuiſſet : per inuias & abruptas loci anguſtias ſe ducem fore, &, vt barbaris rupem inſidentibus ſuperior euadat, effecturum, pollicetur. Hoc igitur ductore, cui ingens operæ precium promiſerat, Alexander vſus, primò aditum, qui vnicus in ſaxi ducebat verticem, occupauit; &, quia nuſquam exitus alibi patebat, Barbaros obſidione concluſit, vt auxilii nihil ſupereſſet. Hinc infinita aggerentium opera effecit, vt vallis & radix petræ explerentur : & de propinquo cum hoſte rem gerens, oppugnationem acerrimam inſtituit. quæ aſſiduis nec interruptis per ſeptem dies totidemque noctes conflictibus durauit. Ac initio quidem Barbari, quòd locorum celſitate adiuuarentur, ſuperiores erant, multoſque incautè ſe ingerentium neci dabant. ſed aggere tandem perfecto, & catapultis cæteriſque operibus iam adactis, cùm & regem ab incepto non deſtiturum liquidò conſtaret: ingens obſeſſos terror inceſſit. Tum Alexander, qui, quid euenturum eſſet, ſagaciter proſpiceret, præſidium in aditu relictum dimiſit, vt liberum quicunque vellent abeundi ſpacium haberent. Barbari itaque tum Macedonum virtute, tum regis in perſequendâ laude conſtantiâ, perterriti, noctu Petra exceſsêre.

LXX-XVI. Hoc vano belli terriculamento Indos ludificatus Alexander abſque detrimento inſigni Rupem in poteſtatem accepit; & dono, quod conſtituerat, ducem remuneratus, ad vlteriora copias promouit. Eo tempore Indus quidam Aphrices, cum ccIↃↃ ccIↃↃ exercitu, & xv Elephantibus, illis in locis ſubſiſtebat. hunc quidam interemêre, atque interempti capite ad Alexandrum delato, incolumitatem ſibi munere iſto compararunt. His igitur in fidem acceptis, Elephantis etiam, qui paſſim in regione illa vagabantur, rex potitur. Hinc ad Indum progreſſus, naues (quas à xxx remorum vſu *Triacontoros* vocant) conſtructas, & fluuium ponte iunctum inuenit. Ibique ſtatiuis per xxx dies ad recreandum exercitum habitis : magnifica diis ſacra peregit.

Tradu-

Traductis inde copiis res insolens nec inopinata illi contigit. Taxili, qui illic locorum regnauerat, pridem defuncto, Mophis filius in regnum successerat. Is iam antea legatione ad Alexandrum in Sogdiana hærentem missâ, contra Indos regi obstaturos armorum societatem obtulerat. Sed & tunc per legatos regnum se ipsi traditurum spopondit. iamque x x x stadia rex aberat: cùm ille exercitu ad bellum instructo, elephantisque velut ad pugnam adornatis, amicos simul adducens, regi occurrit. Quare tam numerosum aduentare exercitum instructâ acie vbi vidit Alexander, fraudem pollicitis Indum subtexere credens, nempè vt imparatos hoc pacto Macedones opprimeret; pugnæ signum tubicines dare iubet: explicitáque acie obuiam Indis procedit. At Mophis repentinâ Macedonum commotione intellectâ, cùm quid rei esset facilè ratiocinari posset, iussis subsistere copiis, cum paucis concitato equo excurrit, omnemque Macedonibus errorem exemit: dum se & exercitum (regni vires) regis in fidem tradit. Lætus hoc Barbari facto Alexander, regnum illi restituit. eumque deinceps amicum & socium constãtem Taxilem cognominatum, fuit expertus. Annus ergo superior his rebus gestis inclaruit.

XX-VII.

Cùm Archon deinceps Athenis esset Chremes, & Romæ Consules Publius Cornelius, & Aulus Postumius, Alexander in Taxilis prouinciâ, recreato priùs exercitu, vim belli in Porum, finitimos Indos sub imperio tenentem, conuertit. Is vltra quinquaginta peditum millia, & cIↃ cIↃ cIↃ equitum, pluresque quàm cIↃ currus; Elephãtes autẽ c x x x habebat; &, ad belli societatem etiam alium in viciniâ regẽ, nomine Embisarum, vi militum Poro non inferiorem, adsciuerat. Hunc igitur vbi vix c c c c abesse stadiis cognouisset Alexander, signa cum Poro ante illius aduentum cõferre statuit. Propius igitur ad Indos accessit, quem simul ac imminere sensit Porus, ordines ita explicauit, vt equitatum in cornua distribueret: elephantes autem, ad terrorem hostium instructos, in fronte paribus interuallis collocaret, interque ipsos grauis armaturæ militibus locum assignaret. His, vt beluas tutarentur, & missilium à latere iactus prohiberent, imperatum fuit. Tota igitur acies vrbis speciem exhibebat. nam elephantorum statio turribus, & militum inter hos ordines extenti muris erant assimiles. Quâ hostici exercitus

ordinatione considerata Alexander, suas contrà, vt res exposcere videbatur, copias disponit. Conflictu ergo ab equitibus primùm inito, statim currus Indorum ferè omnes fracti pereunt. Pòst cùm mole corporum & roboris impetu Elephantes in loco vterentur, Macedonū alii beluarum incursu obtriti, vnà cum armis simul contusis pereunt. alii manibus (quas *proboscides* vocant) correpti, inque altum eleuati, solo rursum alliduntur, indignamque mortem oppetunt: multi etiam inflictu dentium per totum corpus sauciati, illicò vitæ iacturam faciunt. Interim tamen Macedones ingenti animorum robore aduersi prælii difficultates tolerant, & interiectos beluis milites sarissis conficiunt: vnde æquatum pugnæ discrimen. Verùm non multò pòst, cùm iaculis vndique incesserentur feræ, nec dolores ex crebritate vulnerum ampliùs sustinerent. Indi etiam rectores obnixibus illorum impares erant. auersæ enim rapido in suorum ordines impetu ruebant, vt plurimi obtererentur. Magnâ hinc perturbatione exortâ, Porus, cùm quo loco res forent, animaduerteret, elephantum præstantissimo insidens, de beluis XL nōdum consternatas circum se consistere iubet. & hoc agmine impressione in hostem factâ, prolixam edit cædem, eò potissimùm, quòd viribus corporis omnes secum militantes superabat. nam cubitos quinque longus erat, crassitudine autem tantâ, vt lorica eius duplo excederet loricas aliorum, qui robore excellerent. quamobrem verutis ab eo proiectis tanta vis inerat, vt non multum citra catapultæ iactum subsisterent. Hæc virtutis in Poro eminentia Macedonibus, contra illum in acie stantibus, nonnihil terroris iniecerat. sagittariis igitur & leuis armaturæ ordinibus accitis, Alexander edicit, vt omnes ipsum Porum telis incessant. Hi quod iussi erant peragunt. ergo dum crebra in Indum missilia congeruntur, nec, quòd tam crassa ictibus moles exposita esset, aberrant: Porus tandem, cùm heroicè depugnasset, præ multitudine vulnerū exsanguis, animo deficit, & viribus infractis è belua ad terram delabitur. Mox diuulgato rumore, quòd rex oppetiisset, reliqua Indorum multitudo fugam arripuit: in quâ non exigua strages facta. Tum Alexander, prælio tam illustri victor, tubâ receptus signum dedit. Occubuerunt autem hac pugnâ Indorum plures quam ccIↃↃ cIↃ cIↃ. inter quos duo Pori filii, summique exercitus præfecti, & du-

LXXVI

LXXIX.

eum clarissimi fuêre. Viui autẽ in victoris manus plus quam
Iↄↄ cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ,& xxc elephanti, venerunt. Et quia
spiritus adhuc compos erat Porus, curandi illius negocium
Indis mandatur. Ex Macedonibus autem equites ccc, pe-
ditesque vltra Iↄ cc, cecidêre. quibus rex iusta peragenda
curat. Superstites autem, qui bonos in pugnando viros se ex-
hibuerant, pro merito præmiis cohonestat. Solem præterea,
cuius beneficio partes Orientis subegisset, sacrificio venera-
tur. Multum vicini montes abietis proceræ, nec parum cedri
ac piceæ, adeóque largam materiæ nauibus construẽdis ido-
neæ copiam sufficiebant. hinc quantum satis esset nauium
compaginauit. nam simul ac terminos Indiæ attigisset, sub-
actis illic gentibus, per flumen ipsum intrare Oceanum ani-
mo conceperat. Interim duas illic vrbes condit; vnam in ripa
fluminis vlteriore, vbi transmiserat: alteram vbi Porum acie
vicerat. Et quia multorum manibus huc opera confereba-
tur, vtrumque opus citò perficitur. Porum autem viribus re-
stitutum in regni, quod tenuerat, possessionem collocat. Ex-
ercitui etiam, quia summa illic erat commeatus abundantia,
triginta dierum quietem ad reficienda corpora indulget.

C. In montibus autem qui castris imminebant singulare
quippiam exstitit. Alebat hæc regio miræ vastitatis serpen-
tes, ad xvi videlicet cubitorum longitudinem porrectos.
adhæc simiarum genera tũ numero, tum magnitudine cor-
porum insolenti. quarum venationis artem bestia ipsa do-
cuit. Est hæc cuiusuis actionis imitatrix. sed propter corporis
robur, animique sagacitatem haud facilè capitur. Ideò vena-
torum pars melle oculos perungit: pars in conspectu fera-
rum perones induit. sunt etiam, qui specula capiti suo appli-
cent. tum calceamenta cum adhibitis vinculis relinquunt.
pro melle autem viscum supponunt, & speculis innectunt la-
queos. Cùm igitur bestiæ, quæ viderunt etiam ipsæ pera-
gere cœptant, conatu frustrantur. palpebræ enim agglutti-
nantur, pedes reuincti hærent, & corpora illaqueata detinẽ-
tur; vnde facilimè subactæ capiuntur. Dehinc Embisarum,
qui auxilium Poro ferendum procrastinauerat, Alexander
terrore incusso, ad imperata faciendum adegit, & transmis-
so cum copiis amne, per regionem eximiè fertilem perre-
xit. nam insoliti hic generis arbores erant, ad septuaginta
cubitos in altũ editæ, & crassitie tãta, vt difficulter quatuor ...

las viri complecterentur. vmbram verò ad tria plethra (ccc pedes) de se proiectabant. In hoc etiam tractu magna vis serpentum erat. qui specie quidem exiles, sed varietate corporum insignes erant. nam alii virgas ænei coloris specie suâ exhibebant: alii densam, pilisque hirsutam, arrigebant cristam; tantâ morsus efficacitate, vt mors extemplò sequeretur. si quis ictus esset, horrendis torquebatur doloribus, & cruentus per totum corpus sudor profluebat. Macedones igitur ægrè contra hanc pestem se tutantes, lectos ex arboribus habentes suspensos maiorem noctis partem insomnem ducebant: donec ab incolis de remedio veneni radice quadam edocti, malo isto liberati sunt. Postquàm castra inde mouerat Alexander; è nuncio quorundam accepit, quòd Porus finitimorum rex, Pori nuper debellati ex fratre nepos, regno per fugam deserto, ad Gangaridarum se nationem proripuisset. quâ re non parum commotus Alexander, Hephæstionem cum armatorum manu in ditionem eius tendere, regnumque in prouinciæ formam redactum, amico suo Poro tradere iubet. Interea expeditione in Andrestarum gentem susceptâ, vrbium alias vi, alias deditione, subiungit. Hinc ad Cathærorum nationem peruenit: vbi lege receptum erat, vt vxores cum viris concremarentur. Id communi gentis decreto sancitum fuerat, propter fœminæ vnius perfidiam & scelus, quæ veneno maritum sustulerat. Ibi maximum & præ aliis munitum rex oppidum, multis periculis vix tandem expugnatum, incendit. Aliud deinde oppugnare aggressus, cùm supplicum habitu ciues deprecarentur, impunitatem illis concessit. Hinc ad vrbes, Sopithæ addictas, exercitum traduxit. quæ cùm legibus optimè constitutis regantur, inter alia reipublicę instituta etiam hoc obseruant, vt formæ honestatem inter preciosissimâ æstiment. ideoque ab incunabulis, qui sit infantum habitus, diiudicant. qui membris sunt integris & rectè compositis, naturamque habent ad formæ decorem ac robur idoneam, hos educant: at mancos & corporis habitudine infirmos, ceu indignos educatione, ex vitâ tollunt. Consimili ratione matrimonia etiam contrahunt. posthabitâ enim dote, cæteroque magni precii apparatu, ad pulcritudinem & proceritatem corporis vnicum habent respectum. hinc fit, vt qui in vrbibus illis habitant, plerique aliis dignitate formæ sint conspectiores.

XCI.

speciores. Præ omnibus autem Sopithes rex formæ ele-
gantiâ & corporis maiestate conspicuus erat. quatuor enim
cubitos excedebat. is ex vrbe (in quâ tunc regia erat) pro-
gressus, se & regnum Alexandro dedidit, illudque benignita-
te victoris postliminio recepit. idcircò totum exercitum ad
II. dies aliquot epulo magnifico excepit. Et post varia ma-
gnique impendii munera Alexandro exhibita, CL etiam ca-
nes obtulit, magnitudine, viribus, aliisque naturæ donis mi-
rificè præstantes. hos ex commixtione cum Tigribus ortos,
fama erat. Vt autem ex re præsenti periculum virtutis horũ
faceret Alexander, in circum eximiæ magnitudinis leonem
adduxit, eique duos ex donatorum numero, sed infirmissi-
mos obiecit: qui cùm beluæ impares essent: alios duos im-
misit. Leone igitur à quatuor canibus profligato, quidam
à Sopithe cum gladio missus dextrum crus vnius amputare
cœpit. cùm verò satellites, exclamante rege, accurrerent, &
prehensatum venatoris brachium inhiberent: Sopithes
tres pro vno se redditurum pollicetur. Minister ergo ve-
nationis crus canis denuò comprehensum, sensim ac paula-
tim cædit. qui interim nec vlulatum nec stridorem edit, sed
infixis leoni dentibus inhæret, donec exanguis super leone
III. exspirat. Interea Hephæstio cum agmine pridem se-
cum misso, reuertitur: postquàm magnam Indiæ portionem
longè latéque subegisset. huic rex meritam strenuitatis lau-
dem retribuit. Et proximum inde Phegei regnum inua-
dit: vbi cùm incolis acceptus esset Macedonum aduentus, &
Phegeus ipse multis cum muneribus obuiam procederet,
vt beneficio suo regnum obtineret, concessit, & biduum
cum exercitu splendidè ab illo tractatus, ad Hyphasin flu-
uium promouit. hic septem stadia latus est & sex orgyias al-
tus, cursu vehementer concitato, & transitu perquàm diffici-
lis. Tum è Phegeo cognoscit, quòd trans Indum regio XII
dierum itinere per vastas solitudines excurrat. quam Gan-
ges fluuius excipiat, latitudine stadiorum XXXII, ac profun-
ditate tantâ, vt omnia per Indiam flumina superet. vlterio-
res autem ripas Tabræsiorum & Gangaridarum gentes co-
lere, regemque horum esse Xandramen, viginti equitum
& ducentis peditum millibus, curribus insuper bis mille, &
quater mille Elephantis, ad bellum adornatis, instructum.
Incredibilia hæc regi visa. ideò Porum ad se accersitum per-

cunctatur, an vera sint, quæ renuncientur. is cætera quidem ita certò se habere confirmat. at qui regnum inter Gandaridas teneat, infimæ sortis hominem & obscurum esse, vt qui pro tonsoris filio habeatur. patrem enim huius, ob decorum formæ habitum, cordi fuisse reginæ quàm maximè, regéque vxoris dolo perfidè necato, regni administrationem ad hunc fuisse deuolutam. Quanquam igitur hanc in Gandaridas expeditionem cum summa difficultate coniunctam videbat Alexander: à gloriæ tamen cupiditate non destitit, quin Macedonum virtute deorumque responsis confisus, victoriæ de vniuersis Barbaris referendæ spem habebat. à Pythia enim inuicti sibi appellationem tributam, & ab Hammone totius orbis imperium sibi concessum, recordabatur. Militem verò perpetuis expeditionibus defatigatum cernens, (continuos enim octo annorum labores cum summis periculis ærumnosè tolerauerant) vt multitudinem accommodato ad institutum sermone ad subeundam hanc secum militiam exhortaretur, necessarium duxit. Ingens enim iactura militum iam facta erat, nec vllus bellorum finis sperari poterat. Quid? quòd equorum vngulæ propter itinera nunquam remissa detritæ? & armorum pleraque absumta? Habitus etiam Græcus defecerat, vt vestes barbarico ritu de concisis Indorum palliis contextas sibi adaptare, necessum haberent. Et tum fortè fortuna accidit, vt ad dies septuaginta, horridi ex cœlo imbres, tonitruis & fulminibus continenter admixtis, præcipitarent. Quæ licèt contraria molitionibus suis esse colligeret, vnam tamen adhuc cupiditatis explendæ spem reliquam habebat, si munificentia animos militum, ad reddendam eximiè beneuolentiam obstringeret. Idcircò liberam eis per hosticos agros, omni bonorum genere exuberantes, prædandi potestatem concessit. Per dies interim illos, dum in populatione occupatur exercitus, vxores militum, pueros que ex illis natos conuocat, & illis quidem menstruum vt exhiberetur frumentum; illis verò vt pro ratione eius quod patres acciperent, suum etiam stipendium numeraretur, constituit. Vbi verò magnam bonorum vbertatem consecuti milites, in castra redierunt: omnes in concionem aduocauit. ibi probè meditato sermone ad illos disseruit, vt prompti & alacres Gandaridis secum arma inferrent. sed cùm nullo Macedones pacto ad

XCIV.

cto ad voluntatem eius se accommodarent, ab incepto destitit, atque ibi terminum expeditionis suæ facere statuit.

C V. Ante omnia igitur duodecim diis aras quinquaginta cubitorum erexit; hinc castra triplo maiore, quàm prior fuerat, ambitu complexus, fossam pedes quinquaginta latam & decem altam duxit. è terrâ autem intra fossam accumulatâ murum non contemnendum exstruxit. Pedites etiam iussit, vt in tabernaculo quisque suo duo cubilia quinûm cubitorum exstrueret. Equites autem, vt cubilibus etiam præsepia, altero tantò vsitatis ampliora, adderent. eademque ratione cæterorum quoque post se relinquendorum magnitudines extenderent. Hæc eo consilio peragenda curabat, tum vt Heroicam fecisse expeditionem memoraretur: tum vt virorum prægrandium vestigia & roboris vsitatum excedentis modum, argumenta incolis relinqueret. His perfunctus, cum vniuersis copiis, eodem quo venerat itinere, ad Asesinem fluuium regreditur. Ibi naues, quas constructas inuenerat, absoluit, aliisque fabricandis operam adhibet. Sub id verò tempus noua ex Græciâ supplementa, tum auxiliariorum, tum stipendiis militantium ductu imperatorum aduentant, triginta amplius peditum millia & sex millia fermè equitum. Arma simul eleganter fabricata in ccIɔɔ ccIɔɔɔ Iɔɔ pedites, & medicamētorum centum talenta, tunc aduecta. hæc ergo militibus distribuit. Classe verò cum armamentis perfectâ (adornatæ autem fuerant naues apertæ cc, & actuariæ Iɔ ccc.) Vrbium ad flumen conditarum vnam, à victoria illic parta, Nicæam, alteram ab equo, in conflictu cum Poro, sibi interemto, Bucephalam, nuncupauit.

X C VI. Tandem cum amicis naues ingressus, amne secundo in Oceanum, qui versus meridiem est, nauigationem intendit. Sed bona exercitus pars iuxtà in fluminis ripâ, Crateri & Hephæstionis ductu, iter faciebat. Peruentum erat in regionem, vbi Hydaspes Acesinæ committitur. Hîc expositis militibus, Iborum ad fines procedit. hos ex posteritate illorum esse memorant, qui cum Hercule petram Aornon oppugnauerant. & post irritum conatum, in regione illâ, Herois auspicio, collocati erant. Tum castris non obscuri nominis vrbi admotis quorum præcipua erat auctoritas, exeunt, inque colloquium regis admissi, necessitudinis antiquæ memoriā

renouant,& cupidè omnia se facturos, quomodo cognatos deceat,pollicentur. quod & munerum haud vulgarium exhibitione testatum faciunt. Grata horum beneuolentia regi accidit; ideoque omnes illorum ciuitates liberas esse iubet. Inde conterminas ad gentes se conuertit. inter has Agalassenses quadraginta peditum,& tria equitum millia coëgisse reperit. Committitur pugna, & vincit Alexander, vbi plerique conciduntur; superstites in specus & vicina oppida refugiunt; quibus expugnatis, seruituti mancipantur. De cæteris etiam incolis, qui ad arma concursauerant, ccIↃↃ ccIↃↃ in magna quadam vrbe,tutandi sui causâ,congregatos,vi expugnat. sed cùm obseptis viarum angustiis fortiter è tectis propugnarent, vi summâ pulsus Macedonum haud paucos amittit. Oppido igitur per iram succenso, maximam illorum partem simul comburit. Ad ter mille adhuc superfuerant. hos in arcem elapsos, cùm supplices veniam rogarent, impunè dimittit. Tum denuò cum amicis XCVII nauigio per amnem decurrit vsque ad fluuiorum, quos diximus,& Indi confluentem. Sed cùm magna flumina cum impetu in vnum locum concursent, vortices multi horrore maximo exsistunt. hi tum naues in vertiginem actas pessumdabant. tantáque fluxus concitati vis erat ac vehementia,vt ars gubernatorum succumberet: Duæ itaque naues longæ submerguntur; & cæterarum pleræque in ripam expelluntur. Prætoriâ etiam in vastum abreptâ vorticem,rex vltimum vitæ periculum adit. quare præsentem sibi mortem intentari videns, depositis vestibus nudo corpore,quod tum dabatur,subsidium,prehensat. iámque haud procul natant amici,summo hoc nixu agẽtes, vt naui subuersa regem excipiant. Ibi ingens circa nauem perturbatio oritur:dum violentiæ cursus viri se opponunt. at fluuius omnem hominum solertiam & facultatem superat. atque vix tandem cum nauibus Alexander in terram euadit. Insperatò igitur seruatus,diis sacrum fecit, quòd & extremum discrimen euasisset; & velut alter Achilles cum fluuio depugnasset.

Hinc in Oxydracas & Mallos, populosissimas Indiæ XCIIX gentes & pugnaces,ducto exercitu, ita paratos offendit incolas,vt plus quàm XXC millia peditum, & ccIↃↃ equitũ, cum IↃ CC curribus,sub signis haberent. Hi ante regis aduentum,bellum inter se gerebant,sed regis iam imminentis

metus,

metus, ad concordem armorum societatem eos compulerat, datisque & acceptis vltrò citróque denis virginum millibus per affinitatem illam inter se reconciliati erant. Nec tamen coniunctis in aciem viribus descenderunt: sed dissensione de summâ imperii exortâ, in propinquas huc illuc vrbes dilapsi fuerant. Ad quarum primam vbi peruenit Alexander, primo accessu illam oppugnare statuit. Sed inter Augures quidam Demophoon illum conueniens, auguriis quibusdam maximum regi periculum ex vulnere in hac obsidione portendi, monuit. Ideóque, vt omisso nunc quidem oppido isto, aliis potiùs negociis animum aduerteret, rogauit. Rex homine iurgiis excepto, quòd strenuò certantibus impedimento esset, constitutis ad oppugnationẽ necessariis, ipse primus ad vrbem ducit, expugnandæ eius percupidus. Cúmque machinamenta tardiùs subsequerentur, primus præfractâ portâ in vrbem irrumpit: vbi prostratis compluribus, cæteros in fugam actos, ad arcem vsque persequitur. & quia Macedones in oppugnatione muri adhuc occupati erant, arreptas è propinquo scalas arcis mœnibus admouet, peltámque capiti obtendens sursum properat. Celeritate autem effecit, vt priùs quàm propugnatores arcerent, muri summum iam occupatum teneret. Ibi Indorum quidem nemo manus conferre audebat: eminus tamen iaculis & sagittis regem impetebant, adeò vt multitudini horum impar esset. Inter hæc Macedones binas applicârant scalas: sed dum nimis multi adscensum moliuntur, confractis vtrisque, omnes ad terram corruerant.

XCIX. Tum rex omni destitutus auxilio, facinus quoddam incredibile, memoratúque dignissimũ patrare ausus fuit. nam ex muro ad suos resilire, indignũ rerum suarum gloriâ arbitratus, cum armis in oppidum desilit. & mox Indis confertim irruentibus, magnâ fiduciâ impetum barbarorum excipit. Cúmque à dextrâ arborem radicibus muro adfixam, à sinistrâ murum ipsum pro munimento sibi fecisset, tutiùs hostes propulsabat, tantâ animi præsentiâ, quâtam rex post tot tantásq; res præclarè gestas, gloriosissimam oppetere mortem gestiens, insigni virtutis decore, declarârit. Iam multos galeâ, multos etiam peltâ ictus sustinuerat, cùm tandem sagittæ infra mamillam inflictu tam violentum vulnus accepit, vt in genua subsideret. Indus præterea, qui ipsum percusserat, incautè non sine despectu regis accurrẽs, alterum

ei ictum intentauit: sed gladium lateri subiiciens lethali hominem vulnere prostrauit. Mox vicino, quem apprehẽderat, ramo se attollens, cuicunque libéret, pugnam offerebat. Interea Peucestes satellitum vnus, superato per alias scalas muro, primus ad defensionem regis accurrit: & post hunc alii plures superuenêre, qui terrore Barbaris iniecto, regem è discrimine extraxêre. Tum vrbe per vim captâ, Macedones, quicquid hominum in manus illorum incidit, quòd iræ super rege indulgerent, trucidant, totumque oppidum cadaueribus repletur. Interea dum complures rex curationi vulneris dies insumit: Græci per Bactrianam & Sogdianam in colonias distributi, quòd & iam pridem sedes inter Barbaros assignatas molestè ferrent, & tunc rumore defuncti ex vulnere regis arrigerentur, à Macedonum imperio deficiunt: ad tria enim millia confluxerant: qui deinde cum magno reditum in patriam conatu tentassent, omnes post Alexandri interitum concisi fuêre. Hinc vbi à vulnere conualuerat C. Alexander, instituto diis sacrificio, vt pro restitutâ salute grates redderet, magnificis quoque epulis amicos excepit. Tum inter compotandum singulare quiddam, memoriâque dignum euenit. Inter amicos regis adscitus quidam erat Coragus Macedo, corporis robore præstans: qui non rarò in pugnis strenuè rẽ gesserat. is vbi mero incaluerat, Dioxippũ Atheniensem (qui pugil erat, déque victoriis nobilissimis coronas reportârat) ad singulare certamen prouocat. Rem studiis suis adhibiti conuiuio (vt fieri solet) adiutant. Dioxippus ergo conditionẽ accipit; réxque pugnæ diẽ statuit. Ibi quamprimùm illuxit, multæ hominum myriades ad spectaculum cõueniunt. Macedones cum rege, vt populares, in Coragum fauore suo propensi sunt. Græci cum Dioxippo curas suas coniungunt. Macedo igitur preciosis exornatus armis, Atheniensis verò nudus, oleóque perunctus, cum decenti pileo, in certamen prodit. & quia vterque propter corporis & animi vim egregiam admirationi est, quasi deorum pugna quędam exspectatur. Nam Macedo corporis staturâ & fulgore armorum magnum præ se ferens terrorem, Marti similis habebatur. Dioxippus, præterquàm quòd viribus excelleret, tũ studii athletici exercitatione, tum insolenti clauæ gestatione, Herculi in speciem comparãdus videbatur. Iámque alter alteri imminebat: cùm Macedo ex mediocri interuallo lanceã

emisit:

emisit: alter verò exiguâ corporis declinatione intentatum
sibi ictum euitat. Mox aduersarius sarissam protendens in-
gruit. hanc vbi propiùs accessit, alter stipite frangit. Bis ergò
conatu frustratus Macedo, gladio pugnam capessit, sed hunc,
dum stringitur, assiliens ille præuertit, læuáque extrahentis
manum complexus, & alterâ è statu virum dimouens, crura
illi subducit. Quem vbi ad terram arietasset, collum iacentis
pede premens, clauámque intentans, ad spectatores se con-
uertit.

CI. Insolens rei nouitas, & excellens hominis for-
titudo, clamorem vulgi excitârat. sed rex prostratũ dimitti iu-
bet, finémque spectaculo imponens discedit. infelicem po-
pularis casum interim animo non satis æquo ferebat. Dio-
xippus autem, omisso quẽ deiecerat, abscedens, popularium
studio corollis redimitur: quòd victoriam tam insignem ad-
eptus, communem Græcis omnibus gloriam exhibuisset.
Non tamen ad longum fortuna tempus victoriæ huius læti-
tiâ hominem frui permisit. nam rex perpetuò deinceps alie-
nus ab illo fuit, & amici regis adeóque omnes aulæ ministe-
riis destinati, virtutem eius inuidiâ prosequebantur. quare
mensæ cuidam ministro persuadent, vt poculum aureũ pul-
uino eius subiiciat, proximóque conuiuio de furto conque-
runtur. & poculum tandem apud Dioxippum repertum esse
simulant. quo facto magnum illi pudorem, & ignominiæ la-
bem adspersêre. Qui Macedonum ad se concursum fieri vi-
dens, tum quidem conuiuio excedit. sed breui interiectâ mo-
râ, in diuersorium regressus, Epistolam de inimicorum con-
tra se machinis scribit: quã cùm regi per familiares tradẽdam
curasset, vitâ se abdicauit. Imprudens sanè factum, quòd in a-
renam cum Macedone descendit: longè autem maiore cum
insipientiâ coniunctum, quòd eo sibi modo vitam decurta-
uit. Ideò multi, qui dementiam eius redarguunt, etiam hoc
„ vituperationi admiscẽt; quòd crasso roboris corpore, ac sub-
„ tili mentis acumine simul præditum esse, perquàm sit diffici-
„ lè. Rex autem, perlectis ad se literis, interitum hominis gra-
„ uiter tulit, ac virtutem eius non rarò quæsiuit. & qui præsen-
„ tem neglexerat, sublatúmque (at nullo cum fructu) deside ra-
bat, ex calumniatorum tandem scelere, quanta viri integritas
fuisset, cognouit.

CII. Cæterùm copiis in ripâ fluminis se-
cundùm classem duci iussis, Rex nauigationem in Oceanum
redintegrans, ad regionem illorum, quos Sambestas vocãt,
appellit. hi cũ numero, tum virtute hominũ, nulli Indicarum

gentium postferendi, vrbes, quæ populi imperio reguntur, incolunt. Et de Macedonum aduentu certiores facti, peditum LX millia,& equitum VI millia cum Iↄ curribus bellicis coëgerant. At classe iam imminente,nouâ & inusitata accessus facie perterriti, cùm & vbique peruulgata Macedonum gloria metum incuteret, & seniores periculum certaminis dissuaderent, quinquaginta ex præcipuâ nobilitate legatis ad Alexandrum missis, vt humaniter secum agat, precantur. Rex itaque studio horum legatorum pacem genti concedit, muneráque amplissima, & honores qui Heroëm deceant,ab incolis consequitur. Exinde ripæ vtriusque accolas,qui Sodræ & Massani appellantur, in fidem accipit. quibus in locis iuxta flumen oppidum condidit Alexandriam,& mille,qui hoc incolerent,delegit. Hinc ad Musicani regnum peruenit: quem captum interemit, & gentem potestati suæ subiecit. Porticani deinceps ditionem aggressus,duas primo incursu vrbes expugnat, & direptioni militum concessas incendit. Regem verò, qui in castellum se probè munitum receperat,dum pugnãs se defendit,oppressum occidit. & quotquot sub ditione vrbes habebat, expugnatas diruit, eóque magnũ finitimis terrorem incussit. Tum & Sambi regnum peruastauit: vbi plerasque vrbes, venumdatis ciuibus, euertit,& Barbarorum plus octoginta millia deleuit. Et has quidem clades gens Brachmanum experta fuit. Cæteris autem, quæ supplices veniam exorabant, auctoribus pœna affectis, delicta condonauit. Interea Sambus rex, fugâ in vlteriores Indi fluuii partes cum XXX elephantis arreptâ, periculo se subduxerat. Inter Brachmanum vrbes postrema erat Harmatelia.hęc cùm virtute suorum,& difficili locorum aditu confideret,paucos è numero amicorum rex missos iubet, vt hoste ad pugnam lacessito, fugam retrò capessant. quingenti autem fuêre,qui cum armis mœnia subeuntes ob paucitatem facilè contemnuntur. ter mille igitur ex oppido contrà, illis erumpentibus, simulato pauore statim terga vertunt. sed Rex cum manu non ita magnâ insequentes excipit,& pugnâ fortiter consertâ,barbarorum alios cædit, alios capit. At vulneratorum ex agmine regio non exiguus numerus in extremum venit discrimen. ferramenta enim armorum toxico lethali tinxerant Barbari.quæ res animos etiam ipsis addiderat, vt disceptare cum rege armis haud vererentur.

CIII.

rentur. Virus hoc tam efficax è ſerpentibus quibuſdam venatione captis, erat confectum. hos necatos ſoli exponebant, ibi cùm reſoluta feruore æſtus caro liqueſceret, ſudor quidam exſtillabat: & cum liquore illo venenum beſtiarum ſimul excernebatur. vnde euenit, vt ſaucii corpus illicò ſtupor inuaderet; quem breui cruciatus acerrimi inſequerentur, conuulſióque & tremor omnia membra corriperet: cutis præterea frigore inhorrens liueſceret, biliſque per vomitum eiiceretur. quid? quod nigrâ ex vulnere ſpumâ profluente ſanies oriebatur: quæ celeriter præcipuas corporis partes inuadens miſerabile mortis genus efficiebat. è quo conſecutum, vt pari modo, & qui magnas accepiſſent plagas, & quibus vix leuiter ſtricta eſſet cutis, afficerentur. Hac peſte cùm ſaucii exſtinguerentur: aliorum quidem calamitas, tantùm regi mœrorem non attulit, quantum ſolicitudinis ac moleſtiæ Ptolomæi, qui poſtea regnauit, & tunc vnicè dilectus erat, caſus peperit. Peculiare autem quippiam & inexſpectatum Ptolemæo tunc accidit; quod diuinæ nonnulli prouidentiæ adſcripſère. is omnibus, tum propter virtutem, tum mirificum bene de ſingulis merendi ſtudium, percarus, dignam humanitate egregia ſanationem eſt ſortitus. Species enim regi per ſomnum oblata fuit, quâ draco quidam herbam in ore ſuo geſtare, eiúſque naturam & vim docere, locum etiam vbi naſceretur, oſtendere viſus eſt. Excitatus ergo Alexander inueſtigatam herbam contriuit, & corpori Ptolemæi per cataplaſma applicatâ, & potione ex illâ exhibitâ, ſanitati ægrotum reſtituit. cæteri quoque ſalutari herbæ vſu cognito, eiuſdem curationis ope conualuerunt.

CIII

Cæterùm Harmateliorum vrbem munitam & amplam cùm oppugnare inſtituiſſet, oppidani cum ſuppliciis regi occurrentes ſeipſos & vrbem dediderunt, impunitatem eo conſecuti.

CIV.

Tunc cum familiaribus ad Oceanum profectus, duabus illic inſulis repertis, magnifico deos ſacrificio veneratur; aureáque pocula numero haud pauca, nec pondere exigua, vnà cum libamentis in mare proiecit. tandem excitatis in Thetyos & Oceani honorem aris, expeditioni propoſitæ finem impoſuiſſe ratus, claſſe per amnem retrò ſubuehitur: vbi ad Hyala oppidum inſigne appellit. Eandem hoc reipublicæ formam, quam Sparta habebat. bini enim ex duabus familiis in eo reges, perpetuo ſucceſſionis

ordine res bellicas administrabant. summæ autem rerum gerendarum Curia seniorum præerat. Hinc naues, qui vitium fecerant, cremat; & tradita Nearcho, nonnullisque amicorum aliis classe, totam Oceani oram præteruehi, & diligenter omnibus lustratis, ad Euphratis ostia excurrere iubet. Ipse verò, castris inde motis, magna terrarum spacia peragrat: & aduersantes passim debellat, imperata autem facientes humaniter in fidem accipit. nam Abritas, & Gedrosiam incolentes, absque periculis subiunxit. Posteà multos terrarum tractus aquâ destitutos, nec pauciores ab omni cultu desertos emensus, ad fines Neoridis peruenit: vbi tripartitum agmen fecit. vni Ptolemæum, alteri Leonnatum præficit. illum maritimam populationibus infestam habere, hunc mediterranea incursionibus vexare iubet: ipse montana, & his subiecta loca, peruastat. Dúmque vno eodémque tempore multæ passim regiones hostiliter inuaduntur, factum est, vt omnis ille locus igni, rapinis, cædibus repleretur. vnde præda milites ingente sunt potiti, & numerus peremptorũ ad multas se myriades extẽdit. Hac gentiũ occidione perculsi finitimi, omnes regis in fidem cõcessêre. hîc condendæ vrbis amor & studium regem incessit: cùm portum à fluctibus tutum, & commodum iuxta locum inuehisset; in hoc itaque Alexandriam exstruxit. Inde in Neoritarum regionem per obliquos aditus ingressus, totam continuò imperata facere coëgit. hi cætera quidem Indorum moribus ac institutis consimilia habent. vno autem differunt, id quod fidem propè excedit. Nam defunctorum apud illos cadauera propinqui nudi lanceísque instructi efferunt: quæ postquam in syluâ regionis aliquâ deposuerunt, ornatum mortuo detrahunt, & exanimum corpus feris escam relinquunt. vestibus autẽ diuisis, sacra faciunt heroibus subterraneis, & necessarios conuiuio excipiunt. Postea in Gedrosiam contendit Alexander, iuxta mare iter faciens; & ad gentem per omnia feram & hospitalitatis expertem venit. qui enim istic habitant, vngues à primo ætatis exortu ad senectutem vsque excrescere sinunt, & crines inter se constipatos alunt. color propter solis feruorem adustus, & pelles ferarum pro amictu. Balenarum, quas mare eiectat, carnibus vescuntur. In tuguriis componendis hac ratione vtuntur. parietum quidem structuram educunt, culmen verò è costis

CV.

balenarum,

balenarum, vnde XIIX cubitorum trabes adornantur, ſu-
perimponunt. tegularum denique loco, ſquamis balenarum
tecta cooperiunt. Per hanc gentem vbi magno cum labore
transierat Alexander, in deſertam quandam regionem, & o-
mnis copiæ, ad vitam ſuſtentandam conducibilis expertem,
eſt delatus. Ibi cùm multi cibariorum inopiâ deficientes in-
terirent, non exercitum ſolummodò animus deſtituit, verùm
etiam regem ipſum mœror ac ſolicitudo haud vulgaris cor-
ripuit. miſerabile enim videbatur, eos qui virtute armiſque
mortales vniuerſos exſuperaſſent, in regione deſertâ omniū
egenos, inglorio perire exitu. Quapropter viros omnium ex-
peditiſſimos in Parthiam, Dranginen, Ariam, cęteráſque ſo-
litudini conterminas regiones miſit, cum mandatis, vt quàm
celerrimè camelos dromadarios, & id. genus iumenta por-
tandis ſarcinis adſueta, cibariis aliiſque ad vſum commodis
rebus, onuſta, ad Carmaniæ fines adducerent. Hi mandatis
ad prouinciarum Satrapas quàm ocyſſimè perlatis, vt magna
commeatuum vis ad definitum locum deportaretur, effece-
runt. Per extremam hanc inopiam complures ſuorum (quod
primum erat incommodum) Alexander deſiderauit. & dum
adhuc in itinere eſt, montanorum quidam Leonnati agmen
adorti, numerum haud exiguū proſtrauêre; (quod detrimen-
tum erat alterum) & hinc ad ſua ſe receperunt. Tan-

VI.

dem cùm ægrè per ſummas difficultates deſerta illâ ſuperaſ-
ſent, in regionē incolis frequentē, & commodis omnibus re-
fertā perueniunt. vbi reductis ad ſe copiis omnibus, vires re-
colligendi copiam fecit; cúmque illis ad panegyricæ ſpeciem
pompæ exornatis, per dies ſeptē proceſſit; & feſtā Libero Pa-
tri comeſſationē peragens, in medio paſſim itinere cōpota-
tiones non abſque temulentia, inſtituit. Quibus perfunctus,
cùm multos ſatraparum & ducū per vim & iniuriæ poteſta-
te abuſos cognouiſſet, meritas illis pœnas irrogauit. quâ re-
gis in duces improbè ſe gerentes, ſeueritate diuulgatâ, multi
ex præfectis iniuriarū & ſcelerum ſibi conſcii, timere ſibi cœ-
perunt. ideò nonnulli qui mercenariis præerant, à rege defi-
ciunt. quidam corraſis vndique pecuniis fugam intendunt.
de quibus rex certior factus, ad omnes Aſiæ præſides & ſa-
trapas ſcripſit, vt ſimul ac literas perlegiſſent, extemplò quic-
quid conductitii militis eſſet, exauctorarent. Sub quod tem-
pus, dum in maritimâ quadam vrbe, cui Salmunti nomen,
permoratur, & ſcenicos in theatro ludos exhibet, cum claſſe

ſua appellunt, qui ad littorales Oceani terras inueſtigandum miſſi fuerant. qui continuò Theatrum ingreſſi, ſalutato rege, quæ effeciſſent, renunciant. Gauiſi virorum aduentu Macedones, ingenti voluptatem ſuam plauſu conteſtantur, adeò quidem, vt omne theatrum ſummâ lætitiâ perfunderetur. Referebant autem legati, mirificas in Oceano aquarum reciprocationes & æſtus exſiſtere; ac per refluxus in extremis maritimæ oris Inſulas complures non exiguæ magnitudinis ſubitò apparere, quæ per æſtuantis maris affluxionem omnes denuò fluctibus ſubmergantur, dum magna vis flatus cum vehementiâ inſurgens ad continentem defertur, & magna ſpumæ copia fluctus in ſummo albeſcunt: &, quod omnium inſolentiſſimum, multos incredibili mole cetos occurriſſe. quorũ metu perculſi, initio ſpem vitæ ipſi abiecerint, vt qui ipſo ſtatim momento cum nauigiis interituri eſſent; ſed poſtquàm omnes ſimul vnâ voce clamorem edidiſſent, colliſiſque armis, & inflatis tubis excitaſſent ſtrepitũ: beluas rei nouitate conſternatas, profundum ſubiiſſe. Quibus rex auditis, vt ad Euphratem vſque prouehantur, claſſis præfectis imperat. ipſe interim multis regionibus cum agmine peragratis, Suſianos tandem fines attingit. Quo tempore Calanus Indus, qui magnos in Philoſophiæ ſtudiis progreſſus fecerat, & in honore apud regem erat, mirabili mortis genere vitam terminauit. Cùm enim ad LXXIII annos vitam produxiſſet, nec vllam per id temporis ſenſiſſet corporis infirmitatem, ſe ipſum vitâ abdicare, quòd iam perfectam à naturâ & fortunâ felicitatis menſuram accepiſſet, animum induxit. Inualetudine igitur tentatus, quæ indies magis ingraueſcebat, precibus à rege contendit, vt ingentem ſibi rogum conſtrui, eíque à ſe conſcenſo ignem à miniſtris ſubiici iuberet. Alexander initio quidem hominem ab hoc propoſito auertere conabatur. at cùm in ſententia perſiſteret, tandem quod petiuiſſet, effecturum ſe recipit. Res ea ſtatim diuulgatur: exſtructóque rogo, ingens hominũ multitudo ad inſolens ſpectaculum confluxit. Vbi Calanus, decretis ſuis obſecutus, magnâ animi fiduciâ rogũ conſcendit, vnâque crematus finem viuendi fecit. Inter hos verò qui dum aderant, nonnulli veſaniæ id facinus imputabant: alii vanæ fortitudinis oſtentationi tribuebant. erant tamen, qui animi generoſitatem, mortíſque contemtum admirarentur. Illum magnifice ſe-

CVI.

ficè ſepeliendum rex curat, Suſamque profectus, Statiram, Darii filiam natu maiorem, ſibi matrimonio iungit. minorem verò Drypetim Hephæſtioni vxorem tradit. Amicorum etiam nobiliſſimis coniugii noui auctor fuit,& generoſiſſimas Perſarum virgines in matrimonium locauit.

III. Per id tempus xxx Perſarum millia ætate planè iuuenes, & formæ decore, viribusque corporum eximii, Suſa peruenerunt. hi per tempus bene longum conquiſiti, à præfectis & magiſtris res bellicas didicerant: omnésque armis Macedonicis magnificè inſtructi ante vrbem caſtra poſuêre. vbi cùm ſtudii & exercitationis ſuæ in armis ſpecimen regi exhibuiſſent, præclaris ab eo muneribus cohoneſtati ſunt. Quia enim Gangen trāſire Macedones detrectârant, & ſubinde in concionibus regi clamore ſuo obſtrepebant, ortúmque ex Hammone ſuggillabant: agmen hoc Perſarum eiusdem ætatis, quod Phalangi Macedonicæ opponi poſſet, ſibi comparauit. atque his tum Alexander vacabat. Interea

C VII Harpalus, cuius fidei theſauros Babylonis & vectigalium aſſeruationem commiſerat Alexander, quamprimùm rex Indicam expeditionem ſuſceperat, nunquam reuerſurum ſperans, voluptatibus & delitiis ſe dederat. ampliſſimæ námque prouinciæ ſatrapes erat. ac primùm ad fœminarum ſtupra, nefariosque cum Barbaris concubitus ſe conuertit. & intemperātiſſimo voluptatum abuſu magnam pecuniæ ſibi creditæ vim prodegit. à rubro mari per longiſſimum interuallum magnam piſcium copiam ſibi afferendam curabat, tantósque in quotidianum victum ſumptus profundebat, vt malè apud omnes audiret. Ex Athenis inſuper famoſiſſimum ſcortum,cui Pythonices nomen,acciuerat. hāc, & dum vixit regiis muneribus adfecit,& mortuam impenſis maximis extulit, ac precioſiſſ. in Attica monimentum conſtruxit. poſt quam,aliam ex Atticâ meretricem,cui Glyceræ nomen, accerſiuit: cum quâ tam molliter & luxurioſè vixit, vt ad impēdiorum exuberantiam nihil faceret reliquum. Vt verò ad inopinatos fortunæ caſus aliquid ſibi refugii compararet,populum Athenienſem præcipuè ſibi demerēdum ſtatuit. Quare cùm poſt reditum ſuum ex Indiâ Alexāder multos ex ſatrapis ad ſe delatos capitis pœna multaſſet: ipſe etiā metu ſupplicii conuaſatis quinque millibus talentûm argenti,& militum ſex millibus ſtipendio conductis ex Aſiâ verſus

Atticam contendit. At cùm nemo se ad ipsum inclinaret, relictis ad Tænarum Laconiæ militibus, partem aliquam pecuniarum secum auferens, ad populum Atheniensem supplex confugit. Sed Antipatri & Olympiadis literis efflagitatus, grandi pecuniæ summa in oratores, qui pro se ad populũ agerẽt, dispertitâ, euasit, & ad milites in Tænarũ nauigauit. Illinc profectus in Cretam, à Thimbrone, vno ex amicis, dolo fuit interemptus. Athenienses verò, quæstione de Harpali pecuniis institutâ, Demosthenem & oratorum quosdam alios, vt largitionibus ab Harpalo corruptos, damnauerunt. Sub hæc Alexander, cùm Olympia celebrarentur, præconum voce publicè in Olympia edixit, vt quotquot forent exsules, præter sacrilegos & homicidas, in patriam redirent. Ipse autem habito delectu, ad decies mille circiter ætate maximè prouectos militiæ sacramento absoluit. multósque ære alieno obstrictos esse edoctus, id totum vno die decem millibus talentûm, paullò minùs, dissoluit. Cùm verò qui remanserant, contumaciùs se gererent, & seditiosis vocibus per conciones tumultuarentur: grauiter commotus, magna accusationis libertate in eos inuehitur: & pauore multitudini iniecto, eò processit audaciæ, vt de tribunali desiliens, suis ipse manibus seditionis auctores comprehensos ad pœnam traderet apparitoribus. Tandem vbi seditionem indies magis increbrescere vidit; è Persarum, quos ad hoc delegerat, numero ductores constituit, eósque ad primos honores prouexit. quæ res ad pœnitentiã Macedones compulit: & vix multis precibus lachrymisq́; vt recõciliaretur ipsis, Alexandrũ permouerunt.

CI.

Cæterùm cum Archon Athenis esset Anticles, & Romæ consules Lucius Cornelius, & Quintus Publilius, Alexãder numerum eorum quos dimiserat, Persis expleuit, & mille ex ipsis ad custodiam sui corporis in aulâ delegit; & omninò non minùs illis quàm Macedonibus fidei adhibendum censuit. Sub idem tempus etiam Peucestes cum vicies mille sagittariorum & funditorum agmine venit, quos prioribus copiis immiscuit. quâ mixturæ nouitate effecit, vt totus exercitus rectè temperatus, & instituto eius cõueniens esset. Nati erant Macedonibus filii ex consuetudine cum captiuis. horum numerum diligẽter inuestigauit, & ad decem millia inuenit; & stipendiis, quæ liberali illorum educationi sufficerent, attributis, magistros à quibus in disciplinis idoneis instituerentur,

CX.

stitueretur, præfecit. Tunc reuocatis ad signa iterum copiis, è Susis promouit; Tigriq; superato, castra ad pagos, qui Carrhæ vocantur, locauit. Inde quatridui spacio Sittam emensus, Sambea (quod loci nomen) peruenit. hic per dies septẽ subsistens, quietem agmini concessit. & tertiis inde castris ad eos qui Celonæ dicuntur, accessit. quo in loco Bœotorum progenies, Xerxis expeditione è sedibus patriis emota, ad hoc vsque tempus permansit; nec legũ patriæ immemor est. duplici enim sermonis genere vtuntur. vno indigenas referunt: in altero cõplures Græcas voces retinent: vt & instituta quædam conseruant. Inde cùm finem diei exspectasset, motis castris, à recto itinere deflexit, & perlustrandi causâ Bagistamen versus contendit. Regio hæc arboribus fœcundis, & cunctis aliis, quæ ad vsum & voluptatem hominũ conducant referta est, adeò vt deorum etiam oblectationi quam maximè cõuenire videatur. Postea regionem ingreditur, quæ numerosissimis equorum armentis enutriendis sufficit. in hac enim CLX equorum agrestium millia fuisse memorant: sub Alexandri verò aduentum sexaginta duntaxat millia numerabãtur. Ad triginta illic dies statiua habuit. & septimis inde castris Ecbatana Mediæ attigit. vrbis ambitum CCL stadia cõplecti, totiusque Mediæ regiam, & maximarum opum thesauros illic esse, perhibent. Hîc tempus aliquod quieti & recreationi exercitus tributũ. Interim scenica certamina, & cõpotationes assiduas rex instituit: quo tẽpore Hephæstio, inter amicos regis facilè primus, quòd crapulæ nimiũ indulgeret, morbo correptus è vitâ excessit. quẽ casum ægerrimè rex ferens, cadauer Perdiccæ Babylonẽ deportandũ tradit, quòd exsequias illi peragere quàm splẽdidissimas animũ induxisset.

CXI. Dum hæc (in Asia) geruntur: per Græciam tumultus, magnique rerum nouarum motus, exorti sunt, vnde bellum, quod Lamiacum vocant, initium sumsit. idque per hanc occasionem. Post edictum regis ad satrapas perscriptum, vt quicunque stipendia facerent, omnes à se dimitterent. cùm imperata illi exsequerentur, multi peregrini, sacramentis militaribus exsoluti, per totam Asiam huc illuc vagabundi discursitabant, & prædando victum sibi necessarium conquirebant: donec ex omnibus passim locis ad Tænarum Laconiæ conuenerunt. Sic & satrapæ ducésque Persarum, quos belli fortuna reliquos fecerat, collecto milite & pecuniis, ad Tænarum profecti, vires ibi cõiunxerunt. denique Leosthe-

nem Athenienſem, virum ſplendore animi præſignem, ſummum exercitus imperatorem creant. Hic cùm aduocato Senatu de belli ratione ſecretò diſſeruiſſet, quinquaginta ad ſtipendiorum ſolutionem talenta, & armorum quòd ad neceſſarios in præſens vſus ſufficeret, accepit. Ad Ætolos inſuper qui alienatis à rege animis erant, de armorum ſocietate, legatos miſit. Leoſthenes ergo in præparandis bello neceſſariis, vt qui, quanta eius magnitudo eſſet futura, proſpiceret, totus occupabatur. Alexander verò in Coſſæos, qui imperium eius reſpuebant, expedito agmine mouit. Gens iſta, fortitudine præcellens montanos Mediæ tractus incolit. ideò locorum difficultati, ſuæque in bellis virtuti confidens, externum principem nunquam admiſerat. quin etiam per omne dominatus Perſici tempus inuicta permanſerat. & tunc quoque elatis animis virtutem Macedonum nullo dignam metu iudicabat. Rex itaque aditus prior occupat, & pleroſque Coſſææ tractus populatur, pérque omnes conflictus victor, multos Barbarorum occidit, longéq; plures capit. Tum Coſſæi, quòd & vbique ſuccumberent, & multitudinem captiuorum ægrè ferrent, ſalutem popularium, qui capti fuerant, cum ſeruitute commutare adiguntur. cúmque ſe ſuáque omnia arbitratui victoris permiſiſſent, eâ conditione pacem impetrant, vt ad quæuis imperata regis morigeros ſe præſtent. Ita Alexander intra dies ad ſummum XL, gente armis perdomitâ, cùm ad difficiliores locorum aditus, vrbes condidiſſet, exercitum inde abduxit.

CX

Poſthæc Soſicles Archontis munere Athenis fungebatur, & Romæ Lucius Cornelius Lentulus, & Quintus Publilius, conſulatũ gerebant: cùm debellatâ Coſſæorum gente, mouens inde Alexander Babylonẽ verſus contendit. Transferendis autem caſtris ſubinde quieſcendi moram interpoſuit, & vt recolligere vires agmen poſſet, lento itinere proceſſit. Iámque XXX circiter ſtadia Babylone aberat: cùm qui Chaldæi nuncupantur, maximam ex Aſtrologiæ ſtudio gloriam adepti, dum ex perpetuâ quadam (ſiderum) obſeruatione futura prædicere ſolent, ex ordine ſuo natu maximos, & experientia cæteris præſtantes, elegerunt. & quia ex aſtrorum diuinatione cognouerant, vitæ terminum regi, vbi Babylonem intraſſet, imminere: his iniunxerunt, vt periculum ei ſignificarent, & quâ poſſent ratione, ne vrbem ingrederetur, effi-

tur, efficerent. euadere autem hoc discrimen posse, si Belise-
pulcrum, à Persis destructũ, excitaret denuò, & inhibito, quod
decreuisset itinere, vrbem præteriret. Legationis huius prin-
ceps erat Belephantes. qui præ metu regem conuenire ipse
quidem non audebat, sed vnum ex regiis amicis Nearchum
priuatim accedit, eúmque de singulis edoctum, vt regi hæc
exponere ne cunctetur, orat. Alexander vbi per Nearchi in-
diciũ, quid à Chaldæis denunciaretur, accepit, nonnihil com-
mouetur; dúmque quæ virorum sagacitas & gloria sit, iden-
tidem magis ac magis perpendit, animo consternatur tan-
dem plerisque à se amicis in vrbem dimissis, ipse aliam in-
gressus viam, Babylonem declinat; & ducentis inde stadiis
castra metatus quieto agmine subsistit. id cùm omnibus ad-
mirationi esset; Græci ad ipsum venerunt, tum alii complu-
res, tum Philosophi Anaxagoræ dogmata amplexi. hi causâ
metus cognitâ, rationibus ex Philosophiâ depromtis acriter
contra disputabant. quibus adeò regis animus immutatus
est, vt cùm omne diuinationis genus, tum maximè quod a-
pud Chaldæos in precio est, contemptui haberet. Itaque non
aliter, quàm si sauciato priùs animo, nunc Philosophorũ ver-
bis esset sanatus, cum exercitu Babylonem intrauit. Cúm-
que ciues perquàm humaniter, vt etiam antea, milites exce-
pissent, omnes ad ocium & voluptates, quòd ingens rerum
necessariarum copia suppeteret, se conuerterunt. Per hunc
igitur annum illa (quæ diximus) gesta fuêre.

CXIII. Athenis deinceps Agesias erat Archon, & Romæ Ca-
ius Poëtelius, & Lucius Papirius consulatum administra-
bant. Olympias autem decima & quarta, Micina Rhodio
victore, agebatur. quo tempore è cunctis ferè orbis terra-
rum partibus legati ad Alexandrum venerunt: pars vt de re-
bus felicissimè gestis gratularentur; pars vt coronas offer-
rent; alii, vt amicitiam & fœdus sancirent; complures, vt ma-
gnificis regem muneribus afficerent; quidam vt de crimini-
bus obiectis se purgarent. nam præter eos quos Asiæ natio-
nes, ciuitates & principes miserant, etiam multi ex Europâ &
Africâ legati regem accedebant. ex Africâ Carthaginienses
& Afro-Phœnices, & cuncti qui mare vsque ad columnas
Herculis accolebât, ex Europâ, Græcorum ciuitates, & Ma-
cedones, tum Illyrii, & plerique Adriæ Accolæ, Thracúm-
que gentes, & his finitimi Galatæ: quorum gens tunc pri-

mùm innotescere Græcis cœpit. Hi omnes legatos miserũt, quorum catalogo rex accepto, quibus primùm, & quibus deinceps, dum ad omnes perueniretur, ordine respondendũ esset, constituit. Ac primùm eos qui sacrorum causâ venerant, audiuit. secundum locum his dedit, qui dona attulerant. inde, qui cum finitimis controuersias habebant. quarti erant qui de priuatis tractaturi venerant. vltimæ partes illorum erant, qui restitutioni exsulum refragabantur. Eleis igitur omnium primis operam dedit. & post illos Hammoniis, Delphis, Corinthiis; itémque Epidauriis, & cæteris; pro maiestate templorum audientiæ, prærogatiuam illis tribuens. inprimis verò vt grata cunctis legationibus responsa impertiret, placatásque & beneuolas à se dimitteret, operam dabat. Quibus absolutis, ad iusta Hephæstioni facienda, animum conuertit. In efferendi autem funeris accurationem studii tantum impendit, vt non superiorum duntaxat ætatum funerationes cunctas superârit; verùm etiam futuris nullam excessus facultatem reliquerit. Nam amicorum celebratissimorum affectu intimè illum dilexit, & post obitum ita honorauit, vt nihil ampliùs præstari queat. Donec .n. vixit, maiore in honore, quàm omnes amicos ipsum habuit: quamuis Craterus amicitiâ cum eo certaret. cùm enim familiarium quispiam dixisset, Craterum in amore non inferiorem esse Hephæstione, subiecit, à Cratero regem, ab Hephæstione Alexandrum amari. & cùm in primo cum rege colloquio Darii mater per ignorantiam ad Hephæstionis, quasi is rex esset genua se prouolueret, atque errore intellecto erubesceret: *Minimè solicita sis mater*, inquit Alexander, *nã & hic Alexãder est*. Deniq; tãtũ sibi potẽtiæ & in sermone libertatis, ex familiaritate cũ Alexandro, cõparârat Hephæstio, vt, cùm Olympias per inuidiam ei infensior, duriùs per literas eum increparet, minásque adderet; cùm alia seueræ castigationis plena, rescripserit, tunc clausulam hanc attexuerit; *Et criminari nos desinas, nec ampliùs succenseas, minisq; incessas. Sin minùs, non magnoperè id curæ nobis erit. Alexandrum namq; omnibus pollentiorem esse nosti.* Rex itaque in apparatu funeris occupatus, vicinis ciuitatibus imperat, vt quicquid possent, ad ornatum eius conferrent. mandatum præterea ad omnes Asiæ gentes dedit, vt ignem, qui sacer à Persis vocatur, quousque exequias peregisset, exstinguerent. id quod in

CXI

regum

regum obitu à Persis factitari solet. Hoc verò mandatum pro infelici omine à vulgo acceptum fuit. nam regis mortem à Numine hoc ipso significari existimabant. quin & alia præter naturæ ordinem prodigia contigerant, quibus vitæ terminus Alexandro non obscurè denunciatus fuit: de quibus, hanc de funeratione narrationem exsecuti, paullò pòst dicemus.

IV. Tunc ergo Ducum & amicorum vnusquisque ad voluntatem regis se accōmodans, simulacra ex ebore, auróque, & aliâ magnæ æstimationis materiâ facienda curauerat. Ipse accitis vndique architectis, & subtilissimorum operum artificibus magno numero, muri partem ad stadia decē demolitur, laterésque colligit. hinc loco, qui rogum excepturus erat, complanato, pyram quadrilateram excitat, cuius vnumquodque latus stadium obtineret. areā verò loci in XXX domos partitur, & tecta palmarum truncis insternit. totum igitur opus quatuor angulos figurâ suâ exhibebat. Vniuerso deinde ambitui peculiarē addebat ornatum. nam infimam eius partem inauratæ triremium proræ numero CCXLIV, explebant, in quarum epotidibus (sic partes vocāt ad vtrumque rostri latus exstantes,) bini sagittarii quatuor cubitorum, altero genu subnixi, & statuæ armis instructæ quinque cubitorū stabāt. loca intermedia purpureis velis densè contextis obducta erant. Alteram supra hoc regionem obtinebāt XV cubitorū faces, quæ mediâ parte, quâ prehēdi solent, aureas coronas; summâ, vbi flamma exsurgit, aquilas extēsis alis; & capitibus deorsum inclinatis; ad imas baseis Dracones vultibus ad aquilas conuersis, habebant. In tertia ambitus serie, numerosa bestiarum omnis generis venatio exhibebatur. in quarto dehinc ordine, pugna Centaurorum ex auro fabricata erat. quintus aureos leones & tauros alternatim ostentabat. Superior pars Macedonicis & Barbaricis armis erat referta: quorū hæc gentium deuictarum clades, illa strenuitatis victricis significationem edebāt. in summo denique fastigio Sirenes excauatæ stabant, quæ latenter in se reciperent eos, qui funebrē mortuo næniam decantarent. Totius autē structuræ celsitas ad centū triginta ampliùs cubitos exsurgebāt. Et quia ductores simul & milites, legatiq; & homines indigenę, certatim ad funeris huius apparatū sumtus conferebāt, plus quàm XII millia talentûm impēsa fuisse cōfirmant. Pro magnificētiæ huius ratione etiā cæteros exsequiarū honores

dispensauit. & ad extremum, vt Hephæstioni tanquam deo præsidi sacrificarent, vniuersis imperauit. nam tunc, fortunâ sic moderante, Philippus, ex familiaribus regis vnus, cum oraculo ab Hammone reuertitur, vt Hephæstionem deum sacrificiis venerarentur. Quo nuncio lætatus mirificè, quòd deum ipsum comprobatorem sententiæ haberet; Primus sacrum illi fecit. cæsisque victimis, ad decem millia omnis generis, splendido totam multitudinem conuiuio accepit. Eo parentationis munere perfunctus Alexander, ocium & Panegyricam vitæ rationem cõplectitur. cúmque iam ad summum potentię & felicitatis culmen euectus videretur, fatum viuendi spacium à naturâ concessum illi contraxit. & statim etiam Numen multis auguriis & signis prodigiosis passim exhibitis, interitum eius præmonstrauit. cùm enim vnctioni rex vacaret, regiâ veste ac diademate in sellâ quadam repositâ, indigenæ cuidam in vincula cõpacto, sponte suâ compedes soluebantur. Is ergò, nemine vigilum sentiente, per aulæ portas citra impedimentum trãsiens ad sellam se contulit, regióque habitu indutus, & diademate ornatus, quietè in solio resedit. Quod factũ vbi innotuit, rex insolentiâ eius perculsus ad soliũ accedit, & absque increpatione placidè hominem interrogat, quis sit, & quo consilio hoc designârit. ille se nihil scire simpliciter respondet. De portento igitur hoc ad vates refertur. quorum iudicio miser ille necatur: vt quicquid sinistri portẽderetur, in caput illius deriuetur. Tum rex habitu recepto, diis auerruncis sacrum peragit. sed nihilominus perturbatione animi grauissimâ distorquetur. Tum quid à Chaldæis prædictum esset, animo recurrit. Philosophos ergo quotquot ingressus in Babylonem suasores fuerant, detestatur; artem verò Chaldæorum, & profundam hominũ illorum sapientiã, demiratur. illos denique, qui argumentis subtiliter inuentis contra vim fati disputarent, maledictis incessit. Nec lõgum in medio tempus; cùm aliud ei prodigium de regni mutatione Numen exhibuit. Babylonium visendi lacum cupiditate rex stimulabatur. Amicis ergo comitatus, aliquot acatiis nauigationem instituit. verùm accidit, vt prætoriâ naui à cæteris scaphis auulsâ, solus ad dies aliquot huc illuc vagaretur, adeò, vt etiam de salute actum iudicaret. interea dum per fretum quoddam angustum densisq; arboribus vtrimque obseptum, prouehitur, accidit,

vt ab

vt ab impendentibus deſuper ramis diadema in ſublime elatum rurſus in lacum decideret. vnus ergo remigum natando illuc excurrens, vtque tutiùs diadema referret, capiti ſuo impoſitum geſtans ad nauem enatauit. Poſtquàm ita triduum & trinoctium oberraſſet, diademate præter ſpem recuperato, ſaluus ad ſuos reuertitur, & vates iterum de hoc prodigio conſulit. qui denuò magnifica diis ſacra peragere omni adhibitâ diligẽtiâ illum iubent.

XVII Tum verò à Medio Theſſalo, ex neceſſariis vno, ad comeſſationem inuitatur. ibi cùm multo ſe oneraſſet mero, grande Herculis poculum (quod vocant) ad extremum ebibit. repentè igitur violento quaſi ictu percuſſus, magnâ voce ingemiſcit, & manibus amicorum ductus conuiuio excedit. ac ſtatim, qui curam eius agebant, exceptum lecto reclinant, ipſique diligenter intenti aſſident. At cùm vis morbi ingraueſceret, aduocantur quidem medici, ſed operam illi nemo adferre poteſt. tandem malo ſubinde magis exaſperato, cruciatibus grauiſſimis correptus, ſpem vitæ deponit, detractumq́; digito annulũ Perdiccæ tradit. Ibi cùm his verbis amici percunctarentur: *Cuinam imperium relinquis? Præſtantiſſimo*, reſpondit. & quum nouiſſimam emiſit vocem, adiecit, *à primoribus amicorum ingenti ſibi certamine parentatum iri*. Hunc ad modum Alexander vitam clauſit, vbi XII annos & VII menſes regnarat, maximasque res confecerat, quibus omnes tum ante, tum poſt ſe ad noſtram vſque ætatem reges ſuperauit. Quoniam verò ſcriptores nonnulli de morte huius regis diſcrepant, lethali exſtinctũ pharmaco memorantes: non prætermittere quæ

CXIIX tradiderunt, neceſſarium videtur. Antipatrum enim, quem ſummo cum imperio Europæ Alexander præfecerat, controuerſias cum Olympiade regis matre exercuiſſe, perhibent: ac primò quidem non magni feciſſe eius offenſam, quòd calumnias eius contra ipſum rex non acceptaret. Pòſt verò, gliſcẽtibus ſubinde magis odiis, cùm rex, qua erga Numen pietate erat, matri per omnia gratificandum arbitraretur: Antipatrum non paucas alienati à rege animi ſignificationes dediſſe, quibus Parmenionis & Philotæ trucidatio, vnde non mediocris amicis horror iniectus, acceſſit. per filiũ igitur ſuum, qui regi à cyathis erat, mortifero regẽ pharmaco potionaſſe. Sed quia ſumma eius in Europâ poſt Alexandri obitum fuit potentia, & Caſſander in regno ſucceſſit, ple-

rosque scriptores, veneni mentionem in monimentis suis facere non fuisse ausos. cùm tamen ex factis constet, Cassandrum rebus Alexandri maximè fuisse inimicum; quòd & Olympiadem post cædem insepultam abiecerit, & Thebas, ab illo funditus euersas, magno studio & opere instaurârit. Rege sic exstincto, etiam mater Darii Sisigambris, cùm & Alexandri mortem intempestiuam, & suam iam ab omnibus desertæ calamitatem lachrymis effusissimis deplorasset, in extremâ vitæ (quod dicitur) lineâ cibum & lucem auersata, die quinto per inediam, magnâ quidem cum tristitiâ, sed non minore gloriâ, vitam sibi abrupit. Nos verò ad mortem Alexandri progressi, quod initio libri propositum erat, in sequentibus successorum eius res gestas exsequemur.

HÆC IN XVIII. DIODORI LIBRO CONTINENTUR.

Perturbatio & dissidium, post Alexandri obitum, in exercitu.

Perdiccas regni curationem suscipit, & satrapiæ diuiduntur.

Græcorum in præfecturis superioribus defectio, & Pithonis (delecti ad hoc) imperatoris aduersus illos expeditio.

Asiæ situs exponitur, & satrapiæ in illâ recensentur.

Vt Pitho rebelles Græcos debellarit.

Vt Athenienses Antipatro bellum intulerint, quod Lamiacũ nominatur.

Vt Leosthenes imperator creatus, coacto exercitu prælio Antipatrum vicerit, & intra Lamiam vrbem concluserit.

Leosthenis imperatoris interitus, & oratio in ipsum funebris.

Satrapiæ à suis quæq; ducibus, quibus in partitione assignatæ fuerant, occupantur.

Pugna Græcorum equestris cum Leonnato & victoria.

Vt Eumenes adſumptis in Cilicia Argyraſpidibus, in ſuperiores prouincias aſcenderit, & non contemnẽdum ſibi agmen compararit.

De ingenii perſpicacitate, arteq́; imperatoria Eumenis, & quæ ad finem vſq; geſſerit. Tum quæ circa Caſſandrum & Nicanorem, qui Munichiam cum præſidio tenebat, acciderint.

Phocionis, qui Probi cognomentum promeruit, interitus.

Vt Polyſperchon, Megalopolitis obſidione cinctis, poſt multa tũ accepta, tum illata damna, infecto negocio abſceſſerit.

Vt Clitus, Polyſperchontis claſſi præfectus, Nicanorem, Caſſandri nauarchum, nauali pugna ſuperarit.

Vt Antigonus, victoriam de Clito nauali conflictu adeptus, maris imperium obtinuerit.

Vt Eumenes, ad Babylonem à Seleuco in extremum diſcrimen coniectus, prudenti ſe induſtria extricarit.

Vt Polyſperchon à Græcis contemptus, & ad humiliorem conditionem redactus, bellum Caſſandro mouerit.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE
Liber XVIII.

I. PYTHAGORAS Samius, & quidam Phyſicorum veterũ alii, immortales eſſe hominum animas confirmarunt: & quòd huius ſententiæ cõſectarium eſt, prenoſcere futura, cùm, imminente vitæ exitu, iamiam à corpore ſegregãtur. Quibus & Homerus adſtipulatur, dum Hectorẽ Achilli de obitu, breui ſubſecuturo, in ipſo mortis articulo, vaticinantem introducit. Idẽ recentioribus etiam ſeculis in multis è vitâ migrantibus accidiſſe, literis proditum eſt. Maximè verò Alexandri Macedonis exitus illud comprobat. hic Babylone vitam cum morte commutans, dum ſub extremum vitæ halitum, à familiaribus interrogatur, *cui regnum poſt ſe relictum eat? optimo*, reſpondet. *Ingenti enim certamine amicos mihi parentaturos, prævideo.* id quod veriſſimè ſic euenit. Nam amicorum nobiliſſimi, de principatu diſceptantes,

multa

multa post Alexandri obitum bella, & certamina maxima inter se excitârunt. quorum res gestas hic liber complectens, id quod iam dictum est, studioso lectori perspicuè exhibebit. Præcedens enim liber res Alexandri vniuersas ad mortem vsque continet. hic verò à successoribus regni gesta complectens, in anno qui proximè Agathoclis tyrannidem antecessit, per septem annorum ambitum, finitur.

II. Cum Archon Athenis esset Cephisodorus, Consules Romani creârunt Lucium Furium, & Decimum Iunium. Sub quod tempus, Alexandro sine liberis defuncto, ingens de imperio, quod moderatore tum carebat, dissidium exstitit. Pedestris enim Phalanx Arrhidæum Philippo genitum, sed vitiis quibusdam animi non sanandis affectum, ad regni administrationem prouehebat. sed qui inter amicos & custodes corporis auctoritate maximâ pollebant, Senatu habito, cùm equitum, qui sodales nominantur, agmen sibi adiunxissent, primùm armis cum Phalange decertare statuerunt & missis ex virorum dignitate præstantium ordine legatis, inter quos Meleager nobilissimus erat, ad pedites, vt dicto audientes essent, contendêre. At Meleager quamprimùm ad peditum delectos, quorum præcipua tunc dignitas (inter cæteros autem Phalangites maximè conspicuus erat) venit, legationis nullam facit mentionem: sed è contrario ob decreta collaudatos in aduersarios irritat. quapropter Meleagro sibi duce creato Macedones, cum armis in refragantes suis studiis procedunt. Cumque & stipatores regii Babylonem egressi ad bellum se præpararent, gratiosissimi inter illos, vt concordiam resarcirent, vtrique persuaserunt. Nec mora, Arrhidæum Philippi filium, inque Philippi nomen adoptatum, regem, & Perdiccam, cui etiam rex moriens annulum tradiderat, regni procuratorem designant; & amicorum stipatorumque primarios administrare prouincias, Regique & Perdiccæ obedientiam præstare, iubent.

III. Ille summam rerum adeptus, consilio Ducũ aduocato, Ptolemæo Lagi Ægyptum tradit, Pythoni Mediam, Eumeni Paphlagoniam, & Cappadociam, & conterminas illis regiones, quas Alexander, temporis incommoditate, dum bellum cum Dario gerit, exclusus, non accesserat. Antigono autem Pamphyliam, Lyciamque, & quæ magna vocatur, Phrygiam; Cassandro Cariam; Meleagro Ly-

diam; Leonnato Phrygiam ad Hellespontum committit. Et hæ quidem prouinciæ istum ad modum distribuuntur. In Europâ verò, Thracia cum finitimis ad Ponticum mare gentibus Lysimacho conceditur. & Macedonia cum vicinis populis Antipatro attribuitur. Inter hæc, prætermissas in Asiâ satrapias non mouere, sed pristinis relinqui Ducibus, visum est. Contiguam his prouinciam, Taxili vicinisque Regibus permittit: at quæ Caucasum, Paropamisidarum cognomen, attingit, Oxyartæ Bactrianorum Regi, cuius natam Rhoxanen duxerat Alexander, assignatur. tum Sibyrtio Arachosiam & Gedrosiam: Stasanori Solio Arianam & Dranginam; Philippo Bactrianam & Sogdianam; Phratapherni Parthiam & Hyrcaniam: Peucestæ Persidem; Tlepolemo Carmaniam; Atrapæ Mediam: Archoni Babyloniam; Arcesilao Mesopotamiam, definit. Seleucum denique equitum sociorum omnium nobilissimo agmini præponit. huius magister primus Hephæstio; alter Perdiccas fuerat; quos tertius hic Seleucus excepit. vtque Taxiles & Porus plenariâ auctoritate, vt ab Alexandro ipso constitutum erat, regna sua tenerent, ordinauit. Funeris autem deportandi, & currus, quo regium cadauer transuehendum esset, apparãdi negotiũ Arrhidæi curæ permissum est. Craterus verò ducum illustrissimus iam ante in Ciliciam, additis decem millibus emeritorum, ab Alexandro missus fuerat, cum mandatis scripto comprehensis, quæ perficienda rex illi dederat: verùm hæc post Regis è vita discessum non exsequenda, successores decreuerunt. Cùm enim in regis commentariis tum sumptus, porrò in Hephæstionis rogum magnâ vi pecuniæ profundendos, tùm multa alia, quæ rex summis perficere impendiis sibi proposuerat, inuenisset: Perdiccas, vt irrita hæc fierent, conducibile esse iudicauit. sed ne priuato iudicio gloriæ Alexandri aliquid detrahere existimaretur, deliberationem super his ad publica Macedonum comitia retulit. Capita verò commentariorum præcipua & memoratu digna hæc erant: Vt mille naues longæ, triremibus grandiores in Phœniciâ, Syriâ, Ciliciâ, & Cypro, ad expeditionem in Carthaginenses, & cæteros, qui littorales Africæ & Hispaniæ, vicinasque ad Siciliam vsque regiones incolebant, compaginarentur. Vt iter per Africæ

IV.

maritima ad Herculis columnas expeditum redderetur. Vt templa sex magnifica, mille & quingentorum talentûm sumptu fabricarentur. Vt pro tantæ classis modo portus & naualia locis opportunis exstruerentur. Adhæc vt ciuium in vrbes nouas commigratio, & hominum ex Asiâ in Europam, & rursum ex Europâ in Asiam translatio fieret. Vt per connubia & necessitudines continentes orbis maximas, concordia mutua & cognationis amicitia inter se deuincirent. Templorum de quibus dictum, ædificanda erant quædam in Delo, Delphisque, & Dodonâ. quædam in Macedoniâ: vt Iouis in Dio, Dianæ (quam Tauropolon vocant) Amphipoli. aliud in Cyrno, (quæ Corsica Latinis) Mineruæ. cui deæ etiam in Ilio templum destinauerat; quod nulli magnificentiâ concederet. Philippi denique Patris sepulcrum meditatus fuerat, quod Pyramidum in Ægypto, quas septem maximis operibus quidam annumerant, vnam magnitudine æquaret. Recitatis igitur his commentariis, Macedones, licèt instituta Alexandri bellè approbarent, tamen cùm supra modum ardua perfectuque difficilima viderent, nihil eorum peragendum statuerunt.

IV. Tum Perdiccas turbulentos in exercitu milites, & maximè aduersantes numero triginta, necauit. Pòst etiam Meleagrum, qui in seditione, legationem obiens proditor fuerat, priuatæ calumniæ & criminationis occasione, quasi insidias illi struxisset, capite multauit. Defecerant per id tempus Græci, in superioribus præfecturis collocati, & vim militum non exiguam habebant comparatam. Cum his Pithonem vnum ex nobilitate belligeratum misit.

V. Nos verò rerum deinceps gestarum narrationi conueniens esse arbitramur, si priùs & defectionis causas, & totius Asiæ situm, & prouinciarum spacia & naturas exponamus. hac enim ratione, si regionem, positus & interualla lectorum oculis subiiciantur, expedita & plana erit narratio. A Tauro igitur Ciliciæ, vsque ad Caucasum & Orientalem Oceanum, mons continuus per totam Asiam extenditur. is vt variis collium iugis distinctus, ita peculiares à singulis appellationes sortitur. Atque hoc pacto Asia in duas partes diuisâ, vna ad septentriones attollitur, altera meridiem versus se demittit. pro climatum horum ratione aduersos

etiam flumina curſus habent: quorũ alii in mare Caſpium, alii in Pontum Euxinum, quidam in Oceanum ſeptentrionalem, exonerantur. Ex amnibus verò oppoſitis, pars in mare Indicum, pars in proximum huic continenti Oceanum, ſe effundunt. aliqui etiam in rubrum (vt vocatur) mare deferuntur. Hunc ad modum Satrapiæ etiam diuiduntur. nam quædam ſeptentrionem reſpiciunt, quædam ad meridiem inclinant. Prima equidem ad Vrſas cœleſtes conuerſarum ad Tanain fluuium iacet, nempe Sogdiana cum Bactrianâ, & quæ cum his cohærent, Aréa & Parthia. hæc in ſe mare Hyrcanum, ſuis contentum finibus, includit. Hanc Media ſequitur, nominibus inſignita multis, & omnium Satrapiarum maxima. Hanc excipiunt, Armenia, Lycaonia, Cappadocia, quæ omnes aëre hyberno contriſtantur. Vicinæ his in directum ſunt, Phrygia, tum magna, tum ad Helleſpontum ſita; ex obliquo, Lydia & Caria. Ad dexteram verò Phrygiæ, & in longitudinem æqualiter producta Piſidia, lateríque eius imminens Lycia. in maritimis harum prouinciarum locis Græcorum vrbes iacent. quarum nomina hîc adſcribere, pro inſtituti noſtri ratione haud neceſſarium eſt. Satrapiæ ergo quæ ad ſeptentriones vergunt, hunc, quem diximus, ſitum habent. Inter Auſtrales verò, prima ſub Caucaſo eſt India, regnum amplitudine terrarum & hominum frequentiâ eximium. à plurimis enim gentibus incolitur: quarum maxima eſt Gandaridarum. in quos, Elephantum multitudine abſterritus, expeditionem Alexander non ſuſcepit. Hanc regionem ab vlteriore India fluuius diſterminat, iſtic locorum maximus: xxx enim ſtadiorum latitudinem habet. Eam reliqua India contingit, quam debellârat Alexander, vndis fluuialibus perrigata, & felicitatis nomine celebris. in hac cum aliis regnis compluribus Pori & Taxilis ditio erat. Indus fluuius à quo nomen regio adepta eſt, illam perlabitur. A Satrapiâ Indicâ ſeparata erat, proxima Arachoſia, Gedroſia, Carmania, & cum his Perſia, in quâ Suſiana iacet & Sittacina. & deinceps Babylonia, ad inhabitabilem vſque Arabiam. Ex altera parte, quæ deſcenſus initium nobis facit, Meſopotamia eſt, duobus interiecta fluuiis, Euphrati & Tigridi, vnde & nomen ſortita eſt. Babylonem Syria, quæ ſuperior vocatur, quàm proximè attingit, & re-

VI.

giones maritimæ illi adiacentes, Cilicia, Pamphylia, Syriaque caua, quâ etiam Phœnicia comprehenditur. Ad fines autem Syriæ cauæ, & deserta illi contigua, per quæ Nilus decurrens Syriam & Ægyptum terminat, Satrapia omnium optima, & amplissimos reditus sufficiens, ipsa Ægyptus designata erat. hæ omnes feruore solis æstuant, quòd Australe cœlum natura sua Boreali contrarium est. Hæ igitur prouinciæ armis subactæ ab Alexandro: quarum iste, quem diximus, situs est; viris tunc præstantissimis in distributione obuenerunt.

II. Cæterùm Græci, superiores (quas vocant) Satrapias incolentes, moris victusque Græci desiderio affecti, quòd ad extremos regni fines ita reiecti essent, viuente quidem Alexandro, præ metu tolerârunt: sed iam exstincto defecêre. Coniunctis ergo animis ducem sibi adoptant Philonem Ænianem. & iam copias non mediocres, quippe vltra ccIↄↄ ccIↄↄ peditum, tria millia equitum, omnes bellorum certamina sæpissime expertos, & virtutis eximiæ viros, contraxerant. Quorum defectione cognita Perdiccas, ex agmine Macedonum cIↄ cIↄ cIↄ, & equites Iↄ ccc deligit. Cumque Pitho, qui à custodiâ corporis Alexandro fuerat, vir animi celsi & ductandi exercitus peritus, à multitudine dux esset creatus, huic sorte delectos tradidit, vnáque literas ad præfectos, quibus perscriptum erat vt decem millia peditum, & IIX millia equitum, contra rebelles traderent. Pitho, vir rerum magnarum studiosus, non illubenter hanc expeditionem suscipit. Græos enim humanitate sibi conciliare, auctisque per horum societatem copiis, suis prouidere commodis, & prouincias superiores in suam potestatē redigere cogitabat. Perdiccas verò animuersâ hac eius molitione, vt rebelles armis edomitos trucidaret, spoliaque militibus distribueret, edicto cauit. Pithon ergo

VI. cum attributis sibi militibus iter ingressus, vbi auxilia à Satrapis accepisset, cum toto agmine ad defectores contendit. & corrupto per quendam Ænianem Lipodoro, qui trium millium agmini apud rebelles præerat, victoriam obtinuit. Inito enim conflictu, & victoriâ neutrobi adhuc inclinante, proditor sociis derelictis, in tumulum quendam cum tribus illis millibus ascendit. Ibi cæteri illos fugam capessere rati, turbatis ordinibus etiam ipsi fugam arripiunt. Pithon

ergò victor, præcone ad deuictos misso, vt arma deponant, edicit, & datâ acceptaque fide, suam quisque domum reuertantur. His iureiurando firmatis, cùm iam Græci Macedonibus permixti essent, Pitho quòd res ex animi sententia progressum haberent, non parum lætus erat. Tum Macedones mandatorum Perdiccæ memores, posthabita iurisiurandi religione, fidem Græcis datam violant. ex improuiso enim incautos aggressi, vniuersos confodiunt, opesque diripiunt. Ita Pithon spe suâ frustratus, cum Macedonibus ad Perdiccam reuertitur. Atque hic tum rerum Asiaticarum erat status.

VIII In Europâ interim, præsidio Macedonum eiecto, Rhodii ciuitatem suam liberauerant, & Athenienses bellum Antipatro mouerant, quod Lamiacum appellatur. Huius causas exponi priùs necessum est, vt res per illud gestæ euidentiores fiant. Alexander paullò ante mortem omnes Græcarum ciuitatum exsules reducere constituerat, tum vt gloriæ suæ inseruiret, tum vt multos beneuolentiâ sibi deuinctos in vnaquâque vrbe, contra rerum nouarum motus, & defectiones Græcorum, haberet. Appetentibus igitur Olympiis, Nicanorem Stagiritam cum epistola de reuocandis exsulibus in Græciam miserat, eamque in conuentu publico victoris præconio multitudini promulgari iusserat. Illo mandatum exsecuto, præco literas his verbis scriptas recitabat.

ALEXANDER REX GRÆCARVM CIVITATVM EXSVLIBVS.

Auctores exsilii vestri nos haud fuimus: reditus verò in patriam, sceleratis tantummodo exceptis, nos erimus. Qua de re Antipatro scripsimus, vt ciuitates restitutioni suorum refragantes vi cogat. His ita proclamatis, vulgus magno plausu assensum testabatur. gratiam namque Regis amplexi, qui in conuentu Panegyrico erant, laudibus hoc meritum cum gaudio remunerabantur. quotquot vero exsules tunc ad ludos conuenerant, supra CCIↃↃ CCIↃↃ erant. Plerique igitur reductionem exsulum, vt bono studio susceptam, approbabant. Ætoli vero & Athenienses offensi hac re, molestè ferebant. Nam Ætoli eiectis è patriâ Oeniadis, pœnas pro delictis exigendas iam expectabant. Rex enim non OEniadarum liberos, sed seipsum pœnas inflicturum,

mina-

minatus fuerat. Sic Athenienses Samo, per sortem diuisa cedere nolebant. quia verò inferiores Alexandro viribus essent, armis in præsens supersedendum rati, opportunum sibi tempus captabant. quod fortuna subitò illis exhibuit.

IX. Nam breui pòst Alexandro defuncto, quandoquidem regnum filiis successoribus carebat, cum libertate totius Græciæ imperium asserere sibi haud dubitarunt. Adiumentum ipsis ad hoc bellum præbuit magna vis pecuniarum ab Harpalo relicta, (de quibus singulatim libro superiore à nobis dictum) & præter has miles conductitius, à Satrapis Asiaticis exauctoratus. octo enim millia ad Tænarum Peloponnesi commorabantur. Ideo & clanculum mandauerant Leostheni Atheniensi, vt tanquam suum negotium absque psephismate agens, sibi illos initio adiungeret. quò Antipater segniùs in apparatum belli, contemtu Leosthenis incumberet, & Atheniensibus interim ocium & tempus ad præparandum bello conducibilia suppeteret. Milites ergò iam indicatos in magno silentio conduxit: Ac præter opinionem copias non vulgares ad rem gerendam promtas habuit. quia enim longo per Asiam tempore militauerant, & in multis magnisque certaminibus suas habuerant partes, bellatores exercitati euaserunt. Et hæc sanè, interitu Alexandri non satis cognito acciderunt. Posteaquàm verò Babylone quidam aduenissent, qui oculis suis regis è vitâ discessum viderant: populus ex professo in bellum incubuit; missaque cum armis non paucis pecuniarum Harpali parte Leostheni, ne quid ampliùs occultaret, sed quod ex Reipublicæ commodo foret, agendum susciperet, demandauit. Is stipendio, quod præscriptum erat, militibus distributo, armatisque, quibus arma deessent, in Ætoliam, vt communi bellum opera gereretur, transiuit. cui Ætoli libenter obsecuti, septem armatorum millia tradunt. Tum Leosthenes per legationem Locros & Phocenses, cæterosque finitimos ad libertatem capessendam, & liberandam à Macedonum dominatu Græciam, exhortatur.

X. In populo interim Atheniensi bello abstinendum locupletes suadere. at rabulæ populares multitudinem concitare, & vt bellum gnauiter capesserent, exhortari. vnde euenit, vt qui bellum eligerent, ac faciendis stipendiis victum sibi quærerent, numero superarent, cui hominũ generi bellum esse pacem, pacemque

bellum Philippus olim dixit. Confestim itaque oratores, in vnum quasi corpus aggregatos, qui cum plebe sentirent, psephisma condunt; *Vt communis Græcorum libertatis curam populus suscipiat, vrbesque præsidiis occupatas liberet. Classem etiam triremium XL & ducentarum quadriremium comparet. Tum quicunque Atheniensium ætatis annum quadragesimum non excessissent, nomina in hanc militiam profiteantur. Tresque pro Atticæ tribus excubent. Reliquæ septem ad expeditiones vlteriores sint præstò. Legati præter hæc mittantur, qui ad omnes Græci nominis ciuitates profecti illas doceant, quòd & antea populus, vniuersam Græciam communem Græcorum patriam esse iudicans, Barbaros ad seruitutem Græcis inferendam cum exercitu inuadentes mari propulsarit, & nunc pro communi Græcorum salute, cum corporum, fortunarumque, & classis discrimine, propugnandum censeat.* Hoc populi decreto propensiùs, quàm vtiliùs sancito, qui Græcorum intelligentia cæteros anteibant, populum Atheniensium, quod ad gloriam, rectè quidem consuluisse, verùm quod ad vtilitatem publicam, totâ aberrasse viâ, censebant. nam commouere se illum ante tempus, & belli fortunam experiri velle cum inuictis maximisque copiis, vbi nulla vrgeat necessitas. & cùm prudentiâ excellere putetur, ne peruulgatis quidem cladibus Thebanorum admoneri. Sed tamen cùm vrbes adirent legati, & visitatâ ciues grandiloquentiâ ad bellum incitarent, pleræque ad societatis fœdus, aliæ nationum, aliæ ciuitatum singularum nomine, se applicârunt.

XI. De cæteris Græcis, pars ad Macedones propendebāt, pars nihil mouendum sibi arbitrabantur. Vniuersa igitur Ætolorum natio omnium prima, vt dictum est, in fœdus transiit: & post hos Thessali omnes, præter Pellenæos. Octæi exceptis Heracleotis. ex Achæis Phthiotæ absque Thebanis. Elienses, demptis Maliensibus. hinc Doriensiū, Locrorumq; & Phocensium gentes vniuersæ. itemque Ænianes, Clyzæi & Dolopes. & præter eos, Athamanes, Leucadii & Molossi sub imperio Aryptæi. hic societatem fucatam iniuerat, & per proditionē Macedones postea adiuuit. pars etiam Illyriorū & Thracum exigua, odio Macedonū, in societatis pactū venit. ad quod etiam accesserant ex Eubœâ Carystii: & tandem ex Peloponesiis, Argiui, Sicyonii, Elëi, Messenii, & qui Acten incolunt.

sunt. Hi ergo quos recensuimus, Græcorum societatis inter
se fœdus pacti sunt. Populus autem Leostheni auxilio misit
ex ciuibus 100 peditum, & equites quingentos: mercede au-
tem conductorum millia duo. qui cùm iter facerent per Bœ-
otiam, infestos habuêre Bœotos, his de causis. Alexander,
Thebis solo æquatis finitimis Bœotis agros concesserat. hi
sorte miserorum fundos inter se partiti, amplos inde reditus
percipiebant quare cùm futurum scirent, vt Athenienses bel-
lo superiores Thebanis patriam & agros restituerent, Mace-
donum partibus se adiunxerunt. Dumque castra ad Platæas
metantur Leosthenes cum parte copiarum in Bœotiam ve-
nit: & instructa ciuium suorum acie, incolas adortus, victor
exstitit, erectoq; tropæo, ad Pylas retrò mouit. Hic enim post
aditus à se occupatos, dum copias Macedonum exspectat, ad
tempus statiua habebat.

XII. Antipater verò summus Europæ dux ab Alexandro
relictus, vbi de morte regis in Babylone, & Satrapiarum di-
uisione, cognouit, ad Craterum misit in Ciliciam, qui, vt cũ
omnium primâ occasione auxilium sibi ferret, exhortarentur.
hic enim iam antè in Ciliciam missus, vltra XXX Macedonũ
millia, vacationem à militiâ adeptos, in patriam reducere
parabat. Philotam insuper, qui Phrygiæ ad Hellespontum
acceperat Satrapatum, de suppetiis ferendis sollicitat, filia-
rum vnâ in matrimonium promissâ. Simulac verò Græco-
rum aduersus se concursationem audiuit, Sippam, qui Ma-
cedoniæ imperator esset interim, cum mediocri manu re-
liquit, & vt milites quàm plurimos colligeret, iussit. Ipse
verò Macedonum tredecim millibus, & equitibus IↃC, sibi
adiunctis, (rarior enim militis intranei, propter supplemen-
ta in Asiam transmissa, tum temporis copia erat) ex Mace-
doniâ in Thessaliam transit, totâ classe iuxtà nauigante, quã
Alexandri magnam pecuniæ vim ex regiis thesauris in Ma-
cedoniam allatam, miserat. Summa harum in vniuersum
erat CX triremes. Thessali quidem, inter principia societa-
tem Antipatri amplexi, multos fortesque equites illi mise-
rant. sed postea in aliam sententiam ab Atheniensibus tradu-
cti, ad Leosthenem cum equitatu se contulerunt, & cum A-
theniensibus coniuncti, pro libertate Græcorum bellige-
rabantur. Cùm igitur magnum Atheniensibus robur ac-
cessisset, Græci, longè Macedonibus superiores, præ-

ualebant. Et Antipater prælio victus, quòd aciem deinceps opponere non auderet, neque regredi in Macedoniam tutò posset, Lamiam perfugit: vbi militem in officio continens, mœniaque instaurans, & armorum, catapultarum & frumenti apparatu se confirmans, suppetias ex Asia præstolabatur.

XIII Leosthenes verò, cum omnibus copiis quàm proximè ad Lamiam accedēs, fossâ profundâ valloque castra munit. Ac primò quidem, cum instructo agmine vrbi imminens, ad pugnam Macedones lacessit. sed cùm pugnæ se periculo committere non auderent: quotidie per vices mœnia oppugnat. dumque ita strenuò Macedones propugnant: multi Græcorum imprudentiùs hostem adorti occumbunt. nam quia manus non contemnenda, & telorum omnis generis copia in vrbe erat: murum insuper habebant magnis impendiis exstructum; facilè superiores euadebant. Leosthenes igitur vi oppidum oppugnari haud posse intelligens, à commeatu illud interclusit: quòd cibariorum inopiâ se facilè obsessos in vrbe debellaturum existimabat. idcircò murum excitat, magnamque sub eo fossam ex profundo educit, hostemque exitu prohibet. Post hoc Ætoli, veniâ domum redeundi à Leosthene petitâ, quòd publica quædam negocia auocarent, omnes in Ætoliam reuertuntur. Atqui dum ita cum suis Antipater in summis hæret angustiis, parumque abest, quin vrbs, propter imminentem commeatus penuriam, capiatur: repentinam fortuna prosperitatem Macedonibus attribuit. Antipatro enim occupatos in ducendis fossis inuadente, prælium committitur. vbi dum Leosthenes suis opitulatur, saxo in capite ictus, statim corruit, & semianimis in castra relatus, tertiâ die pòst vitam claudit, ac propter gloriam bello acquisitam heroicè sepelitur. Funebrem eius laudationem populus Atheniensis Hyperidē perorare iussit. is primus inter oratores, propter eximiam dicendi facultatem, & odium aduersus Macedones, habebatur. Per illud enim tempus summus oratorum Demosthenes, quasi pecunias ab Harpalo accepisset, condemnatus solum verterat. In locum autem Leosthenis Antiphilus, prudentiâ imperatoriâ & fortitudine excellens imperator est suffectus. Europæ igitur status, hunc ad modum se tunc habebat.

In A-

XIV. In Asiâ verò ex illis qui Satrapias inter se partiti fuerant,
Ptolemæus Ægyptum citra periculum adeptus, humanum
se regionis eius incolis exhibebat; & octo millibus talen-
tûm potitus, conductis qui æra mererentur, exercitum com-
parabat. Complures etiam amicè erga illum affecti, propter
æquitatem, ad ipsum confluebant. Per legatos autem cum
Antipatro societatis fœdus iniuit, cùm certò futurum sciret,
vt Perdiccas Ægypti Satrapiam sibi adimere conaretur.
Tum & Lysimachus in Thraciæ quædam loca irrumpens,
Seutham regem cum xx peditum, & IIX equitum millibus
castra metatum offendit. sed magnitudine copiarum haud
perterritus; cùm ipse ad summum non plus in pedestri agmi-
ne quàm quatuor millia, & duo tantùm millia in equitatu, ha-
beret, signa cum Barbaris contulit. ac licèt virtute quidem
superior, multitudine verò inferior esset, pugnam tamen in-
iuit acerrimam, quâ magnâ suorum iacturâ factâ, sed lon-
gè maiore hostium numero cæso, cum victoriâ ancipiti in ca-
stra recessit. Et tunc quidem digressæ ex locis illis vtrorum-
que copiæ, maiores ad disceptandum de summâ rerum appa-
ratus faciebant. Inter hos Leonnatus, cùm profectus ad i-
psum Hecatæus, vt quàm celerrimè succurreret Antipatro &
Macedonibus rogaret, auxilia promisit. In Europam igitur
transgressus, vt Macedoniam intrauit, multos sibi macedonũ
adiunxit. & plus quàm xx peditum & equitum duobus mil-
libus & quingentis in vniuersum coactis, per Thessaliam in
XV. hostes duxit. Tum Græci solutâ obsidione, castrisque in-
censis, inutilem pugnæ turbam cum impedimentis in vrbem
Melitiam dimittunt. ipsi verò expedito, & ad pugnam accin-
cto agmine, Leonnati copiis priùs occurrunt, quàm Antipa-
tro cum illis coniuncto, vterque exercitus in vnum locũ con-
ueniret. totus horum numerus erat XXII millia peditum;
(nam Ætoli iam antè domum se receperant, nec pauci de
cæteris Græcis in patriam abscesserant) Equitum verò
plures quàm ter mille ac quingenti vnà militabant. inter
quos duo millia Thessali erant, virtute præstantes; in quibus
maximè victoriæ spem habebant. Equestri igitur prælio ad
bene longum tempus fortiter disceptatur; vbi Thessalis
virtute superantibus, Leonnatus, tametsi præclarè dimi-
caret, in palustrem tamen locum coarctatus, dum etiam
armis degrauatur, succumbit; multisq; vulneribus confectus;

mortem oppetit, & ſublatus à ſuis ad impedimenta mortuus deportatur. Idcircò Græcis tam ſplendidâ victoriâ (vbi Menon Theſſalus ſummus equitum dux fuerat) potitis, Macedonum phalanx, equitatus metu, protinus è campeſtribus ad ſuperiores locorum difficultates abſcedit, eorumque firmitate incolumitatem ſuam tutatur. Theſſali quidem equites illos oppugnabant. ſed locorum iniquitas obſtabat, quò minùs aliquid efficerent. quamobrem Græci cadaueribus potiti, erecto tropæo, pugnâ abſcedunt. Poſtridie, vbi Antipater cum agmine ſuo venit, ſeque victis adiunxit, caſtris Macedonum adunatis rei totius adminiſtrationem ſuſcepit. Is dum Theſſalos equitatu ſuperiores eſſe vidit, in præsẽs quieſcendum ratus, ferro quidem viam ſibi aperire non audet. ſed per tractus regionis impeditos procedens, & ſuperiora loca præoccupando, inde diſceſſit. Antiphilus verò Græcorum imperator, Macedonibus inſigni prælio victis ſtatiua habebat in Theſſaliâ quò hoſtis ſeſe verteret, obſeruans. Et Græci quidem tam felicem rerum ſucceſſum tunc habebant. quia verò maris imperium Macedones tenebant: Athenienſes priori claſſi adiiciendas naues alias compingunt, vt numero centum & ſeptuaginta eſſent. Macedonica autem claſſis CCXX nauibus conſtabat, Clituſque ei præfectus erat. Hic cum Eetione Athenienſi nauarcho ad Echinades inſulas congreſſus, gemino prælio victor plurimarum hoſticarum nauium corrupit.

XVI. Sub id tempus Perdiccas, regem Philippum regiaſque copias ſecum habens, in Ariarathen Cappadociæ regulum expeditionem ſuſcepit. hic licèt Macedonum imperium non agnoſceret, ab Alexandro tamen certaminibus cum Dario variiſque negociis diſtracto, præteritus fuerat, & dominatum Cappadociæ ad longum tempus quietè retinebat. interea ex reditibus multum pecuniæ, magnaſque tum popularium, tum exterorum copias ſibi comparauerat. dumque regnum ſibi iure ſuo vendicat, cum Perdiccâ decertare paratus erat, ſub vexillis habens XXX peditum, XV millia equitum. Commiſſo igitur prælio, Perdiccas acie victor quatuor millia interfecit, & ſupra ſex millia viuos in poteſtatem accepit, inter quos ipſe etiam Ariarathes fuit. hunc omneſque propinquos excarnificatos in crucem egit. victis autem incolumitate conceſsâ, poſtquàm res in Cappadociâ conſtituiſſet, Satrapiam

piam Eumeni Cardiano, prout in partitione destinatum erat, gubernandam tradit.

Per hoc ipsum tempus, etiam Craterus è Ciliciâ profectus, ad ferendas Antipatro suppetias, & clades Macedonum corrigendas, in Macedoniam venit. adducebat autem sex millia peditum, qui cum Alexandro in Asiam traiecerant, & quatuor millia eorum, quos in itinere assumpserat. Persas præterea sagittarios & funditores mille, & equites mille ac quingentos. Vbi igitur in Thessaliam venit, primas vltrò concedens Antipatro, iunctis cum eo castris ad Penéum fluuium consedit. Congregati autem in vniuersum fuerant vnà cum his, qui cum Leonnato aduenerant, peditum grauis armaturæ supra XL millia, sagittariorum & funditorum tria millia, & equitum millia V.

XVII. Græci per id tempus ex aduerso castra habebant, numero longè inferiores hostibus. multi enim ipsorum contempto, propter rem feliciter gestam, hoste, in patriam ad reuisendum res suas abierant. quam ob causam multos in castris habebant relictos, qui ordines non seruabant. Summa erat XXV M peditum, & III M equitum cum IↃ; in quibus propter strenuitatem virorum; & quia campestris illis regio subiecta erat, spem victoriæ repositam habebant. Tandem cùm eductis quotidie copiis Antipater ad pugnam illos prouocaret, quanquam redituros ex vrbibus aliquandiu exspectarant, tamen quòd præsens ita tempus flagitaret, in certamen de summâ rerum descendere coguntur. Instructáque acie dum equitum operâ bellum decernere properant, illos ante peditum agmen statuunt. Equestris itaque pugna conseritur. in qua cùm Thessali equites virtute suâ præpollerent, Antipater phalangem suam inducit, & impressione in pedites factâ, magnam edit stragem. Ideò Græci, quòd molem turbamque hostium ingentem ferre non possent, continuò ad difficultates locorum, seruatis tamen accuratè ordinibus, se recipiunt, & eminentiora amplexi, cùm altiorem haberent stationem, Macedones facilè propulsant. Interea Græcorum equites, licèt acie superiores essent, vbi tamen regressum suorum vident, statim ad illos auehuntur. Et tunc quidem inhibito certamine ita dirimuntur, vt victoria ad Macedones inclinaret. De Græcis plures quingentis: è Macedonibus CL in conflictu occubuê-

re. Postridie Menon & Antiphilus Græcorum imperatores aduocato concilio inter se consultârunt, vtrum exspectatis ciuitatum auxiliis, si sat virorum contraxissent, de summâ rerum decernerent, an præsenti angustiæ cedentes, de componendo bello legatos mitterent. tandem præcones de pace mittendos censebant. quibus decretum exsequentibus, Antipater respondit, vt per suos vnaquæque ciuitas legatos ageret. communem enim pacem nullo se modo facturum. At cùm Græci transactionem cùm singulis ciuitatibus non admitterent: Antipater & Craterus Thessaliæ vrbes obsidét, perque vim capiunt, quòd opitulandi vires Græcis deessent. Consternatæ igitur ciuitates, suos quæquè legatos de transactione mittunt. quibus omnibus æquum & benignum sese præbens pacem concedit. quare cùm salutis priuatim acquirendæ cupido singulas incessisset, omnes pacem consequuntur. Inimicissimi autem nomini Macedonico Ætoli & Athenienses à sociis derelicti, cum ducibus suis de bello consultabant.

XV. Sed Antipater sociis Græcorum copiis hac arte dissolutis, totum exercitus robur in Athenienses conuertit. Tum populus, auxiliis sociorum destitutus, in magnâ consilii inopia & trepidatione erat. omnesq; in Demadem propensi, huic de pace legationem ad Antipatrum committendam, vociferantur. Is ad consilium vocatus non paret. ter enim violatarũ legum damnatus, notatusque ob id infamiâ, legum interdicto consiliis interesse prohibebatur. sed famæ integritati à populo restitutus, extemplò Phocione aliisque sibi adiunctis, legationem init. Antipater oratione eius auditâ, non aliis se conditionibus bellum cum Atheniensibus soluturũ, respondit, quàm vt sua omnia potestati ipsius permitterent. nam idem etiam Antipatro Lamiæ incluso, cùm legatos mitteret, responsum dedisse Athenienses. Populus ergo, quòd ad repugnandum haud virium satis haberet, totam ciuitatis administrandæ potestatẽ & curam Antipatro tradere coactus est. qui humanissimum se illis exhibens vrbem & opes cæteraq; omnia retinenda concessit. Rempublicam dumtaxat, populo abrogatã, in alium redegit statum, & pro census ratione tractari iussit, vt qui plus duobus millibus drachmarum possiderẽt, penès hos magistratus & suffragiorũ ius & potestas esset; qui verò censum hunc non attingerent, oẽs, vt turbulentos & bello-

bellorum cupidos, à publicorum negociorum tractatione remouit: agrumque in Thraciâ, si qui vellent, ad nouas sedes concessit. Plures ergò XXII millibus id genus ciues è patriâ sunt translati. cæteris, qui censum definitũ habebant, IX millibus circiter ius vrbis & regionis obtinendæ traditum est. Et hi Solonis deinceps legibus Rempublicam administrârunt. cunctisque possessiones suæ integræ & intactæ permanserunt. sed tamen præfectum cum præsidio Menyllum, qui rerum nouarum molitionibus obsisteret, recipere sunt coacti. Sami verò negocium ad reges censebant referendum. Sic Athenienses præter spem clementer tractati pacem recuperârunt: dumq; citra turbas rempublicã deinceps administrãt, agroq; securè fruuntur, breui opes maiorem in modum ampliârunt. Antipater verò in Macedoniam regressus, Craterum, quibus par esset honoribus ac donis ornauit: & Philâ filiarum natu maximâ in matrimonium collocatâ, reditum in Asiam ille fecit. Ad eum modum cæteris etiam Græciæ ciuitatibus comiter acceptis, dum respublicas in meliorem formam redigit, & probè constituit, laudes & coronas vbiq; promeretur. Perdiccas verò Samiis vrbem agrosq; restituit, & vltra tres & quadraginta annos extorres in patriã reducit.

XIX. Nos postquam res in bello Lamiaco gestas percensuimus, ad bellum in Cyrene motum transitum faciemus: ne longè à perpetuo historiæ cõtextu temporib. euagemur. Verùm vt dilucidiùs res singulas explanemus, superiora paulò altiùs repetenda sunt. Postquàm Harpalus ex Asiâ transfugisset, & cum mercenariis in Cretã tandẽ esset delatus; vt superiori à nobis libro explicatum est: Thimbro vnus ex amicorum illius numero, vt putabatur, interfecto per dolũ Harpalo, tum opibus, tum militibus (septem millia horum erant) potitus est. Sic & classem pariter obtinuit, & collocatis in eã militibus, in Cyrenæorum deditionem transmisit. vbi adscitos sibi Cyrenæos exsules, instituti sui duces, propter locorũ peritiam, habuit. Illi cùm Cyrenæi occurrissent, inito conflictu Thimbro victor euadit, multosque occidit, nec paucos capit. Inde redacto in potestatem suam portu, expugnatos & perterritos Cyrenæos ad pacificationem adegit hac lege, vt quinque millia talentûm argenti persoluerent, dimidiamque curruum partem, ad expeditiones instructam, præberent; Per legatos etiam ab aliis vrbibus, vt societatem

inirent secum, contendit, finitimam subiugare Africam præ se ferens. Quin & relictas in portu marcatorum opes inuasit, & diripiendas militibus, vt ad promptitudinem in bello inuitarentur, concessit. Dum ita feliciter res Thimbroni succedunt, fortuna celeriter mutata mirificè illum depressit, his equidem de caussis. Ductorum ipsius quidam natione Cretensis, cui Mnasicli nomen, peritus rerum bellicarum, diffidere ab illo cœpit, diuisionem prædæ causatus. & quia homo ingenii turbulenti, & confidens erat, ad Cyrenæos transfugit. multisque crudelitatem Thimbronis & perfidiam criminatus, ad soluendum pacta, & libertatem asserendum, illos suadendo perpulit. propterea cùm LX tantummodò talentis exhibitis, reliqua pecuniæ summa non exsolueretur, Thimbro cum rebellibus expostulans, quotquot tum in portu aderant Cyrenæos, numero octingentos, comprehendit, & continuò admotis vrbi copiis Cyrenen oppugnat. sed cùm nihil efficere valeret, in portum retrocedit. Militabant autẽ cũ eo Barcæi & Hesperitæ. Ibi Cyrenæi parte copiarum in vrbe relictâ cum cæteris finitimorum agros populatum eunt. His ergo Thimbronis opem implorantibus, quicquid tum præstò erat militum, ad suppetias educit. quo tempore magnam in portu solitudinem esse coniectans Cretensis, re ictis intra Cyrenen inuadendi portus auctor est. quibus è vestigio morem gerentibus, ille princeps impetum facit in portum, eoque propter Thimbronis absentiam facilè potitus, quicquid mercium adhuc reliquum erat, negociatoribus postliminio reddit ac portum omni studio tutatur. Malè hoc primum habebat Thimbronem, quòd opportuno excidisset loco, & impedimentorum iacturam simul fecisset, sed resumptis pòst animis, cùm oppidum Taricha expugnasset, spes iterum arrexit. Verùm non longo pòst interuallo accidit vt in magnas iterum clades incideret. Nam classiarii milites cùm exclusi portu cibariis indigerent, excursibus in agros quotidie factis, alimenta sibi conquirere solebant. sed Afri ex insidiis per regionẽ dispalãtes adorti, magnũ ex iis numerum cædunt; nec minorem capiunt. superstites igitur fugâ ad naues elapsi ad socias inde vrbes nauigarunt. sed cùm vehemens tum ventus insurrexisset, nauium plurimas mare absorpsit. De cæteris pars in Cyprum, pars in Ægyptũ à fluctibus eiectantur. Etsi verò tãtâ calamitate Thimbro affe-

ctus

Anserat tñ bello nõ absistebat. nam delectos ex amicis ido-
neos in Peloponesum misit, qui commorantes ad Tænarum
peregrinos adsciscerent. nam multi adhuc sine stipendiis ob-
errantes, qui stipendium numeraret, quærebant. & horum
tunc numerus duo millia & quingentos excedebat. Hos er-
go qui missi fuerant assumunt, cumque illis Cyrenen versus
nauigationem intendunt. Ante quorum aduentum, successi-
bus tàm præclaris animosiores facti, pugnâ cum Thimbro-
ne commissa, plurimos de militibus ipsius peremerant. quas
ob clades cùm de Cyrenaici negocii successu iam actum esse
arbitraretur Thimbro, inexspectatò animum resumsit. mi-
litibus enim à Tænaro aduectis, valida iam manu confirma-
tus, bonam spem animo concepit. Quare dum bellum de-
nuò gliscere vident Cyrenæi, à finitimis Afris & Carthagi-
nensibus suppetias accersunt, & triginta millibus in vni-
uersum cum oppidanis simul coactis de summâ rerum acie
disceptare properant: magnoque inito conflictu, Thimbron
acie victor multis interemptis multùm gaudebat, vt qui vici-
nas statim vrbes in potestatem accepturus esset. Tum Cyre-
næi, cæsis in acie cunctis ducibus Mnasiclum ex Cretâ cum
aliis quibusdam exercitui præficiunt. At Thimbro victoriâ
elatus, portum Cyrenensem obsidet; & quotidie Cirenen
oppugnat. Bello tandem in longum protracto, Cyrenæi
commeatus inopiâ laborantes, inter se dissidere cœperunt: &
plebs viribus superior opulentos vrbe pellit. qui patriâ amis-
sa partim ad Thimbronem, partim in Ægyptum perfugiũt.
Hi ergo Ptolemæo ad reducendum se permoto, cum validis
peditum & classiariorum militum copiis, duce Ophellâ re-
uertuntur. quorum audito reditu, qui cum Thimbrone erãt,
exsules noctu se illis adiungere festinabant. sed re detectâ, o-
mnes trucidantur. Tum plebis Cyrenaicæ ductores, territi
exsulum reditu, pace cum Thimbrone initâ, coniunctis viri-
bus cum Ophellà belligerari instituũt. Sed Ophellas Thim-
brone debellato & capto, redactisque in potestatem oppidis,
vrbes cum agris Ptolemæo regi tradit. Ad hunc ergo mo-
dum Cyrenæi vrbesque vicinæ, amissâ libertate Ptolemaico
regno subiuncti fuêre.

.II. Perdiccas autem & rex Philippus, Ariarathe debel-
lato, Satrapiam Eumeni cùm tradidissent, è Cappadociâ
discesserunt. & in Pisidiam profecti duas vrbes, vnà in

Larandæorum, Isaurensium alteram, euertere decreuerunt. nam hæ viuente adhuc Alexandro, Balacrum Nicanoris occiderant, ducem illis ac Satrapen designatum. Larandæorum itaque vrbem primâ incursione subigunt, & trucidatis puberibus, aliisque sub coronâ venditis, vrbem solo æquant: Isaurensium verò vrbem, amplam & munitam, virisque strenuis refertam, per biduum acriter oppugnant, multisque suorum amissis pedem referunt. nam incolæ quòd telis ac cæteris ad obsidionem tolerandam commodis abundarent, immotisque animis periculum sustinerent, promptè pro libertate oppetebant. Die autem tertio, multis suorum interfectis, cùm muri excubiis per illam virorum penuriam destituerentur, oppidani facinus heroicum & memoriâ dignissimum peregêre. Cùm enim supplicio indeprecabili se destinatos viderent, nec tamen sat virium ad defensionem suppeteret: vrbem dedere, ac res suas hostis arbitrio permittere, quandoquidem ante oculos esset supplicium contumeliosissimum, non consultum iudicabant: sed noctu ad mortem generosam vnanimi consensu properantes, liberos, vxores, parentes, domibus inclusos communi per ignem morte delectâ combusserunt. flammaque subitò in altum se attollente, Isaurenses opes & quæcunque vtilitatem aliquam victori afferre possent, in ignem coniecere. Perdiccani autem rem admirati, circumfusis vndique copiis, ex omni parte irrumpere conabantur. sed oppidani ex muro propugnantes; Macedonum complures deiiciebant. Tum Perdiccas multò magis perculsus causam quærebat, cur cùm domos cæteraque omnia incendio tradidissent, mœnia tamen tam studiosè tutarentur. Tandem verò, quando ab vrbe Perdiccas cũ Macedonibus abscesserat, Isaurenses in ignem se præcipites dedêre, atque ita commune cum suis suæ quisque domi, sepulcrum sunt adepti. Finitâque nocte, vrbem militibus diripiendam Perdiccas concessit. qui flammâ restinctâ, multum argenti aurique, quòd à multo tempore vrbs beata fuisset, repererunt.

XXII. Post hostium illorum internecionem, duæ Perdiccæ vxores in matrimonium venerunt, Nicæa Antipatri filia, quam Perdiccas ipse sibi desponderat, & Cleopatra Philippo Amyntæ genita, Alexandri soror germana. Perdiccas quidem antea, quàm res ipsius confirmatæ erant, commune

cum

cum Antipatro negocium habere decreuerat; ideoque spon-
salia erant facta. sed posteaquàm regias copias regnique ad-
ministrationem & tutelam adeptus erat, consilium mutauit.
Dum enim regnum affectat, Cleopatram matrimonio sibi
iüngere properat, huius gratiâ & auctoritate summam re-
rum potestatem à Macedonibus sibi conciliatum iri, persua-
sum habens. Sed quia consiliũ detegere nondũ animus erat,
pro status præsentis ratione Nicæam duxit: ne Antipatrum
conatibus suis reluctantem haberet. Cùm verò Antigonus
quid animo volueret animaduertisset, (quòd hic amicitiam
cum Antipatro coleret, efficiendisque rebus inter duces ma-
ximè idoneus esset) è medio tollendum hominem statuit.
Calumniis ergo & criminationibus iniquis oppressum, quòd
occisurus esset, non occultè habuit. Sed Antigonus qui saga-
citate ingenii confidentiâque præstabat, quasi contra obie-
cta se crimina defensurus esset, præ se ferebat? interim fugâ
clàm adornatâ cum familiaribus Demetrioque filio, naues
Atticas noctu ingressus in Europam, vt cum Antipatro se
coniungeret, contendit.

XIV. Sub id tempus, Antipater & Craterus Ætolis bellum
intulerant, cum triginta millium peditatu, & bis mille ac
quingentis equitibus. hi enim in Lamiaco bello, quos non-
dum edomuissent, reliqui manserant. Ætoli verò licèt tan-
tis peterentur viribus, animos tamen non desponderunt: sed
ætatis maturæ ad decem millia coactis, ad aúra montium &
aspreta, quo liberos & vxores, prouectæque ætatis homi-
nes cum multis opibus deposuerant, se receperunt. Etsi
autem vrbes non satis firmas deseruerunt: præclarè tamen
munitas presidiis firmauerunt, atque ita hostium aduentum
intrepidè exspectabant.

Antipater ergo & Craterus Ætoliã ingressi, vbi quæ captu
faciles essent, vrbes vidêre desertas, ad eos qui in impedita lo-
corum se contulerant, properârunt. Et primò quidem in
munita horridaque loca incursione factâ, magnam suo-
rum iacturam faciunt. Nam Ætolorum fiducia, veluti
sociâ locorum firmitate adiuta, non difficulter eos, qui pe-
riculis se inextricabilibus obiiciebant, propulsat. postea verò
cùm Crateri milites hybernacula sibi densiora comparâs-
sent, hostesque per hyemem in locis niue cõspersis perdurare
cogerent: commeatus inopiâ extremũ in discrimen venêre.

Nam vel à montibus digreſſos cum copiis numero longè ſuperioribus, nobiliſſimiſque ducibus confligere, vel diutius cunctantes fame geluque perire, neceſſum erat.

XX Etiam nullam ſalutis ſpem habebant reliquam: cùm vltrò malorum finis, non aliter ac ſi deorum quiſpiam animos tam generoſos miſeratus eſſet, apparuit. Antigonus enim poſt fugam ex Aſiâ, cum Antipatri copiis coniunctus de omni Perdiccæ molitione illos edocuit: & quòd accepta in matrimonium Cleopatrâ, cum exercitu in Macedoniam tanquam rex ad imperium illis adimendum venturus ſit. Quo nuncio haud opinato Antipater & Craterus perterriti, cum ducibus conueniunt; habitoque ſuper his conſilio, bellum cum Ætolis, quàm commodiſſimè fieri poſſet componendum eſſe, decernunt. Copias verò quàm celerrimè in Aſiam tranſportari & præfecturam Aſiæ Cratero, Europęque Antipatro tradi; legatos etiam ad Ptolemæum, Perdiccæ maximè infenſum, ipſiſq; amicum, & iiſdem inſidiis appetitum, de ſocietate iungendâ, mitti placuit. Protenus ergo pacem cum Ætolis faciunt, in poſterum illos debellare, & cũ totis familiis vniuerſo. in deſertam, & procul ab Aſiâ remotam, regionẽ exterminare, conſtitutum habentes. Tum decreto, quod his iam memoratis conueniret, literis conſignato, expeditionem adornant. Perdiccas autem congregatis amicis & ducibus, vtrum in Macedoniam agmen mouendum, an priùs in Ptolemæum arma expedienda eſſent, deliberandum propoſuit. Cúmque omnes in hanc ſententiam irent, Ptolemæum antè bello domandum eſſe, ne quid expeditionem Macedonicam impediret: Eumenem cum iuſtis copiis præmiſſum, locis ad Helleſpontum occupatis, tranſitum prohibere iuſſit. Ipſe verò abductis è Piſidiâ ſuis, iter Ægyptũ verſus intendit. Atque hæc illo tum anno geſta ſunt.

XXVI Hinc cùm Pilocles Archontis munus Athenis gereret, & Romæ conſules eſſent creati Caius Sulpicius, & Quintus Aulius: Arrhidæus, corporis Alexandri deportationi præfectus, curru, quo regium cadauer tranſuehendum erat, iam perfecto, ad translationẽ eius ſe præparabat. Quia verò ita opus illud concinnatũ erat, vt Alexandri maieſtate dignũ fuit, nec ſolũ magnificentiâ impenſarũ (multis.n. talẽtis conſtabat) alia longè ſuperauit: verũ artificii quoq; excellẽtiâ celeberrimũ fuit: aliqd de eo literis cõmẽdare honeſtũ iudicam⁹.

Prin-

Principio autem cadaueri loculus mallei ducturâ ita fabricatus erat, vt probè quadraret, quem vsque ad medium aromatis, quæ & fragrantiam & durationem cadaueri præberent, referserant. Supra capulum, aureum erat tegmen exactè adaptatū, quod summum circumquaque ambitum complecteretur. Supra hoc circumiecta erat chlamys punicea perquàm decora, & auro variegata, iuxta quam arma defuncti posuerant, eo consilio, vt speciem illam totam rebus ab eo gestis accommodarent. Tum pilentum, quo funus transuehendum erat, admouerunt; in cuius vertice aureus fornix, squamam habens è lapillis nobilibus coagmentatam, IIX cubitûm latitudine, & longitudine XII exstructus erat. Huic fastigio subiectum erat solium ex auro, figurâ quadratum: in quo tragelaphorum capita expressa, iisque aurei binorum palmorum circuli annexi: vnde corollæ ad pompam concinnatæ, variis coloribus pulcerrimè, tanquam flores, renidebant. In summo fimbria exstabat reticularis, tintinabula eximiæ magnitudinis continens, vt ex longiore interuallo sonus ad propinquantium aures perferretur. Ad angulos testudinis fornicatæ, in singulis lateribus Victoria stabat tropæum gestans, peristylium, quod fornicem excipiebat, ex auro conflatum Ionica capitella habebat. extra quod aureū rete crassitudine cōtextûs digitali, tabulas ex ordine quatuor animalibus depictas, & parietibus æquales, præferebat.

X. II. In primâ erat currus torno elaboratus, & residens in hoc Alexander, sceptrûmque manu decorum tenens. Circa regem satellitium erat armis instructum, hinc Macedonum, inde Persarum Malifororum: & ante hoc armigeri. In secundâ, stipatores sequebantur elephantes, bellico ritu exornati; qui in fronte Indos, in tergo Macedones, armis consuetis indutos, vehebant. In tertiâ, visebantur equitum turmæ, qui conglomerationes acierum imitarentur. In quartâ naues ad pugnam expeditæ stabant. Ad testudinis ingressum aurei leones ad intrantes respectabant. Medium columnæ vniuscuiusque aureus obtinebat acanthus, paullatim ad capitella se vsque extendens. Supra cameram, circa verticis medium, aureus erat tapes subdialis, auream oleæ coronam habens magnitudinis eximiæ: quam sol radiis suis verberans, fulgidum tremulúmque efficiebat splendorem, vt fulguris ex interuallo speciem exhiberet. Sellæ testudini subiectæ axes

duo suberant, quos circum voluebantur Persicæ rotæ quatuor: quarum modioli radii inaurati erant. Pars autem terram allapsu contingens, ferrea. Extrema axium prominentia, constabant ex auro, leonúmque facies hastam mordicus tenentes præferebant. Circa mediam verò longitudinem, in medio fornice mechanicâ arte Polus (*cardo*) adaptatus erat, vt per hunc testudo in succussionibus, & iniquitate locorum sine iactatione esse posset. Quatuor temones cùm essent, vnicuique ordo iugorum quadruplex adiunctus erat, quaternis mulis iugo alligatis, ita vt omnium mulorum numerus esset LXIV, robore ac proceritate corporis selectissimorum. Quisque horum coronâ deauratâ redimitus erat, & vtrique maxillæ tintinabula ex auro, & monilia gemmis constipata, collis appensa erant. Huiusmodi apparatum currus habebat. qui aspectu magnificentior quàm famâ, celebritate vbique peruulgatâ multos attrahebat spectatores. nam populus ex vrbibus ad quas identidem peruentum esset, cateruatim occurrit, & rursum funus deducens spectandi volupt.te exsaturari nõ potuit. Vtque consentaneum erat tantæ magnificentiæ, ingens opificum, & aliorum qui vias aperirent, & pompam deducerent, multitudo comitabatur. Atque sic Arrhidæus biennio in operis structurâ consumpto, corpus regis è Babylone in Ægyptum deportauit; vbi Ptolemæus in honorem regis, cum exercitu ad Syriam vsque obuiam processit, & acceptum corpus maxima cura prosecutus est. illud enim in præsenti ad Hammonem non transuehere, sed in conditâ ab illo vrbe, omnium ferè per totum orbem clarissimâ, deponere secum constituerat. Quapropter delubrum, cùm magnitudine, tum structura, maiestate & gloriâ Alexandri dignum, illi fecit: in quo exsequiarum iustis & sacrificiis heroicis, ludisque magnificentissimis sepultum veneratus, non ab hominibus tantùm, sed diis etiam remunerationem præclaram accepit. Homines enim liberalitate ac animi magnitudine Ptolemæi inuitati, vndique Alexandriam confluebant, magnaque animorum alacritate nomina sua ad militiam (cum tamen regius Ptolemæo exercitus bellum inferret) profitebantur. Et licèt magna iam pericula manifestè imminerent: suo tamen discrimine omnes efficiebant promptè, vt salus eius integra maneret. dii verò, propter virtutem & æquitatem erga omnes

XXVIII

XIX. mnes, maximis ereptum periculis conſeruârunt. Perdiccas enim, cui incrementa viri iampridē ſuſpecta fuerant, ipſe quidem reges ſecum ducens, cum exercitus robore in Ægyptum expeditionem inſtituit. Eumenem verò ad Helleſpontum, vt traiectu in Aſiam prohiberet Antipatrum & Craterum, cùm idoneam ei manum tribuiſſet, ire iuſſerat, ex præſtantiſſimorum ducum numero miſſi vnà, qui ſufficerent. inter quos illuſtriſſimi erant Alcetas frater & Neoptolemus. his verò vt ad omnia parerent Eumeni, propter imperandi ſolertiam, & conſtantiam fidei perſpectam, mandauerat. Eumenes igitur cum traditis ſibi copiis ad Helleſpontum profectus, equitúmque manu ex prouincia ſuâ iam antè comparatâ, defectum hac parte agmen exornauit. Poſteaquàm verò Antipater & Craterus ſuos ex Europâ tranſmiſerant: Neoptolemus inuidiâ aduerſus Eumenem ſtimulatus: quandoquidem ſat magnas ex Macedonibus copias penès ſe habebat, clàm ſubornatis ad Antipatrum legatis, ſocietatem cum illo pactus, inſidias Eumeni ſtruit. ſed fraude detectâ, ad manus conferendum adactus, & copias ferè omnes amiſit, & parum abfuit, quin ipſe etiam interiiſſet. Eumenes enim prælio victor, magna ſtrage factâ, reliquam multitudinem ſibi adiunxit: ſuasque copias non ſolùm victoriâ hac adauxit, verùm magno quoque bonorum ex Macedonibus virorum numero confirmauit. Neoptolemus ergo cum trecentis equitibus ex acie elapſus, hoc comitatu ad Antipatrum ſeſe contulit. Hi ergo conſultatione de bello inſtitutâ, decernunt in duas partes exercitum diuidendum eſſe: ita vt cum vnâ Antipater in Ciliciam progreſſus, cum Perdiccâ bello decertaret: cum altera Craterus Eumenem inuaderet; eoque debellato, ad Antipatrum rediret: quò copiis in vnum congregatis aſſumptoque in ſocietatem Ptolemæo, regia ſibi agmina ſubiicerent.

XX. Eumenes hoſtium aduentu cognito: militem vndique cogit, inprimis equitatum. quòd enim peditatu Macedonicam æquiparare phalangem nequiret: ex equitibus non exiguum ſibi agmen conſtituit, quorum opera ſe hoſtibus ſuperiorem futurum, ſperabat. Iamque acies imminebat: cùm Craterus multitudine ad concionem aduocatâ, vt commodis ad conflictum verbis milites animaret, omnia ſe hoſtium impedimenta, ſi hac pugna vincerent, in

prædam illis conceſſurum, pollicetur. Alacritate igitur omnibus iniectâ, aciem inſtruit. dextrum cornu adminiſtrat ipſe, ſiniſtro Neoptolemum præficit. Habebat autem in vniuerſum x x millia peditum, maiore parte Macedones, celebratæ ſtrenuitatis viros, in quibus ſpem victoriæ collocauerat. quos duo equitum millia & amplius comitabantur. Eumenes etiam x x peditum millia ex diuerſis nationibus ducebat, & quinq; millia equitum, quorum virtute certaminis periculum diſcernere conſtituerat. vtrobique in cornua diſtributi equites longè Phalangem anteibant. Tum Craterus cum turmâ delectorum in hoſtes impreſſione factâ, inſigniter quidem decertat: ſed equo ceſpitante, ad terram excutitur: vbi in confuſo denſóque equitum globo non agnitus proculcatur: & ignobili vitam exitu finit. cuius interitu hoſtes elati, circumfuſâ vndique ſuorum multitudine, magnam edunt ſtragem: dextrúmque cornu hoc modo in anguſtias redactum, & tandem omninò profligatum, ad pedeſtre agmen refugere cogitur. In ſiniſtro autem, quòd Neoptolemus Eumeni oppoſitus eſſet, congreſſis inter ſe acriter ducibus, ingens oritur contentio. ex equis enim aliiſque inſignibus agniti, cominus inter ſe confligunt, & ſingulare hoc certamen vt victoria ſubſequatur, efficiunt. Poſtquàm enim gladiis inter ſe dimicâſſent: mox admirabili inſolentique pugnæ genere commiſſi, dum irâ ſimul & odio mutuo concitantur, dimiſſis è ſiniſtrâ manu habenis, alter alterum corripit: quo facto libero impetu equi ſub illis excurrunt, ipſiq́ue ad terram prolabuntur. Et quamuis tum duro violentóque caſu afflictis difficile eſſet ſurgere vtrique, quippe dum armis etiam corpora impediuntur: Eumenes tamen prior aſſurgens poplitem Neoptolemi ferire occupat. & quia magna erat diuulſio, greſſúmque labefactans, eneruatus ille iacet: & in pedes ſe erigere vulneris grauitate impeditur. animi tamen firmitate corporis imbecillitatem ſuperante, in genua connixus aduerſarii brachium & femur tribus ictibus ſauciat. quorum cùm nullus eſſet lethalis, vulneribus adhuc calidis; Eumenes, ſecundo ictu collum impetens, Neoptolemum obtruncat. Interea dum hæc geruntur, cætera equitum multitudo conſertâ pugnâ magnam vtrinque ſtragem facit. ideò dum alii cadunt, alii vulnerantur, anceps initio diſcrimen erat. At ſimulac Neoptolemum

XXX.

XXXII.

ptolemũ cecidiſſe, & vtrumque cornu in fugam actum eſſe percrebuit, omnes fugam intendêre, & ad phalangem peditum, tanquam ad præualidum quendam murum, ſe recepe-runt. Eumenes verò contentus hac victoriâ, & quòd vtriuſque ducis corpore eſſet potitus, tubâ milites reuocauit. Tum excitato tropæo, & funeratis qui in acie ceciderant, per legationem profligatorum agmen exhortatus eſt, vt ſuis ſe copiis aggregarent, & quicunque vellent, diſcedendi copiam ſingulis fecit. Hanc pacificationis legem cùm Macedones accepiſſent, datâ per iuſiurandum fide, poteſtatem in pagis vicinis frumentandi accipiunt: Sed Eumenem fraude circumuenerunt, reſumtis enim viribus, comparatiſque alimentis, noctu inde digreſſi furtim ad Antipatrum ſe contulêre. Eumenes ſanè perfidam iuriſiurandi tranſgreſſionem vlciſci, & è veſtigio phalangem perſequi conabatur. ſed quòd propter abeuntium ſtrenuitatem, & à vulneribus obortam ægritudinem, nihil efficere poſſet, ab inſecutione deſiſtendum iudicauit. Quòd itaque inſigni prælio victor duos magnæ auctoritatis ductores interemiſſet, gloriam magnam conſequutus fuit. Antipater verò, exceptis qui ex fugâ incolumes ſuperfuerant, & recreatis, Ptolemæo ſuccurrere properans, in Ciliciam tendebat. Tum Perdiccas victoriâ Eumenis auditâ, multò confidentior ad expeditionem in Ægyptum perſequendam euaſit. Cùm Nilo igitur approximaſſet, non procul ab vrbe Peluſio caſtra ponit: dúmque foſſam quandam antiquam repurgare inſtituit, & Nilus ſupra modum effuſus labefactat opera; multi amicorum caſtris eius deſertis, ad Ptolemæum tranſeunt. ad cædes enim propenſus erat, & remotis ab imperio cæteris ducibus hoc vnicè agebat, vt ſolus per vim regnum teneret. At contra Ptolemæus beneficus erat, & æquus, & ſententiæ dicendæ libertatem ducibus relinquebat integrã. ad hæc loca Ægypti maximè opportuna, validis præſidiis, & omni telorum genere, cæteriſque omnibus probè adornatis, occupârat. Hinc factum, vt quod aggrederetur, plerumque ſucceſſum haberet: dum multi, beneuolentiâ virum proſequuti, alacriter periculis ſe pro ipſo offerrent. At Perdiccas, vt damna reſarciret, ductores conuocabat, alióſque donis, alios promiſſis magnificis, omnes denique colloquiis humanis, ſibi conciliatis, aduerſus pericula ingruen-

XXXII.

tia animabat. Cúmque edixiſſet, vt ad profectionem inde parati forent, cum exercitu ſub veſperam inde mouit: nemini indicato loco, quo ducere conſtituiſſet, totamque noctem citato itinere progreſſus iuxta Nilum tandem caſtra metatur, non procul à caſtello quodam, cui murus Camelorum erat nomen. Hinc, poſtquàm illuxiſſet, copias tranſmittit, præcedentibus elephantis, & inſequentibus ſcutatis, cum ſcaligeris, aliisque, quorum operâ ad oppugnationem vſurus eſſet. Agmen tandem claudebant equitum fortiſſimi: quos Ptolemaicis obiicere decreuerat, ſi fortè ſe oſtenderent. Iámque in medio itinere erant: cùm equitatus Ptolemæi concitato curſu ad oppiduli defenſionem tendere viſus eſt. qui licèt caſtellum ingredi maturaſſent, tubarúmque clangore ac vociferatu aduentum ſuum teſtarentur: Perdiccas tamen non extimuit, ſed audacter muro copias admouit. Extemplò igitur clypeati ſcalis adiectis conſcendunt: & qui elephantis vehebantur, vallo diſiecto propugnacula demoliuntur. Ibi Ptolemæus optimis ſuorum ſtipatus, vt alios etiam duces & amicos ad pericula ſubeunda exſuſcitaret, correptâ ſariſsâ, & faſtigio propugnaculi inſiſtens, elephantum in fronte conſtitutum excœcat, altiorem namque ſtationem habebat; Indúmque beluæ inſidentem vulnerat. qui verò per ſcalas ſubibant, hos contemptim percuſſos, vulneratóſque cum armis in fluuium deuoluit. Ad cuius exemplum dum & amici fortiter decertant, proxima etiam belua, Indo qui eam gubernabat, transfixo, planè redditur inutilis. Oppugnatione igitur ad longum tempus extracta, Perdiccani, vicibus inter ſe permutatis, murum adorti, omni ſtudio id agunt, vt vi caſtellum expugnent. Ptolemæus contra præ ſe præclarè rem gerendo, & amicos, vt beneuolentiam ſimul erga ſe & virtutem declarent, hortando, certamina heroica committit. In hac ducum contentione acerrima, multi vtrinque cadunt. ſitu quidem loci editiore Ptolemæani præualent: at Perdiccani multitudine ſuperant. Ad extremum totâ die periculis his inſumpta, Perdiccas obſidione ſolutâ in caſtra ſua retrocedit. quibus noctu motis, itinere tacito in regionem quandam venit Memphi aduerſam, vbi Nilus in duas partes ſciſſus inſulam efficit, quæ & caſtra & exercitum maximum recipere queat. Huc igitur copias traducit, licèt difficilem & ærumnoſum militibus tranſitum face-

XXXIV.

itum faceret amnis profunditas. ad mentum enim aqua pertingens instabilia reddebat corpora transeuntium. quin & arma viros propediebant.

XX- Perdiccas igitur animaduersâ fluuii difficultate, elephantes ad sinistram statuit: qui exceptum fluminis impetum mitigarent. equites verò ad dextram collocauit, quorum opera transuersim à fluuio raptos susciperet, & incolumes in ripam vlteriorẽ transportaret. Sed noui quiddam & inexspectati in hac copiarum traiectione accidit. primis enim citra damnum transgressis, qui post illos transitum moliebantur, in magna pericula incidunt. Amnis enim, nullâ de causâ manifestâ, altiùs insurgit, dúmque integra submergit corpora, omnes in summam perplexitatem adducit. Exundationis causa licèt quæreretur, veritatis tamen ratio non occurrebat. Alii fossam ad superiores ripas olim egestam, ruptis aggeribus, aquas Nilo permiscuisse: vnde altius fluuii vadum sit effectum. Alii imbres in superioribus terris exortos, magnitudinem Nili auxisse, perhibebant. Sed neutrum ita se habebat: sed vt primus vadi transitus minus incommodi haberet, inde euenit, quòd arena adhuc immota consisteret in reliquo transitu, cùm pedibus equorum & elephantum agminis insuper pedestris calcata dimotáque arena fluminis impetu auferretur, excauato per hoc vado, profundior in medio fluento transitus erat. His de causis cùm reliquum agmen flumen transmittere non posset: Perdiccas in magnam difficultatem incidit: quòd nec illi qui traiecerant viribus hosti pares essent: nec hi cis flumen suis opem ferre possent. quapropter omnes retrò abire iussit. Dúmque ita vniuersum agmen transmittere amnem cogitur, qui natare sciebant, & quibus corpora essent validiora, summas inter difficultates Nilum tranant, armis maiore parte abiectis. Cæterorum qui minùs periti erant, pars fluuio absorbentur, pars ad hostes deferuntur. Plerique diu huc illuc iactati à beluis in fluuio deuorantur.

XXXVI. Vbi igitur hunc ad modum supra duo millia perierant, inter quos etiam illustres quidam duces: alienior à Perdiccâ multitudo facta est. Ptolemæus autem eiectorum ad ipsum corpora comburit, iustisque exsequiarũ peractis, ossa defunctorũ necessariis & amicis trãsmittit. quo facto, Macedonũ Perdiccæ militantium animi longè magis efferati, be-

neuolentiam suam apud Ptolemæum inclinant. Nox vt ingruit, castra lamentationis & luctus plena erant, quòd tot viri tam contemptim, absque vllo hostis ictu, periissent: inter quos non pauciores mille à beluis essent deglutiti. Multi igitur ducum coëuntes Perdiccam incusant: totáque peditum phalanx alienata, fremitu minísque inimicitiam suam prodit. Ducum ergo primores ad centum numero descíscunt. inter quos nobilissimus erat Pitho: qui Græcos post defectionem debellârat, nulli amicorum Alexandri virtute & gloriâ secundus. Posthæc equitum nonnulli conspiratione factâ, ad tentorium Perdiccæ se conferunt, & conferto manipulo oppressum trucidant. Postridiè congressis ad concionem militibus, deuectus eò Ptolemæus, Macedones salutat, & quæ à se facta essent, excusat. Tum quia commeatus defecerat, largam frumenti copiam agmini subministrat, aliisque necessariis castra replet. Quanquam igitur in magnâ gratiâ, & propter multitudinis fauorem regum tutelam vendicare sibi facilimè potuisset; id tamen non expetiuit, sed Pithoni & Arrhidæo, quorum meritis obstrictus esset, imperium summum conciliauit. Cùm enim deliberationem Macedones de imperio proposuissent, consilio Ptolemæi omnes propensis animis Pithonem & Arrhidæum, qui exuuias regis deportasset, regum curatores cum suprema potestate crearunt. Ad hunc itaque modum Perdiccas, cùm triennium imperasset, imperium & vitam amisit. Post huius interitum, quidam nunciatum venêre, quòd prælio ad Cappadociam commisso vicisset Eumenes, Craterus autem & Neoptolemus cum vitæ iacturâ succubuissent. quòd si pridie Perdiccæ mortem anteuertisset, nemo illi manus propter successus magnitudinem ausus fuisset inferre. Macedones igitur audito quod Eumeni contigerat, tum ipsum, tum de adiunctis ipsi viros nobilissimos quinquaginta, quorum in numero etiam Alcetas Perdiccæ frater erat, capite damnârunt. Interfecti etiam sunt ab his amicorum Perdiccæ fidelissimi, & soror eius Atalanta: quam Attalus, classis gubernationi præstitutus vxorem duxerat. Post necem autem Perdiccæ, Attalus, classis imperator, ad Pelusium agebat, vbi certior de vxoris & Perdiccæ cęde factus, cum classe inde soluens, Tyrum appulit. vbi Archelaus, præsidio vrbis prefectus, genere Macedo,

XXXVII.

Ar-

Attalum comiter excepit, vrbemque cum pecuniis à Perdiccâ custodiæ suæ commissis, bonâ tunc fide restitutis, (octingenta autem erant talenta) tradidit. Ita Attalus ad Tyrum subsistens, quicunque è castris ad Memphim Perdiccæ amicorum euaserant, collectos recreauit.

XX-II. Postea verò quàm Antipater in Asiam traiecerat, Ætoli pro conditione fœderis cum Perdiccâ initi, expeditioné fecerunt in Thessaliam, vt vires Antipatri distraherent. duodecim autem peditum & quatuor millia equitum habebant, quorum Alexander Ætolus imperator erat. In transitu Amphissenses Locros obsidione cingunt, agrumque illorum incursant, & nonnulla de vicinis oppidulis in potestatem redigunt. quin etiam, Polyclem Antipatri ducem, prælio victum cum militibus non paucis interimunt. captiuorum alii venumdati, alii numerato precio suis restituti. Hinc Thessaliam adorti, plerosque induxerunt, vt belli cum Antipatro gerendi societatem secum iungerent. Et protenus coacta sunt in vniuersum xxv millia peditum, & mille ac quingenti equites. Ab his dum ciuitates in fidem accipiuntur: Acarnanes inimicitias gerentes cum Ætolis, Ætoliam inuadunt, agrosque populantur, & vrbes obsident. in quo periculo cũ Ætoli patriam suam versari audiunt; cæteros quidem milites in Thessaliâ relinquunt, Menone Thessalo illis præfecto, ipsi autem, popularibus assumptis, celeriter in Ætoliam reuersi, Acarnanibus terrorem incutiunt, & patriam è periculis eripiunt. Quibus ita occupatis, Polysperchon, dux Macedoniæ relictus, cum manu instructissimâ in Thessaliam venit, aciéque victis hostibus, tum imperatorem illorum Menonem interemit, tum maximam cæterorum partem concîdit, & Thessaliam recuperauit.

XXX-IX. In Asiâ verò Arrhidæus & Pitho, regum curatores, à Nilo cum regibus & copiis digressi, in Triparadisum (tergeminum Paradisum dixeris) superioris Syriæ peruenerunt. Ibi dum Eurydice multa curiosiùs agit, & curatorum studiis aduersatur, Pitho incommoditate illâ offensus, quòd & Macedones in mandata eius magis intentos videret, aduocatâ concione, tutelâ se abdicauit. Macedones ergò Antipatrum cum summâ potestate curatorem elegerunt. is paucis diebus elapsis ad Triparadisum profectus, Eurydicen commotâ seditione Macedones ab Antipatro alienanté offendit. eratq;

tumultus haud mediocris in exercitu. Ibi vniuersis in côcionem aduocatis, orationem ad populum Antipater habuit: qua & tumultum sedauit, & Eurydicen timore iniecto ad quiescendum adduxit. Dehinc Satrapias denuò partitus est; & Ptolemæo, quam huc vsque tenuerat, assignauit. fieri enim haud poterat, vt is aliò transferretur; propterea quòd suâ ipsius virtute Ægyptum velut armis partam obtinuisse videretur. Laomedôti Mitylenæo Syriam;& Philoxeno Ciliciam dedit. Ex aliis autem Satrapiis Mesopotamiam & Arbelitidem Amphimacho; Babyloniam Seleuco; & Antigono Susianam tradidit; quòd is Perdiccæ inuadendi initium fecerat; Peucestæ autem Persiam; Tlepolemo Carmaniam; Pithoni Mediam; Philippo Parthiam concessit. Ariam porrò & Drangianam Stasandro Cyprio; Bactrianam & Sogdianam Stasanori Solio, ex eadem insulâ oriundo; Paropamisadas autem Oxyartæ Rhoxanes, quam Alexander vxorem duxerat, parenti; Et Indiam Paropamisadis conterminam, Pithoni Agenoris attribuit. Ex regnis quæ deinceps sequuntur, id quod Indum fluuium attingit, Poro; quod iuxta Hydaspen est, Taxili reliquit. hi enim reges loco moueri non poterant absque regiis copiis, & imperio illustri. Ex illis, quæ ad Septentriones iacent, Cappadociæ Nicanorem; Phrygiæ maiori & Ciliciæ Antigonum, vti priùs hanc obtinuerat, præesse iussit. Cassandro denique Cariam, Clito Lyciam, & Arrhidæo Phrygiam ad Hellespôtum destinauit. Regii autem exercitus imperatorem designauit Antigonum; cui imperatum erat, vt Eumenem debellaret. Antigono filium suum Cassandrum, vti Chiliarchum, adiunxit, vt si quid priuatæ rei moliretur, clam id habere non posset. Ipse cum regibus & agmine suo Macedoniam versus iter intendit, vt reges in patriam reduceret. Antigonus ergo imperator Asiæ declaratus, ad Eumenem bello subigendum ex hybernis copias ad se contrahit, & comparatis bello necessariis in Eumenem ducit, qui tunc ad Cappadociam subsistebat. Ab eo tunc ex præcipuis ducibus quidam nomine Perdiccas desciuerat, & tridui viâ cum milite defectionis socio (erant autem peditum tria millia, equites quingenti) castra habebat. Contra hunc igitur Phœnicem Tenedium cum quatuor millibus selectissimorum peditum, & mille equitibus misit. Is noctu raptim iter faciens

XL.

ex im-

ex improuiso rebelles opprimit, adhuc dormientes, captóque Perdiccâ exercitu potitur. Tum præcipuos defectionis auctores capite multat Eumenes; & milites cæteris mixtos humaniter tractat, sibique beneuolentiam illorum conciliat. Posthæc Antigonus per internuncium cum Apollonide, equitum præfecto quodam, apud Eumenem agens, ingentibus promissis, vt proditorem se exhiberet, in pugnâ ad hostes transeundo, effecit. Castra tum habebat Eumenes in quibusdam Cappadociæ locis, equestri prælio accommodatis. Antigonus igitur cum toto exercitu illuc profectus, superiores camporum tractus, quibus montes imminent, occupauit. Habebat per id tempus Antigonus supra decem millia peditum (quorum plerique Macedones erant, virtute admirabiles) & duo millia equitum, cum Elephantibus triginta: Eumenes verò non minus viginti millia peditum, & quinque millia equitum. Prælium hinc acerrimum committitur; & propter subitum Apollonidis cum equitatu à sociis secessum, Antigonus vincit, ad VIII millibus aduersariorum occisis. Impedimentis quoque omnibus potitur, adeò, vt Eumeniani, quà ob cladem acceptam exsternarentur, quà ob iacturam impedimentorum animos desponderent.

XLI. Tum Eumenes in Armenia, vt incolarum aliquos in societatem armorum pertraheret, fugere instituerat. sed celeritate præuentus, cùm & milites ad Antigonum transire videret, castellum quoddam munitum (Nora vocatur) occupauit. per quidem exiguum illud erat, quod ambitus duo stadia non excederet, sed firmitate admirandum. nam domos in celsa petrâ constructas habebat, & partim naturâ, partim manuum operâ, mirificè communitum erat. reposita etiam illic fuerat ingens frumenti, lignorum, & id genus aliorum copia, adeò vt in multos annos omnia præbere affatim illis posset, qui illuc perfugissent. Comitabantur autem fugientem amici beneuolentia præstantes; qui in extremo rerum discrimine mori cum illo decreuerant. quorum omnium numerus erat equitum simul & peditum circiter IↃC. Antigonus verò adiunctis sibi copiis Eumenianis, Satrapiisque & reditibus illarum potitus, magnam insuper pecuniarum vim adeptus, res maiores appetere cœpit. nondum enim quisquam ex ducibus Asiaticis tantas habebat vires, vt cum eo de

primatu contendere auderet. ideò in præsens quidem amicam erga Antipatrum affectionem præ se ferebat, sed in animo secum constituerat, rebus suis confirmatis, neque regibus auscultare deinceps, neque Antipatro. Ac primùm eos qui in castellum se receperant, duplici muro, fossisque & vallis admirandis cinxit. Deinde instituto cum Eumene colloquio: vbi veterem amicitiam renouasset, communis negocii societatem illi persuadere conatus est. Verùm ille subitam fortunæ commutationem præuidens, indulgentiæ plus ab illo quàm præsenti conditioni suæ par videretur, postulabat. Satrapias enim ab initio traditas, & criminationũ quarumcunque abrogationem sibi concedi æquum arbitrabatur. Antigonus ergò de his ad Antipatrum se relaturum pollicitus, relicto quod castelli oppugnationi sufficeret, præsidio, ad ingruentes cum exercitu hostium duces, Perdiccæ fratrem, & Attalum totius classis imperio tunc fungentem, contendit. Post tempus aliquod interiectum Eumenes legatos (inter quos erat Hieronymus, qui successorum historiam conscripsit) ad Antipatrum de pacificatione misit. sed ipse interim, quòd multas variasque vitæ mutationes expertus esset, animos non submittebat. cui obscurum esse non poterat, quàm celeriter in vtramque partem sors mutationes faceret. Reges enim Macedonum videbat inanem solummodò regni speciem circumferre, multosque interim viros penès se habere magnitudine animorum præstantes, qui omnes in imperia ita succederent, vt suis priuatim commodis prospicerent. Multos igitur (quod & veritas ipsa cõprobabat) qui operam ipsius, cùm ob rei militaris peritiam, tum summam fidei constantiam, expeterent, affore sperabat. Cùm videret autem equos propter asperitatem in loco angusto exerceri non posse, atque inde pugnis equestribus vsui non fore: nouam & inusitatam equorum exercitationem ingenio suo commentus est. nam capita illorum catenis ad trabes aut paxillos adstringens, vbi duos aut tres eleuasset tigillos, vt posterioribus pedibus terræ insisterent, prioribus tantùm ex paruo interuallo solum attingerent, cogebat. Equus ergò statim anterioribus solo inniti contendens, toto corpore ac cruribus ita laborabat, vt omnia simul molis suæ membra commoueret: & in hac commotione magna sudoris vis è corpore promanaret. quâ laborum contentione

XLII.

summam

summam animalibus exercitationem comparabat. Idem etiam militibus nutrimentum exhibebat, ipse tenuitatis particeps. Atque hac eiusdem victus communicatione, & magnam beneuolentiam sibi, & cunctis fugæ sociis concordiam, acquisiuit. In Ægypto interim Ptolemæus, profligato præter opinionem cum regiis copiis Perdiccâ, regionem illam velut armis subactam, possidebat. Aduertens autem Phœniciam, Syriamque, quæ Caua dicitur, Ægypto perquàm commodè adiectam, multum in hoc operæ dedit, vt vrbibus illis potiretur. Nicanorem igitur, vnum ex amicis, ducem creat, & cum iustis illuc copiis mittit. Is expeditione in Syriam factâ, Laomedontem regionis Satrapam capit, Syriamque totam in potestatem redigit. Ita Phœniciæ quoque vrbes subigit, præsidiisque munit, & operosa intra breue tempus expeditione perfunctus, in Ægyptum redit.

XLIII.

XLIV.

Inde cùm penès Apollodorum munus Archontis esset Athenis, Romæque consulatum gererent Quintus Publilius, & Lucius Papyrius: Antigonus, profligato Eumene, in Alcetam & Attalum expeditionem suscipere animum induxit. hi enim ex Perdiccæ amicis & sanguine iunctis remãserant duces magnæ dignationis, & vi militum instructi, quantâ ad disceptationem de summo imperio satis foret. Cum toto igitur exercitu è Cappadociâ profectus in Pisidiã contendit, vbi Alcetas cum suis resistebat. Subito igitur & quàm maximè citato itinere intra septem dies, totidemque noctes, bis mille & quingenta stadia emensus, ad vrbem venit, quæ Cretensium vocatur. Et quia propter celeritatem latuisset, iam ignaris aduentus ipsius imminens, colles quosdam & impedita loca prior occupauit. Alcetani igitur aduentu hostium cognito, phalangem subitò explicãt, & equites, qui iuga montium insederant, per impressionem collibus deiicere conantur. Acris ergo tum pugna initur. vbi multis vtrinque cadentibus, Antigonus Iͻ c equitum manu instructus summâ virium contentione in hostem ducit, vt recipiendi se ad Alcetam illis facultatem præcidat, festinans. Quo peracto, qui summa montium tenebant, difficultate locorum adiuti, illud propugnatorum agmen in fugam vertunt. Alcetani ergo, receptu ad peditatum intercluso, hostiũ multitudine circumuenti, interitum ante oculos habebant.

quare cùm nullum propè salutis tuendæ remedium suppeteret, Alcetas post magnam suorum iacturam ægrè ad peditum agmen euasit. Tum Antigonus deducto ex eminentioribus locis cum elephantibus toto exercitu, ingentem hostibus numero inferioribus terrorem incussit. Nam sedecim millia peditum & IↃ CCCC equites socii armorum Alcetæ erant, Antigonus verò præter elephantos, plus quàm quadraginta peditum & equitum septem millia, sub signis habebat. Quare cùm & Elephantes in frontem occurrerent, & equitatus multitudine suâ vndique circumfunderetur, pedites etiam cùm numero, tum virtute superiores ex editiore loco pugnarent, ingens Alcetanos tumultus ac pauor incessit. Imò propter summam hostis celeritatem, studiumque indefessum, nec instruere aciem probè valuerant. Vnde fuso profligatoque agmine toto, Attalus cum Docimo & Polemone multisque ducibus præclaris, capitur. Alcetas verò cum satellitibus & liberis suis, Pisidisque ipsi militantibus, in Pisidiæ vrbem Termessum, confugit. Tum Antigonus illis in fidem acceptis, reliquos in ordines suos distribuit, & clementem humanumque se illis præbens, agmen suum amplificauit haud mediocriter. Pisidæ autem sexies mille circiter numero, & strenuitate excellentes, animo præsenti Alcetam esse iusserunt, nullo se eum pacto derelicturos, polliciti. summâ enim beneuolentiâ illum complectebantur, his de causis.

XL

Cùm Alcetas post interitum Perdiccæ nullos in Asia socios haberet armorum, Pisidas sibi demerendos statuit: quod viros bellicosos, & regionem tenentes ingressu perdifficilem, castellisque munitis plenam, socios belli se habiturum, consideret, ideò per expeditiones, præ omnibus sociis honores illis deferebat eximios. Commoda equidem ex hostico sic inter illos partiebantur, vt prædæ dimidium acciperent. In colloquiis præterea verborum humanitate vtens, & in conuiuiis quotidiè nobilissimos mensæ adhibens, multosque donis eximiis honestans, omnium sibi beneuolentiam conflauit. Idcircò cùm etiam tum spes suas in illis haberet, ne has fallerent, operam dedêre. Cùm enim Antigonus cum toto agmine ad Termessum castra metatus, Alcetam sibi dedi peteret, eumque tradendum seniores censerent: iuniores inita coniuratione decretum fecêre, se

XLV

pro salute eius quoduis periculum subituros. Seniores qui-
dem à sententiâ iuniores primò dedu ere studebant: ne v-
nius Macedonis causâ patriam armis expugnari pateren-
tur: vbi verò immutabile viderunt illorum propositum, con-
spiratione inter se factâ clandestinâ noctu per legatos Anti-
gono pollicentur, se Alcetam aut viuum aut mortuum illi
tradituros. Quare vt per dies aliquot vrbem oppugnando
velitationibus oppidanos eliciat, ipse interim fuga simula-
ta retrocedens, petunt. hoc si fieret iuuentute extra vrbem
prælio occupatâ, idoneam se molitionibus occasionem na-
cturos. His illorum postulatis Antigonus assensit, & lon-
giùs ab vrbe remotis castris, leuioribus pugnis iuuenes ex-
tra oppidum ad certamen pellexit. Tum senes vbi desertum
vidêre Alcetam, fidelissimis seruorum, & ciuium vegetissi-
mis, qui cum Alceta non militarant, delectis, hominem per
iuuenum absentiam inuadunt. viuum tamen cap re non po-
terant: quòd manus sibi afferre, ne in hostium potestatem
veniret, iam occupârat. sed cadauer eius lectulo impositum,
& lacernâ vilissimâ obtectum, portis efferunt, & clam illis
LVII qui præliabantur, Antigono tradunt. Hoc quidem cō-
mento patria è discrimine liberata, bellum à se auertunt: sed
offensionem iuuenum effuge e non possunt. hi enim à pu-
gnâ reuersi, vbi quod factum esset cognouêre, in suos, ob
incredibilem erga Alcetam beneuolentiam, efferantur. Ac
initio quadam vrbis parte occupatis montibus, Antigoni
prouinciam vastare, statuunt. postea verò abiecto cremman-
dæ vrbis consilio, ad latrocinia & incursationes conuersi,
magnam hosticæ t rræ partem fœdè corrumpunt. Anti-
gonus interim cadauere potitus, cùm triduum contume-
liosissimè id tractasset, iam putrescere incipiens insepul-
tum abiecit: & ex Pisidia discedit. At pubes Termessen-
sium, conseruatâ erga mortuum indignis modis affectum
beneuolentia, sublatum eius cadauer, splendidè funerârunt.
Adeò beneficentiæ natura singulare quoddam illectamentū
habens erga bene meritos, immutabilem erga ipsos bene-
uoli animi affectionem tuetur. Tum Antigonus, ex Pisidiâ
digressus, Phrygiam versùs cum toto exercitu mouet: & vbi
ad Cretensium vrbem peruentum, Aristodemus Milesius
illum adit nunciatum, quòd Antipâ er obierit, & summa

imperii administratio cum regum tutela ad Polyſperchonta Macedonem ſit deuoluta. Quibus cum voluptate auditis, ſpes altas concepit, resque Aſiæ ſibi vendicare, eiúſque imperium nulli concedere, animum induxit. Atque is tum rerum Antigoni ſtatus erat.

XLII In Macedonia verò cùm Antipater grauiore in morbum incidiſſet, ſeniumque migrationem è vitâ adiuuaret: Athenienſes Demadem, qui probè erga Macedones ſe geſſiſſe videbatur, legatum miſêre ad Antipatrum, poſtulantes, vt, quemadmodum olim recepiſſet, præſidium ex Munychiâ deduceret. Fuerat initio Antipater beneuolo in Demadem animo: poſtea verò quàm defunƈto Perdiccâ inter regias literas repertæ fuerant epiſtolæ quædam, inter quas & Demades erat, exhortans Perdiccam, vt quàm celerrimè in Europam contra Antipatrum traiiceret: abalienatus ab eo, inimicitias ad tempus diſſimulauit. Ideò cùm Demades, prout populus ei mandauerat, promiſſum exigeret, liberiùs præſidii causâ interminatus, nullo Antipater dato reſponſo, tum Demadem, tum filium Demeam, qui legationis comes patri adiunƈtus erat, ſuppliciorum miniſtris tradidit. qui in gurguſtium quoddam abduƈti, propter cauſas iam memoratas capite luerunt. Antipater verò, in extremo vitæ limine, regum curatorem & ducem ſummâ cum poteſtate deſignauit Polyſperchontem: qui natu ferè maximus erat, inter omnes Alexandri commilitones, & à Macedonibus in honore habebatur. filioque ſuo Caſſandro Chiliarchi munus tribuit, vt ſecundus eſſet poteſtate. ordinis huius acceſſio primùm à regibus Perſicis ad nominis claritatem & gloriam erat proueƈta inde rurſus ab Alexandro, cùm & alia Perſarum inſtituta æmulari cœpiſſet, poteſtatem honoremque eximium conſecutus eſt.

XLIX At Caſſander haud probatâ ordinatione patris, indignum eſſe iudicauit, ſi nullâ generis propinquitate iunƈtus patri in imperio ſuccederet, quando filius, qui iam ſat bonum virtutis ac fortitudinis documentum exhibuiſſet, res adminiſtrare poſſet. Primùm igitur cum amicis rus profeƈtus, in magnâ opportunitatis & ocii abundantiâ, de ſummâ rerum poteſtate colloquia inſtituit: vbi vnumquemque priuatim exceptum ad principatum ſibi conciliandum ſolicitat; magnisque omnes promiſſis induƈtos, ad communem rei procurationem paratos reddit. Oc-

cultè

cultè insuper missis ad Ptolemæum legatis, amicitiam renouat,& vt societatem armorum secum iungat,classe quamprimùm ex Phœniciâ in Hellespontum expeditâ, rogat & hortatur. Sic ad cæteros etiam duces & ciuitates mittit,qui de armis cum ipso iungendis,solicitent. Ipse ad dies multos venatione institutâ,ne defectionis nomine suspectus haberetur,effecit. Polysperchon igitur tutelam regum postquàm adiisset,conuocato amicorum Senatu,illorum sententiâ Olympiadem accersit,vtque filium Alexandri puellum adhuc suæ curæ habeat commendatum, & regia fungens administratione in Macedoniâ deinceps agat,exhortatur. Illa propter inimicitias cum Antipatro iampridem in Epirum confugerat. Et in hoc tum statu erat Macedonia.

L. In Asiâ verò diuulgatâ Antipatri morte,res nouari haud absque motibus ceptæ sunt: dum qui cum potestate erant, ducum in suum vnusquisque commodum intentus est. inter quos princeps Antigonus, quòd Eumenem in Cappadociâ pridem vicisset,inque Pisidiâ Alcetam & Attalum, copiis in fidem acceptis,debellasset, ab Antipatro insuper Asiæ imperator cum plenariâ auctoritate designatus,magnisque simul copiis præfectus esset: ingentes animo spiritus ac tumores conceperat. Et summum spe suâ imperium complexus,nec regibus parére,nec ipsorum curatoribus,animo destinauit. Nam quia maiorem exercitus vim habebat, Thesauris in Asia potiturum se,dum nemini ad resistendum armis facultas suppeteret,confidit. Erant tum in exercitu illius sexaginta peditum,& decem equitum millia, & XXX elephantes. præterque has copias,se alias insuper, quando opus foret, comparaturum,sperabat: quòd peregrinis subinde allectis vbertim stipendia sufficere Asia posset. Hæc animo versans, Hieronymum historiæ scriptorem Eumenis Cardiani (eius qui in castellum Nora confugerat) amicum & ciuem ad se accersit, magnisque inuitatum muneribus legationem ad Eumenẽ obire iubet, qua hortetur ipsum, vt pugnæ in Cappadocia gestæ oblitus, amicitiam & societatem belli secum iungat,donaque prioribus longè maiora & ampliorem prouinciam accipiat; primus denique sit inter amicos,ac totius instituti particeps. Nec mora, Senatu amicorum coacto, quòd summam rerum capessat, illis exponit, & præcipuis amicorum, quà Satrapias, quà præfecturas, adscribit, o-

mnesque ſpes magnas ſuggerendo ad capeſſendum quæ agitabat, promptiores facit. Aſiam enim peruadere, eiectiſque Satrapis, qui hactenus fuerunt, ad amicos ſuos imperia traducere, conſtituerat. Quæ dum tractat, Arrhidæus Phrygiæ Satrapes ad Helleſpontum, cognitâ eius molitione, Satrapiæ ſuæ res in tuto ponere, vrbesque præcipuas præſidiis munire, decreuit. Cyzicenorum autem contra vrbem, quòd maxima eſſet & præ cunctis opportuna, expeditionem facit, habens ſecum plus quàm decem millia peditum mercede conductorum; Macedonumque mille, ſagittarios autem & funditores Perſas IↃ, & equites IↃ CCC. tela præterea omnis generis & catapultas tum ſagittis tum lapidibus iaciundis idoneas, omnemque apparatum reliquum, qui oppugnationi conueniret. Tum ſubitò vrbem aggreſſus cùm magnam vulgi partem ruri deprehendiſſet, oppugnationem vrgebat, & oppidanos terrore iniecto ad præſidium in vrbem recipiendum adigere conabatur. Hac itaque impreſſione ex inopinato facta, quamuis & plurimi in agris excluſi, & pauci in vrbe reliqui ad obſidionem ſuſtinendam omninò imparati eſſent: libertatem tamen aſſerendam rati, in ſpeciem quidem legatos mittunt, qui de ſoluendâ obſidione cum eo colloquantur. (nam vrbem omnia facturam Arrhidæo, præſidii tantùm receptione dempta:) ſed clàm coactam iuuenum manum, & aptiſſimos ſeruorum delectos armant, & propugnatoribus ita muros complent. Inſtante verò nihilominus Arrhidæo, vt præſidium admittant: ad populum ſe relaturos de hoc, reſpondent. id vbi à Satrapâ conceſſum, remiſſionem nacti, per totum diem illum & noctem inſequutam ad ſuſtinendam obſidionem meliùs ſe præparant. Hac igitur arte deluſus Arrhidæus, dimiſsâ è manibus opportunitate, ſpe ſuâ excidit. nam Cyziceni, quòd vrbem præualidam haberent; & à terræ præſidiis bene firmatam (vt quæ peninſula eſſet) mare inſuper obtinerent, hoſtem facilè propulſabant. quin & à Byzantiis militem & tela, cæteráque ad obſidionem conducibilia, acciuére. Quibus omnibus celeriter ac promptè illinc ſubminiſtratis, ſpe bonâ iterum conceptâ, ad ſuſtinendum pericula reddebantur animoſiores. Extemplò etiam nauibus longis in mare protractis, oram præternauigarunt, ſuosque ex agris receptos in vrbem reuexére. Protenus ergo militum numero

LI.

numero aucti, cùm obſidentium plurimos interfeciſſent,
obſidionem à ſe depulerunt. Tum Arrhidæus, ſtrategemate
Cyzicenorum deceptus, infecto negocio in Satrapiam ſuam
regreditur. Interea Antigonus Celænis ſubſiſtens, de
Cyzicenorum obſidione cognoſcit. periclitantem igitur vr-
bem ad futuras molitiones ſibi obnoxiam reddere ſtatuit.
ideò ex toto agmine quàm optimos deligit viginti peditum
& tria equitum millia. eiſque aſſumptis, celeriter ad feren-
dum Cyzicenis ſuppetias contendit. Sed cùm paulò ſeriùs
illuc veniſſet, beneuolentiam quidem erga ciuitatem præ ſe
ferebat, ſed interim ſpe ſuâ deluſus erat. Legatos verò ad
Arrhidæum miſit, qui expoſtularent cum ipſo primùm,
quòd Græcam vrbem, eamque ſocietate iunctam, nullâ pro-
uocatus iniuriâ, obſidere auſus eſſet deinde quòd apertè mo-
liretur defectionem, & prouinciam ſuæ poteſtatis faceret.
poſtremò vt ſatrapiâ decederet, vnâque ad victum vrbe ac-
ceptâ, priuatam inde vitam ageret, imperabat. Auditis his
legatorum poſtulatis Arrhidæus, de verborum inſolentiâ
conqueſtus, prouinciâ ſe ceſſurum negat: ſed diſtributis per
vrbes præſidiis, armis ſe cum illo diſceptaturum, reſpon-
det: & quòd reſponſo conueniret, vrbibus paſſim firmatis
partem exercitus mittit cum præfecto, cui mandarat, vt ſe
cum Eumene coniungens, caſtellum obſidione liberaret,
Eumenemque periculis exemptum in ſocietatem belli ad-
ſciſceret. Interim vlciſci Arrhidæum properans Antigonus,
copias ad debellandum eum mittit. Ipſe verò cum numeroſo
agmine verſus Lydiam mouet, Satrapam eius Clitum inde
eiecturus, qui præcognito eius aduētu, præcipuas vrbes præ-
ſidiis munierat, ipſeque in Macedoniam, vt regibus & Poly-
ſperchonti audaciam & defectionem Antigoni ſignificaret,
& auxilia ſibi peteret, tranſmittebat. Tum Antigonus E-
pheſum primo ſtatim aduentu in fidem accipit, adiutantibus
illum in vrbe nonnullis. Pòſt cùm appulſus Epheſo Æſchy-
lus Rhodius in quatuor nauibus è Ciliciâ aduexiſſet IↃC ar-
genti talenta regibus miſſa in Macedoniam: ille pecuniam
intercepit, ſibi ad peregrinos milites conducendum opus eſ-
ſe dictitans. quo facto ſatis declarauit, quòd totus ad ſua
tractandum negocia conuerſus, regibus aduerſaretur.
Poſt hæc vrbes deinceps oppugnatum inuadebat, alias vi

subigens, alias verbis sibi concilians. Nos verò res Antigoni iam exsecuti, ad ea quæ Eumeni acciderunt, scribendi operam transferemus. Hic vir ingentes ex improuiso mutationes experiundo, semper nunc bonorum, nunc malorum particeps omnem præter spem erat. Ante enim hæc tempora, Perdiccæ & regibus bellandi operam nauans, Satrapiam nactus erat Cappadociam, & quæ hanc attingerent loca: vbi magna copiarum & opum vi potitus, felicitatem vbique celebrem habuit. Craterum enim & Neoptolemum famigeratissimos duces, & inuictis Macedonum copiis instructos, acie vicit, ipsosque in pugnâ interemit. Iamque insuperabilis videbatur: cùm tantam fortunæ mutationem expertus est, vt ab Antigono ingenti superatus prælio, cum amicorum perpaucis in castellum quoddam perexiguum confugere cogeretur. In eo conclusus, dum muro dupl ci circumseptus hæret, neminem qui in calamitate opem tulisset, habuit. & post annuam obsidionem, vbi de salute iam actum putabat, subitò contrà quàm sperasset, liberatio ex infortuniis illi exhibita est. Nam qui Eumenem obsidione presserat, iamque è medio tollere satagebat, vice mutatâ, ad eiusdem negocii communicationem illum euocat. qui acceptâ per iusiurandum fide, ex obsidionis discrimine liberatur. & post interuallum sat longum insperatò salutis compos factus, ad tempus in Cappadociâ moram trahit, vbi amicos pristinos, & palantes per regionem militiæ socios recolligit. Quia verò mirum ad modum industrius erat, confestim multos eiusdem spei socios, & ad communem militiam obsequium deferentes, habuit. Denique intra pauxillum dierum, præter quingentos illos amicos, qui obsidionem cum ipso in munitione tolerauerant, plus quàm bis mille ad imperata promptos milites contraxerat; & fortunæ auxilio tantum incrementi sortitus est, vt & regios exercitus adeptus, regum ipsorum tutelam contra illos, qui imperium ipsis abrogare audebant, gesserit. Verùm hæc suo deinceps tempore, non ita multò pòst accuratiùs persequemur.

LIII.

Nunc rerum Asiaticarum expositione mediocriter perfuncti, ad res in Europa gestas transitum faciemus. Cassander ab imperio Macedoniæ exclusus, animum non abiecit: sed illud sibi vendicandum statuit. patris enim imperium ab aliis administrari, turpe sibi duxit. Videns autem Macedo-

LIV.

num

num studia in Polysperchontem propensa, amicos, quibus fidebat, colloquio priùs cum illis priuatim habito, ita vt nemo aliquid suspicaretur, ad Hellespontum misit. Interim ipse ruri per dies aliquot ocium trahens, venatibusq; operã dans, eam de se opinionem peperit, quasi minimè imperium affectaret; Vbi verò cuncta profectioni necessaria comparârat, clam è Macedoniâ discessit, & ad Chersonesum profectus, inde porrò ad Hellespontum peruenit. eoque transmisso, in Asiam ad Antigonum se contulit, auxilium vt sibi ferret, rogitans, & Ptolemæum in belli societatem venturum, confirmans. Illum haud inuitus suscipit Antigonus, promissisque ad omnia auxiliis liberaliter, confestim tum pedestribus, tum nauticis se illum copiis instructurum, confirmat. Hæc simulatione quadam agebat, quasi propter amicitiam cum Antipatro illi opem ferret. sed reuerà magnis hominẽ bellis distineri volebat: vt ipse extra periculum, Asia perdomitâ, summum imperium ad se pertraheret.

LV. Dum hæc geruntur, in Macedonia Polysperchon regum tutor, post Cassandri discessum, cùm magnitudinem belli cum Cassandro gerendi præuideret, nihil sine amicorum sententiâ faciendum ratus: Duces omnes, & eos qui inter Macedones præcipuæ auctoritatis erant, conuocauit. Et quia manifestũ erat, Cassandrum Antigoni opibus confirmatum, ciuitates Græcas sibi vendicaturum; quòd pars illarum præsidiis paternis teneretur, pars dominatu paucorum administraretur, quarum tamen penès amicos & hospites Antipatri summa erat potestas; & præter hæc omnia opitulaturum Cassandro Ptolemæum, qui Ægyptum in potestate haberet, & Antigonum, quia apertè à regibus desciuisset; quorum vterque magnâ copiarum & pecuniarum vi instructus esset; multisque gentibus & vrbibus potentissimè imperaret: hac de causâ deliberationem de ratione belli contra illos gerendi instituit. Cúmque magnâ sententiarum varietate disputatum esset, ita tandem fuit discessum, vt ciuitatibus Græciæ restitueretur libertas, & paucorum in illis regimen antiquaretur. Hoc enim pacto infirmaturos Cassandrum, magnamque sibi gloriam, & multorum non postremi nominis societatem acquisituros esse. Extemplò igitur, qui tunc aderant, ciuitatum legatos accersunt, bonumque animum habere iussis, democratias restitutum iri spondent: ac ratum eâ de re

decretum, literisque comprehensum, legatis tradunt, vt quãprimùm in patriam reuersi, suo quisque populo regum & principum in Græcos beneuolentiam renunciarent. In hanc autem formam erat scriptum: *Quandoquidem ita res tulit, vt in Græcos à maioribus nostris beneficia multa conferrentur, nobis propositum illorum tueri, & beneuolentiam, quam erga Græcos perpetuò retinemus, testatam facere animus est. Cùm igitur etiam antè, translato è mortalium consuetudine Alexandro, regnóque ad nos deuoluto, existimaremus, omnes ad pacem, eamque reipublicæ formam, quam parens noster Philippus constituerat, reuocandos esse: eâ de re ad omnes tum ciuitates perscriptum fuit. Sed postquam euenit, vt quidam non rectè sibi consulentes, dum procul à Græcis absumus, bellum Macedonibus intulerint, victisq; illis Ducum nostrorum operâ, molestiis & incommodis multis ciuitates affectæ sint; eorum militiæ præfectos in culpa fuisse, persuasum habetote. Iam verò nos pristinum colentes institutum, pacem vobis conciliamus, & respublicas quæ sub Philippo & Alexandro fuerunt, & cætera iuxta formulas ab illis præscriptas administrandi potestatem exhibemus. Illos præterea, qui emigrarunt, aut è ducum nostrorum iussu pulsi sunt, à quo tempore Alexander in Asiam traiecit, reuocamus. A vobis autem reductos, suas facultates & absq; seditione atq; recordatione iniuriarum, in patria quemque sua, ius ciuitatis habere iubemus. Quòd si quid in hos decretum est, abrogatum esto. præterquàm si qui cædis aut violatæ religionis causa relegati sint. At neque Megalopolitarum exsules cum Polyæneto proditionis damnati, neque Amphissenses: vt nec Triccæi: nec Pharcadonii: nec Heracleotæ redeunto. Alii omnes ante trigesimũ Xanthici mensis recipiuntor. Si quæ verò sunt reipublicæ instituta, quæ Philippus & Alexander ipsis contraria ediderunt, ad nos veniunto: vt correctione adhibita, quæ & in nostram & ciuitatum rem sint deinceps agant. Athenienses retinento cætera, vt sub Philippo & Alexandro; Oropum autem sibi habeant, vti nunc Oropii. Atheniensibus tamen Samon reddimus: quia Philippus pater illam antea dedit. Interim Græci vniuersi decretum sanciunto, neminem aduersus nos neque militaturum, neq; acturum. alioqui relegandum & ipsum & familiam, bonisq; suis exuendum. De his autem & reliquis vt vobiscum agat Polysperchon, mandatum a nobis habet. Vos igitur, quomodo*

LVI.

modo

modo etiam antea scripsimus, huic aduertitote. Nam qui contra quæm scriptum est, fecerint, illis nequaquam permittemus.

LVII. Diplomate hoc edito, & ad omnes ciuitates transmisso, Polysperchon ad Argiuorum ciuitatem, cæterasque literas dedit, quibus mandat, vt qui sub Antipatro rempublicam tenuerunt, in exsilium pellantur; nonnulli etiam capite ac publicatione bonorum multentur, vt ad extrema redacti Cassandrum iuuare nullâ in re valeant. Olympiadem quoque Alexandri matrem, quæ tunc in Epiro, metu Cassandri degebat, per literas hortatur, vt quamprimùm redeat in Macedoniam, & receptum ad se filiolum Alexandri ipsa curet, donec adultus paternum imperium capessat. Epistolam præterea, regum nomine scriptam, ad Eumenem mittit, vt operâ suâ regibus addictâ, cũ Antigono inimicitias ne deponat, siue in Macedoniam transgressus communi secum opere regum tutelam gerere velit, siue potiùs eligat in Asiâ remanere, & exercitibus pecuniisque acceptis belligerari cum Antigono, qui iam manifestò à regibus desciuisset. Reges autẽ & Satrapiam, quam Antigonus ipsi ademisset & beneficia quæ priùs obtinuisset in Asiâ, restituere. His deniq; omnibus adiecit, maximè omnium decere Eumenem, vt regiæ domus tutelam curamq; gereret, ad exemplum se componens illorum, quæ iam in administratione suâ pro familiâ regiâ exhibuisset. Quòd si maioribus indigeret copiis, vel se cum regibus vniuersas regni vires, in Asiam traducturum. Hæc igitur isto tum anno fuerunt peracta.

LVIII. Athenis porrò Archontis magistratum obeunte Archippo, Romani consules crearunt Quintum Ælium, & Lucium Papirium. Quando Eumeni post nuperum ex castello discessum redditæ sunt literæ, quas Polysperchon miserat: quibus præter superiùs indicata perscriptum erat: quòd quingenta ipsi reges talenta ad resarciendum damna pridem accepta largiantur, literasque ad præfectos Ciliciæ ac quæstores dederint, vt & Io illa talenta, cæteræque pecuniæ quantum ad peregrini militis conductionem, aliosque necessarios vsus requisiuerit, exhibeant: tum quòd mille Argyraspidum (ab *argenteis* hi *clypeis* nomen habẽt) Macedonum ductoribus mandârint, vt sacramento Eumeni se obligent, eumque in omnibus alacriter iuuent, qui totius Asiæ imperator plenâ cũ potestate sit designatus.

Venerunt etiam ab Olympiade literæ, quibus solicitè rogans contendebat, vt cùm ipsi tum regibus opem ferret: illum enim ex amicis solum restare fidelissimum, qui solitudinem regiæ domus corrigere posset. Rogabat quoque illũ Olympias, vt consilium sibi daret, vtrum expedire censeret, ipsam in Epiro subsistere, nec fidem habere illis, qui subinde pro tutoribus se venditarent, reuerà autem regnum ad se transferrent: an reuerti. Eumenes igitur Olympiadi continuò rescribit, consultum videri, vt in præsenti ad exitum vsque belli contineat se in Epiro: ipse verò in firmissimâ erga reges beneuolentiâ persistens, Antigono ad se regnum pertrahenti minimè adhærẽdum, statuit. sed quia filius Alexandri, propter orbitatem, ducumque auaritiam, ope indigeret, pro regum salute omne vt periculum subiret, suarum fore partium iudicauit. Confestim igitur, suis vasa colligere iussis, è Cappadociâ mouit, quingentos equites, & peditum supra duo millia secum habens. non enim spacium illi erat ad suscipiendum eos, qui, se vnà militaturos polliciti, venire tardassent: propterea quòd ingens Antigoni manus duce Menandro aduentaret, quæ in Cappadociâ illum degere, hostem Antigono factum, prohiberet. Etsi verò hic exercitus triduo serius, post elapsam iam occasionem, venerat: progressum tamen cum Eumene agmẽ persequi instituunt. at cùm assequi non possent, in Cappadociam regrediuntur. Eumenes autem magnis itineribus contendens, superato celeriter Tauro, in Ciliciam deuenit. Tum duces Argyraspidum Antigenes & Teutamus, regum literis obsequuti, cum amicis per longum interuallum Eumeni occurrunt: & comiter excepto gratulati, quòd è maximis periculis nec opinatò incolumis euasisset, promptè ad omnia se præstò illi futuros, pollicentur. Sic ipsum etiam Argyraspidum ex Macedoniâ agmen, tria millia circiter, cum beneuolentiâ studióque obuiam processit. Omnibus autem tam subita & incredibilis fortunæ mutatio admirationi erat: cùm viderent Reges & Macedones paullò ante Eumenem & amicos capite damnasse: nunc verò iudicii sui oblitos, non solùm donasse impunitate, sed etiam totius regni administrationi virum præfecisse. Nec ab re tunc ita affecti erant, qui mirabiles Eumenis casus intuebantur. quis enim vitæ " humanæ inæqualitatem considerans, in vtramque partem "

LIX.

fortunæ

„ fortunæ reciprocationem non obstupescat? aut quis secundę
„ fortunæ potestati confidens, animos humanâ imbecillitate
„ maiores sumat? Communis enim vita, ceu deorum quo-
„ piam ad clauum eius sedente, alternis bonorum & malorum
„ vicibus per omne æuum versatur. Ideò non si quid præter
„ rationem accidit, sed, si non omne quod contingit, inspe-
„ ratum est, id verò mirum & insolens fuerit. Quamobrem
historiam meritò quis magnificat. nam inæqualitate ac
mutatione rerum, superbiam fortunatorum & infelicium
calamitatem corrigit. Quæ etiam Eumenes tunc ani-

LX. mo versans, quòd instabilitatem fortunæ prospiceret, pru-
denter res suas præmuniebat. Cùm enim videret se per-
egrinum esse, nulloque iure regiam potestatem attingere:
Macedones verò imperio suo attributos paullò antè pœnam
capitis sibi irrogasse, quique ducatus militares gerebant, in-
flatis animis rerum magnarum percupidos esse: breui se de-
spicatui simul & inuidiæ, & tandē ipsius vitæ periculo obno-
xium fore, existimauit. neminem enim illorum qui supe-
riores videantur imperata facturum, nec passurum, vt qui a-
liis subesse deberent, sibi dominentur. Idcircò his ad calcu-
lum apud se vocatis, ante omnia, cum 10 ipsi talenta, prout
regum literis iussum erat, ad reficiendum semetipsum & ap-
paratum, exhiberentur, recepturum se illa abnuit. tanta enim
donatione se non indigere; quippe, qui nullum sibi principa-
tum consciscere laboret. nunc enim haud sponte se munus
hoc subiisse, verùm à regibus, vt ministerium id reciperet,
fuisse coactum. denique perpetuo militiæ vsu confectum,
ærumnas & circumuagationes ferre amplius non posse. præ-
sertim cùm nihil hîc iuris ad imperium subsit peregrino, & à
gentili Macedonū potestate excluso. Speciē autem quandā in
somnis à se conspectam ostendit admirabilem, quam neces-
sariò cunctis exponendam arbitretur. siquidem multùm ad
concordiam & vtilitatem communem profutura videatur.
Apparuisse sibi per somni imaginationem Alexandrum, non
secus ac si viueret, qui regio habitu exornatus in tribunali
mandata præfectis daret, & omnia regni negocia strenuè ad-
ministraret. Propterea censeo, inquit, aureum ex regiâ gazâ
solium esse conficiēdum, in quo diadema cum sceptro, coro-
na, cæteróque apparatu, collocetur: tum sub exortum diei
omnes illi duces sacrificent, & consessu iuxta sellam habito,

mandata regis nomine accipiant, non aliter quàm si viuat, regnóque suo præsit. Placuit hæc oratio cunctis. ideò LXI. statim omnia ad hunc vsum pertinentia comparant: quòd magna vis auri in regiâ tum gazâ continebatur; & continuò apparatus ille magnificus elaboratur, soliúmque vnà cum diademate ac sceptro ponitur, arma insuper addita, quibus vti solitus erat. Admouetur & focus ignem alens, in quo depromptum ex aureâ capsellâ thus, aliósque magni precii odores duces ex ordine cuncti adolent; & Alexandrum tanquam deum adorant. Secundum hæc, positis magno numero sellis, qui imperia habebant, consident, & sententiis inter se communicatis, de negociis subinde vrgentibus deliberant. Eumenes interim per omnes tractationes publicas æqualem se cæteris ducibus exhibendo, & omnes colloquiis humanissimis demulcendo, inuidiam à se depulit, & magnam sibi ducum beneuolentiam conflauit. Eadémque operâ, cùm superstitio circa regem inualesceret, omnium mentes bona spe repleuit, ac si deus quispiã illis præiret. Consimiliter erga Macedones etiam, qui Argyraspides nominantur, se gerendo magnum sibi fauorẽ contraxit, & dignus qui regum curam gereret, habebatur. Hinc ex amicis deligit maximè idoneos; quos pecuniis largissimè instructos ad conducendum liberalissimis stipẽdiis militem huc illuc mittit. horum alii extemplò in Pisidiam Lyciámque, ac finitimam regionem profecti, cogendi munere sedulò funguntur. alii Ciliciam obeunt; nonnulli etiam Cœlosyriam, Phœniciámque percursitant: quidam ad Cypri vrbes traiiciunt. Hac militum conductione peruulgatâ, vbi stipendia offerrentur amplissima: multi quoque ex Græciæ vrbibus accurrebant, & nomina in hanc militiam profitebantur, adeò vt intra breue tempus colligerentur peditum supra decem millia, & equitum cIɔ cIɔ præter Argyraspides, & qui cum Eumene venerant. Cùm igitur incredibili, subitáque LXII. accessione vires Eumenis creuissent: Ptolemæus cum classe ad Zephyrium Ciliciæ delatus, missis quibusdam ducibus Argyraspides solicitabat, ne Eumenem à Macedonibus iampridem supplicio capitis addictum, sequerentur. ad præfectos itidem præsidii in Quindis misit, obtestans eos, ne quicquam Eumeni pecuniarum exhiberent, impunitate illis promissâ. Huic verò morem nemo gessit. propterea quòd reges & tutor ipso-

tor ipsorum Polysperchon, Olympias præterea, Alexandri mater, scripserant, vt ad omnia Eumeni, quippe summo regni imperatori, morigerarentur. Inprimis Antigono illa Eumenis euectio, & potentiæ, quam conflauerat, amplitudo, displicebat. Hunc enim maximum sibi, qui à regum fide desciuisset, aduersarium à Polysperchonte paratum, existimabat. quocirca insidiis hominem appetendum iudicans, ex amicis Philotam subornat, eique literas ad Argyraspides, cæterósque Macedones, Eumeni addictos, tradit, in comitatu illi adiungens Macedones xxx, homines curiosos & loquaces, quibus mandarat, vt priuatim Antigenem & Teutamum Argyraspidum duces conuenirent, horúmque opera insidias Eumeni fabricarent: dona promittens ingentia, & satrapias maiores. sic & notos ciuésque suos inter Argyraspides accederent, & donis corruptos ad insidiandum Eumeni instigarent. Et sanè aliorum nemini persuadere valuerunt: at Teutamus Argyraspidum dux corrumpi se passus, vt collegam etiam suum Antigenem ad eiusdem facinoris societatem illectaret, operam dedit. Is prouidâ mentis sagacitate, fideíque constantiâ præstans, non tantùm refragari cœpit: sed iam corruptum ad meliora consilia reduxit. magis enim expedire docuit, si Eumenes viuat, quàm Antigonus. hunc enim, cùm potentior sit, in satrapias ipsis dehinc ademptas surrogaturum, quos velit amicos. Eumenem verò cum peregrinus sit, nunquam sibi quærere dominationem ausurum, sed ducatus munere contentum in hoc fore, vt amicitiâ ipsorum vtatur, & prouincias illis conseruet, fortassis alias insuper addat, si strenuò ipsum adiutârint. Ad hunc itaque modum insidiarum contra Eumenem architecti incassum laborârunt.

XIII. Interea dum Philotas communes literas ducibus reddit, Argyraspides & Macedônes alii, seorsùm absque Eumene congregantur, illasque recitari iubent. Scripto autem illo criminatio Eumenis continebatur, & exhortatio ad Macedones: vt Eumenem sine mora comprehensum occidant, quod si facere neglexerint, se cum toto exercitu ad bello domandum illos venturum, dignísque immorigeros pœnis affecturum. Recitatâ hac epistolâ, ductores ac Macedones vniuersi in magnam animorum perplexitatem inciderunt. futurum enim necesse erat, vt si regibus addicti manerent,

Antigono luerent, aut si huic obtemperarent, à Polysperchonte ac regibus punirentur. Hac animorum conturbatione dum multitudo tenetur, Eumenes superuenit, lectisq; literis, Macedones cohortatur, vt regum decreta exsequantur, nec homini iam apertè rebellanti auscultent. Cúmque multa præsenti negocio accommoda dixisset, non imminenti dumtaxat periculo exemptus est: sed etiam multitudinem ad beneuolentiam pristinâ maiorem inflexit. Ita vir iste insperatis denuò periculis circumuentus: vires tamen suas incredibili successu firmiores reddidit. Quapropter indictâ militibus expeditione, in Phœniciam contendit, naues ex omnibus passim vrbibus contrahere, validámque comparare classem properans: vt Polysperchon, assumptis ex Phœniciâ nauibus, mare in potestate haberet, & copias quandocunque vellet, tutò è Macedoniâ in Asiam contra Antigonum transportare posset. Ipse ergo, ad nauticas colligendum vires, in Phœnicia subsistit. Dum verò hæc aguntur, Nicanor, qui Munychiam tenebat, Cassandrum ex Macedoniâ discessisse ad Antigonum, subitúmque Polysperchontis cum exercitu in Atticam aduentum exspectari, audiens, ab Atheniensibus contendit, vt beneuolentiam erga Cassandrum retinerent. At cùm nemo postulata hæc admitteret, sed omnes potiùs quàm ocyssimè præsidium deducendum censerēt; initio quidē datis populo verbis, vt ad paucos se dies cōtineret, persuasit. quæ enim ciuitati expedirent, se facturum. Posteaquàm verò aliquot dies Athenienses interquieuissent, noctu milites paullatim in Munychiam clanculum introduxit, adeò vt satis iam virium, ad tuendum præsidium, & ad dimicandum cum obsidionem molientibus, haberet. quem vbi nihil sani factitare senserunt Athenienses, ad regem & Polysperchontem legatione missâ petunt, vt iuxta tenorem literarum, quibus sua Græcis libertas redderetur, opē sibi ferant. & sæpe aduocata concione, quomodo bellum contra Nicanorem administrandum sit, inter se consultant. Quibus dum adhuc occupantur, Nicanor, plurimos clanculum conductos noctu educit, cúmq; his Piræei muros, & portus claustra occupat. Athenienses verò, quòd & Munychiam non recepissent, & Piræeum insuper amisissent, ægerrimè ferebant. Ideò delectos ex præcipua nobilitate viros, & quibuscum Nicanore amicitia intercedebat; nempe Phocionem Phoci, Cononem

LX.

Cononem Timothei, & Clearchum Nausiclis filios, legatos ad Nicanorem mittunt, de recèns actis cum illo expostulatum, rogatúmque vt iuxta mandatum, suis viuendi legibus potestatem illis reddat. quibus ille respondet, vt ad Cassandrum legati eant. ab illo enim se præsidio adhibitum ducem, priuatam agendi potestatem minimè habere. Per hoc

XV. tempus ab Olympiade epistola venit Nicanori, quâ, vt & Munychiam & Pyræeum Atheniensibus reddat, imperatur. Is ergò audiens fore, vt reges & Polysperchon Olympiadem in Macedoniam reducant, puerúmque eius curæ & tutelæ committant; pristinam insuper dignationem ac honorem, (quem viuente Alexandro habuisset) restituant, ex metu quidem illa se redditurum promisit: causas tamen aliquas subdem inde prætexens, negotium protraxit. Athenienses equidem magni iampridem fecerant Olympiadem. & cùm decretos illi honores reipsâ iam exhiberi opinarentur; ideóque liberæ ciuitatis ius extra periculum sibi restitutum iri, sperarent, magno erant gaudio delibuti. Interim verò dum promissis non statur, Alexander Polysperchontis filius cum exercitu in Atticam venit. hunc Athenienses ad restituendam populo Munychiam & Piræeum, aduentasse quidem putabant; sed rei veritas contrarium ostendit, vtrumque videlicet ipsum ad belli vsus occupaturum. Nam eorum, qui amicitiam cum Antipatro coluerant, nonnulli, & cum his Phocio, legum pœnas veriti, Alexandro occurrunt, & quid in rem esset docendo, auctores illi sunt, vt præsidia sibi retineat, nec reddat Atheniensibus, donec Cassander sit debellatus. Alexander itaque ad Piræeum castra metatus, ad colloquia cum Nicanore Athenienses non admittebat; sed seorsum cum illo habendis colloquiis, & negociis arcanè tractandis, manifesta iniuriæ Atheniensibus inferendæ signa præferebat. Populus ergo in concionem progressus, magistratus præsentes abrogat, & curiâ è maximè popularibus constitutâ, magistratus Oligarchicos damnat: quos partim capite, partim exsilio, & publicatione facultatum multat. inter hos etiam Phocio erat: penès quem summa rerum Antipatri tempore fuerat.

XVI. Hi vrbe pulsi ad Alexandrum Polysperchontis confugiunt, eiusque ope salutem tueri nituntur. quibus ille benignè acceptis, literas dat ad patrem: ne quid incommodi eueniat Phocioni, eique adiunctis, qui suis partibus faueant,

& nunc promptam in omnibus operam spondeant. Mittit verò etiam populus legationem ad Polysperchontem, quæ Phocionem accuset, & Munychiam cum libertate reipublicæ sibi restitui, contendat. Retinendi quidem Piræei percupidus erat Polysperchon, quòd multùm ad vsus belli portus illi commodare posset: sed cùm promulgato à se diplomati contraria facere ipsum puderet; & ne fidem sibi detraherent Græci, si in vrbem clarissimam tam enormiter delinqueret, vereretur, sententiam mutauit. Auditis ergo legatis; eos sanè qui à populo missi fuerant, comiter exceptos, cum responsis ad gratiam compositis dimittit. Phocionem autem cum suis comprehẽdit, vinctósque Athenas mittit, vel interficiendi si vellet, vel à criminibus absoluendi potestatem populo concedens. Aduocatâ igitur concione Athenis, iudicium Phocioni, cæterisque reis, intenditur. ibi multi sub Antipatro in exsilium acti, & alii in reipublicæ ratione dissentientes, capitis illos arcessunt. Caput verò accusationis hoc erat: quòd post bellum Lamiacum ex bonâ parte effecissent, vt & patria seruitute opprimeretur, & popularis administratio, legésque antiquarentur. Vbi tempus ad causam dicendam reis concessum aderat: Phocio pro se verba facere cœpit. sed plebs per tumultum eius defensionem explosit, adeò vt quò se verterent Rei, non haberent. Cessante autem tumultu, Phocio iterum causam suam agere; sed occlamare turba, & ne exaudiretur, vox periclitantis impedire. nam plebeiorum multitudo à Reipublicæ administratione summota, cùm præter spem reditum nancisceretur, odium gerebat amarulentissimum erga illos, qui suis viuendi legibus potestatem ciuibus ademerant. Dum ita per vim LXVI reiicitur Phocio, inque desperatâ cõditione pro vitæ suæ incolumitate decertat, qui proximè erant, æquitatem causæ quidem audierunt; at longiùs inde stantes, præ nimio tumultuantium vociferatu nihil audire, sed corporis duntaxat motum trepidabundum variúmque ob periculi magnitudinem, videre poterant. Tandem spe salutis abiectâ, Phocio exclamans orauit, vt sibi quidem pœnam capitis irrogârent, cæteris verò parcerent. At cùm immutabilis esset vulgi impetus, & violentus, amicorum nonnulli ad patrocinandum Phocioni accessêre: quorum initia quidem orationis audiebat plebs: vbi verò progressi defensionis indicia præ-

buêre,

buêre, per tumultus & obluctantes vociferatus eiicieban-
tur. Ad extremum totius populi suffragiis voce editis, con-
demnati in carcerem ad supplicium abducuntur, prosequen-
tibus eos multis honestis bonisque viris, qui vicem illorum
dolerent, & calamitatum magnitudinem deplorarent. nam
quòd primariæ auctoritatis ac nobilitatis viri, qui multa per
vitam benignè fecerant, nec causæ dicendæ, nec iudicii legiti-
mi copiam impetrarent, id animis multorum attentiorem
rei considerationem, ac metum incutiebat: eò quòd incon-
,, stans, omnibúsque communis esset fortuna. At multi ple-
,, beiorum in Phocionem exacerbati, conuiciis eum lacera-
bant immisericorditer, & acerbè miserias exprobrabant.
,, nam odium in rebus secundis occultatum silentio, quando
,, post mutationem in aduersis cum irâ irrumpit erga illos
,, quos inuisos habet, prorsus efferatur. Cicutæ igitur po-
tione, more patrio necati, omnes extra fines Atticæ citra se-
pulturam proiiciuntur. Hunc vitæ exitum, cum cæteris eâ-
dem calumniâ oppressis, Phocion habuit.

XIIX Post hoc Cassander ab Antigono triginta quinque
naues longas, & sex militum millia adeptus, Piræeum subiit:
& a Nicanore præsidii duce exceptus Piræeum, & portus
claustra in potestatem redegit. At Munychiam Nicanor
ipse retinuit, cum manu, quæ tutando castello sufficeret. Po-
lysperchon verò cum regibus in Phocide subsistebat, vbi de
Cassandri ad Piræeum traiectu certior factus, in Atticam
mouet, & iuxta Piræeum castra facit. Habebat autem in
peditatu, Macedonum viginti millia, & aliorum sociorum
quatuor millia: equites præterea mille, & LXV elephantes.
Cassandrum igitur obsidere instituit. sed quia commeatus
deerat, & diuturnior videbatur obsidio, necessitas ipsa suasit,
vt partem copiarum in Atticâ relinqueret, quantæ suffice-
ret ibi commeatus. Dux verò Alexander erat. Ipse cum
maiore exercitus parte in Peloponnesum transit, vt Me-
galopolitas ad regum imperata se attemperare cogeret: qui
paucorum administrationem ab Antipatro cõstitutam am-
XIX. plexi, Cassandro adhærebant. Dum ista tractat Po-
lysperchon, Cassander instructâ classe Æginetas sibi adiun-
git: Salaminios verò non amicè erga se affectos, obsidione
cingit: & cõtinente per singulos dies oppugnatione: quòd sat
telorũ & militũ suppeteret: in extremũ illos discrimẽ adducit.

Cùm igitur parum abesset, quin per vim vrbs caperetur: Polysperchon peditum & classiariorum agmen non contemnẽdum mittit: quo obsidentes aggrediatur. quorum aduentu territus Cassander in Piræeum abscessit. Tum Polysperchon, vt ad regni vtilitatem res Peloponnesi componeret, illuc transiuit: & senatu ciuitatum coacto, de societate belli verba ad eos fecit. Legatos etiam ad ciuitates misit cum mandatis, vt magistratus in Oligarchià Antipatri iussu creatos necarent, & populo ius vtendi legibus pristinum redderent. mos à plerisque gerebatur; dúmque cædes per vrbes fiunt, & pars exsilio multatur, Antipatri partium studiosi pessum dabantur, & respublicæ legum suarum auctoritate recuperatâ, cum Polysperchonte societatem coibant. Megapolitæ tantùm Cassandri amicitiam tuebantur. horum igitur vrbem obsidendam statuit. Qui conatu Polysperchontis intellecto, plebiscito quicquid in agro esset, in vrbem reducere decernunt. Dúmque ciuium & peregrinorum cum seruis numerum instituunt, quindecim millia inueniuntur, qui bellicis vsibus apti forent. Confestim ergò partem in ordines cooptant; partem ad operum ministeria adhibent; nonnullis mœnium accurationem demandant. ita fiebat, vt vno eodémque tempore alii profundam circum vrbem fossam egererent: alii ex agro valles comportarent; nonnulli partes murorum labefactatas resarcirent; alii verò cudendis armis, missilibúsque ac catapultis conficiendis operam darent: adeò vt tota ciuitas in opere versaretur, cùm ob virorum promptitudinem alacerrimam, tum ob pericula iam am ngruitura. magnitudo enim exercitus regii, & elephantorum subsequentium, qui & robore ac impetu corporis insuperabili essent, numerus vbique percelebris erat. Iámque omnia rectè parata erant; vbi Polysperchon cum toto exercitu aduentans, proximè vrbem bina, quà Macedonum, quà sociorum, castra ponit: & turres quas ex ligno construxerat, mœnibus altiores, opportunis locis vrbi admouet. imposuerat verò omne telorum genus cũ viris qui inde depugnarent. his constitutos in propugnaculis repellit. Interea dum hæc geruntur, subrutis fossorum opera muris, fulcrisque succensis, turres maximas cum totidem propugnaculis interiectis demolitur. cúmque ingens subitò ruina fieret, à Macedonum vulgo exclamatur, oppidani verò insolentiam rei obstupescunt.

LXX

stupescunt. Iámque per collapsa Macedones irrumpebant: vbi Megalopolitæ in partes diuisi, vnà hostem, difficultate locorum per rudera adiuti, sustinent: alterâ locum ruinâ patefactum vallo intersepiunt, & continuato per diem noctemque opere, alterum hosti murum obiiciunt, & re celeriter perfectâ, quòd & operarum multitudine, & apparatu ad omnia sufficiente, instructi essent, illud ruinæ damnum citò resarciunt. Contra illos verò, qui de ligneis turribus pugnabant, catapultarum missilibus vtuntur: & funditorum operâ sagittariorúmque hostes magno numero sauciant. LXI. Cùm igitur multi vtrinque caderent & vulnerarentur, & nox appetisset: Polysperchon tubâ reuocatis militibus in castra sua retrocessit. postridie expugnatum ruinæ locum beluis permeabilem fecit: robore enim illarum ad expugnationem vrbis vti cogitabat. At Megalopolitæ, Damidis, (qui Alexandro quondam militans, quæ natura esset elephantum, atque vsus, per experientiam cognouerat) ductu non mediocriter præualebant. hic enim violentiæ beluarum industriam suam opponendo, robur corporum inutile reddebat. Foribus enim amplis, nec paucis numero, clauos præacutos infigit, eásque humilibus fossis ita insternit, vt cuspidum summitates tegerentur: & per has transitum in vrbem relinquit. In fronte quidem neminem ex militibus constituit: sed ex obliquo iaculatores, sagittariósque, & catapultarum missilia non exiguo numero, collocat. Cùm igitur toto ruinarũ loco repurgato, Polysperchon iam cum agmine beluarum ingrueret: inopinatum quiddam elephãtibus accidit. nemine enim ex aduerso beluis occurrente, Indi impressionem in vrbem illos facere cogebant. qui robore suo connixi, in fores stimulis refertas incidebant. clauis ergo pedes sauciati, & propter molem penitiùs stimulis perforati, nec progredi vlteriùs, nec retrò se conuertere, propter motus difficultatem, valebant. præterea cùm telorum omne genus ex obliquo in eos coniiceretur: Indorum alii oppetebant: alii vulneribus confecti idoneum exinde vsum præbere non poterant. Feræ interim præ missilium crebritate, insolentiáque vulnerum à clauis illatorum, ad magnos adacti cruciatus per amicos reditum sibi parare, multósque illorum conculcare. tandem fortissima illarum, & maximè formidabilis cecidit. aliorum pars omninò inutilis euasit; pars pluri-

mis suorum necem attulit. Ab hoc igitur successu animos Megalopolitæ resumsêre. At Polysperchontem ob-sidionis susceptæ pœnituit. & quia ad longius ibi tempus desidere non poterat: partem exercitus obsidioni reliquit: ipse interim ad res magis necessarias se conuertit. Tum Clitum nauibus præfectum cum tota classe misit, ad finitima Hellesponti stationem habere iubens, & prohibere copias ex Asia in Europam transmeantes. Arrhidæum quoque adsumere, qui cum militibus suis in Cianorum vrbem confugerat, Antigono inimicum. Is postquàm ad Hellespontum traiecisset, iámque vrbes ad Propontidem in fidem acciperet, Arrhidæi quoque copiis se confirmasset: ad loca illa Nicanor, præsidii Munychiani ductor, à Cassandro cum totâ classe missus, nauigauit. Antigoni etiam naues assumsit ita, vt supra centum numerus se extenderet. Commisso igitur prælio nauali, haud procul à Byzantiorum vrbe, Clitus vincit, & naues hostium septendecim demergit, nec infra quadraginta cum ipsis hominibus capit. reliqui in Chalcedonensium se portum recipiunt. His tam prosperè gestis Clitus, hostes mari non ampliùs contendere ausuros, propter cladis acceptæ magnitudinem, existimabat. Antigonus verò, audito classis detrimento, confestim industriâ suâ, & arte imperatoriâ illud reparauit. nam actuariis nauibus à Byzantinis noctu accersitis, sagittarios, funditores, & alios ex leuis armaturæ ordinibus, quot sufficere videbantur, imponit, eosque in oram vlteriorem transportat. Hi ex hosticis nauibus in terram egressos, & castra pedestria metatos, adorti, terrorem Clitianis incutiunt. qui & subito metu perturbati in naues insiliunt. vnde ingens existit tumultus, quâ ob impedimenta, quâ etiam ob captiuorũ multitudinem. Interim Antigonus naues longas adornârat. in his peditum strenuissimos mediocri numero collocatos eò mittit, cum exhortatione vt audacter hostes inuadant, victoriâ enim certissimè potituros. Hi ergo cum Nicanore noctu subuecti, cùm iam illucesceret, subitò in hostes tumultuantes impressione factâ, primo statim concursu illos vertunt. nauiúmque alias rostris pulsatas sursum iactant; aliis remos detergent; nonnullas cum viris se dedẽtes citra discrimen in potestatem accipiunt. tandem, exceptâ prætoriâ, reliquis omnibus vnà cum militibus potiuntur. Clitus autem ad terram fugâ elapsus, desertâ

naui,

naui, per Macedoniam se recipere instituit. At in Lysimachi milites quosdam delapsus, interiit.

LX-II.

Antigonus igitur clade tantâ hostibus affectis, magnam ex solertiâ militari, & prudentia gloriam reportauit. Tum maris potestatem sibi vendicare, Asiæque imperium citra controuersiam acquirere properabat. ideò ex omni exercitu viginti peditũ millibus, & equitum millibus quatuor delectis, qui maximè forent expediti, versus Ciliciam mouit, vt Eumenis cohortes dissiparet, priusquàm agmen copiosius cõtraxisset. Ille verò cognito Antigoni impetu, Phœniciam regibus iterum vindicare, iniustè a Ptolemæo occupatã, conabatur. sed ab opportunitate destitutus, motis è Phœniciâ castris, agmen per cauam Syriam duxit, vt Satrapias, quas superiores nuncupant, attingeret. Tum incolarũ ad Tigrim incursu nonnullos suorum amisit. Consimili fortunâ a Seleuco in Babyloniâ iuxta Euphratem impeditus, totius amittendi exercitus discrimen incidit: vbi parum abfuit, quin fossa quædam rupta tota eius castra submersisset. sed imperatoriam tunc solertiam adhibens, in tumulum quendam confugit, fossâque iterum auersa, se cum exercitu seruauit. Sic contra quam sperasset, è Seleuci manibus elapsus, cum agmine in Persiam deuenit, XVI millibus peditum, & ꟾↄ ꟾↄ equitibus tunc instructus. Et recreato ex laboribus & ærumnis milite, ad præfectos superiorũ prouinciarũ misit, qui milites & pecunias inde accerserent. Res itaque Asiæ hunc illo anno progressum habuere.

LXX-I.

In Europa verò posteaquàm Polysperchon, ob cladẽ ad Megalopolin acceptam, in contemptum venisset, pleræque Græcarum ciuitatum à regibus ad Cassandrum desciuerunt. Et quia Athenienses neque Polysperchontis opera, neque Olympiadis ope, præsidium excutere poterant: ex laudatis quidã ciuibus in concione dicere sustinuit: ex publico fore bono, si cũ Cassandro transigerẽt. Initio quidẽ, aliis refragãtibus, aliis adsentiẽtibus orato oni, tumultus existebat. sed vtilitate probius examinata, cõmuni tandem sententiâ decretum fuit, vt per legatos, quibus fieri posset conditionibus, pax iniretur. Post aliquot tandem colloquia, sic de pace inter eos conuenit, vt vrbem, agrum, reditus, naues, cæteraque omnia sibi habeant Athenienses, amici dehinc sociique Cassandri: Munychiam verò in præsens retineat Cassander, donec cum regibus sit debellatum.

Respublica interim administretur pro ratione censûs, ad decem vsque minas: vno ex Atheniensibus curatore vrbis constituto, quicunque placeret Cassandro. & tum electus fuit Demetrius Phalerensis. qui curationem vrbis adeptus, in tranquilla pace illi præfuit, & quàm humanissimè se gessit erga ciues. Post id tempus classem in Piræeum reducit LXX Nicanor, rostris ex victoria relatis exornatam. quem initio propter successus magno in honore dignatur Cassander: pòst, vbi factũ tumidum, arrogantiâque plenum, animaduertit; quòd & suis adhuc militibus Munychiam teneret, alienatum ab se esse arbitratus, dolo hominem interemit. Tum expeditione in Macedoniam susceptâ, multos inuenit popularium, qui ad ipsum deficerent. Sic Græcas etiam ciuitates iungendi cum Cassandro societatem cupido inuasit. nam Polysperchon pigrè ac socorditer regno & sociis præesse videbatur. Interea Cassander, quòd æquum se omnibus exhiberet, industriámque suam in rebus gerendis probaret, multos principatus sui fautores habuit. Iam quoniam anno sequente Agathocles Syracusiorum tyrannus euasit, prout initio à nobis propositum, libro huic colophonem addemus. Et proximè sequentem ab initio tyrannidis Agathoclis exorsi, res operi nostro conuenientes persequemur.

HÆC XIX. DIODORI LIBRO CONTINENTUR.

Quibus initiis & adiumentis Agathocles Syracusiorum tyrannus sit factus.
Vt Crotoniatarũ exsules, bello patriæ illato, omnes occubuerint.
Olympiadis cum puero reditus in regnum.
Eurydice & Philippus rex capti & necati.
Vt Eumenes cum Argyraspidũ phalange in prouincias superiores adscẽderit, & satrapas exercitusque in Persiã cõgregarit.
Vt Attalus & Polemo, cum his qui præsidium vnà oppresserant, capti interierint.

Vt

Vt Antigonus Eumenem persecutus, ad Copraten fluuium succubuerit.

Vt (idem) in Mediam profectus, in transitu complures militum amiserit.

Acies Antigoni contra Eumenem & Satrapas in Paratacis instructa.

Antigoni in Mediam retrogressio cum copiis ad hybernandum.

Cassandri expeditio in Macedoniam, & Olympiadis in Pydnâ obsessio.

Antigonus iter aduersus hostes per deserta facit, & in hybernis beluas inuadit.

Vt Eumenes Antigonum imperatoria arte eluserit, per deserta iter habentem.

Vt prælio commisso Antigonus omnes aduersariorum copias in potestatem acceperit.

Vt Eumenem, aliosq; duces à partibus suis alienos sustulerit.

Diluuiũ Rhodi ortũ, & calamitates, quæ hinc vrbi euenerint.

Pithon ab Antigono morte afficitur, & qui propter eum in Media rebellarant, è medio tolluntur.

Olympias in Cassandri potestatem redacta, neci traditur.

Vt Cassander Thessalonicen, Philippi Amyntæ filiam, matrimonio sibi iunxerit, & vrbem ab ipsa nuncupatam, iuxta Pellenen condiderit.

Vt Polysperchon, desperato regum statu, in Ætoliam profugerit.

Vt Cassander vrbem Thebanorum, ab Alexandro exscisam, instaurarit.

Quæ priscis temporibus in hac vrbe acciderint, & quoties fuerit destructa.

De Cassandri in Peloponneso gestis.

Antigoni cum exercitu ad mare descensus, & Seleuci fuga ad Ptolemæum in Ægyptum.

Conspiratio Ptolemæi, Seleuci & Cassandri, & cum his Lysimachi, ad bellum Antigono inferendum.

Vt Antigonus naues plurimas construxerit, ducesq; miserit in Græciam & Pontum.

Vt amicitiam inierit cum Alexandro Polysperchontis: vtque Alexander ad Cassandrum se transtulerit.

Vt Polyclitus, Ptolemæi nauarchus, Antigoni duces terra mariq; vicerit.

De Agathoclis expeditione in Messenios, & pace à Carthaginiensibus interposita.

Rhoxanes & Alexandri regis interitus.
Quæ Romani in Italia geſſerint.
De naufragio Carthaginienſium.
Vt Carthaginienſes Agathoclem, collata acie victum ad Himeram, intra Syracuſas concluſerint.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE
Liber XIX.

I. VETVS quoddam dictum per traditionem propagatum eſt, democratias non à quibuſuis hominibus, ſed iis qui dignitate præcellunt, euerti. quam etiam ob rem ciuitates nonnullæ ciuium potentiſſimos habent ſuſpectos, & eminentiam illorum deprimunt. his enim qui in poteſtate permanent, in propinquo huc tranſitus eſſe videtur, vt ſeruitute opprimãt: & difficulter à dominatu abſtinere illos, qui propter eximiã dignitatem ſummæ poteſtatis ſpem conceperunt. Naturâ enim inſitum eſt, maiora cupientium animis, vt plura ſubinde appetant, nullúmque cupiditati modum aut finem ſtatuant. Athenienſes igitur hanc ipſam ob cauſam primarios ciues Oſtraciſmo, quem vocant, lege ſancito, ſolum vertere iubebant. idque non eo fine, vt delictorum pœnas exigerent: ſed vt illis, qui leges tranſgredi poſſent, in patriam delinquendi facultas præcideretur. Solonis enim vocem, ceu quoddam oraculum, memori verſabant animo; vbi Piſiſtrati tyrannidem prænuncians Elegiacum iſtud compoſuit:

Per magnos vrbs noſtra viros ruit; ecce tyranni
Subditur imprudens ciuica turba iugo.

Omnium verò maximè dominandi cupiditas in Sicilia inualuit, antequàm Romani in prouinciæ formam hanc redegerunt. Ciuitates enim, oratorum aſſentationibus deceptæ, eò vſque infirmos ad potentiam extollere pergebant, donec hi in deceptos dominatum conſequerentur. Præ cunctis autem ſingulari quodam modo Agathocles Sy-

ra cusiorum tyrannus euasit, minimis prouectus initiis, maximisque cladibus non Syracusas duntaxat, sed totam quoque Siciliam, adeóque Libyam, inuoluit. nam cùm ob victus inopiam, rerúmque infirmitatem figulinam exercuisset, eò potentiæ & crudelitatis processit, vt maximam Insularum omnium & pulcerrimam in seruitutem redigeret, maiorémque Africæ partem, & quasdam Italiæ portiones, obtineret, & iniuriis, lanienisque Siciliæ vrbes repleret. Nullus enim tyrannorum ante ipsum tale quippiam perpetrauit, neq; tantam in subditos sæuitiam exercuit. Priuatos námque ita plectebat, vt totam illorum cognationem mactaret. & à ciuitatibus ita pœnas exigebat, vt quicquid pubertatem attigisset, trucidaret, & ob paucos aliquot reos, multos ne minimo quidem crimini obnoxios, easdem subire calamitates cogeret; totis etiam ciuitatibus supplicio capitis irrogato. Atqui cùm hic liber vnà cum cæteris etiã Agathoclis tyrannidem complectatur, omissà de hoc præfatione, quæ superioribus cohærent attexemus, si congrua huic scriptioni tempora priùs adiecta fuerint. In præcedentibus igitur XIIX voluminibus res ab vltimis inde ætatibus per cognita orbis loca gestas, pro facultate nostra descripsimus, vsque ad annùm qui tyrannidem Agathoclis præcedit, ad quem à captâ Troiâ Iↄ CCC LXVI anni colliguntur. In hoc autem à dominatu illius exorsi, in pugnâ Agathoclis cum Carthaginiensibus ad Himeram confertâ, septem annos complexi, desinemus.

II. Archonte Athenis Demogene, & Consulibus Romæ Lucio Plotio, & Marco Foslio, Agathocles Syracusanus tyrannus ciuitatis illius factus est. Vt verò rerum singulatim gestarum claritas magis elucescat, de principe hoc pauca quædam attexemus. Carcinus Rheginensis, à patriâ vrbe relegatus, Thermis Siciliæ (vrbe Carthaginiensibus tũc subiectâ) habitabat. Is cùm fœminã quandam eius loci in matrimonium ductam grauidam fecisset, crebrò in somnis perturbatur. anxius igitur de nouâ sobole, Carthaginiensibus Theoris quibusdam Delphos adituris negocium dedit, vt de fœtu in lucem edendo deum consulerent. quibus diligenter iniuncto sibi munere fungẽtibus oraculum edit: *Natũ illum Carthaginiensibus totiq; Siciliæ maximarum auctorẽ calamitatũ fore.* Is nũcio perterritus, infantẽ publicè exponit, adhibitis qui interitũ eius obseruarẽt. Aliquot verò diebus exactis

ille non

ille non moritur: & res à custodibus geritur negligentiùs. mater interim noctu accedens clàm puerum tollit: ac domũ quidem suam viri metu illum nõ reportat: sed apud fratrem Heracliden depositum, Agathoclem parentis sui nomine appellat. vbi educatus puer formâ elegans, ac corpore valentior, quàm pro ætate euasit. Iamque septennium attigerat, cùm ad sacrum quoddam vocatus Carcinus, Agathoclem cum æqualibus quibusdam lusitantem videt, formamque ac robur demiratur. ibi cùm vxor subiiceret tantæ magnitudinis fore expositum illum, si educatus esset; pœnitere se facti, ille respondet, & continuò lacrymatur. Intelligens ergo mulier voluntatem mariti cum perpetratis à se congruere, omnẽ illi veritatem exponit. qui narrationem eius cum voluptate amplexus, filium ad se recepit, & metu Carthaginensium Syracusas cum omni familiâ commigrauit. Sed quia pauper erat, figulinam Agathoclem docuit adhuc puerum. quo tempore Timoleõ Corinthius, victis prælio Carthaginens. ad Cremissum fluuium ciuitate Syracusânâ donauit omnes, qui se aggregare vellent. ita etiam Carcinus cum Agathocle ciuium numero adscriptus est, & vitâ per exiguum inde tempus exactâ, diem suum obiit. Mater autem lapideam filii statuam in quodam loco posuerat. Ad hanc examen apum considens, ceram in coxis fingere cœpit. Quo signo ad eos delato, qui huiusmodi rebus vacant, omnes pronunciârunt, in maturâ hominem ætate ad magnam peruenturum claritatem. Id quod euentus quoque probauit.

III. Damas enim quidam, inter nobiles Syracusis viros connumeratus, Agathoclis amore inflammatur. ac primò quidem omnia largè suppeditans, vt mediocres sibi opes colligeret, effecit. postea dux Acragantis creatus, vbi chiliarchorum quidam è vitâ decessit, hunc in illius locum surrogauit. is verò etiam ante militiam non parum auctoritatis sibi comparauerat magnitudine armorum. nam per exercitationes militares tantæ magnitudinis armaturam ferre consueuerat, vt nemo alius vti tam graui onere valeret. Sed longè plus, iam tribunus militum factus, gloriæ sibi conciliauit, quòd periculorum cupidus, audaxque in pugnis, impudens etiam ac temerarius esset in orationibus ad populum. Cùm morbo exinde Damas obiisset, facultatibus vxori legatis, eam ille duxit, inque ditissimorum censu habitus est. Post hæc Crotoniatis,

obſidione preſſis à Brutiis, Syracuſii valida miſerunt auxilia, quorum Antander Agathoclis frater cum aliis dux erat: ſumma verò adminiſtratio rei penès Heraclidem & Soſiſtratum erat: qui viri per inſidias & cædes, magnáque piacula vitam exegerant. quæ particulatim liber hunc antecedens complectitur. Militabat cum his etiam Agathocles, decreto populi adſcitus, & chiliarchicæ (*tribunitiæ*) præfecturæ munere iam fungens. Is licèt in prælijs aduerſus Barbaros primùm ſe fortiſſimè geſſiſſet: præmio tamen fortitudinis per inuidiam Soſiſtrati fraudatur. quo facto animi ſe excrucians, Soſiſtratum cum ſociis, quaſi ad tyrannidem adſpirent, ad populum criminatur. At dum calumniis aures non præbent Syracuſani, Soſiſtratus poſt reditum à Crotone patriæ ſuæ principatum obtinet. Infenſus ergo illi Agathocles, primò in Italiâ cum ſuâ factione ſubſtitit, & Crotoniatarum vrbem occupare conatus, ſpe ſuâ excidit, & cum paucis Tarentum euaſit. à quibus in mercenariorum claſſem receptus: cùm res multas temerè agitaret; in affectatæ nouitatis ſuſpicionem venit. idcircò ab hac etiam militiâ exauctoratus, congregatis Italiæ exſulibus, oppugnatis ab Heraclide & Soſiſtrato Rheginenſibus opem tulit. Hinc principatu Syracuſis abrogato, cùm Soſiſtratus vrbe pulſus eſſet, in patriam rediit. Quia verò multi præſtâtes nobilitate viri, vt dominatus paucorum conſortes (numerus maximè illuſtrium erat IↃ c) ſimul cum principibus eiecti fuerant: bellum inter exſules, & democratiam amplexos exſtitit; & Soſiſtrati partes à Carthaginenſibus fouebantur. Ibi periclitationes aſſiduæ, virorumque & copiarum è regione inſtructiones. in quibus Agathocles, modò priuatus, modò imperio aliquo fungens, ſtrenui ſolertisque viri exiſtimationem ſibi parauit, quòd ſubinde per vnamquamque opportunitatem aliquid vtile excogitaret. inter quæ vnum memoratu inprimis dignum perpetrauit. Caſtra non procul à Gelâ poſuerant Syracuſani. tum ipſe cum mille armatorum manu in vrbem noctu irrupit. Soſiſtratus, cum valido ac probè diſpoſito agmine occurrens clàm ingreſſos in fugam conuertit, ad CCC interfectis. Vbi cùm alii, de ſalute actum rati, per angiportum aufugere conarentur: Agathocles præter ſpem periculis illos exemit. ipſe enim, præclarè ante omnes dimicans, ſeptem vulnera accepit.

IV.

iamque viribus ob sanguinis profluentis copiam resolutis, buccinatoribus imperauit, vt ad muri partem vtramque progressi bellicum canerent. quo celeriter facto, qui ex Gelæ ciuibus propugnatum venerant, rei veritatem prospicere ob tenebras haud poterant. aliam verò Syracusanorum manum ad vtramque muri partem irruisse opinati, ab insecutione destiterunt. & diuiso bifariam agmine, subitò ad tubarum sonitum concursu se tutatum ibant. Interea cum suis Agathocles spacium nactus, quàm tutissimè ad vallum se recepit. Ad hunc ibi modum hostibus arte delusis, non suos tantùm milites, sed etiam auxiliarios IↃ cc, inopinatò conseruauit.

V. Post hæc, imperatore Syracusis creato Acestoride Corinthio, affectare tyrannidem existimatus ob prudentiam, salutis periculum subterfugit. nam Acestorides, metu seditionis apertè hominem è medio tollere nolens, vrbe illum excedere iussit: & qui noctu in via ipsum trucidarent, amandauit. Sed Agathocles, quid animo dux moliretur, coniectans, è iuuenum cœtu statura formàque sibi quàm simillimum delegit. huic armis, equo, vestibusque traditis, ad cædem sui missos astutè circumuenit. ipse pannis obsitus per deuia iter fecit. Illi verò ex armis cæterisque signis coniectura facta, Agathoclem esse suspicati, quòd rem per caliginem exactè dignoscere haud possent, cædem quidem peregêre, sed ab actione destinata aberràrunt. Post id tempus cùm Syracusii, receptis qui cum Sosistrato exsulabant, pacem cum Carthaginensibus fecissent: Agathocles extorris priuatum in mediterraneis exercitum contraxit. Quo territus non modò ciuibus, sed etiam Carthaginensibus, ad reuertendum in patriam persuaderi sibi passus est, & à ciuibus in fanum Cereris deductus, se populari administrationi haud aduersaturum, iurauit. Simulato ergò democratiæ patrocinio, posteaquàm variis populum concionibus inescarat, imperator & custos pacis, donec concordiam inter se stabiliuissent reduces, constitutus fuit. In multas enim factiones discesserant coëuntium sodalitates, & maximas inter se controuersias alebant singulæ. Sed omnium maximè Agathoclis factioni obstabat sexcentorum Senatus, qui post dominatum paucorum ciuitati præerat. In hunc enim lecti erant, qui auctoritate opibusque inter Syracusanos præstabant.

Agathocles igitur principatus affectator, tũ multas perficiendi quæ volebat opportunitates adeptus est. Non enim imperator tantùm in potestate habebat exercitum, sed etiam nuncio allato, quòd defectores nonnulli in mediterraneis ad Erbitam exercitum conflarent: quoscunque vellet militiæ suæ citra suspicionem aggregandi, potestatem nactus est. Ad Erbitam igitur expeditionẽ præ se ferens, Morgantinæos, & è mediterraneis oppidis alios, cum illis qui aduersus Carthaginenses operam ei priùs nauârant, in ordines suos cooptauit. hi enim ob multa per militiam merita, beneuolentiâ Agathoclem prosequebantur omnes. hostili contrà animo erant in sexcentos, qui paucorum Syracusis dominatus pars fuissent, oderantque populum, quòd iussa ipsius exsequi cogerentur. Numerus horum erat ad tria millia, ad euertendum populare regimen voluntatibus & studiis accommodatissimorum. quibus in agendo delectu etiam ciues adiunxit, propter egestatem ac inuidiam splendori potentum aduersantes. Vbi parata erant omnia, vt primâ luce ad Timoleontium sibi adessent, militibus edixit. ipse interim Pisarchum & Declem, qui collegio sexcentorum præesse videbantur, quasi de publico cum ipsis commodo sermonem habiturus, accersiuit. Hi cùm assumtis amicorum XL, venissent insidiis se circumueniri simulans, omnes comprehendit, & ad milites criminatus prætendit, ob beneuolẽtiam erga populum à IↃC se rapi ad supplicium, fortunámque suam deplorauit. quibus accensa plebs, non cessandum, sed extemplò pœnas iniuriæ auctoribus inferendas, exclamauit. tubicines ergo classicum canere: & militibus sontes è medio tollere, bonáque sexcentorum ac partes horum sectantium diripere iussit. Omnibus inde ad direptionem cum impetu conuersis, vrbs perturbatione ac miseriis ingẽtibus repletur. nam gratiosissimi ciuium, qui destinatam sibi cædem haud compererant, ex ædibus in publicas vias exsiliebant, vt, qui tumultus esset, quàm ocyssimè cognoscerent. milites verò, partim auaritiâ, partim irâ efferatis animis, inermia per ignorantiam corpora offerentes trucidabant.

VI.

Occupatis ergo singulatim vicorum angustiis per milites, alii in plateis, alii intra ædes, mactantur. multique, ne minimo quidem crimine notati, interim dum interitus sui causam requirunt, è medio tolluntur. Armatorum enim

VII.

turba, potestatem adepta, nec amicum nec hostem discernere: sed vnde maior commodi spes apparebat, hunc pro inimico reputare. Ideò totam vrbem iniuriis, cædibus & omni flagitiorum genere refertam videre tum erat. Nam alii pristinis stimulati odiis, à nullâ in exosos contumeliâ sibi temperare, cùm quicquid animô liberet, patrandi licentia esset. alii diuitum lanienis probè consultum iri commodis suis rati, quiduis in necẽ illorum machinari. nam pars fores atriorum effringere: pars scalis in culmina adscendere: nonnulli cum defensantibus sese de tectis dimicare. Imò nec ad fana elapsis supplex deorum imploratio incolumitatem præbebat; sed pietas erga deos hominum crudelitati succumbebat. Atque hæc in patriâ suâ Græci aduersus Græcos, propinqui in propinquos, pacis tempore, haud naturam, haud fœdera, haud deos reueriti, patrare audebant. ob quæ nemo, nõ modò amicus, sed etiam planè hostis, quicunque etiam fuerit, moderato saltem animo præditus, illam afflictissimorum sortem non commiseretur. III. Omnes vbique portæ clausæ: & plus quàm millia quatuor vno die interfecti; ob hoc tantùm criminis, quòd plus quàm alii gratiæ haberent. Ex illis qui fugâ sibi consulebant, nonnulli, dum cursum ad portas intendunt, capiuntur: alii, qui de muris se deiecerant, in vrbes vicinas euadunt. quidam, de muris inconsiderantiùs præ metu desilientes, in præceps ruunt. Multitudo autem è patria eiectorum supra sex millia erat: quorum plerique ad Agrigentinos profugerunt: vbi quâ conueniret humanitate sunt excepti. Agathoclis interim factio, totum diem laniенæ ciuium insumens, nec à petulantiâ & flagitiis in sexum fœmineum abstinet, sed dignam se vltionem de illis, qui necem euaserant, exacturos, arbitrantur; si cognatos eorum quàm contumeliosissimè tractent. ipsâ enim morte acerbiora passuros, consentaneum erat, si vxorum & virginum stupra per contumeliam illata considerarent. A quibus remouenda nobis est adiectitia familiarisque scriptoribus aliis Tragœdia, maximè propter tàm horrenda perpessorum commiserationem: & quia lectorum nemo singulorum deinceps expositionem requirit: cùm in promptu illorum sit cognitio. Qui enim clarâ diei luce per vicos & in foro prorsum innocentes mactare audent, scriptore non opus habent, qui quid intra domos noctu peregerint, vt, & quo pacto se

erga virgines orbas, & mulieres, omni præsidio destitutas, inque plenariam inimicissimorum hominum potestatem prolapsas, gesserint, declaret. Agathocles verò per biduum popularium cæde exsatiatus, captiuorum multitudine coacta, Dinocratem ob pristinam amicitiam dimittit. sed de cæteris maximè sibi infensos tollit: reliquos exsilio multat.

IX. Pòst concione aduocatâ, sexcentos, & paucorum dominatum quem fouerant, criminatur; seque vrbem ab illis qui principatum affectarent, perpurgasse, confirmans, sinceram populo libertatem se reddere, ac laboribus nunc exsolutam priuatam agere vitam deinceps velle, æqualem omnibus, ostendit. Atq. hæc dicens chlamydion (*paludamentum*) sibi detrahit, & pallio iniecto discedit, vnum ex plebe se esse ostentans. Hoc ideò agebat, vt popularem se fore simularet: certus interim, plurimos in concione illâ nefariorum scelerum participes esse: ideoq; nunquam velle, vt imperatoris munus alteri cuipiam tradatur. Repentè igitur, qui oppressorum bona diripuerant, ne ipsos destitueret: verùm curam omnium in se reciperet, vociferari. Ille primùm loco se continere: postea multitudine instante acrius, summi ducis munus se quidem suscipere dixit: verùm cum nullo se collegâ rei præfuturum. non enim ferre posse, vt quæ cæteri contra leges egerint; de his ipse, propter eiusdem muneris administrationem iuxta leges, rationem reddat. Vbi plebs in vnius imperium illius consensit, dux cum plenariâ potestate per suffragia creatur: & in reliquum manifestè dominans ciuitatis curam gessit. De Syracusanis autem adhuc integris, pars metu ad patientiam adigebantur, pars viribus plebis superati, inimicitias in vanum præ se ferre non audebant. Interim multi pauperes & obærati mutationem hanc lubenter sunt amplexi. nam Agathocles in concione nouis se tabulis æs alienum decisurum, & agros donaturum egenis, promiserat: quibus perfunctus, necare aut plectere dehinc aliquos supersedit: quin in contrarium mutatus, clementem se plebi exhibuit: multosque beneficiis, nec paucos promissis, erigens, omnes autem verborum blandimentis populariter illectans, fauorem haud mediocrem sibi conciuit. Et licèt tantum iam principatum obtineret: tamen neque diadema sumpsit, neque stipatoribus se muniit, neque difficilem ad se aditum præbere voluit: quæ plerisq; omnibus

in mo-

in more tyrannis posita sunt. Reditibus etiam armorumque
& telorum confectioni operam dedit. ad priores insuper
naues longas, compaginauit alias. Ex pagis denique & op-
pidis mediterraneis pleraque ditioni suæ adiecit. Atque in
X. hoc tum statu res Siciliensium erant. Per Italiam in-
terim Romani iam nonum cum Samnitibus annum belli-
gerabantur. & ante hac quidem magnis inter se viribus de-
certârant: sed tunc incursatis hostium agris, nihil egregium
memoriâque dignum peragebant: castellorum tantùm op-
pugnationi ac depopulationi terræ immorabantur. In A-
puliâ tamen Dauniam vastarunt vniuersam, & subactis Ca-
nusiis obsides acceperunt. Duæ præterea tribus adiectæ cæ-
teris Falerna & Vfentina. Hæc dum geruntur, Crotonia-
tæ cum Brutiis transigunt: sed bello cum ciuibus, propter
conspirationem cum Heraclide ac Sosistrato, (de quâ proxi-
mo ante hunc libro speciatim disseruimus) à populari socie-
tate expulsis, in alterum nunc annum protracto, Paronem &
Menedemum, viros illustres per suffragia præficiunt. Inter-
ea exsules Thuriis profecti, mercenariis ad ccc conductis,
noctu in patriam irrumpere conantur. Sed à Crotoniatis
repulsi, in Brutiorum confiniis castra ponunt. At exiguo
pòst, longè maiore ciuium manu contra illos egressi, omnes
inter pugnandum conciduntur. Nos Siciliæ atque Italiæ
res exsecuti, ad reliquos Europæ tractus sermonem trans-
XI. feremus. In Macedoniâ Eurydice regno præsidens, v-
bi Olympiadem ad reditum se accingere resciuit, tabellario
ad Cassandrum misso in Peloponnesum, rogat vt quàm ce-
lerrimè opem ferat, & Macedonum grauissimos muneri-
bus promissisque ingentibus euocatos, ad fauendum suis
partibus inducit. Interea Polysperchon, adiuncto sibi
Æacidâ Epirotâ Olympiadem cum Alexandri filio in re-
gnum reducit. audiensque Eurydicen ad Euia Macedoniæ
cum exercitu versari, vno prælio totum absoluere negocium
festinans: raptim in eam ducit. Iamque castra castris oppo-
sita erant: cùm Olympiadis dignitatem reueriti Macedo-
nes, recordati Alexandri in se benefacta, mutarunt animos.
Philippus ergo rex cum suo famulitio statim capitur. Eury-
dice autem, cum Polycle ex consiliariis vno, Amphipolim
regressa, postea comprehēditur. Hunc ad modum regiis po-
tita corporibus Olympias, & citra periculum regnum

adepta, fortunæ prosperitatem non humaniter tulit. sed Eurydicen & virum eius Philippum, initio quidem in custodiã traditos, malè tractare instituit. nam corpora illorum in loco perexiguo conclusit, vbi per vnum tantùm receptaculum, quod angustissimum erat, necessaria exhiberentur. & per multos ita dies præter ius & æquum in miseros desæuiit. Cùm verò apud Macedones ob misericordiam illorum erga afflictos, malè audiret: Philippum Thracibus quibusdam configendum tradidit; postquàm sex annos & sex menses rex fuerat. Eurydicen, quòd linguam non contineret, & sibi magis quàm Olympiadi regnum conuenire, vociferaretur, maiori afficiendam supplicio iudicauit. gladium igitur, & laqueum, cicutámque ei misit cum optione, vt quocunq; istorum mallet, mortem sibi consciisceret: neque pristinam tam iniquè oppressæ dignitatem æstimans, neque ad communis fortunæ commiserationem se demittens. idcircò eandem experta mutationem, dignum crudelitate suâ exitum vitæ habuit. Nam Eurydice, præsente adhuc illo, qui attulerat, deos comprecata, vt dona Olympiadi similia obtingerent, maritum curatis vulneribus, prout tempus concedebat, obuelauit: & se ipsam de cingulo suspendens, vitam abrupit: ita vt nec fortunæ suæ illacrymaret, nec ob magnitudinem calamitatum deprimi animum pateretur. His ita sublatis, Nicanorem Cassandri fratrem necauit, & sepulcrum Iollæ euertit, vlciscens, vti iactitabat, Alexandri mortem. tum è Cassandri amicis centum Macedones delegit, quos omnes mactauit. Id genus factis immanibus dum animam explet, complures Macedonum ad detestandum cum odio hanc crudelitatem irritauit. cuncti enim memores erant verborum Antipatri, quibus tanquam oraculo sub exitum vitæ præceperat, ne mulierem regno præesse sinerent: Hæc ergo ad illum administrata modum in Macedonia manifestam præ se mutationem ferebant. In Asiâ verò Eumenes, Argyraspides secum habens Macedones, horum ducem Antigenem, in pagis Babyloniæ, qui Carrhæ nominantur, hybernabat. Is missis ad Seleucum & Pithonem legatis, postulauit vt auxilia regibus subministrantes, communi secũ bello Antigonum impugnarent. Ex his Pithon Mediæ, alter Babyloniæ Satrapa designatus fuerat, cùm secũda Satrapiarũ diuisio fieret in Triparadiso. Seleucus autẽ cũ sociis,

XII.

se regi-

se regibus quidem necessaria exhibiturum: sed Eumenis imperata vt faceret, commissurum nunquam; cui publico Macedones concilio supplicium capitale irrogassent; respondit. multisque in hanc sententiam disputatis, per legatum Antigenem & Argyraspides, vt abdicarent imperio Eumenem, solicitârunt. Cùm verò non acciperent postulata Macedones, collaudatâ ipsorum erga se propensione, Eumenes, cum exercitu progressus, iuxta Tigrin flumen castra posuit, vt trecentis à Babylone stadiis abesset. Susa autem contendere, propositum ipsi erat: quòd in animo haberet, copias è prouinciis superioribus euocare, thesaurisque regiis vti, quãdo necessitas vrgeret. Sed amnem transire cogebatur, propterea quòd pabulationibus, & prędis agẽdis regio citerior iam depasta esset, vlterior autem adhuc intacta largum exercitui commeatum suppeditare posset. Dumque nauigia vndique ad transitum conquirit; Seleucus & Pitho triremibus duabus & compluribus aliis, quæ contis agitantur, nauigant. nam hæ naues adhuc in terrâ remanserant ex illis, quas Alexander Babylone construxerat.

XI. His ad traiectus locũ appulsis, denuò Macedonibus persuadere nituntur, vt Eumeni imperium abrogent, nec contra se prouehant hominẽ peregrinum, & qui Macedonum compluribus necis auctor exstitisset. At cùm nullo Antigenes pacto sibi persuadere sineret: Seleuciani ad fossam quãdam veterem subuecti, principium eius, longinquitate temporis obstructum, dirumpunt. Macedonum igitur castra inundãt: & totus ille tractus vndique stagnat: adeò vt in periculum internecionis per eluuionem illam, exercitus veniret. Illum ergo diem quieti permanebant, quomodo his rebus consulendum esset ambigẽtes. Postridie verò nauigiis quæ contis impelluntur adhibitis, (erant autem numero XXX) præcipuum exercitus robur, nemine transitum interturbante, transportant. Seleucus enim equitatum solummodò, verùm longè inferiorem numero aduersariis, penès se habebat.

XII. Iamque nox appetebat, cùm Eumenes de impedimentis anxius retrò Macedones iterum transmittit: & docente quodam indigenâ, locum quendam purgare instituit, quâ fossam diuertere, ac meabilem reddere tractum vicinum, facile erat. Quo Seleucus animaduerso, cùm illos è Satrapia sua quàm primùm excedere cuperet, de induçiis legatos mittit, liberũque illis transitũ

permittit. Sed è vestigio missis ad Antigonum in Mesopotamiam tabellariis, vt quàm citissimè cum exercitu veniat, antequàm Satrapæ cum suis copiis descenderint, ipsum orat. Eumenes autem Tigrin transgressus, vt in Susianam peruenit, exercitum in tria agmina, propter frumenti penuriam, diuisit. & sic tripartitum per regionem iter habēs, tritici magnam sentit inopiam: oryzam igitur sesamumque ac fructus palmæ, quibus regio illa abundabat, inter milites distribuit. Quanquam verò iam antea regum literas ad superiorū præfectos Satrapiarum perferendas curarat: tamen etiam tunc mittit tabellarios, rogatum, vt cum suis quisq; copiis in Susiana occurrerent omnes. quo tempore contigerat, vt & ipsi exercitus haberent congregatos, interque se coirent alias ob causas. de quibus hîc aliquid pręmitti necessum est. Pitho totius Mediæ satrapes, & dux prouinciarum omnium superiorum designatus erat, natione Parthus, qui Philotam ante hac ducem interemerat, fratremque suum Eudamum in locū illius suffecerat. quo perpetrato, reliqui Satrapæ omnes concurrêre, ne simili modo tractarentur, veriti: quòd turbulenti Pithon ingenii esset, magnisque se conatibus implicaret. Superatum igitur prelio, vbi magnam eius militum partem conciderant, è Parthia hominem profligârunt. Ille quidem principio receptum in Media quærebat. sed breui pòst Babylonem profectus, Seleucum vt sibi auxilium ferret, easdem spes amplexus, rogitabat. His ergo de causis postquàm exercitus vnum in locum contraxissent Satrapæ, Eumenis tabellarii ad expeditas iam copias venêre. Nobilissimus inter duces erat, & communi omnium scito imperiū gerebat Peucestes, corporis quondam Alexandri custos, & propter fortitudinem a rege euectus. Satrapiam verò tenebat maiorem Persidis partem, magnâ apud indigenas gratiâ valens. Quam ob causam etiam Alexandrū ferunt huic soli ex Macedonibus indulsisse, vt Persicam gestaret stolam: cùm hac ratione Persis gratificari vellet, eoque morigeram ad omnia se gentem habiturum existimaret. Aderant illi tum sagittarii & funditores Persici decies mille: & ex diuersis gentibus in Macedonicum adoptati ordinē ter mille: Equites autē ex Græcis & Thracibus sexcenti: & ex Persis plures quadringentis. Polemon autem Macedo, Carmaniæ satrapes, in peditatu habebat cIↃ IↃ, in equitatu IↃ CC, & Sibyritus, Arachosiæ

XIV.

chosiæ præses, mille peditum centumque ac decem equites exhibuerat. Androbazus porrò à Paropamisadis (quam Satrapiam Oxyartes in potestate habebat) cum mille ducētorum peditatu & quadringētorum equitatu missus erat. Stasander Ariæ & Drangianæ Satrapes, adiūctis sibi Bactrianis, peditum habebat mille quingentos, equitum mille. Ex India venerat Eudamus cum Iↄ equitibus, tribus peditū millibus & cxx elephantis. quas feras post Alexandri obitum Poro per dolum interfecto, nactus erat. Vniuersim cum Satrapis congregata erant amplius xiix millia peditum, & septingenti, Equitum millia iv & Iↄc.

V. Hi cùm in Susianam ad Eumenianos peruenissent, concionem publicam aduocant, in quā ingens de summo imperio contentio exoritur. Peucestes enim ob multitudinem castra eius sectantiū, & prærogatiuam ab Alexandro acceptam, se rerum summæ præficiendum censebat. Antigenes dux Argyraspidum ex Macedonia, Macedonibus suis, qui cū Alexandro armis subegissent Asiam, & virtute se inuictos declarassent, arbitrium electionis permittendum esse confirmabat. Interim Eumenes, ne propter dissidium facilem de se victoriam præberent Antigono, veritus, consulebat, ne vnum sibi imperatorē crearent: sed omnes quos Satrapas & ductores sibi multitudo præposuisset, in regium prætorium quotidie congressi de commodis publicis deliberarent. Erectum enim fuerat Alexandro tabernaculum, inque eo solium, ad quod solenni sacrorum ritu consessus agitare de vrgentibus negociis solebant. Cùm igitur omnes vtilem esse hanc sententiam applausu demonstrassent, quotidie, velut in ciuitate quadā popularis administrationis, consessus habebant. Hinc Susa digressis, quantā pecuniæ vim necessitas exigebat, Eumenes à Thesaurorū custodibus accepit. Huic enim soli, quantū postularet, exhibendū esse, reges per literas constituerāt. Macedonibus ergo stipendia in sex menses erogat: & Eudamo, qui Elephantes ex India adduxerat, ducenta numerat talenta, expensarum quidem nomine in beluas, sed reuera, vt hoc munere hominem sibi deuinciret. cuicunque enim per obortas factiones hic sese adiuncturus fuerat, ei propter vsum beluarum formidabilem, ingens momentum afferebat. Aliorum Satraparum vnusquisque ex regione suā militem sibi obnoxium alebat. Eumenes itaque in Susianā moram trahēs,

exercitum recreabat. Interea Antigonus hybernis in Mesopotamiâ egressus, Eumenis agmen priùs quàm vires collegisset, è vestigio persequi constituerat. Ast vbi Satrapas, & quæ cum illis essent, copias cum Macedonibus se coniunxisse acceperat, studium inhibuit, ocioque suis concesso, plures militiæ adscripsit. Bellum enim copiis ingentibus, apparatuque non vulgari, opus habere vidit. Inter has rerum vices, Attalus, Polemo, Docimus, cumque his Antipater & Philotas, qui duces cum Alcetæ copiis in potestatem venerant, in castello quodam incredibiliter munito asseruabantur. Auditâ verò Antigoni in superiores prouincias expeditione, iam commodam se nactos opportunitatem rati, custodum nonnullos, vt vincula sibi laxent, inducunt. Armis igitur correptis, mediam circa noctem, custodiam inuadunt: ipsi tantùm octo & à quadringentis militibus circumsepti; at fiducia animorum & promptitudine manuum, propter militiam cum Alexandro, præstantes, & Xenopithem, qui custodiæ præerat, correptum de muro petræ stadium altæ præcipitem agunt, aliisque partim concisis, partim exturbatis, domos incendunt. Ex illis verò qui extrinsecus successum rei obseruabant, ad quinquaginta intrò recipiunt. Castellum quidem frumento & rebus alioqui necessariis abundabat. sed tamen inter se consultant, vtrum manere, ac locorum munitione vti, subsidia Eumenis præstolantes, an fugâ quàm primùm arreptâ per agros diuagari, obseruato mutationis tempore, expediat. Multum in vtramq; partem disputatur. Docimi quidem consilium erat, vt excederent. Attalus verò cum cæteris se propter assiduas vinculorum ærumnas, oberrationis mala ferre posse, negabat. Interea dũ hi inter se dissentiunt, milites è vicinis præsidiis accurrunt, pedites IↃ, & equites CCCC plures, præterque hos ex indigenis hinc inde complures alii supra tria millia, qui ductore ex seipsis creato, locum illum castris suis circundant. Cùm ergò contrà quàm sperârant rursum inclusi essent: Docimus animaduerso quodam descensu ab excubiis immuni per legatum egit cum Stratonice, Antigoni vxore, quæ non procul inde aberat: & cum vno comite illàc exsiliit. verùm non seruatâ fide custodiæ mancipatus est. Qui cum eo descenderat ducem se hostibus præbuit, nec paucis in castellum eductis vnum ex saxis præcelsis occupauit. Quanquam

XVI.

verò

verò Attalus cum suis numero longè inferior esset, virtute tamen resistebant, ex die in diem certamen continuantes fortiter: donec annum & quatuor mẽses toleratâ oppugnatione, in hostis tandem potestatem venerunt.

VII. Post hæc Archon erat Athenis Democlides, & Romæ Consules Caius Iunius & Quintus Æmilius. Tũ Olympias decima sexta agebatur post centesimam; quâ stadii victoriã retulit Deinomenes Laco. Per hoc tempus motis è Mesopotamiâ castris, Antigonus in Babyloniam venit, & societatem iniit cum Seleuco & Pithone, acceptáque militũ ab his manu nauigiis Tigrin flumen iunxit, transportatisq; copiis celeriter aduersus hostes contendit. De quibus certior factus Eumenes, Xenophilo arcis Susianæ præfecto mandat, ne quid pecuniarum Antigono tradat, néve ad colloquium eius descendat. Ipse assumptis copiis ad Tigrin fluuium contendit vnius diei itinere distantem à Susis, vbi regionem montanam, à liberis insessam populis, (Vxios nominant) attingit. Latitudo eius multis in locis est trium, alicubi etiam quatuor stadiorum; Profunditas in aluei medio Elephantis altitudinem æquat, & à montanis ad septingenta stadia procurrens, in mare tandem rubrum sese eructat. Multum etiam marini piscis & beluarum, quæ in pelago versantur, ac circa exortum Caniculæ maximè apparent, in sese habet. Hunc amnem pro munimento Eumeniani obiectant, totâque fluminis orâ à fontibus ad mare præsidiis firmatâ, hostis aduentum præstolantur. Sed cùm præsidia illa propter longinquitatem non exiguo militum numero indigerent, Eumenes & Antigenes à Peucestâ contendunt, vt decem millia sagittariorum ex Persiâ euocet. qui postulatis eorum initio non adsensit, denegatum sibi exercitus imperium conquerens. postea verò rationibus apud semetipsum subductis, concessit. quòd victore Antigono futurum esset, vt & Satrapiam ipse amitteret, & in vitæ discrimen veniret. Cùm igitur anxius esset de se ipso, & imperium se tantò faciliùs adepturum speraret, vt qui maiorem vim militum haberet, ille sagittariorũ decem millia, vt petebant, adduxit. Etsi autẽ de Persis aliqui XXX dierum itinere aberant, id tamẽ quod denunciabatur, eo ipso die audierunt, idq; propter artificiosam excubiarum distributionem. quod præterire haud decet. Persia lõgis conuallibus intercisa est, ac speculas habet

celsas ac frequentes, in quibus collocati erant ex incolis qui voce maximè valerent. Diuisis enim ad vocis auditum illis locis, qui mandatum exceperant, eodem modo cæteris tradebant: illi vicissim aliis, donec ad finem vsque prouinciæ res tradita perferretur. Dū Eumenes & Peucestes hæc administrant, Antigonus, vbi cum exercitu progressus Susa in regiam peruenerat, Seleucum terræ Satrapam creauit, datisque militibus arcem obsidere iussit. Detrectante verò postulata Xenophilo thesaurorum custode, ipse cum agmine in hostes mouit, per viam æstuosam, & quā transire peregrinis copiis periculosum erat maximè. quamobrem vt noctu iter facerent cogebantur, & castra metari iuxta fluuium, antequàm sol oriretur. nec tamen à malis eius terræ immunis per omnia esse potuit. sed quamuis omnia, quoad potuit, ageret, ob immodicum tamen æstum, quippe sub caniculæ exortum, magnam militum iacturam fecit. Peruentum tandem ad Copraten flumen, vbi quæ ad transitum facerent, adornauit. Is è regione quadam montanâ profluens, in Tigrin decurrit, & à castris Eumenis LXXX stadia aberat, ad quatuor plethra latus. & quia præceps agitur, nauigia aut pontem iugatum requirebat. Paucas ergo nauiculas quæ contis propelluntur nactus, è peditatu aliquot transmisit, fossam educere, iactóque vallo reliquum agmen exspectare, iussos. De qua hostium molitione Eumenes per speculatores edoctus, superato Tigridis ponte, cum quatuor millibus peditum, & mille trecentis equitibus, de Antigoni exercitu, qui transierant, offendit plus quàm tria peditum millia, equites trecentos, nec pauciores quàm quatuor millia eorum, qui sparsim pabulandi causâ, traiicere solent. Hos derepentè adortus, dū inter se turbantur, cæteros illicò in fugam vertit, Macedones verò, qui resistere audebant, vi numeróque superatos, in fluuium omnes depulit. Vbi cùm omnes ad nauigia properarēt, hæc præ multitudine ingressorum aquis demerguntur. Tranatare verò conantium plerique à flumine abrepti pessundātur, paucique euadūnt. Alii natationis imperiti, venire in potestatem hostis, quàm vitam in fluuio perdere, conducibilius rati, capiuntur, quatuor circiter millia. Antigonus interim licèt tantā perire multitudinē videret, auxiliari tamen penuriâ nauiū haud valuit. Fieri ergo non posse existimans, vt traiiceret, Badacā vrbē versus castra mouit. ad Eulæum hæc flumen

XVIII.

XIX.

flumen sita est. Cùm verò propter æstus magnitudinem fer-
uidissimum hoc iter esset, contabuère multorum corpora,&
inopia consilii ac desperatio exercitum inuasit. sed tamen in
vrbe iam memorata per dies aliquot subsistens, ab ærumnis
illis exercitum refecit. Hinc ad Ecbatana Mediæ castra trãs-
ferre,& constitutâ illic arce belli,superiores prouincias in di-
tionem accipere,vtile iudicauit. Cùmque duæ in Mediã viæ
ducerent,vtrique difficultatis nonnihil adiunctum erat. Nã
quæ per iuga montium patebat, amœna quidem erat ac re-
gia,sed ardens & longa, ad XL ferè dies se protendens. Quà
verò per nationem Cossensium ibatur,difficilis & arcta,præ-
cepsque,ac per fines hosticos ducens, necessariorum insuper
inopiâ laborabat: sed tamen breuis erat & frigida magis.
nec facilè est hâc transire exercitum , nisi Barbaris montana
incolentibus persuadeatur. à priscis enim temporibus liberi
in speluncis habitant.cibus horum glandes & fungi , carnes-
que feratum sale conditæ. hos autem blandimentis verbo-
rũ,aut muneribus demulcere , minimè generosum ducebat,
qui tantum sub signis exercitum haberet. Ex Cetratis igi-
tur spectatissimos deligit: & sagittarios ac funditores, alios-
que leuis armaturæ milites in duas partes distribuit: hisque
Nearcho traditis,illum præcedere,& angustias ac difficulta-
tes locorum priùs occupare,iubet. Illis iuxta totam disposi-
tis viam , ipse cum phalange præcedit , extremum verò a-
gmen Pitho ducit. Præmissi cum Nearcho paucas occupa-
re speculas maturàrant. A plerisque autem & maximè ne-
cessariis locorum commoditatibus exclusi , multos suorum
amittunt,& ægrè per imminentes vndique Barbaros viam
sibi aperiunt. Qui verò cum Antigono sequebantur , an-
gustias tandem ingressi,in pericula non extricabilia incide-
runt. nam indigenæ locorum periti,cùm prærupta iam an-
tè insedissent,grandia in prætereuntes saxa continenter de-
voluebant. Simul etiam crebris arcuum missilibus vsi,vulne-
rabant eos,qui propter locorum iniquitatem neque propul-
sare,neque declinare sagittas poterant. Et quia confragosus
erat transitus atque difficilis,euenit,vt Elephantes & equites,
grauique armaturâ instructi cum periculis simul & labori-
bus conflictarentur: cùm auxilium sibi ferre non valerent.
In has ergo angustias conclusum Antigonum pœnitudo
incessit , quòd Pithoni qui consilium dederat , pecuniâ

vt transitum redimerent, non morem gessisset. Sed tamen plurimis desideratis, cæterisque in periculum adductis, vix nono tandē die in habitabiles Mediæ tractus euasit. Exercitus verò propter crebram malorum successionem, ærumnasque immodicas, Antigonum criminari cœpit, adeò vt asperas contra eū voces emitteret. intra XL enim dies in tres clades non exiguas inciderant. sed ipse alloquiorum benignitate, largâque omnium commodorum prouisione, ab ærumnis illis exercitū viribus pristinis restituit. Tum Pithonē misit, totam obire Mediā, & equites quàm plurimos equosque bellatores, & magnam iumentorum vim colligere, iussum. Quia verò quadrupedum copiâ regio abundat, mādatis haud difficulter effectis, Pitho rediit, equites bis mille, & equos cum apparatu plus mille, tantum præterea iumentorum numerum, vt totus armari exercitus posset, secum ducens: cum quingentis insuper ex regio fisco talentis. Equites illos in ordines cooptauit Antigonus; equis verò in eos qui amiserant distributis, & iumentis, quotquot erant, liberaliter huc illuc donatis, pristinam militum beneuolentiam recuperauit. Interea Satrapæ & copiarum præfecti cū Eumene coniuncti, vt audiuēre hostes castra habere in Mediâ, sententias variare cœperunt. Nam Eumenes, Antigenes & quotquot à mari adscenderant, regrediendum ad mare censebant. at qui superioribus è prouinciis descenderant, de rebus domi anxii, superiora dicebant tuenda esse. Gliscente autem dissidio, Eumenes, diuiso exercitu, partem alteram imparem per se hostibus fore prouidens, Satrapis qui descenderant concessit. Motis igitur à Pasitigride castris Persiam versus, ad Persepolim regni sedem, XXIV dierum itinere contendunt. Primus autem viæ tractus vsque ad scalas, vti vocantur, cauus erat, æstuq; & commeatus inopiâ laborās. sed reliquum editius, aëra perquàm salubrē habebat, annuisq; fructibus erat refertū. nā crebræ illic sunt valles & vmbrosæ, & variæ hortorū cōsitiones: ad hæc cōualles arborū omnis generis à naturâ factæ, & scaturigines aquarū, adeò vt iter illac facientes locis ad quietem amœnissimis magnâ oblectatione immorētur. Ingens etiā prædæ multiplicis ibi copia erat, quam ab indigenis repetitam Peucestes inter milites prolixè distribuit, vt beneuolentiam eorum prouocaret. Tractus hos incolūt pugnacissimi Persarū, omnes sagittarii

XX.

XXI.

& fun-

& funditores. & natura ita fert, vt frequentiâ hominum Satrapiis aliis multùm hæc regio antecellat. XII. Vbi peruentum erat in regiam Persepolim, Peucestes terræ Satrapes & dux magnificum diis, Alexandróque & Philippo sacrum instituit, & accersitis è tota ferè Persiâ victimis, aliisque ad epulum & congregationem publicam conducibilibus, magno numero & apparatu, conuiuium exercitui præbuit. Expleuit autem hoc epulo festum commune celebrātium quatuor circos, quorum alius alium in se contineret, & ab vno maximo reliqui comprehenderentur. Extimi ambitus erat decem stadiorum: quem mercenarii, & auxiliariorum multitudo complebat. Secundus erat IIX stadiorum, in quo Argyraspides erant è Macedoniâ, & cæteri Alexandri commilitones. Sequentis circuitus erat quatuor stadiorum. in hoc loco accumbebant ductores secundarii, & extraordinarii amici, præfecti & equites. Intimi omnium duo stadia complexi tabernacula, imperatores & magistri equitum, Persarúmque honoratissimi, sibi partiti fuerant in horum medio aræ deorum, iuxtáque Alexandri & Philippi, stabant. Tabernacula è frondibus erant contexta, aulæisque & omnis generis tapetibus & stragulis cooperta: quòd Persia, quicquid ad delitias & voluptatem faceret, largè subministraret. Distabat autem circus à circo per tantum interualli, vt nihil omninò molestiæ conuiuantes sentirent, omnisque ad manum apparatus esset. XIII. Cùm igitur omnia ritè administrarentur, vulgus Peucestæ studium cum applausu prædicans, clarè testatum faciebat, magno illum fauore cumulatum esse. Quæ considerans Eumenes, quòd ob imperii affectationem ita assentari vulgo Peucesten colligeret: adulterinas quasdam literas commentus est, quibus ad pugnam alacriores fecit milites, & Peucestæ tumorem ac fastum depressit; se verò apud multitudinem in sublime, & ad bonæ spei exspectationem, euexit. Argumentum scripti erat: Quòd Olympias, assumpto filio Alexandri, Macedoniæ regnum plenâ cum auctoritate, iam sublato Cassandro, recuperasset; quòd Polysperchon in Asiam traiecisset contra Antigonum cum validissimâ regii exercitus parte atque elephantis, iámque Cappadociæ immineret. Epistola autem Syriacis literis scripta, ab Oronte Armeniæ Satrapâ venerat, qui Peucestæ amicus erat. Fide literis habita propter

familiaritatem, quæ illi cum Satrapis intercedebat, Eumenes circumferri, ducibúsque & militum plerisque exhiberi illas iussit. Mox animi totius exercitus immutari, omnésque ad spem in Eumene repositam oculos conuertere, vt qui regum fauore quos vellet promouere, & pœnas à delinquentibus exigere posset. Finito autem epulo, vt dicto minus audientes, & qui imperatoriam affectarent potestatem, perterrefaceret Eumenes, iudicio arcessiuit Sibyrtiũ, qui Arachosiæ Satrapes & Peucestæ inprimis amicus erat. Clam autem ipso missis ex equitatu nonnullis ad Arachotas impedimenta intercipere iusserat. In tantum ergo discrimen hominem adduxit, vt nisi clanculum aufugisset, à multitudine letho fuisset affectus. Hunc ad modum formidine aliis iniecta, sibi verò amplitudine & maiestate quadam comparatâ, sententiam mutauit, & comitate verborum ac promissorum magnitudine Peucesten delinitum, beneuolum sibi & regibus ad ferendum suppetias alacrem promptúmque reddidit. properans deinde ab aliis etiam Satrapis & ducibus pignora capere, ne ipsum desererent. pecuniis se indigere simulauit, & vnumquemque, vt mutuum regibus darent, adhortatus est. quadringentis igitur talentis, à quibus expedire visum ducibus acceptis, illos qui priùs insidiarum aut desertionis fuerant suspecti, iam fidissimos & corporis sui custodes, certaminúmque socios habebat. Dum ad hunc modum prudenter in futurum res administrat, quidam ex Mediâ nunciatum veniunt, Antigonum cum exercitu iter in Persiam suscepisse. Quibus auditis etiam ipse castra mouet eo consilio, vt hosti obuiam progressus certaminis aleam experiatur. In eâ profectione, altero die cùm peracto diis sacrificio exercitum opiparo conuiuio excepisset, multitudinem ad conseruanda beneuolentiæ studia exhortatur. Cùm verò conuiuis, qui bibendi voluptate capiebantur, se attemperaret, in virium debilitatem incidit, & inualetudine præpeditus, profectionem ad dies aliquot inhibuit. Exercitus interim animos submiserat, quòd & hostes iamiam conflicturi putarentur, & imperatorum maximè idoneus morbo detentus esset. Remittente tamen malo, cùm se breui recollegisset, copias promouit, primum agmen ducente Peucestâ cum Antigene, ipse cum beluarum ductoribus subsequebatur: ne tumultu angustiisque locorum turbaretur.

Iámque

XXV. Iámque iter vnius diei exercitus inter se distabant: cùm per missos vtrique exploratores, cognito hostium numero consilióque, ad pugnæ discrimen se præpararent. Sine prælio tamen ibi discessum fuit. cùm enim vtrique amne ac fossâ præmuniti essent, copias quidem in aciem producebant; sed propter loci difficultatem confligere non poterant. Trium ergo stadiorum translatis hinc inde castris, quatriduum velitationibus, & depopulandis agris consumebant, rerum omniũ egeni. Quinta inde luce Antigonus per legatos à Satrapis & Macedonibus contendit: ne Eumenis partes sequantur, verùm ipsius se fidei committant. nam suã cuique Satrapæ prouinciam se relicturum: cæterísque multum se terræ donaturum: nonnullos etiam remissurũ cũ honoribus & donis in patriam: & quibus militare placeret, ordinem singulis conuenientem à se attributum iri, spondet. Non admittuntur hæ conditiones à Macedonibus: sed cum minis legatos repudiant. Idcircò in medium procedens Eumenes, ipsos collaudat: & fabulam ex prisca quidem memoriâ repetitam, sed ad statum præsentem tempestiuè accommodatam recitat. Leonem, ait, virginis amore correptum de nuptiis puellæ sermonem cum patre contulisse: qui paratum se ad locandum ei virginem respondit, sed vngues se metuere atque dentes: ne post initum coniugium belluino se more gerat aduersus puellam. Leonem ergò vngues cum dentibus sibi decurtasse: quem pater conspicatus omnia perdidisse quibus formidabilis esset, baculi ictibus facilè interemit. Non absimile nunc etiam facere Antigonum. nam eousque promissis eos lactare, donec redactis in potestatem copiis, ductores ad supplicia rapiat. Hæc oratio vt probè rectéque dicta, cum applausu à vulgo excipitur. Et tunc quidem cõcionem dimisit.

XXVI. Nocte insecuta transfugæ quidam è castris Antigoni venerant, nunciantes, Antigonum militibus edixisse, vt castra ad secundã vigiliam mouerent. Eumenes igitur subductis rationibus, verè tandem coniectauit in Gabienem hostes abituros. hæc tridui itinere distãs, intacta adhuc erat, fructibus & pabulo, adeóque cunctis, quæ magnis etiã exercitibus largũ subministrare queat commeatũ, referta. præter quæ bona, locus ipse adiumento erat, fluuios & voragines habẽs imperuias. Anteuertere itaq; hostes maturans, idem fecit. è conductitiis quosdam pecuniâ

illectos,miſit,vt transfugas,renunciare iuſſos,Eumenem no-ctu vallem aggreſſurum. ſed ipſe præmiſſis impedimentis, vt milites quàm ocyſſimè curatis corporibus vaſa colligerent,præcepit. Quibus omnibus celeriter cõfectis; Antigonus à trãsfugis edoctus,hoſti noctu pugnare decretum, profectione ſuperſedit, & ad pugnam exercitum inſtruxit. quæ dum tumultuariè obit, & de futuris anxiè ſolicitus eſt, iam bonum Eumeniani ſpacium anteuerterant hoſte inſcio,itérque verſus Gabienen tenebant. Interim Antigonus ad tempus in armis militem habebat, ſed vbi de abitu hoſtium per exploratores certior factus, imperatoriâ ſe arte deluſum intellexit, in propoſito nihilominus perſeuerauit. Diſceſſu igitur ſuis indicto citato itinere, quod inſecutionis ſpeciem habebat, proceſſit. Sed cùm duas iam noctis vigilias anteuertiſſet Eumenes, tanto progreſſos interuallo ſe cum toto exercitu aſſequi non poſſe videns, tale quippiam excogitat. Pithoni reliquum agmen tradit, vt lento ſubſequatur gradu, iubens. ipſe equitatu aſſumpto laxis habenis accelerat: & cum prima luce extremum hoſtis agmen è colle quodam deſcendens aſſequitur. Ibi in cacumine montis ſubſiſtens, hoſtibus ſe oſtendit. Tum Eumenes ex mediocri interuallo equitatum hoſtilem conſpicatus, dum totum imminere exercitum autumat, inhibito progreſſu, quaſi mox dimicandum foret, copias diſponit. Ad hunc modum vtriuſq; exercitus imperatores mutuis ſibi artibus impoſuêre, tanquam in procurſu de ſolertiâ inter ſe decertantes,cùm hac oſtenſione, ſpem victoriæ ſe in ſemetipſis repoſitam habere. Hoc igitur commento, ne vlterius progrederentur, hoſtes inhibuit Antigonus,ſibíque moram ad recipiendum copias fecit.

XXVI

Poſtquàm verò totus aduenit exercitus,ad prælium ſuos ordinat, inſtructáque acie terribili modo contra hoſtem deſcendit. Ducebat autem in vniuerſum, cum his qui à Pithone ac Seleuco acceſſerant, plus quàm XIIX millia peditum, IIX millia equitum & quingentos: Elephantos LXV. Inuſitatam aciei formam tum imperatores adhibuêre, quaſi etiam hîc peritiâ inter ſe decertarent. Eumenes in ſiniſtro cornu Eudamum, elephantum ex India ductorem, collocauit; qui penès ſe turmam equitũ centum quinquaginta habebat. His prætextæ erant alæ duæ lectiſſimorum equitum lanceas ferentium ad quinquagenos profundæ. hos adiunxit

illis,

illis; qui ad radicem montis loco superiores erant. Iuxta illos Stasandrum constituit ducem, nongentorum & quinquaginta suorum equitum manu instructum. post eos Amphimachum, Mesopotamiæ Satrapam locum habere iussit: quem IↃ c equites comitabantur. His contiguos fecit equites ex Arachosia IↃ c, quos Sibyrtius pridem duxerat: sed propter fugã illius Cephalo imperiũ fuerat sortitus. Secundùm illos Paropamisadæ erant quingenti; totidémque Thraces ex superioribus coloniis. Ante hos verò cunctos statuit elephantes XLV incuruâ aciei formâ, & per interualla beluarum sagittarios & funditores, quantum satis esset. Hunc ad modum firmato cornu dextro attexuit phalangem; cuius extrema milites peregrini supra sex millia obtinebant, & deinceps, qui Macedonico ritu armati variis è gentibus

X-II. confluxerant, ad millia quinque. Post hos Argyraspides è Macedonia tribus millibus haud plures; sed inuicti, & propter virtutem hosti maximè formidabiles, ordinati erant. Denique post omnes ex clypeatorum satellitum numero plures cIↃ cIↃ cIↃ. quos vt Argyraspides sub imperio suo habebant Antigenes & Teutamus. Toti autem phalangi XL elephantes præstituit, horúmque interstitia rorariis expleuit. In dextro cornu vicinos phalangi statuit equites ex Carmania IↃ ccc; quibus Tlepolemus satrapa præerat. & exinde nongentos, qui sodales nuncupabantur. Tum Peucestæ & Antigenis agmen, habens ccc equites vnâ turmâ comprehensos. In extremo tandem cornu Eumenis agmen erat collocatum, quod totidem habebat equites, horúmque antesignanos puerorum Eumenis alas duas, quæ quinquagenis equitibus constabant. quatuor insuper alas, quæ ex obliquo extra cornu præsiddio essent, cc equites apprimè delectos complexas. Ac præter hos è cunctis equitum præfecturis trecentos, celeritatis ac fortitudinis eximiæ, à tergo sui agminis collocauit. Totum verò cornu ita instructum elephantis XL præmuniuit. Vniuersus igitur exercitus Eumenis erat peditum triginta quinque millia: equitum sex millia & centum, elephantorum ad CXIV.

XIX. Antigonus ex locis editioribus aciem hostium contemplatus, contra illam suas quoque copias aptè instruxit. Dextrum enim hostis cornu beluis & equitum fortissimis munitum videns, obiecit illis equitum suorum expeditissi-

mos, qui quòd rariores inter se distarent, in fronte tergiuersarentur,& per vices conuersi prælium redintegrarent. atque hoc pacto illius partis, in quâ maxima spes hostibus erat, vires eluderent. In hac autem phalange collocârat sagittarios equestres & lancearios ex Mediâ & Armeniâ, circiter mille, ad confligendum per interualla adsuetos. Hinc eos, qui à mari simul cum ipso adscenderant, duo Tarentinorum millia & ducentos, ad insidias calliditatis exquisitæ, & beneuolentiæ in ipsum præclaræ. Ex Phrygiâ etiam Lydiâque mille: tum Pithonem secutos mille quingentos, & hastigeros cccc, qui cum Lysania erant. Postremos omnium, qui Anthippi (*equitibus contrarii*) nominabantur, & ex superiorum terrarum incolis Iɔ c c c. Ab hoc igitur equitatu læuum cornu fuerat expletum, Pithóque imperium gerebat omnium. In pedestri autem acie primum tenuêre locum conuenæ plures nouem millibus: proximum Lycii & Pamphylii ter mille, & variis è nationibus ad Macedonicum habitum instructi plures quàm octo millia. Vltimi omnium erant Macedones non infra millia octo. quos Antipater in supplementum miserat, quo tempore regni administrationem accepit. Equitum in dextro cornu phalangem attingentes primi erant mercenarii ex diuersis gentibus Iɔ. exinde Thraces mille. & à sociis missi totidem. his cohærebant sodales mille sic vocitati; Demetrio Antigoni duce, qui tunc primùm in acie patri operam nauaturus erat. In extremo cornu equitum trecentorum agmen subsistebat; quibuscum ipse pugnæ discrimen adibat. Hic ordo ex famulis ipsius tribus turmis constabat, & totidem aliis, æquali inter se spacio collocatis, quibus Tarentini centum in subsidium attributi erant. Circa totum hoc cornu elephantes xxx, omnium præstantissimos ordine inflexo disposuit, locáque intermedia leuis armaturæ cohortibus expleuit lectissimis. De reliquis feris plerasque ante Phalangem statuit, paucas cum equitatu in latere sinistro. Ad hunc modum exercitu in ordinem digesto, ad hostem obliquâ aciei formâ descendit. nam dextrum cornu in longum protenderat, læuum contractius esse voluit, vt hoc cessim pugnaret, illo signis collatis prælium iniret. Iámque aciei acies imminebat, cùm signo vtrinque dato, clamor alternis iteratur, & classicum tubicines personant. Primi ergo Pithonis equites, licèt nullum ante se

XXXI.

præsidium

præſidium haberent, numero tamen ac celeritate aduerſariis
ſuperiores, commoditate illâ vti conantur. Sed cùm elephan-
tis apertâ fronte congredi non tutum fore arbitrantes, cor-
nu circumueniunt, & ex tranſuerſo adorti denſâ telorũ vi ho-
ſtes ſauciant, & dum ob celeritatem nihil incommodi pa-
tiuntur, ipſi, magnis tamen hoſtem incommodis afficiunt,
qui neque inſequi ob grauitatem ſuam poterat, neque retrò
pedem ferre, prout opportunitas iuberet. Tum Eumenes
ſagittariorum equitum multitudine cornu premi videns, ab
Eudamo, qui cornu ſiniſtrum tenebat, equitum maximè ex-
peditos accerſit. Et hac alâ quamlibet exiguâ ad cornu edu-
ctâ, cum minùs impedito & veloci equitum globo in ho-
ſtem impetum facit: & quia beluæ ſequebantur, Pithonia-
nos facilè in fugam actos, ad inferiora montium vſque per-
ſequitur. Dúmque hæc geruntur, peditum agmen ad bene
longum tempus inter ſe confligit: & tandem oppetentibus
vtrinque multis, Eumeniani, Argyraſpidum virtute ſuperio-
res fuere. Nam hi licèt ad multum iam ætatis progreſſi, ob
certaminum tamen crebritatem, animorum præſentiâ, &
ſtrenuitate manuum, ita præcellebant, vt ex aduerſo robur
ipſorum nemo poſſet ſuſtinere. Ideò etiam tunc, quamuis
ter mille duntaxat numero, totius tamen exercitus firma-
mentum erant. Antigonus vbi læuum ſuorum cornu pro-
fligatum, totámque phalangem retrouerſam animaduer-
tit, conſulentibus, vt ad montana regrederetur, dilapſósque
è fugâ reciperet, cùm integram exercitus partem ſecum
haberet, morem haud geſſit: ſed opportunitate, quam
tempus dabat, dextrè vtendo, cùm fugientes ſeruauit ſuos,
tum & victoriam adeptus eſt. Nam Argyraſpides Eume-
niani ac cætera peditum multitudo, verſis in fugam ho-
ſtibus, continuò ad proximas montium radices perſequen-
do inſtiterunt. Tum Antigonus per interuallum, in acie
hoſtili factum, cum parte equitum inuectus, per obliquum
in Eudami cohortes ad cornu ſiniſtrum collocatas impreſ-
ſionem fecit. ſubitóque fugatis ob inopinatum rei euen-
tum hoſtibus, poſt multorum cædem, equitum citiſſimos
miſit, qui fugientes reuocarent, eóſque ad montis radi-
cem iterum in ordinem coëgit. nam etiam Eumenes fugâ
ſuorum cognitâ, tubâ perſequentes reuocabat, Eudamo
XXXI. ſuccurrere properans. Iámque ſub primæ facis tempus

erat: cùm reuocatis vterque ex fugâ suis totum denuò exercitum instruerent. tanto contentionis ardore inflammati erant, nō imperatores tantùm, sed etiam decertantium multitudo. Nox tum serena erat, plenóque orbe luna fulgebat: & oppositis inter se exercitibus quatuor plethrorum circiter spacio, strepitus armorum & equorum fremitus in manibus videbatur cunctis esse, qui in aduersâ vtrinque acie consistebant. Cùm autem progressi x x x circiter stadia ab illis qui in pugnâ ceciderant, abessent, iam noctis medium ingruerat: & vtrique tum propter itineris molestiam, tum etiam pugnæ ærumnas, inediámque malè affecti erant. Prælio igitur omisso, castra metari cogebantur. Ibi Eumenes ad cæsos regredi proposuerat, tollere eos maturans, vt ancipitem hactenus victoriam certò sibi assereret. verùm refragante turbâ, & ad impedimenta sua, quæ longiùs aberant, reuertendum esse, vociferante, obsecundare illis cogitur. acerbiùs enim milites increpandi, tam multis imperium affectantibus, tunc facultas non erat: nec opportunum concedi tempus videbat, ad plectendum contumaces. At contrà Antigonus citra popularem auram stabile tenens imperium, vi turbam compulit, vt prope interfectos castra ponerent. & sepulturâ illorum potitus, controuersam hoc modo victoriam reddidit, potiri mortuis præstabilius in pugnis esse confirmans. Interemti sunt in hoc conflictu ex parte Antigoni peditum tria millia septingenti: equites L I V. Vulnerati plus quatuor millia. Ex peditatu Eumenis cecidêre Iↄ x L. Equites perpauci: vulnerati plures nongentis. Antigonus vbi post reditum à pugnâ abiectos vidit militum animos, quàm longissimè ab hostibus quamprimùm recedere destinauit. Vt verò ad discessum copias efficeret magis expeditas, saucios & impedimentorum onerosissima, in oppidum quoddam vicinum præmisit. Tum cadaueribus sub diei ortum sepultis, & præcone hostium de recipiendis mortuis apud se detento, illâ statim horâ militem prandere iussit. Exactâ hinc die, caduceatorem dimisit, recuperationem mortuorum in crastinum permittens. Ipse primâ statim vigiliâ appetente cum toto exercitu mouens, cōtentis itineribus procul ab hoste secessit, vbi terram ad refectionem copiarum integram habebat. nam ad Gamarga vsque Mediæ perrexit, quæ regio sub Pithonis imperio, affatim omnia magnis exercitibus suppeditare po-

XXXI

tare po-

tare poterat. Eumenes per exploratores de abitu hostis certior factus ab insecutione abstitit, quòd & ipse inediâ ærumnisque magnis affectum haberet militem: & ad mortuorum exsequias conuersus magnificè sepeliendas curauit. Vbi facinus quoddam insolens, & à Græcorum legibus multùm discrepans, euenit. Ceteus dux eorum qui ex Indiâ venerant, in pugnâ egregiè dimicans occubuerat. is duas vxores militiæ comites in castris reliquerat, vnam nuper ductam, alteram paucis antè annis in consuetudinem matrimonialem adscitam: vtraque sanè caritate maritum eximiâ fuerat prosequuta. Vetus autem lex apud Indos erat, vt viri atque virgines, qui animum ad coniugium appulissent, non ex parentum iudicio, sed consensione mutuâ, contraherent matrimonia. Et cùm superiori tempestate inter iuniores sponsalia fierent, euenit, vt iudicia plerumque frustrarentur, & statim obortâ vtrisque pœnitentiâ, multæ vxores corrumperentur, & propter intemperantiam deperirent alios. Et tandem, quia honestè primùm sibi delectos deserere haud possent, veneno maritos è medio tollerent. ad quod regio non exiguas illis opportunitates suggerebat, multas variasq; mortiferæ facultatis plantas gignens: quarum nonnullæ leuiter cibis aut poculis affrictæ, interitum afferunt. Inolescente igitur hac fraudulentissimâ versutiâ, multísque eum ad modum intereuntibus; postquam in sontes animaduertendo, cæteras à maleficiis deterrere ac retrahere non poterant; aliam sanciuerunt legem, vt vxores cum viris defunctis simul cremarentur, exceptis tamen grauidis, aut si quæ natos haberent. Quod si quæ ad commune gentis decretum se attemperare nollet, vidua maneret, & à sacris aliisque legitimis, vt impietatis condemnata, excluderetur perpetuò. His ita lege firmatis, consecutum est, vt nefaria vxorum improbitas in contrarium verteretur. cùm enim ob extremam illam dehonestationem quælibet spontè mortem adiret: non incolumitatis solummodò maritorum, vt quæ ad ipsas quoque pertineret, prouidam gerebant curam: sed etiam inter se veluti de summâ gloriâ certabant. id quod etiam tunc euenit. Quanquam enim lex vnam simul comburi iubebat, ambæ tamen ad funerationem Cetei, de morte simul opperendâ, tanquam de excellentiori virtutis præmio, contendentes aderant. Res in ducum iudicio disceptabatur.

Tum minor natu vterum ferre alteram, ac propterea legem hac in parte exsequi non posse, indicat. Maior æquius esse, vt ætate prouectior honore etiam præcederet, contendit. in cæteris enim omnibus sic comparatum videri, vt plus reuerentiæ & honoris grādioribus natu, quàm minoribus exhibeatur. Duces tandem ab obstetricandi peritis edocti, seniorem esse grauidam, minùs adultam illi præferunt. Id cùm euenisset, vna quæ causa ceciderat, plorabunda discedit, lacerato, quo caput inuoluerat, reticulo, euulsisque comis, ac si ingens aliqua calamitas annunciata esset. Altera victoriâ potitam se gaudens, ad rogum tendit: quàm matronæ familiares mitris coronant, & cognati quàm elegantissimè ornatam, veluti ad nuptiale quoddam festum, deducunt, hymnum in virtutem eius decantantes. Simulatque verò ad rogum approximârat, ornatum sibi detractum familiaribus & amicis distribuit, relicturam, dixeris, amatoribus suis monimentum. Mundus erat, annulorum circum manus copia, quibus lapilli magni precii, variique coloris, illigati erant. in capite stellularum ex auro numerus haud exiguus, omni lapillorum genere distinctarum. circum verò collum vis monilium, partim minorum, partim subinde per gradus maiorum. ad postremum domesticis salutatis, à fratre in rogum collocatur, atque inter magnam populi, qui ad spectandum confluxerat, demirationem, heroico vitam exitu terminauit. exercitus enim totus rogum, antequàm succenderetur, ter obibat. Illa interim ad virum se acclinans, nullam, per excitati ignis strepitum, ignobilis animi vocem edebat: ita vt spectatorum alios ad miserationem, alios ad incredibilem sui laudem commoueret. Non deerant tamen qui instituta hæc, vt immanitatis & truculentiæ plena, vituperarent. Cæterùm Eumenes negocio funerationis expedito, è Parætacis in Gabienen mouit, quæ adhuc intacta, omnem rerum copiam exercitui subministrare poterat. Distabat hæc regio à castris Antigoni, si per culta quis iter faceret, mansiones XXV; per deserta verò & aquarum egena, IX. Tātis alter ab altero spaciis remotus hyemauit, & copiā exercitui ad recolligendum vires præbuit. In Europâ verò Cassander, dum Tegéam obsidet, de Olympiadis in Macedoniam reditu, déque Eurydices & Philippi regis interitu, & his quæ circa fratris Iollæ sepulcrum acciderant, certior

XXX
V.

certior factus, cum Tegeatis transegit, & assumtis copiis in Macedoniam contendit, relictis in magna perturbatione sociis. Alexander enim Polysperchontis cum exercitu Peloponnesi vrbibus imminebat. Tum Ætoli gratiam inituri apud Olympiadem & Polysperchontem, angustiis ad Pylas occupatis, transitum interclusêre Cassandro. Is vi per fauces impeditissimas penetrare difficilimum ratus, nauigiis ratibusque ex Eubœa & Locride comparatis, in Thessaliam traiecit. Audiens verò Polysperchontem in Perrhæbiâ cum exercitu considere, ad bellum ei mouendum Callam legatum cum copiis misit. Dinias interim ad occupandum angustias, missis ab Olympiade copiis, obuiam profectus, transitum prior obtinuit. Olympias vbi magnis cum viribus Macedoniæ Cassandrum ingruere audiit; Aristonoum ducem creat, bellóque Cassandrum excipere iubet. Ipsa, filium Alexandri cum Rhoxane matre ac Thessalonicam, Philippi Amyntæ filiam, Deidamiam quoque, Æacide regis Epirotarum natam, & Pyrrhi, qui postea cum Romanis bella gessit, sororem, & Attali filias, vt aliorum, etiam præcipuæ necessitudinis amicorum consanguineos in comitatu habens Pydnam ingreditur, ita quidem, vt magna corporum multitudo, quorum tamen pars maxima bello inutilis esset, illam stiparet. nec enim sat cômeatus diuturnam toleratur is obsidionē illic suppetebat. quæ omnia, quamuis manifestum ostentarent periculum; illa tamen nihilominus hîc manere constituit, multos Græcorum & Macedonum per mare opem laturos sperans. Erant cum illa equites aliquot ex Ambraciâ, & militum qui in aulâ versari solebant plerique. Elephantum insuper Polysperchontis pars residua. cæteras enim beluas priore in Macedoniam irruptione Cassander suæ potestatis fecerat.

XXI. Qui tunc angustiis Perrhæbiæ superatis, vt ad Pydnam accessit, oppidum à mari ad mare vallo & aggere circumdedit: & a voluntariis huius belli sociis naues, & telorum omne genus, machinásque accersiuit, hoc instituto, vt terrâ marique Olympiadem circumsideret. Cùm autem resciuisset, Æacidam regem Epirotarum cum validâ manu subsidio venturum Olympiadi, Atarrhiam ducem, tradito exercitu, misit, occurrere Epirotis iussum. qui vbi mandata celeriter exsequutus, transitus in Epirum

occupârat, factum est, vt irritus Æacidæ conatus redderetur. Multitudo enim Epirotarum expeditionem in Macedoniam præter voluntatem susceperat; ideò seditionem in castris excitabat. Æacides verò quocunque modo suppetias Olympiadi ferre cupiens, alienatos à se exauctorabat. & assumptis qui eandem secum aleam iacere volebant, ad dimicandum quidem pronus erat, sed virium non satis habebat, exiguo quippe agmine relicto. Interim dimissi in patriam suam Epirotæ, per seditionem à rege desciscunt, eóque per commune decretum exsilii condemnato, societatis fœdus cum Cassandro iungunt. quod nunquam per Epirum euenit, ex quo Neoptolemus Achillis regnum in hac regione tenuerat. semper enim filius, à patre successionis iure principatum adeptus, regno immoriebatur, vsque ad hanc tempestatem. Postquam Cassander Epiri societate auctus, Curatorem simul & ducem Lyciscum in eam miserat, illi qui priùs in Macedonia de suppetiis Olympiadi ferendis dissederant, actum iam de illâ rati, Cassandro se adiunxêre. Vnicum à Polysperchonte subsidium restabat. verùm & hoc repentè attritum fuit. missus enim à Cassandro Callas præfectus, vbi quàm proximè Polysperchõtem in Perrhæbiâ castra posuerat, maiorem eius militum partem largitionibus corrupit, ita vt vix pauci, nempe fidelissimi, superessent. Olympiadis ergo res ad hunc modum intra breue tempus concidêre.

XXXVII. In Asiâ per id tempus, Antigonus in Gadamalis Mediæ hybernans, vbi vires suas infirmiores quàm hostium animaduertit præter spem inuadere illos, & strategemate circumuenire maturauit. hyberna illi disiuncta multis in partibus habebant, ita vt nõnulli sex iter dierũ inter se distarent. Per cultam ergo terram iter facere, quòd & longa esset, hostiúmque prospectui exposita, non consultum duxit, sed per desertam, & aquis destitutam, vt ducere auderet, quamuis laboriosum, proposito tamen suo vtilissimum iudicauit: quòd non solùm compendio illam emetiri, sed etiam clàm & ex improuiso hostes per ignorantiam in pagos huc illuc dispersos, & negligenter rem administrantes, opprimere liceret. His mente conceptis, milites ad iter accinctos esse, & cibaria ignis haud indiga sibi comparare iussit. Ipse in Armeniam se moturum famam diuulgat: at subitò præter omnium existimationem per deserta, sub hybernam solis reuersionem,

uersionem, contendit. In castris autem interdiu ignes accendi, noctu prorsus extingui, ne qui per noctem, re de locis editioribus animaduersâ, hosti quid fieret, denunciarent, præcepit. nam tota fermè solitudo campestris erat, collibúsque excelsis circumdata: vnde ex longinquo fulgorem ignis prospicere non difficile esset. Dum exercitus ita per dies quinque laboriosum iter fecit: miles tam de nocte quàm die propter frigus & necessarios vsus ignes in castris excitat. Quod solitudinis accolæ quidam conspicati, eodem statim die in camelis dromadariis mittunt, qui hoc Eumeni ac Peucestæ nunciatum eant. id genus animal non multò minus CIↃ IↃ stadiorum emetitur.

XXIII. Peucestes circa medium eius viæ conspecta esse castra edoctus, ad extremos hybernorum fines regredi statuit, ne priùs quàm vndiq; auxiliares copiæ in vnum conuenissent, ab hostibus opprimeretur, veritus. cuius trepidationem videns Eumenes præsenti illum animo esse, & ad fines solitudinis permanere iussit: rationem enim à se inuentam, quâ triduo aut quatriduo seriùs aduenturus esset Antigonus. quod si fieret, euenturum, vt & copiæ ipsorum facilè congregarentur: & hostes defessi, rerúmque omnium penuriâ afflicti in potestatem venirent. Promissorum insolentiam demirantur omnes, & discere auent, quidnam sit, quod progressum hostis retardare queat. Eumenes autem omnes se duces cum militibus quos tum habebant, & vasculis compluribus ignem continentibus sequi iubet, & loco in regione sublimiore delecto, qui ad solitudinem vergens statiuis & prospectui ex omni parte accommodus foret, signis quibusdam circiter stadia LXX in circuitu complectitur, & ducum vnicuique locum dimensus, noctu ignem alere iubet: & distantes inter se ad XX cubita, primâ vigiliâ flammam excitare maiorem, ac si adhuc vigilent, & ad curanda corpora & cœnam se componant. secunda verò minorem, tertiáque relinquere perexiguam: vt ex interuallo intuentibus vera esse castra videantur. Imperata militibus exsecutis, nõnulli qui montana ex aduerso incolebant, Pithoni Mediæ Satrapæ amici, ignes conspicãtur, verámque rati castrorum metationem, in campestria decurrunt: & Antigono Pithoníque renunciant. Illi euentu hoc inopinato perculsi, itinere intermisso, quâ ratione significatis per nuncium incommodis obuiam eun-

dum sit, inter se consultant. fessos enim ac rerum omnium penuriâ laborantes cum hostibus congregatis, & omni abundè copia instructis, committi periculosum erat. Cùm ergo proditionē interuenisse, & hostes de futurâ impressione iam antè edoctos, coiisse existimarēt, rectâ progrediendum haud putabant: sed deflectentes ad dextram, in vtramque habitabilis terræ partem mouebant: eo consilio, vt à laboribus & ærumnis instaurandi vires copiam agmini præberent.

XXXIX. Interea Eumenes deceptis hac arte hostibus, dispersos huc illuc per hyberna in pagis milites vndique acciuit, iactoque vallo & profundâ castris fossâ munitis, aduentantes subinde auxiliares excepit, & castra necessariis omnibus repleuit. Antigonus verò deserta emensus vbi ex indigenis accepit, cæteras Eumenis copias ferè omnes conuenisse: sed elephantes ex hybernis reditum moliri, iámque in propinquo esse, omni præsidio nudatos: equitū hastatorum millia duo, & CC Tarentinos, omnésq; leuis armaturæ pedites obuiam illis misit. nam si destitutas præsidio beluas inuasisset, potiturum se iis facilè, ac validissimam exercitus partem hosti detracturum, sperabat. At Eumenes quid futurum esset suspicatus, auxilio misit equitum præstantissimos ad mille quingentos, & tria peditum leuiter armatorum millia. Vbi priùs in conspectum venerant Antigoni milites, elephātorum ductores ordinatis in quadrum, ad laterculi formam beluis pergebant, in medio impedimenta complexi. à tergo autē subsidiaria equitum manus non vltra quadringentos. Vbi verò quicquid tum virium habebant in eos effundebant hostes, & instabant violentiùs, equites multitudine oppressi se auertebant. Interea magistri elephantum aliquandiu resistunt; ac telis vndique obruti perdurant; licèt hosti nihil detrimenti possent afferre. iámque succubituri erant, cùm Eumeniani præter spem aduecti, periculis fatiscentes exemêre. Post dierum pauxillum, cùm stadiorum XL spacio castris castra distarent, vterque exercitum, iam de summâ rerum disceptaturi, ad prælium instruunt.

XL. ❧ Antigonus diuisis in cornua equitibus, sinistrum Pithoni committit, dextrum filio Demetrio, vbi & ipse decernere cōstituerat. Peditatu autem in medio collocato, elephātos vniuersos aciei obtēdit, velitibus interualla explens. Totus copiarum numerus erat XXII millia peditum, & IX millia equitum præter adscriptos ex

Mediâ. Beluę LXV. Eumenes vbi dextrum cornu cum equi-
tatu eximio Antigonũ tenere cognouit, se illi opposuit, col-
locatis in læuo cornu optimis. Hîc enim plerosque Satrapa-
rum, cũ delectis equitibus, qui illis militabant, statuit; & cum
his ipse prælio se committere volebat. Cum his etiam Mi-
thridates Ariobarzanis filius erat, ex vnius septem illorum
Persarum, qui Smerdim Magum communi opera intere-
merant, prosapiâ genus ducẽs. vir eximiæ fortitudinis, & mi-
litariter à puero educatus. Ante cornu verò totum elephan-
tum optimos, numero LX ordine inflexo, interiectis per in-
terstitia leuis armaturæ militibus, cõstituit. In pedestri agmi-
ne primos ordinauit scutatos; inde Argyraspides; ad vltimũ
peregrinos, & cæteros ad Macedonicũ armatos ritũ; & ante
hos elephantes; ac ferentariorum quantũ satis foret. In cor-
nu dextro equitatus & beluarum partem infirmissimam dis-
posuit: iisque omnibus Philippum adhibuit ductorẽ. Hunc
fugã inter pugnandum simulare, & quo pars altera dimica-
ret, euentu obseruare iussit. Vniuersi autẽ qui Eumenis tunc
ductum sequebantur, erant peditum XXXVI millia septin-
genti; equitum sex millia quinquaginta; elephanti CXIV.

XLI. Paullò tunc ante conflictum, Argyraspidum ductor
Antigenes quendã ex equitatu Macedonico ad phalangem
hostium miserat, cum mandato, vt quàm proximè aduectus,
quæ præscripserat, alta voce proclamaret. Is cùm solus ad vo-
cis auditũ vsque adequitasset, quâ parte Macedonica Antigo-
ni phalanx erat, hæc voce clamosâ edidit: *Aduersus patres, O
capita improba, qui cum Philippo & Alexandro res vniuersas
peregêre: quos breui pòst & regibus & certaminibus dignos cer-
netis.* Per illud enim tempus ætate minimi Argyraspidũ plus
minus sexagenarii erant. cæterorum plerique septuagenarii,
pars etiã grandiores, peritiâ & robore insuperabiles cuncti.
Tam promptos manu & fidentes periculorum assiduitas illos
fecerat. Præconio ad modum, quem diximus, edito, molesti à
parte Antigoni sermones iactabãtur, quòd cũ sanguine iun-
ctis, & ætate maioribus, dimicare cogerentur. Ab Eumenis
autem parte, dum acies instruitur, exhortatio & clamor erat,
vt quàm citissimè in hostẽ ducerentur. Quorum alacritatem
videns Eumenes, signum tollit; Eóque facto, tubicines clas-
sicum personant, & bellicus à toto exercitu clamor tolli-

XLII. tur. Initium pugnæ beluæ inter se commissæ faciunt:

post eas multitudo equitum concurrit. Campus autem ille vastissimã habebat amplitudinem, & propter salsuginem, per illam effundi solitam, totus erat incultus. Vnde accidit, vt tantus ab equitatu puluis excitaretur, vt si quis paullulum abesset, quid fieret dispicere non posset. Hoc obseruato Antigonus, equites ex Mediâ, cum mediocri Tarentinorum manu ad impedimenta hostium mittit. spem enim habebat (id quod verè sic futurum erat) rem ob puluerem celatum iri, seque impedimentis potitum, non magno labore hostes in potestatẽ redacturum. Missi igitur vbi clàm præteruecti fuerant aduersariorum cornu, calones & lixas quinque circiter stadia à prælio distantes, inuadunt. Plena autem turbæ ad pugnam inutilis castra, & manum propugnatorum exiguam inuenerant. ideò statim in fugam compulsis qui resisterent, cæteris omnibus potiuntur. Hæc dum geruntur, Antigonus conserto cum hostibus prælio, cum denso equitum globo conspectus, Peucesten, gubernatorem Persiæ conterruit. is cum equitatu suo ex puluere se subducens, aliorum etiam ad mille quingentos secum auulsit. Eumenes autem cum paucis in extremo cornu relictus, fortunæ cedere, fugámque arripere, turpe duxit. sed fidem regibus datam seruare, honestóque proposito immori, honestius iudicans, in Antigonum impressionem fecit. Acris ergo conflictus ab equitatu initur: vbi animorum alacritate præstant Eumeniani, Antigoni autem pars multitudine superant, cadúntque vtrinque multi. Quo tempore accidit, vt elephantis etiam inter se decertantibus, Eumenianorum is qui agmen ducebat, cum oppositorum validissimis cõsertus, occumberet. Videns igitur Eumenes suos vndique fundi, quod reliquum erat equitum è pugna educit, ad cornu alterum transgressus, Philippo adiunctos, quibus vt fugiendo pugnarent iniunctum fuerat, ad se recipit. Atque hunc finem tum equestre prælium habuit. In pedestri verò agmine Argyraspides constipata acie violentiùs adorti, hostes alios in conflictu peremêre, alios in fugam compulerũt. Indomitus erat horum impetus. qui licèt cum vniuersâ hostium phalange decertarent: manuum tamen strenuitate ac robore vsque adeò excellebant, vt nemine suorum amisso, supra quinque tamen millia hostium cæderẽt, peditatúmque omnem, numero longè superiorem in fugam coniicerent.

XLII.

Eumenes

Eumenes vbi capta impediměta, & Peucesten cum peditatu non procul esse accepit, omnes in vnum contrahere, & certamine equestri denuò cum Antigono confligere instituit. nam si pugna vicisset, non sua modò impedimenta se recuperaturum, sed hosticis insuper auctum iri, sperabat. Cùm verò Peucestes minimè auscultans, in locum quendam longiùs inde se reciperet, tempori cedere coactus est. Tum Antigonus equitatu in duas partes diuiso, ipse cum vnâ insidias Eumeni parat, quorsum tendat, obseruans: alteram Pithoni tradit cum mandato, vt Argyraspides equitatus subsidio destitutos, aggrediatur; Quo sine morâ id quod iussus erat exsequente, Macedones agmine in quadrum conformato ad flumen tutò se recipiunt, Peucestam criminantes, vt cladis auctorem, quam equitatus acceperat. Quò cùm etiam Eumenes sub primam facem peruenisset, quid facto opus esset inter se congressi, deliberant. Satrapæ quamprimùm in superiores prouincias regrediendum suadere. At Eumenes manendum; & quia Phalanx aduersariorum concisa, & equitatus vtrinque par esset, dimicandum censere. Macedones verò, quòd & impedimenta capta, vxoresque ac liberi, cum multis aliis necessitudine sibi deuinctis, in hostis potestate essent, neutris se morem gesturos, protestari. Et tunc quidem, cùm in nullam concorditer sententiam itum esset, digrediũtur. Postea Macedones legatione clàm ad Antigonum missâ, correptum illi Eumenem tradunt: & recuperatis impedimentis, acceptâque fide, castris eius aggregantur. Consimiliter etiam Satrapæ aliorumque ducum & militum pars maxima, imperatore deserto, suæ tantummodò incolumitati consulebant.

XLIV. Ita præterquàm opinatus fuerat, Antigonus tum Eumene, tum omni exercitu hostili potitus, Antigenem Argyraspidum ductorem comprehendit, viuumque in loculo conditum exussit. Eudamum verò, qui ex Indiâ Elephantos adduxerat, & Celbanum, aliosque perpetuò sibi infensos, è medio sustulit. At Eumene in custodiam tradito, quid faciendum sit, disquirit. nam ducem apud se bonum, & ad reddendam sibi gratiam deuinctum, habere quidem cupiebat: sed propter amicitiam, quæ illi cum Olympiade regibusque intercedebat, promissis viri non vsque adeò fidem habebat. nam etiam priùs ad Nora Phrygiæ beneficio eius seruatus, pro regibus quàm promptissimè ni-

hilominus decertabat. Quare vbi etiam Macedones inexorabili supplicium Eumenis cupiditate vrgere vidit, hominem è vita sustulit. Ob superiorem tamen cum illo necessitudinem cadauer cremauit, ossaque in vasculo recondita, domesticis eius transmisit. Inter saucios tunc etiam Hieronymus Cardianus historiarum scriptor captiuus fuerat abductus. qui per antegressum tempus ab Eumene semper in precio habitus, post interitum eius Antigoni etiam humanitatem fidemque expertus est. Hinc reducto in Mediam vniuerso exercitu, Antigonus hyemauit in pago quodam, non procul Ecbatanis, vbi regia terræ illius; militemque per totam huc illuc Satrapiam distribuit, & maximè in præfecturam quæ Rhages appellatur. Id nominis obtinuit à calamitatibus in ea superiori tempore exortis. cùm enim vrbes in tractibus illis haberet complures, easque apprimè locupletes, tantos experta fuit tremores soli, & concussiones; vt quicquid vrbium & incolarum ibi esset absorberetur, aliamque regio faciem indueret, noua etiam flumina & lacus veterum loco exorirentur.

Per illud tempus, circa Rhodiorum vrbem diluuium exstitit, quod multos incolarum pessum dedit. Inter ea diluuia primum non ita magnum hominibus nocumentum dedit: quòd vrbs tunc recens erat, & idcircò plus spacii habebat. secundum verò maius fuit, multisque exitium attulit. postremum in veris initium incidit; cùm magni derepentè imbres, & magnitudinis incredibilis grando, effunderentur. minæ enim pondo, & quandoque maiores, deciderant, ita vt pro grauitate harum domus corruerent, hominumq; non pauci interirent. Et quia Rhodus ad theatri formam constructa, ad vnum, vt maximè, locum defluxus aquarum habet, continuò depressiora vrbis loca replebantur: eò quòd aquagia, cum hyems iam exacta putaretur, neglecta, & tubi murorum obstructi erant. Aquis igitur subitò congregatis, omnis circa Deigma (quod vocatur) & Dionysium (*Bacchi fanum*) tractus erat oppletus. Iamque stagnantis aquæ copià ad Æsculapii se attollente, omnes consternati erant, & iudiciis de tuendâ salute discrepabant. Alii enim ad naues refugere; alii in theatrum procurrere; Quidam à malo iam circumuentorum, anxii trepidique aras celsissimas & statuarum baseis conscendere. Cùm igitur periculum esset, ne

XLVI.

ſet,ne vrbs cum incolis funditus interiret, auxilium quodam vltrò ſubuenit. Muro enim ad longum effracto ſpacium,aquarum intrinſecus conſiſtentium vis in mare prorupit,& continuò in ſuum quiſque locum reſtituitur. Adiumento etiam hoc periclitantibus erat,quòd interdiu hæc inundatio exſiſtebat.nam pars maxima ad loca vrbis editiora exſiliebant. Adhæc, quòd domus non ex latere ſed lapide conſtabant. Ideò qui in tecta perfugerant, citra grauius damnum euasêre. Sed tamen inter tantas calamitates ſupra Io corpora interierant. ædiumque nonnullæ prorſus conciderant:aliæ fœdè concuſſæ reſtabant. Et Rhodus quidem in tale periculum deuenit.

VI. Cæterùm Antigonus dum in Media hyemat, Pithonem complures militum in hybernis, quà promiſſis,quà etiam donis,ſibi deuinctos reddere, nouiſque animum rebus intendere cognoſcit. Propoſitum ergo ſuum occultans, deferentibus illum fidem ſe non habere ſimulat, eosque multis audientibus, vt qui amicitiam inter ipſos diuellant,obiurgat:ad externos interim rumorẽ didit,ſe Pithonem cum ſat valido ad defenſionem exercitu ſuperioribus prouinciis ſatrapam eſſe relicturum. Literis quoque ad eum ſcriptis contendit, vt quamprimùm ad ſe veniat,quò coràm de neceſſariis inter ſe colloquuti, propediem ad mare deſcendant. Hæc ideò commentus fuit,quòd à verâ illum ſuſpicione abducere,ac perſuadere homini cuperet,vt tanquam relinquendus illic Satrapes in manus veniret. Vi enim capere virum, qui etiam apud Alexandrum ob virtutem ad honores fuerat prouectus, & tunc Mediæ Satrapiam adminiſtrans, operam ſuam vniuerſo exercitui probabat,facile non erat. Tunc verò Pithon hyberna in extremis Mediæ partibus habebat, iamque plurimos corruperat,qui cum eo ſe defecturos pollicebantur. Cumque amici etiam, de voluntate Antigoni, datis ad eum literis, ſpes magnas oſtentarent, vanâ deceptus exſpectatione, ad Antigonum ſe contulit. Qui copiam eius nactus, in conſeſſu eiuſdem conſilii participum actionem illi intendit: ac facili negocio condemnatum illicò necauit. coactoque in vnum locum exercitu, Satrapam Mediæ deſignauit Orontobatem Medum, ducem verò exercitus Hippoſtratum, qui ter mille & quingentos pedites habebat peregrinos. Ipſe adſumtis copiis ad Ecbatana progreditur; vbi

argenti nõ ſignati tribus talentûm millibus acceptis,in Perſiam contendit. Adſcenſus autem ille ad regiam vſque,quæ Perſepolis vocatur,dierum erat xx circiter.

XLI Interea dũ iter facit Antigonus Pithonis amici, & molitionis conſortes(quorum nobiliſſimi Meleager & Menoetas)familiares Eumenis & Pithonis,diſpalantes circiter ıɔcc c equites congregant:initióque Medorum,qui ſimul deſciſcere nolebant, agros populantur. hinc certiores facti, Hippoſtratum & Orontobatem caſtra metatos, noctu illâ inuadunt. nec multùm aberat, quin conatus ſucceſſum habuiſſet:ſed multitudine ſuperati, cùm militum quoſdam ad communem pellexiſſent defectionem,retroceſſerunt. Quia verò expediti erant,omnesque equis vtebantur,ex improuiſo fecerunt incurſiones, & magnam in terrâ conſternationẽ excitârunt. Sed aliquantò pòſt in locum præcipitiis circumdatum incluſi,partim cæſi,partim capti ſunt. ductores autẽ, Meleager & Cranes Medus, & de nobiliſſimis quidam alii, inter reſiſtendum occubuêre. Rebellantium ergo per Mediam hic ſtatus fuit.

XLII Antigonus verò quamprimùm venit in Perſiam,regio ab incolis honore afficitur; vt qui citra controuerſiam iam Aſiæ dominus eſſet. Ibi conuocato amicorum ſenatu,de Satrapiis conſilia tractauit. Carmaniam ergo Tlepolemo,& Bactrianam Staſanori retinendam permiſit. nam per mandatum hos expellere;cùm erga indigenas probè ſe gererent, multosque armorum ſocios, validis inſtructi copiis, haberent, haud facile erat. In Ariam Euitum miſit. quo breui pòſt mortuo,Euagoram ſuffecit; virum ob fortitudinem & prudentiam admirandum. Oxyartem quoque Rhoxanes parentem, quæ in Paropamiſadis eſt, Satrapiam habere ſiuit,vt priùs habuerat. nam neque hunc,niſi per longum temporis interuallum,& cum inſtructiſſimo exercitu eiicere poterat. Sibyritum etiam bene ſibi cupientem ex Arachotis accerſiuit, & Satrapiam concedens, Argyraſpidum turbulentiſſimos ei commendauit, verbo quidem,ad vſus belli,at re ipsâ ad interitum. priuatim enim iniunxerat,vt paullatim ad eos belli vſus ipſos amandaret, in quibus perituri eſſent. Contigit autem, vt in horum numero quoque eſſent, qui Eumenem dediderant : vt patrati in imperatorem ſuum ſceleris breui vltio de perfidis exigeretur. Operæ enim cum

impietate

impietate coniunctæ, principibus quidem ob potestatem v-
tiles euadunt, sed priuatis, à quibus nauantur, ingentia vt plu-
rimùm mala creant. Antigonus porrò videns, in magnâ a-
pud Persas gratiâ esse Peucestam, Satrapiam ante omnia il-
li ademit. Hoc indignè ferentibus indigenis, cùm Thespias
quidam ex illustrissimis vnus liberiùs contradiceret, non ad-
missuros imperiũ alterius Persas: huic vitam ademit. Ascle-
piodorum verò mediocri instructum manu, Persiæ dedit
præfectum; Peucestamque ad spes alias translatum, & va-
nâ arrectum persuasione, è regione eduxit. ibi dum iter Su-
sa versus habet, ad Pasitigrim flumen Xenophilus, opes Su-
sanas in potestate habens, illi occurrit: quem Seleucus ad
quæuis imperata faciendum miserat. Hunc susceptum in-
ter summos se colere amicos simulabat, ne mutato animo
rursus ipsum excluderet, metuens. Ipse occupatâ Susorum
arce, vitem inibi auream, operumque aliorum copiam, ad
xv millium talentûm æstimationem, nactus est. Conflata
ipsi fuit etiam alia pecuniarum vis è coronis, cæterisque do-
nis & manubiis, ad quinque talentûm millia, & totidem per
Mediam collecta, præter thesauros Susanos: ita vt in summâ
xxv millia talentûm conficerentur. Et res tum Antigoni in
hoc erant statu.

IX.

Postquàm verò res per Asiam gestas exegimus, stylum
ad Europam transferemus, & connexa cum superioribus
persequemur. Cassander, inter Pydnam Macedoniæ con-
clusâ Olympiade, propter hyemem muros oppugnare non
poterat. Castris ergò circumfusis vrbi: valloque à mari ad
mare iacto, & occupato stationibus portu, omnes subsidiis
ferendis intentos prohibebat. Et absumptis actu tum ne-
cessariis, tantam apud obsessos indigentiam effecit, vt pror-
sus vires illorum exhaurirentur. nam eò venerunt necessita-
tis, vt quinæ in mensem chœnices militi attribuerentur, e-
lephantis autem trabes serrâ comminutas exhiberent. iu-
menta denique & equos in cibos sibi mactarent. Hoc vr-
bis statu, dum Olympias adhuc externis auxiliis spe sua in-
hiat, elephantes tandem fame contabescunt: & equites ex-
traordinarii, cum nullum omninò frumenti demensum ac-
ciperent, propè omnes intereunt, nec pauci militum eun-
dem sortiuntur vitæ exitum. Barbarorum autem nonnulli
naturâ reformidationem superante, cadaueribus morien-

tium,ſublatis carnibus illorum,veſcuntur. Oppido igitur mox cadaueribus repleto,regii agminis præfecti alia inhumare,alia trans mœnia proiicere; vſque adeò, vt non modò reginis,delicatæ vitæ adſuetis,ſed etiam militibus, qui ærumnas perferre didicerant, tum adſpectus illorum auerſabilis,tum etiam fœtor haud tolerandus eſſet. Iamque ver inibat,cùm inualeſcente indies penuria, militum complures inter ſe conſociati Olympiadem rogârunt, vt per extremam hanc inopiam ſeſe dimitteret; quæ dum nihil omninò frumenti illis admetiri, neque obſidione ſe exſoluere poteſt, abitum illis conceſſit. Omnes ergo transfugas humaniter acceptos Caſſander,huc illuc ad oppida dimiſit. Macedones enim,infirmitate Olympiadis cognitâ,res eius pro deploratis habituros,ſperabat. quod & haud malè coniecturauit futurum. Nam qui iam ſuppetias circumſeſſis decreuerant, conſilio mutato, ad Caſſandrum ſe applicârunt. Soli omnium Macedonum Ariſtonous & Monimus in beneuolentiâ erga Olympiadem perſtiterunt: quorum ille Amphipolin,hic Pellam in poteſtate habebat. Olympias tandem plurimos ad Caſſandrum tranſire, ac reliquos amicorum ſuppetiis ferendis impares eſſe, cernens, quinqueremi in mare detractâ,ſemet & neceſſarios periculis eximere conatur. verùm transfugæ indicio re hoſtibus detectâ, Caſſander illuc aduectus nauigio potitur. Olympias igitur de rebus ſuis deſperans, legationem de pacificatione ad Caſſandrum mittit. Cúmque arbitrio victoris ſe permittendam cenſuiſſet, ægrè obtinuit, vt corporis tantummodò incolumitatem haberet exemtam. Hac vrbe potitus Caſſander,qui Pellam & Amphipolim quoque reciperent, miſit. Monimus ergo qui Pellam tenebat, ſtatu Olympiadis cognito, vrbem dedidit. Ariſtonous verò regiam tutari cauſam initio ſtatuerat. cùm & multos in armis haberet,& nuper felicem habuiſſet ſucceſſum. paucis enim diebus antè acie cum Crateua duce Caſſandri collatâ, plurimos hoſtium cæciderat, ipſumque Crateuam, cum duobus millibus in Biſaltiæ vrbem Bedym fugâ elapſum,copiis eò tranſlatis obſederat,& expugnatum, armiſque exutum, datâ acceptâque fide dimiſerat. His rebus elatus dum Eumenem quoque ſupereſſe arbitratur, Alexandrique & Polyſperchôtis auxilia ſibi non defutura ſperat, Amphipolim ſe traditurum

tum negat. Simul ac verò per literas Olympias fidem ab
eo datam reposcens, vrbem restituere iussit; imperatis ob-
sequendum arbitratus, & vrbem tradidit, & incolumitatis
fidem accepit. Sed Cassander in magnâ illum digna-
LI. tione ob honores ab Alexandro tributos esse videns, cùm
alias è medio tollere quicunque noui quippiam moliri pos-
sent, maturaret; propinquorum Crateuæ opera hunc etiam
interfecit. Tum consanguineos ab Olympiade sublato-
rum instigauit, vt in omnium Macedonum conuentu mu-
lierem accusarent. Hi mandatis conficiendis operam na-
uant sedulam; ac licèt neque adesset, neque qui causam pro
se agerent, haberet: Macedones tamen capite multandam
decernunt. Ibi missis ad Olympiadem quibusdam amico-
rum, vt clàm se subducat, consulit; se naui ad hoc parata A-
thenas deportaturum illam pollicitus. Id verò non ideò fa-
ctum, vt saluti eius consuleret: sed vt fugâ se dignam profes-
sâ, si inter nauigandum periisset, iustam incurrisse vltionem
putaretur. nam & dignitatem eius, & inconstantiam Mace-
donum, reformidabat. Olympias contrà fugituram se ne-
gauit, & ad dicendam apud omnes Macedones causam esse
paratam, respondit. Metuens igitur Cassander, ne si vulgus
reginæ defensionem audiret, & Alexandri Philippique in
totam gentem merita recordaretur, animos mutaret: ducē-
tos milites rei maximè accommodatos ad illam mittit, abs-
que morâ necem mulieri afferre iussos. qui subitò in regiam
domum irruptione facta, vbi Olympias in conspectum ve-
nit, maiestatem eius reueriti, negocio infecto pedem retu-
lêre. At occisorum propinqui, vt & gratiam apud Cassan-
drum inirent, & necem suorum vlciscerentur, reginam iu-
gulârunt: quæ tamen nihil ignauæ muliebrisque precis e-
misit. Ad hunc ergo modum Olympias, quæ maximam
inter suæ ætatis fœminas dignitatem obtinuerat: & Neo-
ptolemi regis Epirotarum filia, Alexandri, qui expeditio-
nem in Italiam suscepit, soror, Philippi qui potentia cunctos
ante se Europæ principes vicit, vxor, Alexandri denique,
quo nemo plures maiorésve res gessit, mater fuerat, vitam
LII. suam finiuit. Cassander ergo dum ex animi sententiâ
negocium procedit, spe regnum Macedoniæ complectitur.
ideò Thessalonicen Philippi filiam, & Alexandri ex eo-
dem patre sororem, in matrimonium ducit, affinem se ac

necessarium regiæ familiæ ostentare properans. Quin & vrbem à se Cassandriam nuncupatam in Pallene condidit, in quam Chersonesi ciuitates, & inter has Potidæam, & finitimorum non paucos, traduxit, collocatis ibi simul Olynthiis adhuc reliquis, quorum non exiguus erat numerus. Agri verò multum, & quidem boni, attributum erat Cassandrinis, multumque studii Cassander vrbis amplificationi impendebat. ideò breui maiorem in modum profecit: omnesque per Macedoniam vrbes potentiâ antecelluit. Animum quidem Cassander induxerat, Alexandri filium, Rhoxanenque matrem eius interficere, ne quisquam successor in regno superesset. At cùm in præsentia, qui vulgi sermones essent de cæde Olympiadis, aduertendum statueret, nec dũ aliquid de rebus Antigoni exploratum haberet, Rhoxanen cum puero in arcem Amphipolis translatum custodiæ tradit. cui Glauciam, ex illis, quibus fidem haberet, vnum præfecit. pueros etiam ad eundem conuictum adhiberi solitos aiulsit, cultumque vitæ non ampliùs regium, sed ad cuiuslis priuati conditionem restrictum esse, iussit. Post hæc regio iam more res imperii dispẽsans, Eurydicen Philippumque reges & Cinnam, quem Alcetas sustulerat, pro regum more Ægis sepeliuit, & funebrium ludorum celebratione defunctis parentauit. Hinc decretâ in Peloponnesum expeditione, idoneos huic militiæ ex Macedonibus conscripsit. Quibus dum occupatur, Polysperchon in Naxio Perrhæbiæ obsidionem tolerãs, vbi de Olympiadis interitu cognouit, desperatis Macedoniæ rebus, cum exiguo comitatu ex vrbe se proripit, & digressus è Thessaliâ, adiuncto sibi Æacidâ in Ætoliam secedit: vbi rerum conuersiones quàm tutissimè obseruaturum se putabat. cum hac enim gente bene ipsi conueniebat. Tum coacto satis magno exercitu, Cassander è Macedoniâ mouit, Alexandrum Polyspercho ntis è Peloponneso exturbare festinans. Hic enim ex aduersariorum parte cũ agmine suo reliquus erat, & opportuna loca oppidaque occuparat. Thessaliam itaque sine molestiâ peragrabat. Transitus verò ad Pylas Ætolorum præsidiis custoditos inuenit. quib⁹ difficulter summotis, in Bœotiam deuenit. Accersens ergo vndique Thebanorum superstites, ciuibus frequentare Thebas aggreditur, pulcerrimã se iam nactum occasionẽ instaurandi vrbem, tũ rebus gestis,

L III.

tum

tum fabulis de illâ traditis famigeratissimam, proque merito isto gloriam immortalem sibi redituram, arbitratus. Hæc autem vrbs plurimas experta fuit mutationes, easque maximas, funditùs excisa aliquoties. de quibus compendio aliquid dicere non alienum fuerit. Post Deucalionis diluuium: cùm dictam à se Cadméam Cadmus exstruxisset, confluxit eò populus, quem Spartum, id est, *Sparsum*, nonnulli vocitârunt, quòd ex omnibus locis congregatus esset: alii Thebigenam, quòd oriundus ex hac vrbe per diluuium eiectus, atque huc illuc dispersus fuisset. Qui autem denuò illuc commigrârant; hos postea bello victos Enchelenses expulerunt; vbi accidit, vt etiam Cadmus ad Illyrios fugâ euaserit. Exinde cùm Amphion & Zethus loco potiti vrbem primitus condidissent, (quomodo etiam Poëta canit;

Qui septem portis struxerunt mœnia Thebes)

iterum habitatores loci expulsi sunt: cùm reuersus illuc Polydorus Cadmi filius regnum, ob calamitatem Amphionis, quam ex liberorum interitu perceperat, iam despectum, inuaderet. Regnantibus deinceps eius posteris, quando iam tota regio Bœotiæ nomen à Bœoto Melanippes ac Neptuni filio Principe eius loci, sibi vendicârat, tertiùm emigrârunt Thebani, vrbe ab Epigonis (septem ducum posteris) Argiuis expugnata. Qui superfuerant de eiectis in Alalcomeniam & Tilphosium montem confugêre: sed post Argiuorum discessum redierunt in patriam. Inde belli Troiani tempestate, cum Thebani in Asiam militatum abiissent, qui remanserant, à Pelasgis excussi fuerunt cũ aliis Bœotis. Nec raris exinde casibus diuexati, post quartam vix ætatem, iuxta proditum de coruis oraculum, in Bœotiam reduces Thebas incoluerunt. Ab hoc tempore ad I Ɔ ccc ferè annos vrbs incolumis permansit. Atque initiò Thebani suæ gentis caput erant. pòst, vbi de principatu cum Græcis contendebant, Alexander Philippi vrbem vi expugnatam solo æquauit. V. Vigesimo tandem anno Cassander gloriam sibi comparare volens, persuasis Bœotis, Thebanorum reliquiis vrbem de nouo excitatam restituit. Instaurationem verò illã ex Græcis ciuitatibus multæ adiuuêre, misericordiâ erga adflictos, & gloriâ vrbis commotæ. Athenienses enim præcipuam muri partẽ eduxerunt: aliiq; pro viribus ædificârũt;

A nonnullis etiam non è Græcia tantùm, sed etiam Siciliâ & Italiâ, pecuniæ ad vsus necessarios missitatæ sunt. Hoc itaque modo patriam suam Thebani recuperârunt. Tũ Cassander in Peloponnesum cum exercitu contendens, vbi Alexandrum Polysperchontis Isthmum præsidiis muniisse deprehendit, Megara diuertit. & ratibus illic concinnatis, elephantes Epidaurum transmisit; cæteras verò copias nauigiis: & ad Argiuorum vrbem progressus, eam, desertâ Alexandri societate, in suas transire partes coëgit. Post hęc Messeniæ etiam oppida sibi adiunxit, præter Ithomen. Hermonidem verò pactione quadam accepit. Descendente verò ad conflictum Alexandro, relictis ad Isthmum Geraneiæ militum duobus millibus, ductore Molyco, in Macedoniam se recepit.

Exacto verò anno princeps Archontis nomine Athenis Praxibulus erat, Romæque consulatum gerebant Spurius Nautius, & Marcus Popilius. Quo tempore Antigonus Susianæ præfectum reliquit ex indigenis quendã Aspisam. Ipse pecunias omnes ad mare deportare constitutum habens, vehiculis & camelis operam dabat comparandis, easque secum asportans, Babyloniam versus cum exercitu perrexit. Cùmque XXII castris Babylonem attigisset, Seleucus regionis Satrapa, regalibus Antigonum donis honorauit, exercitumque vniuersum conuiuio excepit. Ibi dum rationes prouentuum exigit Antigonus, ille se non obstrictum esse ad reddendas de hac regione rationes, quam Macedones, ob nauatam viuente Alexandro operam, sibi dederint, respondet. Dissidio indies gliscente, Seleucus, Pithonis casum reputans, maiorẽ in modum timebat, ne arreptâ occasione Antigonus etiam ipsum necare institueret. nam viros dignitate præstantes, & qui rerum summam vendicare sibi poterant, omnes è medio quamprimùm sublatos cupere videbatur. Quo metu impulsus, cum quinquaginta equitum comitatu, in Ægyptum se conferre ad Ptolemæum cogitans, inde se proripuit. huius enim benignitas, ergaque cõfugientes ad ipsum beneuolentia, & humanitatis studium vbique peruulgatum erat. Quod vbi resciuit Antigonus, lætitia exsultabat, propterea quòd non ipse ad inferendum manus amico, strenuéque auxiliato, coactus: sed ipsemet exsilio se condemnans Seleucus absque certaminibus & periculis

Satrapiam

Satrapiam tradidisse videretur. Postea venêre ad eum Chaldæi, & fore prædixerunt, si è manibus dimitteret Seleucum, vt Asia tota in potestatem (Seleuci) veniret, & Antigonus ipse, acie cum illo congressus, vitam suam finiret. Ibi facti pœnitens, qui persequeretur hominem, misit. Verùm hi aliquo vsque progressi, negotio infecto redierunt. Id genus diuinationes in cæteris contemnere solebat Antigonus: tunc verò dignitate virorum conterritus, non mediocriter commonebatur. Summa enim penès hos experientia esse, astrorumque obseruatio diligentissima putatur. Multas namque annorum myriades retrò numerant, ex quo harum studio rerum teneantur. Alexandro etiam rectè videntur prænunciasse, obiturum, si Babylonem intraret. Vt igitur Alexandro prædicta euenerunt, sic etiam responsa, Seleuco à viris illis edita, euentum habuêre. De quibus singulatim, ad conuenientia illis tempora delati, sermonem faciemus. Seleucus verò in Ægyptum elapsus omnibus humanitatis officiis à Ptolemæo excipitur, & peracerbam cõtra Antigonum minationem instituit, omnes dignitate conspicuos, & maximè qui Alexandro militassent, è Satrapiis expellere decretum ab ipso, confirmans. id quod his demõstrabat argumentis: quòd Pithon vitâ, Peucestes Persiâ esset priuatus. his quæ sibi contigerant, adiecit. omnes enim, licèt nihil iniustè peregissent, sed magnum potiùs ac multiplicem sui vsum in amicitia exhibuissent: hoc tamen virtutis præmium meruisse. Copiarum insuper magnitudinem & opum vim, nuperosque successus commemorat: vnde superbiâ inflatum, & omne Macedonum imperium spe complexum, ostendit. Huiusmodi sermonibus vbi Ptolemæum ad instruendum bellum accendit; amicorum quosdam in Europam missos iubet, vt consimili orationis genere Cassandrum & Lysimachum inimicos Antigono reddant, quibus mandata haud cunctanter exsecutis, dissidii bellorumque ingentium initia nascebantur. Antigonus, ex verisimilibus coniecturis propositum Seleuci assequens, missis ad Ptolemæum, Lysimachum & Cassandrum legatis, rogat, vt pristinam amicitiam secum tueri ac conseruare velint. Et Satrapâ Babyloniæ creato Pithone, qui ex Indiâ venerat, promotis castris, iter Ciliciam versus intendit. Vbi Mallon erat peruẽtum, in hyberna exercitum

distribuit, iam post occasum Orionis. Pecunias etiã in Quindis decem millia talentûm accepit. ex annuis præterea reditibus XI millia talentûm ei collecta erant. Hinc accidit, vt tum copiarum magnitudine, tum etiam pecuniarum copiâ terribilis esset. Iamque in superiorem mouebat Syriam Antigonus, cùm legati à Ptolemæo, Lysimacho & Cassandro aduenêre. qui introducti ad consessum postulabant, vt Cappadocia Lyciaque Cassandro, Phrygia iuxta Hellespõtum Lysimacho, Syria verò tota Ptolemæo, & Babylonia Seleuco traderetur. thesauros autem, quos à pugnâ cum Eumene sibi vendicasset, partiretur. quod si nihil horum faceret, se coniunctis viribus bellum ipsi facturos. Cùm verò asperiùs ille respondens, se iam in Ptolemæani negocii apparatu esse diceret: factum est, vt legati re infectâ regrederentur. Tum Ptolemæus, Lysimachus & Cassander, societatem armorum inter se pacti copias contrahere, armisque & telis, nec non aliis quæ vsui forent, apparandis incumbere. Antigonus ergo multos, & magnificæ dignitatis viros aduersum se conspirasse videns, quanta belli surgentis moles esset futura, perpendens, nationes ac ciuitates principesque ad societatem inuitat. Ad reges Cypri Argesilaum; in Rhodum Idomenéa & Moschionem; in Cappadociam nepotem ex fratre Ptolemæum cum exercitu, ad obsidionem Amisi soluendam, & missos in Cappadociam à Cassandro eiiciendum, mittit. Iusserat præterea, vt ad Hellespontum progressus Cassandro immineret, si transitum pararet ex Europâ. Aristodemum Milesiam cum mille talentis ablegat. Is in mandatis habebat, vt cum Alexandro & Polysperchonte firmaret amicitiam, & quanta sufficeret peregrinorum manu conductâ, bellum Cassandro inferret. Ipse per vniuersam Asiam, quam in potestate habebat, faces & tabellarios disposuit: quorum adminiculo & operâ celeriter omnia administraret.

LVI.

His expeditis, in Phœniciam mouet, copias etiam nauales contrahere properans. Tunc enim maris dominium penès hostes erat, nauibus instructos plurimis: cùm ipse nec pauxillum omnino haberet. Castris ergo ad Tyrum Phœniciæ positis, cùm vrbem obsidere statuisset, regulos Phœnicum accersit, Syriæque præfectos. Illos vt suam ad naues compaginandas operam cum ipso coniungant, inuitat; quando-

LVII.

quandoquidem totam Phœniciæ classem vnà cum instru-méto Ptolemæus habeat in Ægypto. His mandauit, vt quinquies & quadragies centena millia medimnûm (tantus enim sumptus in annum fiebat) quàm ocyssimè præpararent. Ipse congregatis vndique qui ligna cædant, serrâque diuidant, & naues compingant, materiam ex Libano ad mare deportat, cui decidendæ secandæque octo virûm millia, deuehendæ autem mille iumenta operam locabant. Mons iste Tripolin Bybliamque & Sidoniam prætercurrit, cedris & cupressis miræ pulcritudinis & granditatis refertus. Naualia autem tria in Phœniciâ designauit, ad Tripolin, Byblum, & Sidonem; quartum verò in Ciliciâ, quò materia ex Tauro deuehebatur. In Rhodo denique aliud erat; vbi populus ex lignis aduectitiis naues construi permiserat. His dum fungitur Antigonus, iuxta mare castra habens, venit ex Ægypto Seleucus cum nauibus centum, regaliter instructis, & ad nauigandum satis expeditis: & contemptim præteruehit castra. quod præsentes tum è ciuitatibus socios, omnesque coniunctis Antigonum operis adiuuantes, non parum languefecit. nam perspicuum erat, fore vt hostes, imperio maris iam potiti, eos depopularentur, qui propter amicitiam cum Antigono societatem cum aduersariis iunxissent. Quos bono iussit animo esse Antigonus, quingentis se nauibus hac ipsa æstate mare ingressurum confirmans.

His dum occupatur, Agesilaus legatione in Cyprum functus aderat cum renunciatione, quod Nicocreon cæterique regum potentissimi societatem cum Ptolemæo contraxerint. Cittieus autem, Lapithius, Marius, & Cerynites ad ipsius amicitiam se contulerint. Quibus auditis tria armatorum millia, duce Andronico ad obsidionem reliquit; ipse cum exercitu Ioppen & Gazam, ad imperata contumaces, adortus; violentâ eas manu expugnauit; & redactos in potestatem ibi Ptolemæi milites, in suos ordines distribuit. quin & præsidium in vrbes introduxit, quod ad imperata faciendum oppidanos cogeret. Tum in pristina ad Tyrum castra reuersus, necessaria obsidioni adornat. Per hoc tempus Aristo, cuius fidei Crateri ossa credita fuerant, ad sepulturam illa tradidit Philæ, quæ priùs Cratero, tum verò Demetrio Antigoni filio nupserat. Hæc fœmina ingenio & prudentiâ excellere videbatur. nam turbulentos in

exercitu milites erga vnumquemque sic vti par esset gerendo se, compescebat. pauperum sorores, filiasque suis impensis elocabat. è periculis etiam multos eripiebat, calumniis iniquis circumuentos. Fama est, Antipatrum eius patrem (qui tamen prudentissimus inter eos qui principatus gesserunt, per hanc ætatem videtur) quum puella adhuc esset Phila, illam de rebus maximis in consilium adhibere solitum. Sed ingeniũ mulieris, progressus narrationis, & res ad mutationem extremumque regni Demetriani finem deuolutæ, luculentiùs exhibebunt. Atq; ita se res Antigoni, & Philæ conditio tunc habebant. Inter duces verò ab Antigono missos Aristodemus in Laconiam transuectus, conducendi milites copiam à Spartanis adeptus, è Peloponneso octo millia coëgit: & cum Alexandro & Polysperchonte cõgressus, amicitiæ fœdere Antigono illis adstrinxit; & Polysperchontem Peloponnesi ducem creauit. sed & Alexandro, vt ad Antigonum traiiceret, auctor fuit. Ducum alter Ptolemæus cum exercitu in Cappadociam profectus, cum obsessam ab Asclepiodoro Cassandri præfecto Amisum offendisset, periculis illam exemit, & dimisso certis pactis Asclepiodoro, Satrapiam recuperauit. Hinc per Bithyniam ducens, Zibyten, Bithynorum regem, in oppugnatione Astacenorum & Chalcedoniorum vrbis occupatum, offendit & obsidionem soluere coëgit. Initâque societate cum vrbibus & Zibyte, postquàm obsides acceperat, Ioniam & Lydiam versus mouit. vt enim oræ isti quàm celerrimè auxilium ferret, quippe Seleuco classe illam petituro, scripserat Antigonus. Ad quæ loca vbi Seleucus appulit, Erythras circumsedit. sed in propinquo hostem esse certior redditus absque effectu illinc soluit. Venerat interea Polysperchontis filius Alexander ad Antigonum. quicum hic amicitiam iungit; & publicâ militum ac peregrinantium illic aduocatâ concione, actionemque Cassandro intendit, Olympiadis cædem, & perpetratum in Rhoxanen ipsumque regem facinus in crimine illi ponens. ad hæc Thessalonicen per vim duxisse, & manifestè regnum Macedonum, tanquam suum vendicare sibi illum, perhibebat. quòd insuper Olinthios acerrimos Macedonum hostes in nominis sui vrbem collocasset, & instaurasset Thebas, à Macedonibus excisas. Infremente ad hæc çum stomacho turbâ, decretum scripsit,

quo

quo sententiam tulit: habendum pro hoste Cassandrum, nisi & vrbes destrueret, & regem cum Rhoxane matre è custodia productum, Macedonibus redderet; denique nisi constituto imperatori, regnique procurationem adepto Antigono obsequentem se præberet. Græci quoque in vniuersum liberi, à præsidiis vacui, suique iuris essent. Hæc publicata vbi suffragiis comprobârant milites: misit qui scitum hoc vbique differrent. Græcos enim, ob libertatis spem, alacres in hoc bello adiutores se habiturum, & duces atq; Satrapas superiorum prouinciarum, quibus suspectus erat Antigonus; quasi reges Alexandro prognatos regno exuere statuisset, pro quibus tamen manifestè bellum susciperet; omnes mutatis animis imperata vltrò facturos, existimabat. His ergo perfunctus, Alexandrum, ad magnas in posterum spes excitatum, cum I϶ talentis in Peloponnesum dimittit. Ipse nauibus è Rhodo accersitis, & plerisque recèns ædificatarum instructis, Tyrum contendit: cui dum maris imperio iam potitus, frumenti importationem intercludit, annum & tres menses adhæsit; & ad grauissimam inclusos egestatem adduxit: donec concesso Ptolemæanis vnà cum reculis suis abitu, sub conditione vrbem accepit, & præsidium ad eam tuendam introduxit.

LXII. Hæc dum ita geruntur, Ptolemæus, auditis, quæ Macedones cum Antigono de libertate Græcorum sciuissent, eiusdem sententiæ decretum etiam ipse scribit; notum hoc fieri cupiens, se non minùs Antigono curam gerere libertatis Græcorum. Dum enim vterque videt, Græcorum obtinuisse beneuolentiam, non exigui rem momenti esse: de beneficiis in eos collocandis inter se certabant. Suis etiam partibus adiunxit Cassandrum Cariæ Satrapam, virum potentem, & qui non paucas sub imperio vrbes tenebat. Etsi autem iam antea miserat regibus in Cypro tria militũ millia: nihilominus tamen validas tunc copias illuc expedit, ad imperata faciendum aduersantes sibi cogere festinans. Decem igitur millia cum Myrmidone Atheniensi, & Polycli tum cum nauibus centum misit; quorum omnium imperator esset frater eius Menelaus. Hi transuecti in Cyprum, adiuncto illic cum classe Seleuco, in consessu, quid facto opus sit, deliberant. Placet tandem, vt Polycleitus

cum quinquaginta nauibus in Peloponnesum transgressus, Aristodemo & Alexandro, itemque Polysperchonti, bellum facessat. Myrmidon autem cum peregrino milite in Cariam eat, suppetias allatum Cassandro, quem Ptolemæus dux armis impetebat: & Seleucus Menelausque in Cypro relicti cũ Nicocreonte rege aliisque sociis, aduersarios oppugnent. Diuisis ad hunc modum copiis, Seleucus Cerynniam & Lapithum expugnat: & pellecto in suas partes Stasiœco Manensium rege, Amathusiorum principem obsides dare cogit: Citiorum verò vrbem cùm adiungere illam sibi nõ possent, omnibus admotis copiis obsident. Sub id tempus ex Hellesponto Rhodóque naues XL Themisone nauarcho, ad Antigonum venerunt. alias itidem LXXX ex Hellesponto & Rhodo Dioscorides adduxit. sed iam antè instructam habebat classem ex compaginatis in Phœniciâ, quæ primæ fuerant confectæ, numero CXX naues, adnumeratis, quas ad Tyrum reliquerat. ita vt in vniuersum congregatas haberet CCXL naues longas: inter quas erant XC quadriremes: penteres, (*quinqueremes*) decem; ennéres tres; deceres decẽ; (sic naues à IV, V, IX, X ordinibus remigum appellantur) & CXXX apertæ. Hac classe diuisâ, L naues in Peloponnesum mittit: cæteris Dioscoridem, suum ex fratre nepotem, præfecit cum mandato, vt huc illuc nauigando socios tuetur, insulasque nondum societati ipsorum addictas, partibus suis conciliet. Et hoc pacto se res Antigoni habebant.

Nos postquàm gesta per Asiam recensuimus, Europæ etiam res singulatim exponemus. Apollonides, dux vrbis Argiuorum à Cassandro designatus, nocturnâ in Arcadiam excursione Stymphaliorum oppidum in potestatem redegit. Dum verò ille his immoratur, Argiuorum nonnulli Cassandro inimici, Alexandrum Polysperchontis aduocant, vrbem se illi tradituros, polliciti. quo cessante, Apollonides reditum anticipat; & de factione aduersariorum ad quinquaginta, in Prytanéo senatum habentes, opprimit; exituque intercluso viuos concremat; aliorum partem maximam relegat; & paucos quosdam comprehensos necat. Cassander verò de Aristodemi in Peloponnesum nauigatione, & militum extraneorum multitudine, certior factus, initio Polysperchontem ab Antigoni societate abstrahere nititur. quod cùm recusaret, collecto exercitu per

LXXIII.

Thessa-

Thessaliam in Bœotiam venit. Hîc Thebanis in restitutione murorum auxiliatus, in Peloponnesum transit, expugnatisque primùm Cenchreis, agrum Corinthiorum populatur. Inde castellis duobus summâ vi captis, positos in eis præsidiarios Alexandri fide datâ dimittit. Tum Orchomeniorum vrbem oppugnandam aggreditur; & ab infensis Alexandro introductus, præsidium vrbi imponit. cúmque Alexandri amici in Dianæ templum confugissent, pro arbitratu illos tractandi potestatem indulget. Orchomenii ergo supplices inde violenter abstractos, præter iura Græcorum communia, omnes sustulêre. Cassander autem in Messeniam digressus, quòd vrbem præsidio munitam à Polysperchonte inuenisset, obsidendam in præsenti illam non censuit: sed in Arcadiam profectus, Damide curatore vrbis relicto, in Argolidem reuertitur, ludisque Nemeorum celebratis, in Macedoniam reditum instituit. Quo digresso, Alexander cum Aristodemo vrbes Peloponnesi obiens, vt præsidia Cassandri eiiceret, & libertatẽ ciuitatibus restitueret, operam dedit. Quæ vbi Cassander resciuit, misso ad eum Prepelao, vt ab Antigono desciscens ingenuam secum iniret societatem, contendit. quod si fecerit, se Peloponnesi totius imperium cum summâ exercitus potestate, ei concessurum, dignisque affecturum honoribus, confirmauit. Videns igitur Alexander id sibi concedi, cuius gratiâ bellum ab initio Cassandro intulisset: initâ societate, Prætor & dux Peloponnesi creatus est. Dum verò hæc geruntur, Polyclitus, Seleuci legatus, è Cypro transmittens, Cenchreas appulit. Is defectione Alexãdri cognitâ, cùm nihil copiarum hostilium videret, Pamphyliam versus nauigationem intendit. Inde Aphrodisiadem Ciliciæ deuectus, audiuit Theodotum Antigoni nauarchum ex Pataris Lyciæ cum classe Rhodiâ, ex Cariâ remiges habẽte, præteruehi, & Perilaum cum agmine terrestri classem in littore comitari, ad tutũ illis iter præbendum. Vtrosq; igitur vafrè decepit. expositum enim militem opportuno abscondit loco, quâ hostes transire necessum erat: ipse cum totâ classe eò delatus, cùm promontorium sibi obiecisset, accessum hostis obseruat. Peditatus ibi primus in insidias incidit; Perilaus capitur; aliique inter dimicandum partim cadunt, partim viui in hostium manus veniunt. dúmque classiarii auxilio suis venire conantur, Poly-

clitus repentè ordinatâ inuectus acie, hostem perturbatum facilè in fugam vertit. Idcircò euenit, vt naues vniuersæ nec exiguus virorum numerus, caperetur: inter quos fuit etiam Theodotus ipse, vulneribus cōfectus, qui post dierū pauxillū obiit. Polyclitus ergo citra periculum tanto vsus successu, in Cyprū, atq; inde ad Pelusiū renauigauit. quē laudatum Ptolemæus donis ingentibus honestauit, atque victoriæ insignis auctorem longè amplius prouexit, Perilaum verò ac de cæteris captiuis quosdam, cùm Antigoni legatio propter illos venisset, soluit. Ipse dehinc ad Ecregma (*Abruptum*) quod vocatur, profectus, colloquium cum Antigono habuit: sed non concedente Antigono quæ postulabat, rursus discessit.

LXX

Iam verò res à Græcis Europæis in Græciâ & Macedoniâ gestas postquàm recensuimus, etiam tractus ad occidentem sitos seorsum percurremus. Agathocles Syracusanorum princeps cùm Messeniorum castellum quoddam teneret, locum à se restitutum iri promisit, si x x x talenta accepisset. quod argenti pondus vbi Messenii exhibuerant, non modò fidem promissis habitam fefellit: sed ipsam præterea Messenen occupare conatus est. Muri enim partem quandam in illâ corruisse edoctus, equitatum terrâ Syracusis mittit; ipse nauibus quas Hemiolias vocant, assumptis noctu proximè vrbem accedit. Quod cùm insidiis appetiti præsensissent, irritus hic ipsi conatus fuit. Ad Mylas tamē prouectus, castellum obsidione cinctum per deditionem accepit. & tunc quidem Syracusas repetiit. Messis autem tempore denuò expeditionem contra Messenen instituit. & propè vrbem castra metatus, licèt continenter illam oppugnaret, nullum tamen memorabile detrimentum hosti afferre potuit. nam exsulum Syracusanorum complures in vrbem hanc confluxerant: qui & propter suam ipsorum incolumitatem, & odium tyranni, animosè decertabant. Circa hoc tempus Carthaginiensium legati venêre: qui de perpetratis, quòd pactorum fidem transgrederetur, cum illo expostularunt. & conciliatâ Messeniis pace, castellum etiam restituere tyrannū coëgêre: atque tum in Africam redierunt. Agathocles verò Abecenum, oppidū societate coniunctum, diuertens, plures x l aduersari ipsi visos, iugulauit. Dum hæc geruntur, Romani cum Samnitibus bellum gerētes Ferentum Apuliæ vrbem vi ceperunt: & Nuceria, quæ Alphaterna nun-

ne nuncupatur, incolæ suasu quorundam inducti, amicitiâ Romanorũ desertâ, in Samnitum societatem concesserunt.

XXI. Anno illo finito, Nicodorus Athenis summus Reipublicæ administrator (Archon) & Romæ Lucius Papirius quartùm, & Quintus Publius iterum Consules erant. Tum Aristodemus, imperator ab Antigono copiis datus, cognitâ Alexandri Polysperchontis defectione, postquàm in comitiis Ætolorum de causæ æquitate disseruerat, ad auxiliandum rebus Antigoni multitudinem inuitauit. Hinc cum mercenariis ex Ætoliâ in Peloponnesum transgressus, Alexandrum cum Eleis Cyllenen obsidione prementem ostendit. Et quia in tempore superueniebat, periclitantibus, obsidionem soluit. Relictóque ad defensionem castelli præsidio, in Achaiam inde mouit; & Patras, Cassandri præsidio occupatas, liberauit; Ægium verò expugnauit, præsidióque in potestatem accepto, iuxta decretum Ægianis libertatem restituturus erat: nisi hoc prohibitus esset impedimento. Ad rapinam se miles conuerterat, vnde factum, vt plurimi ciuium trucidarentur, & maior pars ædium incendio periret. Inde cùm in Ætoliam renauigasset, Dymæi, qui Cassandri præsidio tenebantur, vrbem suam ita muro cinxerunt, vt seorsum ab arce disiungeretur, séque ad tuendam libertatem exhortati mutuò, castris arcem circumdedere, assiduis illam incursibus oppugnantes. De quo certior factus Alexander, superuenit cum exercitu, & hoste intra mœnia compulso, vrbe potitur: Dymæorúmque alios mactat, alios in custodiã tradit, multos quoque extorres agit. Superstites post Alexandri discessum ad tempus quiescebant: quòd & magnitudine calamitatis perculsi essent, & sociorũ auxiliis destituerentur. sed aliquantò pòst accitis Ægio mercenariis Aristodemi, præsidiũ rursus inuadunt, & subactâ arce vrbem in libertatem vindicant, & superstitũ plerosque trucidant; simul etiã quotquot Alexãdri partes fouebant ciuiũ suorum, è vitâ tollunt.

LXXVII. Inter has rerũ vices, Alexander Polysperchontis Sicyone cũ exercitu discedẽs, ab Alexione Sicyonio & quibusdã aliis, pro amicis se vẽditãtibus, interimitur. cuius vxor Cratesipolis in administrationẽ succedẽs, exercitum in officio continebat, & propter benefacta eximiè militibus cara erat. perpetuò enim opem ferebat miseris, multos inopiâ afflictos suscipiẽs. quin & prudẽtiâ in rebus gerẽdis instructa

erat, & audaciâ, quàm fœmina caperet, maiore. Cùm enim illâ propter viri obitum contemptâ, Sicyonii ad recuperandam libertatem cum armis concurrerent, illa conserto prælio victrix multos interfecit, arreptósq; circiter x x x in crucem egit, & confirmato vrbis statu, Sicyoniis imperauit, militum quàm plurimos secum habens, ad omne discrimen paratos. Atque is tum Peloponnesi erat status. Cassander autem Ætolos Antigono suppetias ferre, finitimóque interim bello cum Acarnanibus implicitos vidēs, ex re suâ fore iudicauit, si contractâ cum Acarnanibus societate, Ætolos depri-meret. Magno igitur cum exercitu è Macedoniâ profectus, in Ætoliam venit, & iuxta fluuium qui Campylus (*flexuosus*) dicitur, castra locat. Hîc aduocatis ad communem Acarnanibus concionem, vbi finitimo illos bello ex antiquissimâ seculorum memoriâ vexari solitos disseruisset, consilium eis impertit, vt ex munitis quidem, sed minutis castellis in pauciores habitatum vrbes se conferant: ne habitatione dispersa mutuum sibi ferre auxiliū, & ad improuisas hostium impressiones facilè congregari nequeant. Morigeratis ad hoc Acarnanibus, pars maxima Stratopolim, quæ firmissima erat & maxima, commigrat. Oeniadæ aliique nonnulli Saurion conueniunt. Dorienses cum cæteris Agrinium occupāt. Tum Cassander Lyciscum ducem cum satis validâ manu illic relinquit, Acarnanibus opem ferre iussum. Ipse cum exercitu Leucadem aggressus vrbem, legationis operâ sibi adsociat. Hinc subitò in Adriā cursu prouectus, Apolloniam primo incursu capit; & progressus ad Illyriā, Hebro flumine transmisso, signa cum Glauciâ Illyriorū rege confert; & pugnâ superior fœdus cum eo facit, hac conditione, vt in socios Cassandri arma sumere Glauciæ nō liceret. Epidamniorum quoq; vrbē sibi deuincit; & collocato inibi præsidio, in Macedoniam se recipit.

LXXVIII. Digresso ex Ætoliâ Cassandro, Ætolorū ad tria millia inter se conspirātes, Agriniū, vallo & aggere cinctū, obsidēt. Oppidani verò cū hoste ita transigūt, vt deditâ vrbe, receptáq; incolumitate, abscedāt. Fide igitur pactis habitâ in abitu erāt: cùm violatâ trāsactionis fide Ætoli eos, qui nullū sibi periculū timebant, persequi, & præter paucos, omnes conciderunt. Cassander autem in Macedoniā reuersus, vbi confœderatas Ptolemæo & Seleuco vrbes in Cariâ bello infestari audiuit, exercitū in Cariā expediuit, tū

vt sociis opem ferret, tum vt maturè Antigonum distraheret: ne ocium transmittendi in Europam haberet. Per literas etiã Demetriũ Phalerẽsem & Dionysium, præsidii Munychiani præfectum, x x naues in Lemnum expedire iussit. qui cùm statim nauigia Aristotele nauarcho misissent: hic in Lemnum profectus, accersito cum classe Seleuco, defectionis ab Antigono Lemniis suasor erat. Illis verò detrectantibus, tum agrum peruastabat, tũ vallo circumdatam vrbem obsidebat. Per hæc tempora Seleucus Côn appulit, cuius aduentu Dioscorides, Antigoni prætor classis, audito, in Lemnum traiecit, Aristotelemque ex insulâ eiecit, & nauium plerasque vnâ cùm viris cepit. Cassander autem & Prepelaus agminis, quod Cassander in Cariam miserat, ductores erãt. Hi audito, Ptolemæum Antigoni præfectum copias in hyberna distribuisse, ipsúmque in sepulturâ patris occupatum: Eupolemum ad Caprima in Cariâ hostibus insidiatum misêre, octo millibus peditũ & duobus equitũ millibus adiunctis. Sub idem verò tempus, consilio hostium per transfugas explorato, Ptolemæus ex proximè hyemãtibus I I x peditũ millia & trecentos, & sexcentos equites euocauit: & mediam circa noctẽ ex insperato vallum hostis adortus, cùm sine excubiis in somnum effusos obruisset, tum Eupolemum ipsũm cepit, tum ad deditionem milites adegit. Hæc ergo missorũ à Cassandro in Asiã tunc fuit cõditio. Sed Antigonus Asiam sibi vendicare Cassandrum videns, filiũ Demetrium in Syriâ cum mandatis relinquit, vt Ptolemæanos quos cum exercitu in Syriam progressuros suspicio erat, insidiis excipiat, & decem millia peditum ex peregrinis, duóq; millia ex Macedonibus, Lycios insuper & Pãphylios quingentos, sagittariósque ac funditores ex Persiâ quadringẽtos; quinque etiam millia equitum, & supra x L elephantos cum eo remanere iubet, consiliariis quatuor adhibitis, Nearcho Cretensi, ac Pithone Agenoris, qui paucos ante dies Babylone venerat, itémq; Andronico Olynthio, & Philippo, viris ætate prouectis, qui militiæ Alexandri per totam expeditionem socii fuerãt nam iuuenis adhuc erat admodum Demetrius, quippe annos x x I I natus. Ipse Antigonus, cæteris apud se copiis retentis, dum Taurum superare nititur, in magnam vim niuium incidit, nec paruam militum iacturam facit. ideò retrò in Ciliciam reuersus, aliámque nactus oppor-

L X X-
I X.

tunitatem, minori incommodo montem illum transcendit, & ad Celænas Phrygiæ progressus, in hyberna exercitum distribuit. Post hæc classem è Phœnicia, cui Medius præerat, accersit. Huic cùm forte fortuna Pydnæorum naues triginta sex occurrerent, prælio subactas vna cum viris in potestatem redegit. In hoc itaque statu Græciæ tum Asiæque res erant. In Sicilia interim Syracusanorum exsules Agrigenti commorantes, principes vrbis exhortabantur, ne sic prædam suam facere oppida sinerent Agathoclem. Nam vltrò cum tyranno belligerari, priusquàm se confirmasset, satius esse, quàm ad incrementa eius vsque cunctatos, ad certamen cum potentiore suscipiendũ, necessitate cogi. Qui cùm vera dicere viderentur: populus Agrigentinus per suffragia bellũ sciuit, adiunctisq; in societatẽ Gelois & Messeniis, exsulũ quosdam cũ mandatis Lacedæmonẽ miserunt, vt imperatorẽ, qui præesse rebus posset, inde secũ adducere niterentur. ciues enim, vt nõ alienos à tyrannide suspectos habebãt, sed extraneos, si Timoleontis Corinthii imperiũ ad cor re uocarent, iustè rerum summã accuraturos, existimabãt. Cùm igitur legati in Laconiam tandẽ appulissent, Acrotatũ, Cleomenis regis filiũ, inueniunt, plerorumq; iuuenum offensione laborantẽ, ideóq; percupidũ rerum peregrinarũ. Nã cùm Lacedæmonii, post conflictũ cum Antipatro, ignominiã exsoluerẽt è clade illã elapsos, solus decreto se opposuerat. Hinc ergò factum erat, vt & aliorũ non paucos, & maximè illos offenderet, quibus pœnã leges irrogãrant. hi enim cõspiratione inter se facta, verberibus hominẽ incesserant, nec insidias ei struere desistebãt. Hanc ob causam ducatus peregrini cupidus lubenter tũ Acragantinis operã addixit. Et citra Ephororũ sententiã, peregrinatione suscepta, paucis cum nauibus soluit, vt Agrigentũ transmissurus. Sed in Adriã tempestate reiectus, Apolloniatarum territorio appulit. Ibi cùm vrbẽ à Glaucia Illyriorũ rege obsessam offẽdisset, obsidionẽ soluit, rege ad fœdus cũ Apolloniatis percutiendũ inducto. Hinc Tarentũ appulsus, cum populus ad vindicandũ in libertatem Syracusios secũ exhortaretur, auctor fuit, vt xx nauiũ subsidia decernerẽt. nã propter cognationẽ, & familiæ maiestatẽ, fidei ponderisq; multum cũ verbis eius coniunctũ esse, putabatur. Dum itaq; in apparatu sunt Tarentini, ipse Agrigentũ profectus, imperiũ accepit, ac plebe in spes magnas arrecta

LXXI. LXXXI.

strectâ, effecit, vt intra breue spacium tyrannidis destructio-nē omnes expectarent. At tēporis progressu nullā neque pa-triā neq; generis nobilitate, dignā rem peregit. sed è contra-rio, quòd sanguinarius & tyrannis ipsis crudelior esset, offen-sionē plebis incurrit. ad hæc patrium viuendi morē immuta-uit; & voluptatibus tā procaciter indulsit, vt Persa videretur esse, non Spartanus. Posteaquàm verò maximam prouen-tuum partem, cùm (malè) administrando Rempublicam tum peculando absumpserat: tandem Sosistratum inter ex-sules clarissimum, qui sæpe ductor copiarum fuerat, ad cœ-nam inuitatum, dolo interemit, nihil omninò habens, quòd crimini ipsi daret, sed tantùm, vt virum strenuum, & qui ma-lè gerentes imperium obseruare poterat, è medio tolleret. Quo facinore peruulgato, confestim exsules magno cum concursu inuadunt, & reliqui omnes abalienantur; primó-que magistratum ei adimunt; nec multò pòst lapidibus ho-minem obruere conantur. à vulgi igitur impetu sibi me-tuens, noctu fugâ sibi consulit, & clàm in Laconiam transf-mittit; post cuius discessum, Tarentini classem in Siciliam expeditam reuocant. Agrigentini verò Geloíque & Mes-senii bellum cum Agathocle componunt, Amilcare Car-thaginiensi fœderis sequestro. cuius hæc erant capita: VT DE GRÆCIS IN SICILIA CIVITATI-BVS, HERACLEA, SELINVM ET HI-MERA, SICVT ANTEA FVISSENT, IN DITIONE CARTHAGINENSIVM MA-NERENT. ALIÆ VERO OMNES, SYRA-CVSANIS IMPERIVM OBTINENTI-BVS, IVRIS SVI FORENT.

XX-II. Exinde vacuam hostilibus copiis Siciliam videns A-gathocles, securè oppida & castella ditioni suæ adiecit. & plu-rimis breui subactis, firmum sibi principatum comparauit. nam sociorum multitudine, redituumque vbertate, ac valido exercitus robore, auctus fuit. Præter confœderatos enim, aliósque è Syracusis militiæ adscriptos mercenarios habe-bat delectos, decem peditum millia, & ter mille quinqua-ginta equites: armorum præterea telorúmque omnis ge-neris apparatu se instituit: præuisum habēs, quòd repreken-sō propter fœdus Amilcare, Carthaginienses breui bellū sibi illaturi essent. Siciliæ itaq; rēs ea tēpestate huiusmodi statum

habebant. In Italia verò Samnites, iam complures annos cum Romanis de imperio belligerantes, Plistiam Romano præsidio firmatam, expugnant, & Soranos inducunt, vt mactatis inibi Romanis cum Samnitibus fœdus societatis faciant. Posthæc dum Satriculam oppugnant Romani, cum numeroso exercitu superueniunt, obsidionē soluere properantes. Validum ergò prælium initur, & multis vtrinque cæsis, superiores tandem fuerunt Romani; & expugnatâ post conflictū vrbe, vicina quoque oppida & castella aggressi subiungunt. Iámque bellum ad vrbes Apuliæ translatum erat; cùm Samnites omnibus, qui ad militiam per ætatem idonei essent, conscriptis, proximè hostem, tanquam de summa rei decertaturi, castra mouerunt. Populus ergo Romanus, de euentu solicitus, magnam vim militum eò misit. & quia periculosis temporibus aliquem ex nobilissimis viris imperatorē cum summa potestate bello præficere solebant: Quintum Fabium tunc Dictatorē, cúmque eo Quintum Aulium magistrum equitum creârunt. Hi copiis adsumtis, cum Samnitibus ad Lautulas (vt vocantur) acie collatâ, multos suorum amisêre. Totóque iam exercitu vertente terga, Aulius, quòd fugæ puderet, solus hostiū multitudini restitit; nō quidem victorē se fore sperās, sed vt patriā suā ex parte inuictam ostenderet. hic igitur fugæ turpitudinem non participans, cū ciuibus, gloriosam priuatim sibi mortem consciuit. Tum ne prorsus iacturam facerēt Apuliæ, veriti Romani, Luceiam, clarissimam in locis illis vrbem, colonos miserunt. inde eruptiones in Samnites factæ. Nec malè hoc pacto commoditatibus suis prospexêre. Nam vrbis huius adiumento non in hoc tantùm bello victores abierunt, sed pòst etiam ad nostram vsque tempestatem vrbe hac, tanquam arce belli, aduersus gentes finitimas perpetuò vsi fuerunt.

Rebus huius anni ad eum perductis finem, Theophrastus Athenis summum magistratum accepit, Romæ verò Consules creati sunt M. Pœtelius, & Caius Sulpicius. Tum Callantiani, tractus ad Pontum sinistri accolæ, præsidium à Lysimacho impositum eiiciunt, seque in libertatem vindicant. eodem modò etiam liberatâ Istranorum vrbe, & finitimis, ad bellum commune Principi inferendum fœdus ineunt. Quin & Thracum & Scytharum populos contermios amicitia sibi adstringunt. totum itaque agmen tantæ

LXX-XIII.

erat

erat grauitatis, vt cum numerosissimis etiam copiis acie congredi posset. Quæ vbi facta cognouit Lysimachus, cum exercitu aduersum rebelles contendit, & facto per Thraciam itinere, cùm Æmum superasset, iuxta Odessum castra metatur. quam obsidione cinctam conterritis oppidanis, in deditionem accepit. Hinc Istrianis simili modo recuperatis, in Callantianos mouit. sub quod tempus Scythæ & Thraces magnis viribus ex fœdere sociis opitulatum superuenêre. Quibus obuiam progressus Lysimachus signis è vestigio illatis, Thraces perterritos ad transitionem induxit: Scythas verò acie victos magno numero concidit, & reliquos è finibus submouit. Inde castris vrbem Callantianorum circundatam obsedit, id omni studio contendens vnicè, vt defectionis auctores puniret. His dum occupatur, nunciatum venerunt quidam, duos Antigonum exercitus Callantianis subsidio misisse, vnum terra, alterum mari; iamq; Lyconem præfectum cum classe Ponto imminere, & Pausaniam cum manu haud exiguâ, ad Hieron id est (*sacrum*) quod vocatur, castra posuisse. Quo perturbatus nuncio Lysimachus, mediocrem in obsidione manum reliquit; robur autem exercitus festinanter abduxit, cum hoste manus conserere maturans. Iamque Æmum transiturus, Seuthen Thracum regem inuenit, quòd defecisset ad Antigonum, multisque armatis transitum custodiret. Prælio igitur commisso multisque suorum amissis, & plurimis hostium interfectis, vi Barbaros submouit. Tũ etiam Pausanianos inuafectis, vi Barbaros submouit. Tũ etiam Pausanianos inuadit, in angustiis, quo confugerant, illos nactus. has expugnat, & Pausaniâ interemto, milites partim accepto precio dimisit, partim in ordines suos distribuit. Lysimachi ergo res ita se habebant.

XXIV. Antigonus verò cùm hic conatus non successisset, Telesphorum, cùm quinquaginta nauium classe, & mediocribus copiis instructum, in Peloponnesum misit, cum mandato, vt Græciæ vrbes in libertatem vindicaret. hoc enim facto, fidem se Græcis facturum sperabat, quòd reuera libertatis ipsorum curam gereret; & hac simul ratione exploraturum se res Cassandri, arbitrabatur. Telesphorus igitur quamprimùm in Peloponnesum appulit, munitas Alexandri præsidiis vrbes adiit, omnesque, exceptâ Sicyone ac Corintho, liberauit. in illis enim Polysperchon cum numero-

ſis copiis ſubſiſtebat, tum his, tum locorum firmitate, confiſus. Dum verò hæc aguntur, Philippus à Caſſandro ad bellum cum Ætolis gerendum dux miſſus, ſimul ac cum exercitu in Acarnaniam peruenit, principio quidem Ætoliam depopulari aggreditur; ſed non multò pòſt vbi Æaciden Epirotam, in regnum iam reuerſum, validum coegiſſe exercitum audiuit, ſine morâ in eum contendit. nam ſeorſum cum eo decertare, priuſquàm Ætolorum ſe copiæ admiſcuiſſent, properabat. Cúmque paratos ad conflictum Epirotas inueniret, primò ſtatim aduentu manus cum illis conſeruit; multoſque interfecit, nec paucos cepit; inter quos accidit, vt circiter quinquaginta eſſent de illorum factione, qui reducendi regis auctores fuerant: quos vinctos Caſſandro tranſmiſit. cumque Æacidani ex fugâ recollecti Ætolis ſe adiunxiſſent, aggreſſus illos denuò Philippus pugna vicit, multoſque interemit, quorum in turbâ Æacides etiam rex erat. Intra pauxillum ergo dierum tantis rebus tam proſperè geſtis, multos Ætolorum adeò perterruit, vt deſertis vrbibus non ſatis firmis, in difficilimos aditu montes cum vxoribus & liberis confugerent. Atque res per Græciam geſtæ hunc tum finem habebant.

In Aſiâ verò Caſſander, licèt Aſiæ iam imperaret, tamen, quia mole belli grauabatur, cum Antigono hac conditione tranſegit, vt milites omnes Antigono traderet, & Græcis vrbibus iuris ſui libertatem concederet, ac Satrapiam quam priùs habuerat, tanquam donum retineret, firmus Antigono deinceps amicus. horum causâ, obſidem illi fratrem Agathonem dedit. ſed poſt dies non multos, cùm pactorum illum pœniteret, fratrem è cuſtodiâ ſurripuit, & legatione ad Ptolemæum & Seleucum miſſa, vt quàm primum ſibi auxilia ferrent, contendit. Quod indigniſſimè ferens Antigonus, terrâ marique copias ad liberationem vrbium miſit, & claſſi Medium nauarchum, terreſtri autem agmini Docimum imperatorem præpoſuit. Hi ad vrbem Mileſiorum profecti, ciues ad libertatem inuitant, arcemq; præſidio munitam, expugnant, legeſque ſuas reipublicæ reſtituunt. Hic dum illi occupantur, Antigonus Tralleis expugnat, & Caunum progreſſus, accerſitâ claſſe, etiam hanc vrbem capit, præter arcem. quam vallo cinctam, ex qua parte inuadi poterat, continuis aſſultibus impetit. Miſſus

LXXXV.

erat

erat cum ſat validâ manu Ptolemæus ad Iaſum vrbem: is cum Antigono ſe coniungere cogitur. Et hæ tum Cariæ vrbes in ditionem Antigoni venerunt. Poſt dies inde paucos, cùm Ætolorum & Bœotorum legati adueniſſent, ſocietatem cum illis fecit. Hinc cum Caſſandro ad Helleſpontum de pace ad colloquium congreſſus, re infectâ diſceſſit: quandoquidem nullo pacto inter eos conuenire poterat. Caſſander itaque pacificationis ſpe abiectâ, res Græciæ ſibi vendicare iterum conſtituit. Ideò cum XXX nauium claſſe profectus, Oreum vrbem obſidione cinxit. Cúmque oppugnationi ſtrenuò incumberet, & iam oppidum vi caperetur: Teleſphorus è Peloponneſo cum XX nauibus & CIↃ armatis, Medius autem ex Aſiâ cum centum nauibus, Oritis auxiliatum venêre. qui naues Caſſandri, in portu ſtationem habentes conſpicati, quatuor flammis iniectis cremârunt, & corruperunt fermè omnes. Cúmque ſuccumbentibus auxilium Athenis aduenisſet, Caſſander in hoſtem, cui deſpicatui erat, denuò inuehitur; commiſſoque prælio vnam demergit, & tres vnà cum viris capit. Res igitur per Græciā geſtæ ita ſe habebant.

XX-VI. In Italiâ, Samnites, oppida Italiæ, quotquot aduerſariorum partibus addicta erant, incurſata populabantur. At Romani Conſules cum exercitu illuc profecti, vt ſociis in periculo verſantibus ſuccurrerent, operam dabant: caſtriſque è regione hoſtium ad Cinnam poſitis, vrbem ſtatim ab imminente terrore liberârunt. Pauciſque diebus pòſt, explicatis vtrinque aciebus, pugna vehemens conſeritur, & plurimis vtrinque proſtratis, tandem Romani vi perrumpentes hoſtes omninò profligant, & ad longum inſecuti ſpacium, plus quàm decem millia occidunt. Interea dum ignoratur hæc pugna, Campani, Romanorum contemptu inducti, rebellant. confeſtim ergo populus validum contra illos exercitum mittit, Dictatore Caio Mænio, adiunctoq; illi, pro more patrio Marco Follio equitū magiſtro. His caſtra prope Capuam metatis, Campani ferro diſceptare ſub initiū conſtituerunt: verùm de clade Samnitum certiores facti, cùm totis ſe viribus peti exiſtimarent, pacem cū Romanis faciūt: auctores enim tumultus dedidêre, qui poſt inſtitutā quæſtionem, non exſpectata iudicii ſententia, mortē ſibi conſciuerūt. Vrbes autem veniam conſecutæ, ad ſocietatem priſtinam redactæ ſunt.

Exacto illo anno, Archontis munus Athenis gerebat Polemo, Romæ verò consulatum Lucius Papirius quintum & Caius Iunius (iterum) celebrata hoc anno fuit Olympias decima septima post centesimam; quâ stadii victoriam retulit Parmenio Mitylenæus. Hoc tempore Antigonus Polemonem ducem Græcos liberatum in Græciam legauit; & cum eo misit centum quinquaginta naues longas, quibus Medium præfecerat nauarchum; peditum verò quinque millia & equites quingentos imposuerat. Iunctaque cum Rhodiis societate, decem ab illis naues, ad bellum instructas, ad vindicandum Græcorum libertatem, accepit. Tum Ptolemæus cum vniuersa classe in portum Bœotiæ, qui profundus appellatur, prouectus, a communitate Bœotorum milites adsumpsit ꟾↄ ꟾↄ cc pedites, & ꟾↄ ccc equites. Naues etiam ex Oreo accersiuit, & firmato mœnibus Salganeo, vniuersas illuc copias contraxit. Chalcidenses enim societatem amplexuros suam sperabat, qui soli Eubœensium præsidio hostium tenebantur. Cassander igitur Chalcidi timens, obsidionem Orei soluit; & Chalcidem profectus, copias accersiuit.

Antigonus verò castra castris ad Eubœam opposita esse, certior factus, Medium cum classe in Asiam reuocat; & statim copiis assumptis, celeriter ad Hellespontum, vt in Macedoniam traiecturus, contendit: vt aut manente ad Eubœam Cassandro, Macedoniam ipse vacuam defensoribus occuparet: aut regno suppetias ille ferens, posthabitis Græciæ rebus, pro suis domi rebus decertare cogeretur. Cassander autem, intellecto eius consilio, Plistarchum ad præsidium Chalcidis reliquit; ipseq; cum toto exercitu inde progressus, Oropum vi cepit, & Thebanos societatis fœdere sibi adiunxit; induciasque cum cæteris Bœotis pactus, Eupolemo ad Græciæ defensionem relicto duce, in Macedoniam de transitu hostium anxius, recessit. Antigonus verò vbi ad Propontidem peruenit, per legationem à Byzantinis postulauit, vt in partem societatis venirent. At cùm etiam à Lysimacho adessent legati, admonentes, vt neque contra ipsum, neque contra Cassandrum quicquam facerent: Byzantinis domi quietis manere, & pacem simul amicitiamq; erga vtrosque seruare placuit. Qua incommoditate retardatus Antigonus; cum simul & hyemale tempus illum

coarctaret, milites oppidatim in hyberna distribuit. Inter hæc Corcyræi, cùm Apolloniatis & Epidamniis auxiliatum venissent, milites Cassandri data fide dimittunt; vrbiumque vni, Apolloniæ, libertatem restituunt: alteram, Epidamnum, Glauciæ Illyriorum regi tradunt. Antigoni verò legatus Ptolemæus, digresso in Macedoniam Cassandro, perterrefacto Chalcidis præsidio, vrbem in potestatem accepit, & Chalcidenses à præsidio immunes esse iussit: vt palàm fieret, verè apud se constituisse Antigonum, asserere in libertatem Græcos. vrbs enim peropportuna est illis, qui de summo imperio belligerandi propugnaculum habere volunt. Polemon autem Oropum expugnatam Bœotis tradidit, militesque Cassandri in potestatem suam redegit. Pòst Eretriensibus & Carystiis in societatem receptis, exercitum in Atticam duxit; Demetrio Phalerensi tunc vrbis præfecto. Iam pridem antea clàm miserant Athenienses ad Antigonum, qui restitutionem libertatis postularent. tunc verò, cùm approximaret vrbi Ptolemæus, confirmatis animis ad faciendum inducias, & mittendum ad Antigonum de societate legationem, Demetrium compulerunt. Promotis inde castris ex Atticà in Bœotiam, Ptolemæus Cadméam cepit, eiectoque præsidio, Thebas liberauit. Hinc in Phocidem progressus, vrbibus plerisque subactis, Cassandri præsidia vbique expulit. Locridem præterea inuasit, & quia cum Cassandro sentiebant Opuntii, obsidione institutà, continenter vrbem oppugnabat.

XX-IX.

Eadem æstate Cyrenæi à Ptolemæo deficiunt, arcem veluti iamiam præsidium eiecturi, obsident. cumque legati ex Alexandrià illuc missi, vt ab obsidione desisterent, hortarentur, capite illos multant, & obsidionem maiore contentione vrgent. His grauiter commotus Ptolemæus, Agim ducem cum terrestri illuc exercitu mittit; classem etiam in subsidium belli, Epæneto prætore, expedit. Agis itaque bellum aduersus defectores strenuè persequens, vrbem vi subigit, auctoresque defectionis in vincula compactos Alexandriam mittit, cæteris verò arma demit. hinc ciuitatis rebus, prout commodum ei videbatur, constitutis, in Ægyptum redit. Ptolemæus autem, vbi Cyrenes negocium ex animi sententia successerat, in Cyprum aduersus reges imperium detrectantes ex Ægypto cum exercitu traiecit; & Pygmæ-

lionem cum Antigono per legatos agentem nactus, è medio sustulit. tum Praxippum Lapithiæ regem; & Ceryniæ principem, de alienatione suspectos; Stasiœcum præterea regulum Mariensium, comprehendit, euersaque vrbe incolas Paphon transtulit. His autem peractis, Nicocreontem Cypro ducem imposuit, vrbesque ac reditus eiectorum regum illi attribuit. Ipse cum exercitu in Syriam, quæ superior appellatur, transuectus, Posidéum, (*Neptunium*) & Potamos Carum (id est *fluuios Carum*) expugnatas diripuit. expeditoq; cursu in Ciliciam prouectus Mallum cepit, & deprehensos in vrbe sub hastâ venumdedit.

Finitimam insuper regionem deuastauit, & ditato emolumentis exercitu, in Cyprum renauigauit. Talem verò se militibus exhibebat, vt ad pericula, quæ imminerent promptitudinem illorum excitaret.

XC. Demetrius interim Antigoni perpetuò in Cauâ Syriâ subsistebat, vt copiis Ægyptiorum immineret. Vbi verò de captis vrbibus audiuit, Pithonem illis in locis cum imperio reliquit, elephantis & grauis armaturæ ordinibus ei traditis. ipse equitatu ordinibusque ferentariorum assumptis, subitis itineribus Ciliciam versus perrexit, vt periclitantibus opem ferret. Sed cùm tardiùs quàm opportunum esset, post hostium inde discessum, venisset, citatò in castra rediit, equis in itinere plerisque amissis: intra dies enim sex à Mallo XXIV stathmos confecit: ita vt propter immodicos labores, neque caculatum, neque equisonum quisquam subsequi posset. Ptolemæus ergo cùm, quem volebat, progressum res habuissent, tunc quidem in Ægyptum regressus est. sed non diu pòst à Seleuco instigatus, propter inimicitias cum Antigono, in Cauam Syriam mouere, & cum Demetrio confligere, decreuit. Quamobrem copiis vndique contractis, ab Alexandriâ ad Pelusium mouet, XVIII millia habens in peditatu, in equitatu quater mille: quorum alii Macedones, alii conductitii erant. Ægyptiorum multitudo partim tela cæteraque impedimenta gestabat, partim armis ad pugnæ vsum instructa erat. A Pelusio deserta emensus prope hostes, ad vetustam Syriæ Gazam, castra ponit. Ita etiam Demetrius ex hybernis vndique euocatis in Gazam veterem militibus, hostis aduentum præstolabatur.

Amici

Amici quidem consulere, ne cum tanto imperatore, & exercitu numerosiore, aciem conferret. verùm ille morem his non gerere, sed ad discrimen confidenter sese præparare: tametsi oppidò adhuc adolescens, ac sine patre tam difficilis prælii certamen subiturus esset. Iamque inter arma concione aduocatâ, stabat in suggestu quodam anxius & perturbatus: cum vulgus vnâ voce, vt bono esset animo, exclamauit; & priusquàm tumultuantes præco inhiberet, silentium ab omnibus factum est. nec enim militaris, nec ciuilis, aduersus illum criminatio habebatur, vt qui recens imperium susceperat. quod quidem antiquis ducibus vsu venit: dum multis è causis vna criminatio in vnum tempus coaceruatur. Nam multitudo in eodem tenore permanens, semper est morosa: & quicquid non ampliatur, gratam habet mutationem. Huc accessit, quòd patre iam ætate confecto, spes regni imperium simul & vulgi beneuolentiam in successionem illius traducebat. Quid? quòd pulcritudine ac staturâ corporis excelluit, regiisque ornatus armis, maiestatis & reuerentiæ multum præferebat; quâ in spes præclaras multitudinem adduxit. Ad hæc mansuetudine nouum regem decente præditus erat; quâ cunctos ad beneuolentiam erga se allexit: ita quidem, vt etiam in nullos cooptati ordines ad illum auscultandum confluerent, de iuuentute eius, ac futuri conflictus discrimine, soliciti. Non enim aduersus plures duntaxat fortunam belli periclitaturus erat; sed etiam aduersus duces omnium propè maximos, Ptolemæum & Seleucum. hi enim in bellis omnibus Alexandri commilitones fuerunt: ac sæpenumero per se copiarum ductores ad hæc vsque tempora inuicti manserant. Demetrius ergo amicis tunc verbis multitudinem exhortatus, vbi munera pro meritis sese exhibiturum & concessurum spolia promiserat, exercitum ad pugnam ordinauit.

XCII. In sinistro itaque cornu vbi ipse dimicaturus erat, primo loco statuit delectos equites ducentos: inter quos cùm cæteri amici erant, tum Pitho; qui Alexandro militauerat, & tunc copiarum ductor, omniumque socius ab Antigono fuerat constitutus. in fronte autem tres equitum turmas, & à latere totidē præsidiarios disposuit. seorsum verò extra cornu separatos tres Tarentinorum: vt equites hastati regis corpus circumdarent quingenti, & centum

Tarentini. inde equites, quibus sociorum nomen, collocauit numero Iↄ ccc, & post hos equites varii generis non pauciores cIↄ Iↄ. totum verò cornu præmuniuit elephantibus xxx, & interualla expleuit ordinibus velitum quorum mille erant iaculatores & sagittarii, Iↄ funditores Persæ. Ita cornu sinistrum constituerat, eoque pugnam inceptare, in animo habebat. Exinde peditum agmen XII millibus constans locum habere iussit, quorum duo millia erant Macedones, Lycii & Pamphylii mille, & stipendia merentes Iↄ ccc. In dextro autem cornu equitatum reliquum cIↄ Iↄ constituit, ductore Andronico, cui imperatum erat, vt stationem obliquam seruaret, & fugiendo pugnaret, obseruans, quem ipse Demetrius faceret prælii euentum. Reliquos elephantos XIII ante peditum Phalangem statuit, interuallis quibusdam rorariorum quantum satis esset, immiscens. Ad hunc sanè modum exercitum suum Demetrius adornârat.

XCII. Ptolemæus autem & Seleucus initio sinistrum cornu roborauerant, consilium hostis ignorantes: sed per exploratores quid factum esset edocti, celeriter sic aciem in ordinem digesserunt, vt cornu dextrum robore maximo firmatum cum Demetrianis in cornu sinistro confligeret: inque cornu illo tribus equitum millibus, qui fortissimi erant, locum assignarunt: inter quos & ipsi decertare constituerant. Ante horum stationem ordinauerant, qui vallum ferro præmunitum & catenis reuinctum gestarent, quod contra beluarum incursum præparârant. hoc enim extenso, illarum in vlteriora procursum facile erat prohibere. Expeditos etiam manipulos ante cornu hoc disposuerant, iaculatoribus & sagittariis, continenter vulneribus, feras, & qui his vehebantur, impetere iussis. Munito hunc ad modum cornu dextro, copiisq; cæteris, prout res tum exigebat, in ordinem redactis, magno cum vociferatu in hostes duxêre. qui cùm & ipsi cum suis aduersum tenderent, initium pugnæ fit in fronte cornuum ab equitibus illic constitutis: vbi Demetriani longè antecellebant. Sed parua interiecta mora, cùm Ptolemæani & Seleuciani circumuecti turmis directis impressionem facerent, prælium acre per vtriusque partis alacritatem exsistit. Primoque incursu lanceis congressi, plurimos confringunt, nec pauci vltro citroque dimicantes vulneran-

nerantur. In coitione alterâ gladiis res geri cœpta, vbi conserti plurimi hinc inde cadunt. ipsique Imperatores periculo se committentes præ omnibus, sacramento sibi deuinctos, vt fortiter pugnæ difficultatem sustineant, hortantur. Equites sanè cornibus tutandis præfecti, eximiæ virtutis omnes, quòd duces vnà dimicantes fortitudinis spectatores haberent, mutuà inter se æmulatione certabant.

XCV. Iamque ad tempus bene longum anceps fuerat pugna; cùm beluæ, Indorum magisterio in pugnam concitatæ, cum terrore, quasi nemo vim illarum sustinere posset, quadamtenus grassabantur. Ast vbi vallum attigêre ferratum, iaculatorum multitudo & sagittariorum assiduis ictibus beluarum corpora, & insessores vulnerabant. ibi cùm violentiùs vrgerent Indi, beluasque castigarent, quædam ex ipsis vallo arte facto infixæ hærebant, & ex vulneribus, missiliumque frequentiâ in dolores coniectæ tumultum ciebant. nam id genus in planis læuibusque locis intolerabilem à fronte vim affert: in asperis verò impeditisque ob pedum mollitiem, robore suo nihil efficit. quamobrem tunc etiam Ptolemæus, cùm, quid ex valli obiectu futurum esset, soler- ter præuidisset, violentiam ferarum irritam fecit. tandem plerisque Indorum confossis, vt cuncti Elephantes in hostis potestatem venirent, accidit. Quo euentu maxima pars equitum Demetrii consternata, fugam arripuit. Ipse verò cum paucis derelictus, cùm vnumquemque obsecraret, vt loco se continerent, nec ipsum destituerent; ac nemo tamen attenderet; retrocedere coactus est. Ad Gazam igitur vsque bona pars equitum comitata, in officio manebat, ordinibus seruatis, vt nullus temerè persequentium accedere facilè auderet. nam quia campus longè latéque exporrectus atque læuis erat, adiuuabat illos, qui composita acie recedere volebant. Peditum etiam nonnulli, quibus ordinem deserere, & absque armis saluti consulere expeditiùs visum esset, consequebantur. At cùm sub occasum solis Gazam præteriret, equitum nonnulli ipso deserto, vrbem introiêre, vt impedimenta efferrent. Apertis igitur portis, dum magna iumentorum vis hinc inde congregatur, eaque sarcinis onerata quisque educere festinat, tantus ad portas tumultus excitatus fuit, vt superuenientibus Ptolemæanis, nemo ad claudendum portas illos anteuertere potuerit. Irruptione igi-

tur hostium intra muros factâ, vrbs in manus Ptolemæi venit.

Pugnâ hunc exitum sortitâ, Demetrius contento itinere Azotum peruenit, circa medium noctis, CCLXX stadia emensus. hinc præconem de recuperandis ad sepulturam cadaueribus misit; quòd iusta facere mortuis omni studio cōtenderet. plerique enim amici ceciderant, quorum illustrissimi erant, Pitho, æquali potestate cum ipso functus imperio, & Bœotus, qui longo tempore cum patre Antigono vixerat, omnis arcani particeps. In conflictu verò occubuerant plures quingentis: magna pars equitum, & præcipuæ nobilitatis viri. captiuorum numerus Iↄↄ cIↄ cIↄ cIↄ excessit. Ptolemæus autem & Seleucus concessâ mortuorum sepulturâ, regiam quoq; supellectilem, quæ in potestatem illorum venerat, & de captiuis in aulâ commorari solitos absque lytris Demetrio remisêre. negârunt enim de his se cum Antigono dissidere: sed quòd per bellum communi operâ, priùs cum Perdicca, deinde cum Eumene gestum, armis subactæ regionis partes amicis non reddidisset, & redintegratâ rursus amicitiâ cum ipso, prouinciam Babyloniæ, præter omne ius Seleuco ademisset. Captiuos verò alios in Ægyptum misit Ptolemæus, cum mandato, vt in classis præfecturas huc illuc distribuerentur. Ipse cùm cæsis in pugnâ omnibus exsequias peregisset magnificas, Phœniciæ vrbes cum exercitu inuasit, alias obsidendo, alias persuadendo subiungens. Demetrius interea, quòd iustis ad resistendum copiis destitueretur, misso ad patrem tabellario, vt quàm celerrimè suppetias ferret, postulauit. Ipse verò Tripolin Phœniciæ ingressus, milites è Ciliciâ, & alios, quicunque vel vrbes vel castella ab hoste longiùs remota custodiebant, euocauit.

At Ptolemæus iam subdialia tenens Sidonem in partes suas pertraxit. & prope Tyrum castra metatus, Andronicum præsidii ducem de tradendâ vrbe solicitat, præmiaq; cum honoribus ampla pollicetur. Is nullo se modo fidem, quam Antigonus & Demetrius ipsi haberent, proditurum respondet, & grauissimis Ptolemæum conuitiis incessit. Sed aliquantò pòst, cùm per seditionem militum in hostis manus venisset, pœnas, tum ob conuitia, tum quòd tradere vrbem noluisset, exspectabat. Ptolemæus verò nequaquam iniuriæ

iniuriæ recordatus eſt. quin imò muneribus affectum inter amicos cooptauit, & honorificè prouexit. Hic enim princeps æquitatis & clementiæ ſtudioſiſſimus erat, & apprimè beneficus. quod etiam ad honoris & potentiæ incrementa plurimùm ei commodauit, & vt multi amicitiam cum ipſo iungere cuperent, effecit. Nam & Seleucum Babyloniâ eiectum honorificè exceperat, ſuamq; cum ipſo & cæteris amicis felicitatem communicârat. quamobrem etiam tum roganti Seleuco, vt milites, cum eo in Babyloniam adſcenſuros, concederet, propensè cupidéque aſſenſit, omniaque ſe præſtiturum recepit, quoad priſtinam ille Satrapiam recuperaſſet. In hoc igitur ſtatu tum Aſiæ res erant.

XCII In Europâ verò Teleſphorus, Antigoni claſſis præfector, ad Corinthum ſubſiſtens, vbi Ptolemæum ſibi præferri, & cuncta per Græciam negocia eius fidei committi videt, crimini id Antigono vertens, naues quas ſecum habebat, illi reddit, aſſumptiſque ex militum turbâ illis, qui in ſocietatem propoſiti tranſire vellent, ſuo res arbitrio gerere cœpit. nam Elidem ingreſſus, quaſi amicitiam cum Antigono adhuc coleret, arcem in ea conſtructam muris firmat, vrbemq; ſeruituti obnoxiam reddit. Quin & fanum in Olympia expilat, & coactis plus quàm quinquaginta talentis argenti, externos milites conducit. Ad hunc ergo modum inuidiâ ob Ptolemæi prouectionem inflammatus, Teleſphorus amicitiam Antigoni prodebat. Ptolemæus verò dux Antigoni rebus per Græciam adminiſtrandis præpoſitus, vbi defectionem Teleſphori, occupatamque Eleorum vrbem, & direptas in Olympia opes, reſciuit; cum exercitu in Peloponneſum mouit; Elidemque profectus arcem in eâ communitam ſolo æquat, & in libertatem Elienſes vindicat, opes etiam deo reſtituit. Perſuaſo dehinc Teleſphoro, Cylienen etiam, præſidio eius cuſtoditam, recipit, Eleiſque reſtituit.

XCVI. Interea dum hæc geruntur, Epirotæ, Æacida rege ipſorum defuncto, Alcetæ regnum tradidêre; quem Arybilus pater exſilio multauerat. erat is Caſſandro infenſus; ideoque Lyciſcus, Acarnaniæ dux à Caſſandro deſignatus, cum exercitu in Epirum tranſiit: facilè euenturum ſperans, vt Alcetam nondum compoſitis regni negociis, imperio exueret. quare cùm ad Caſſopiam caſtra

posuisset: Alcetas Alexandrum & Teucrum filios ad vrbes misit cum mandatis, vt quàm plurimos militum colligerent: ipse cum manu quam habebat progressus, vbi propiùs ad hostem accesserat, filiorum aduentum exspectabat. At cùm Lyciscus multitudine longè præstans illum vrgeret, perterriti Epirotæ ad hostes transierunt. Alcetas igitur destitutus Eurymenas, vrbem Epiroticam, profugit hic dum obsidione premitur, Alexander patri subsidium ferens aduentat. Tum acre prælium conseritur: & multi ex militibus (Lycisci) tolluntur, inter quos cum alii quidam egregii viri erant, tum Micythus dux & Lysander Atheniensis, cui Leucadiæ administratio à Cassandro fuerat commissa. Postea verò auxiliante profligatis Diniâ, alterum exsistit prælium: quo victi Alexander & Teucer, cum patre in castellum quoddam munitum perfugêre. Tum Lyciscus Eurymenas expugnatas atque direptas complanauit.

XCI. Quo tempore audita suorum profligatione Cassander, nec dum certior factus de felici, qui illam exceperat, successu, properè Lyciscanis opitulatum in Epirum contendit. ast vbi rem feliciter ab illis gestam deprehendit, reconciliatâ pace amicitiam cum Alcetâ iniuit, assumptaque copiarum parte in Adriam mouit, obsessurus Apolloniatas, quòd præsidio illius eiecto, cum Illyriis se coniunxerant. At nequaquam terrori animos submittunt oppidani: sed ab aliis societate armorum deuinctis auxilia cùm accersissent, ante mœnia hosti aciem opponunt pugnâque ad longum tempus consertâ, Apolloniatæ numero militum superiores, ad fugam hostes adigunt. Cassander itaque multis suorum amissis; quòd & à copiis non satis instructus esset, & hybernam appetere tempestatem videret, in Macedoniam se recepit. Post huius discessum, Leucadii, Corcyræorum auxiliis roborati, præsidium Cassandri exturbant. Epirotæ verò ad tempus quidem regiam Alcetæ dominationem tolerabant. sed cùm asperiorem se plebi exhiberet, tum ipsum, tum duos eius natos, puerilis adhuc ætatis, Hesioneam & Nisum, trucidârunt.

C. In Asiam verò Seleucus, post victum fugatumq; ad Gazam Syriæ Demetrium, acceptis à Ptolemæo non plus Iↄ ccc peditibus & equitibus cc. Babylonem versus ducit, vsque adeò bonâ spe animatus, vt etiamsi nullis

nullis omninò copiis instructus fuisset, cum amicis tamen &
pueris in superiores adscendere terras constituisset, certò
persuasum haben.: Babylonios pro veteri erga se beneuo-
lentiâ propensè partibus suis accessuros. iamq; Antigonum
cum exercitu procul inde auulsum, opportunam instituto
suo occasionem præbuisse. Hac igitur alacritate dum per-
git, amici qui cum illo erant, videntes perpaucos militiæ
socios adesse; hostibus verò, contra quos tendant, magnos
in promptu exercitus, largosque commeatus, & numero-
sam auxiliariorum multitudinem suppetere; animis non me-
diocriter deiectis erant. quos consternatos animaduertens
Seleucus hac commonefactione exhortatur: Alexandri
commilitones, propter virtutem tantoperè ab illo proue-
ctos, decere, non exercitus robore prorsum atque opibus
confisos negocia capessere: sed peritiâ & ratione prudenti,
quibus etiam ille res magnas omnibusque admirandas ef-
fecisset. deorum præterea oraculis fidem adhibendam: quòd
dignum inceptis exitum habitura sit hæc expeditio. nam
cùm in Branchidis olim oraculum consuleret, Seleucum re-
gem à deo appellatum. & Alexandrum in somnis adstantem
clarum imperii futuri, quòd progressu temporis adepturus
„ esset, indicium edidisse. Adhæc omnia pulcra inter homi-
„ nes, & cum admiratione coniuncta, laboribus & periculis
comparari, ostendit. Erga commilitones etiam ciuiliter se
gerebat, æqualem omnibus se exhibens, ita vt vnusquisque
illum reuereretur, & profusam hanc audaciam lubens to-
leraret.

Promotis ergò castris, postquàm in Mesopotamiam
peruenit, Macedonum, qui Carrhis consederant, alios sua-
dendo pellexit, alios vi compulit ad eiusdem militiæ societa-
tem. Simulac verò Babyloniam ingressus fuit, complures
incolarum ei occurrunt, & adsociati, quicquid ei visum fo-
ret, communi se operâ facturos, pollicentur. per quadrien-
nium enim regionis præses, probè erga omnes se gesserat:
vt hac ratione beneuolentiam multitudinis prouocaret, &
longè antè sibi prepararet adiutores, si occasio disceptandi
de imperio, sibi aliquando daretur. Adiunxit se illi etiam Po-
lyarchus, administrationis quoddam munus gerens, cum
ampliùs mille armatis. Cæterùm qui amicitiam cum Anti-
gono tuebantur, vbi multitudinis impetum cohiberi non

poſſe vident, in arcem cui Diphilus cuſtos impoſitus erat, confugiunt. Huius oppugnationem inſtituit Seleucus, eâq; per vim captâ, pueros & amicos illic aſſeruatos, quos poſt diſceſſum illius ex Babylone in Ægyptum in cuſtodiam tradiderat Antigonus, inde eripuit. His autem confectis, milites conſcribit, & equos à ſe coemptos iis qui vti poſſent, tradit. Dumque in congreſſibus humanum ſe omnibus præbet, & ſpem bonam excitat, paratos & alacres ad quemuis euentum periculorum ſocios ſibi conciliat. Hoc itaque modo Seleucus Babyloniam recuperauit.

Cùm verò Nicanor, Mediæ dux, milites aduerſus ipſum, peditum videlicet ſupra x millia & vii millia equitum è Mediâ Perſiâque & finitimis locis contraxiſſet: in occurſum hoſtibus ſubitò contendit. habebat autem tunc in vniuerſum aliquantò plus tribus millibus peditum, & equites cccc. Tranſgreſſus autem Tigrim fluuium cùm paucorum viâ dierum hoſtes abeſſe audiret, milites in paludibus propinquis occultat, nec opinantes opprimere conſtitutum habens. Nicanor, cùm promotis ad Tigrim ſignis hoſtem non inueniret, propè regia quædam ſtatiua caſtris locum deligit, longiùs illos fugiſſe opinans. Nocte inſequente dum contemptu hoſtis Nicanor excubias negligentius agit, Seleucus derepentè illum adortus, tumultum ac pauorem magnum excitat. Perſis enim pugnam conſerentibus, accidit, vt tum Euager Satrapes illorum, tum alii duces oppeterent. Poſt quem euentum maior pars militum, quòd & periculum extimeſcerent, & adminiſtratione Antigoni offenderentur, ad Seleucum tranſitionem faciunt. Nicanor autem cum paucis relictus, cùm ne hoſtibus traderetur, formidaret, cum amicis per deſerta fugit. Ita valido potitus exercitu Seleucus, dum & humanum ſeſe omnibus præſtat, facilè Suſianam & Mediam, & nonnulla de conterminis locis ditioni ſuæ adiecit. Ac de rebus à ſe geſtis ad Ptolemæum cæteroſque amicos perſcripſit, iam regiam maieſtatem, & gloriam principatu dignam, conſecutus.

Interea dum hæc aguntur, Ptolemæus in Syriâ Cauâ ſubſiſtebat. poſtquàm Demetrium Antigoni filium ingenti prælio fudiſſet. quem vt è Ciliciâ reuerſum in Syriâ ſupe-

superiore castra habere audiuit, ex amicis, quos secum habe-
bat, Cillen Macedonem delegit. huic validum adiungit
exercitum, cum hoc mandato, vt totâ Syriâ Demetrium
expellat, aut velut indagine circumuentum, conterat. Qui
dum in itinere est, Demetrius à speculatoribus certior fa-
ctus, Cillen ad Myuntem negligenter castra metatum, im-
pedimentis ibi relictis, cum militum expeditissimis secum
raptis, contentum noctu iter facit, & oppressis subitò circa
matutinas excubias hostibus, exercitum sine prælio in pote-
statem redigit, ipsumque ducem Cillen capit viuum. Tan-
tâ victoriâ tam feliciter partâ cladem illam compensasse pu-
tabatur. Quia tamen Ptolemæum cum toto exercitu con-
tra se venturum existimabat, ita castra fecit, vt paludes & la-
cus pro munimine illorum haberet. De felici etiam succes-
su eius pugnæ ad patrem scripsit, inuitans ipsum, vt vel ex-
ercitum quàm ocyssimè mitteret, aut ipse Syriam adiret. At
Celænas tum in Phrygiâ versabatur Antigonus. qui red-
ditis literis gauisus fuit oppidò, quòd filius adhuc iuuenis, &
suo rem ductu prosperè gessisse videretur, & dignum se re-
gno ostenderet. quamobrem copiis assumptis, ipsemet è
Phrygiâ mouit, & Tauro intra paucos dies superato, cum
Demetrio castra adunauit. Ptolemæus verò, cognito An-
tigoni aduentu, Senatuque Ducum aduocato, consilium ex-
quirit, vtrum manere, ac de capite rerum in Syriâ decerne-
re præstabilius sit, an verò in Ægyptum regredi, atque inde
belligerari, vt priùs cum Perdiccâ, magis conducat. Ibi o-
mnes suadent, ne aduersus copias longè numerosiores, &
multitudinem beluarum, inuictumque imperatorem, peri-
culo se committat. multò enim faciliùs decertaturum in Æ-
gypto: vbi & necessariarum rerum copiâ superior sit, & fir-
mitate locorum confidere queat. Quocirca excedendum
Syria iudicans, præcipuas vrbes à se occupatas, vt Acen
Phœnico Syriæ, & Ioppen Samariamque & Gazam Syriæ,
destruxit. tum receptis ad se copiis & opibus quæ agi ferri-
que poterant, in Ægyptum remeauit.

V. Antigonus porrò cùm citra periculum Syriam to-
tam, Phœniciamque recuperasset, in regionem Arabum,
qui Nabatæi vocantur, expeditionem suscepit. hanc enim gē-
tem cum rebus suis parum æquam esse iudicasset, ex amicis
suis Athenæum designat, traditis illi quatuor millibus arma-

turæ leuioris peditũ,& equitibus idoneis ad curſum Io c: illique mandat vt ſubitò Barbaros inuadat, & omnem illis prædam adimat. Hîc operæ precium eſt, vt Arabum horum inſtituta, quorum vſu libertatem tueri videntur, propter ignaros recenſeamus. Vitam hi degunt ſub dio, patriam vocantes ſolitudinem illam habitatoribus vacuam, quæ neque amnes habet, neque fontes riguos, vnde exercitus hoſtilis aquari poſſit. Lex apud illos eſt, nec fruges ſerere, nec ſtirpem aliquam fructificantem plantare, nec vino vti, nec conſtruere domum: & qui contra hæc facere ſit repertus, capitalem ei pœnam irrogari. Ideò autem hac lege vtuntur, quòd exiſtimant, illos qui hæc poſſident, facilè propter vſum eorum ad imperata faciendum à potentioribus cogi. Pars illorum camelos nutrit, pars oues, per deſerta paſtus gratiâ oberrantes. Ex Arabicis quidem gentibus non pauci ſunt, qui rei paſtoritiæ in ſolitudine vacant: ſed hi facultatibus longè antecellunt alios, numero haud ampliùs decem millibus. Non enim pauci de illis thus myrrhamque & precioſiſſima aromata deportare ſolent ad mare, ab illis qui ex felice (quam vocant) Arabiâ eâ deferunt, accepta. Libertatis amore ſummo tenentur: & quando validæ hoſtium copiæ accedunt, in ſolitudinem, quæ propugnaculi vſum eis præſtat, fuga ſe ſubducunt. Aquarum enim inopiâ cùm laboret, aliis quidem acceſſum & tranſitum negat: his autem, qui incruſtata ſibi vaſa compararunt, ad hunc vſum terræ infoſſa, ſolis tutum refugium præbet. Nam quia tellus argilloſa eſt, mollemque habet petram, grandes in illâ cauernas effodiunt: quarum oſtia perexigua faciunt: ſed in profundo ſubinde magis ampliant, donec ad eam tandem magnitudinem dilatant, vt vnumquodque latus plethrum obtineat. Vaſis autem illis aquâ pluuiali repletis, oſtia obſtruunt: iiſque reliquo ſolo adæquatis ſigna quæ ab ipſis quidem noſcantur, ab aliis verò non animaduertantur, ibi relinquunt. Abacta etiam pecora in triduum potant: ne inter fugiendum in locis arentibus continente adaquatione opus habeant. Alimentum ipſorum ſunt carnes & lac, & quæ ex terrâ naſcuntur cibis idonea. nam apud eos piper ex arboribus prouenit, & mel quod agreſte vocant; id temperatum cum aquâ potum illis præſtat. Sunt alia inſuper Arabum genera, inter quæ agriculturam exercent quædam, cæteris

vecti-

vectigalibus permixta: quæ cum Syris alia quidem habent communia: ſed in ædibus non habitant.

Hæc vt tunc ferebant tempora inſtituta Arabum fuêre. In propinquo tum erat Panegyris (*celebris conuentus*) quo finitimi partim merces ſuas venditum, partim aliquid rerum vtilium ſibi mercatum, confluere ſolebant. Ad hunc etiam Nabatæi profecti erant, relictis in rupe quadam opibus & viris ſenio confectis, vnà cum liberis & vxoribus. Locus ille apprimè munitus erat: ſed abſque muro; & à regione cultoribus frequentatâ iter bidui diſtabat. Athenæus igitur tempore hoc obſeruato, celeriter ad Petram cum expeditâ manu contendit, & ab Iduméæ prouinciâ tridui & trinoctii ſpacio bis mille & ducenta ſtadia emenſus, ſub noctem intempeſtam, inſciis Arabibus, rupem occupat. Et continuò quos ibi deprehenderant partim occidunt, partim capiunt, quoſdam ſauciatos relinquunt, thuriſque & myrrhæ partem maximam cum talentis 1ↄ conuaſatam auferunt. nec vltra vigiliæ tempus commorati, quòd perſecutionem Barbarorum metuerent, protenus reuertuntur; & ducentorum itinere ſtadiorum confecto, defatigati caſtra faciunt. Excubias autem ſocorditer adminiſtrant, vt qui intra duos aut tres dies hoſtem illuc peruenire non poſſe, exiſtimabant. Arabes verò ab iis, qui exercitum viderant, certiores facti, extemplò congregantur, & relictâ Panegyri, ad rupem veniunt: vbi à ſauciis de rebus quæ contigerant edocti, omni feſtinationis ſtudio Græcos perſequuntur. & quia milites Athenæi in tuendis caſtris negligentiùs agebant, & propter laſſitudinem oppreſſi erant ſomno, captiuorum quidam clanculum aufugêre, per quos exploratis hoſtium rebus, circiter vigiliam tertiam caſtra inuadunt, octo millibus haud pauciores, & pleroſque in thoris adhuc iacentes mactant, experrectos autem, & arma capeſſentes, transfigunt. Ad extremum pedites vniuerſi occumbunt, & equitum euadunt circiter quinquaginta maiori ex parte ſaucii. Athenæus igitur initio re proſperè geſtâ, per ſuam deinde imprudentiam hoc modo impegit. Ideò non ab re nonnulli exiſtimant, faciliùs eſſe res aduerſas dextrè ferre, quàm
„ oppidò ſecundas. Ille enim euentus futuri metu, ad proui-
„ dam & accuratam rei adminiſtrationem adigunt: hæ ſuc-
„ ceſſus antegreſſi, blandimentis ad omnium neglectionem
„ inuitant.

Cæterùm Nabatæi viriliter hostes vlti, facultatibus suis recuperatis in Petram reuertuntur; & epistolâ ad Antigonum, literis Syriacis scriptâ, Athenæum criminantur, se verò purgant. Quibus rescribens Antigonus, iustam eos vindictam exercuisse testatur, & incusato Athenæo, præter mandata incursionem hanc ab eo factam, asseuerat. Hoc occultandi consilii causâ faciebat, ignauiam barbaris inducere volens, vt illis spe citiùs oppressis, instituti compos fieret. non enim procliue erat absque dolo quopiam superare viros, agrestem vagamque vitam sectantes, quibus inaccessum erat refugium solitudo. Arabes igitur, quòd magno viderentur metu exsoluti, gaudere: sed tamen verbis Antigoni non planè fidere. quin inter spem & metum ambigui, speculatores in editis locis statuunt: vnde promtum erat ex longinquo incursiones in Arabiam prospicere. ipsique rebus suis ritè compositis, quid euenturum sit, præstolantur. Antigonus verò, cùm pro amico Barbarorum ad tempus se gessisset, iam inescatos illos commodum inuadendi sui tempus præbere, arbitratus, ex numeroso exercitu quatuor millia peditum, qui & leues armis, & ad cursum apti essent, quatuor insuper & amplius equitum millia delegit, quibus imperauit, vt ad complures secum dies cibos ignis haud indigentes auferrent, Demetriumque imperatorem creatum sub primam vigiliam misit, cum edicto, vt quocunque modo posset, Arabes vlcisceretur. Is triduum per auia iter faciens, clam Barbaros opprimere festinabat.

At speculatores ingressu hostilis exercitus animaduerso, facibus, vti conuenerat, Nabatæis rem significant. Festinanter itaque Græcos aduentare opinati Barbari, depositis in rupem sarcinis, custodiam illi validam præficiunt. vnus autem aditus tantùm manu factus eò tendebat. Ipsi prædam inter se partiti, alii aliò in deserta greges abigunt. Demetrius vbi ad rupem peruenit, translatamq; prædam animaduertit, continenti oppugnatione castellum tentat. Sed cùm inclusi fortiter repugnarent, & propter altitudinem locorum facilè superiores essent, certamine ad vesperam vsque continuato, receptui signum dedit. Postridie admotis iterum rupi copiis Barbarorum quidam proclamauit. Quid tibi vis, rex Demetri? aut quid ad bellum nobis faciendum te adigit? qui in solitudine habitantes, locisque

vbi nec aqua eſt, nec frumentum, nec vinum, nec quicquam denique illorum, quæ neceſſarius apud vos vſus ſibi depoſcit. Nos enim qui nullo ſeruitutem pacto admittimus, in regionem confugimus deſtitutam omnibus, quæ apud cæteros mortales conducibilia ſunt, vitamque ſolitariam & prorſus feram elegimus, abſque vllo incommodo aut detrimento veſtro. Te igitur & patrem rogamus, ne iniuriam nobis afferatis, ſed muneribus hinc acceptis exercitum abducatis, & amicorum in cenſu in poſterum habeatis Nabatæos. Neque enim, ſi vel maximè volueris, ad plures hic dies ſubſiſtere potes, aquæ omniumque aliâs neceſſariorum inopiâ laborans, nec ad aliam nos vitam adigere poteris: ſed captiuos forſan aliquos habebis animis deiectis, qui vitam aliis legibus adſtringi nequaquam patiantur. His ita pronunciatis, Demetrius exercitum abducens, legatos hiſce de rebus ad ſe mittere iubet. Arabes igitur ætate maximè prouectos mittunt, qui ſimilia iam recitatis proloquuti, Demetrio perſuadent, vt donis, quæ maximi æſtimentur apud eos, acceptis, bello finem imponat.

Exhibitis igitur obſidibus, doniſque de quibus conuenerat, Demetrius à Petrâ diſceſſit, ſtadiaque emenſus CCC, iuxta lacum Aſphaltiten caſtra poſuit. Naturam eius abſque relatione aliquâ præterire haud dignum foret. Iacet hic in medio Iduméæ præfecturæ; in longitudinem ad ſtadia Io maximè porrectus, in latitudinem verò LX. Vndam habet perquàm amaram & ſummè fœtidam, adeò vt nec piſcem, nec aliud aquis familiare animal nutrire queat. Et licèt magni in eum fluuii eximiæq; dulcedinis ſe exonerent, fœtore tamen illos ſubigit. Ex huius medio quotannis ſoliti bituminis maſſa, interdum tribus plethris (*iugeribus*) maior, quandoq; paullò minor plethro, exhalat. quâ de causâ Barbari lacus accolæ maiorem conſuetâ voce Taurũ, minorem vitulum, appellitant. Cumq; in mediâ bitumen aquâ ſupernatat, procul intuentibus inſulæ alicuius ſpeciẽ exhibet. Bituminis autem eiectio ante xx dies manifeſta ſui indicia prębet. circa. n. lacum vndiq; ad multa ſtadia bituminis odor cum flatu maligno diffunditur: & quicquid iſtic loci eſt argenti auriq; natiuum colorem amittit. qui tamen integritati priſtinę reſtituitur, cùm omne bitumen exhaluit. Vicinus

ei locus, cùm igni ſubardeat, peſſimeque oleat, in cauſâ eſt, vt valetudinaria ſint accolarum corpora, & ad breuiſſimum tempus durent. Regio tamen illa, quatenus vtilibus fluuiis, aut fontibus irriguis interſecatur, bona palmarum nutrix eſt. Et naſcitur in viciniæ huius valle quadam id quod Balſamum vocatur; ex quo diues exſiſtit prouentus, cùm nuſquam in orbe terrarum alibi ſtirps hæc inueniatur. vſus autem eius medicis ad remedia perquàm accommodus eſt.

Porrò bitumen eiectum vtramque lacus ripam accolentes diripiunt, hoſtium in morem inter ſe affecti: idque peculiari modo abſque nauigiis aſportant. Grandes enim arundinum faſciculos conſarcinatos in lacum deiiciunt. his tres, haud plures inſident: duo alligatos tenentes remos, ratem promouent; vnus arcu inſtructus, adnauigantes ex vlteriore littore, aut vim intentare auſos ſubmouet. vbi ad bitumen ventum eſt, ſecuribus armati inſiliunt, ac fruſtis veluti de molli petrâ reſectis ratem onerant ac replent, retroque deinde nauigant. Quod ſi quis à diſſolutâ rate decidit, etiamſi imperitus ſit natandi, non tamen, vt aliis in aquis fit, ſubmergitur: ſed æquè ac natationis periti, ſupernatat.

Liquor enim iſte naturâ ſuâ onus, quod incrementi ſpirituſque particeps eſt, ſuſtinet, ſolidis tantummodò exceptis, quæ, velut argentum & aurum, plumbumque, & id genus alia ſpiſſitudinem habere videntur. licèt hæc etiam multò tardiùs, quàm in cæteros lacus coniecta, ad imum deferantur. Hoc reditu Barbari fruuntur, & bitumen in Ægyptum tranſportatum ad mortuorum condituras venumdant. nam ſi hoc cæteris aromatibus non admiſcetur, cadauera ad longum tempus conſeruari nequeunt.

Antigonus, cùm Demetrius ad ipſum reuerſus ſingula quæ geſſerat, expoſuiſſet, ob pacificationem cum Nabatæis illum reprehendit; Barbaros enim cùm impunitos dimiſerit, multò confidentiores euaſiſſe, dixit. non enim ex clementiâ victoris, ſed victoriæ impotentia, veniam ſibi tributam exiſtimaturos. Quod autem contemplatus lacum, regno prouentum aliquem reperiſſe videretur, eum laudauit: & procuratorem illius fecit Hieronymum qui hiſtorias conſcripſit. Huic imperatum erat, vt nauigia conſtrueret, exceptumque bitumen omne in vnum congereret locum.

ſed

sed euentus Antigoni spem non comprobauit. Arabes enim ad sex millia congregantur, inque ratibus suis aggressi eos, qui in nauigiis versabantur, missilibus propè omnes configunt. quo factum, vt spem redituum illorum omitteret Antigonus: tum quòd res infeliciter successisset, tum quòd mentem ad maiora alia iam applicatam haberet. Per hæc enim tempora tabellarius aduenit, literas habens à Nicanore Mediæ duce, aliisque Satrapis, his de reditu Seleuci, & successibus eius prosperis erat perscriptum. Antigonus ergò de superioribus prouinciis anxiè solicitus, Demetrium filium mittit cum peditum ex Macedoniâ quinque millibus & mercenariis decies mille, equitumque millibus quatuor. Huic imperatum erat, vt ad Babylonem vsque adscenderet, & recuperatâ Satrapiâ, celeriter descenderet ad mare. Demetrius itaque Damasco Syriæ egressus, Patris mandatum properanter ac studiosè exsequitur. At Patrocles, à Seleuco Babyloniæ præses datus, postquàm Mesopotamiæ hostes imminere cognouit, aduentum illorum, quòd paucos circum se haberet, exspectare non audet: sed cæteros iubet, vt vrbe excedant, horumque alii, Euphrate relicto, in deserta fugiant: alii superato Tigri, in Susianam, & ad mare Persicum abeant. Ipse cum adiunctâ manu, fluminum & fossarum obiectu, loco propugnaculorum, se tutans, in Satrapiâ obuersatur; tum insidias hosti moliens, tum ad Seleucum in Mediam, de iis quæ subinde fierent, missitans; eumque ad ferendum celerrimè suppetias exhortans. Demetrius vbi Babylonem peruenit, vrbemque reperit desertam, arcium oppugnationem aggreditur, captamque alteram militibus diripiendam concedit. Altera per dies aliquot obsessa, cùm tempore indigeret, Archelaum ex amicis vnum, ad obsidionem legatum sibi relinquit, quinque millibus peditum, & equitibus mille traditis. Ipse cum tempus iam excurreret, quo vt hanc expeditionem conficeret, iniunctum erat, cum reliquo agmine ad mare descendit.

CI. Atqui dum hæc geruntur, in Italiâ Romanis, bellum aduersus Samnites continuantibus, crebræ in territoria excursiones, & obsidiones vrbium, exercituumque sub dio castra metationes, fiebant. Pugnacissimæ enim per Italiam gentes, de imperio disceptantes, variis inter se

pugnis concurrebant. Tandem Consules Romani, parte copiarum assumptâ, castris hostium sua obiiciunt, & in commodam pugnandi occasionem intenti, tutam ab hoste sociis vrbibus quietem præstant. Cum reliquis copiis Quintus Fabius Dictator tum creatus, Fretomanorum vrbem occupat; & clarissimos oppidanorum Romanis infensos, capit; & ducentos ampliùs Romam abductos publicè spectandos in foro exhibet; virgisque cæsos more patrio securi percutit: cumque paucis in hosticum irruptione facta Celiam & Nolanorum arcem expugnat, & multitudine spoliorum distractâ, bonam agri partem militibus sorte attribuit. Populus igitur, cùm successus votis responderet, coloniam in Insulam, quæ Pontia nominatur, misit.

CX

Cæterùm in Siciliâ, post pacem Agathoclis nuper initam cum Siculis, præter Messenios, Syracusanorum exsules Messenen confluxerant: quòd hanc solam viderent superesse, quæ à Principe dissideret. Conspirationem igitur horum dissipare festinans Agathocles, Pasiphilum ducem Messenen cum exercitu misit, secretò præcipiens, quid facto opus esset. Is ex improuiso fines ingressus, postquàm captiuos multos aliamque prædam in potestatem redegisset, à Messeniis contendit, vt amicitiam præferrent, nec ad reconciliationem cum inimicissimis Agathoclis se ita cogi paterentur. Messenii igitur, se bello absque periculis exsolutum iri sperantes, exsules Syracusanos eiiciunt, & Agathoclem cum exercitu aduentantem recipiunt. qui humanum initiò se illis præbet, & vt militantes ipsi exsules, qui ex legis præscripto à Messeniis relegati fuerant, in ius ciuitatis admittant, persuadet. Sed postea Tauromenio & Messene euocatis, qui potentatui fuerant aduersati, mactauit omnes, non pauciores sexcentis. bellum enim Carthaginensibus inferre secum mente agitans, quicquid ab ipso alienatum in Siciliâ erat, è medio submouebat. Messenios ergò, quòd hospites sibi beneuolentissimos, & quibus ad vlciscendum tyrannum nerui erant, vrbe pepulissent, ciuesque Principi maximè infestos, viderent sublatos, ob maleficia insuper condemnatos recipere fuissent coacti, pœnitudo factorum incessit. eminentiâ tamen victoris exterriti, tolerare cogebantur. Cæterùm Agathocles primùm Agrigentum inde mouit, eo consilio, vt hanc quoque vrbem prædam

sibi

sibi faceret. sed quia Carthaginenses LX nauium classe appulerant, à proposito destitit, agrosq; ditionis Carthaginensium inuadens peruastauit, & castellorum alia vi cepit, alia deditione subiunxit.

XIII. Inter has rerum gestarum vices, Dinocrates, exsulum Syracusanorum dux, ad Carthaginenses auxilia petitum mittit, priusquàm Agathocles Siciliam totam suæ potestatis faceret. ipse etiam exsulibus, quos Messenii eiecerant, susceptis, cùm validas iam copias haberet, Nymphodorum ex familiaribus quendam, cum parte copiarum ad vrbem Centorippinorum misit. hanc enim Agathoclis præsidio firmatam nonnulli se tradituros pacti erant, hac conditione, si potestas suis legibus viuẽdi populo redderetur. iamq; noctu in vrbem irruperat, cùm custodiæ Præfecti rem odorati, & Nymphodorum ipsum occiderunt, & eos qui per vim mœnia intrauerant. Hanc velut ansam prehensans Agathocles, Centorippinos accusat, & qui nouarum molitionum auctores videbantur, omnes iugulat. Quibus dum vacat, Carthaginenses quinquaginta nauibus portum Syracusanorum ingressi, nihil aliud efficere potuerunt, nisi quòd onerarias duas nacti, vnam quæ Atheniensium erat, demerserunt, manusq; nauigantibus in illâ amputârunt. Crudeliter eos tractasse videbantur, qui nec minimâ illos iniuriâ affecerant. & hoc Numen illis statim declarauit. Nam extemplò naues quædam à classe circa Brutiam auulsæ, in ducum Agathoclis manus venerunt: vbi de Pœnis capti eadem passi sunt, quæ in captos designârant.

CXIV. Dinocrates verò cum exsulibus, habens supra CIↃ CIↃ CIↃ peditum, & non infra duo equitum millia, Galariam quæ vocatur, occupat, cùm vltrò ciues illum aduocassent: & factione Agathoclis eiectâ, ipse ante vrbem castra locat. Missisq; contra ipsum Pasiphilo & Demophilo cum IↃↃ, fit prælium cum exsulibus, quorum duces erant Dinocrates & Philonides, cornua inter se partiti. Anceps erat ad bene longum tempus certamen, dum cupidè vterque exercitus confligit. verùm vbi prostrato ducum altero Philonide, acies illa terga vertit: etiam Dinocrates pedem referre coactus est. Pasiphilus verò complures horum in fugâ necauit, & Galariâ recuperatâ, auctores defectionis supplicio affecit. Hinc certior factus Agathocles, Carthaginenses collē in Geloa, qui Ec-

nomes (*exlex seu sceleratus*) vocatur, occupasse, totis viribus cum illis decertare statuit. & citra moram contra illos profectus, vbi propè venit, ad pugnam eos lacessit: quòd victoriâ proximâ efferretur: sed non ausis confligere Barbaris, subdialia citra puluerẽ se in potestate habere ratus, Syracusas regreditur, & nobilissima illic fana manubiis exornat. Hæc per illum annum gesta sunt, quantùm nobis quidem assequi licuit.

Cùm verò Athenis Simonides Archon esset, & Romani Consules creassent Marcum Valerium, & Publium Decium: Cassander, Ptolemæus & Lysimachus pacem cum Antigono fecerunt, scripta etiam formulâ pactorum: in qua hæc erant comprehensa: VT CASSANDER SVMMVS EVROPÆ DVX ESSET: DONEC ALEXANDER E RHOXANE AD MATVRAM ÆTATEM PERVENISSET. LYSIMACHVS THRACIAM IN POTESTATE HABERET: PTOLEMÆVS ÆGYPTO ET CONTERMINIS IN AFRICA ET ARABIA VRBIBVS IMPERARET: ANTIGONVS PRÆESSET TOTI ASIÆ: GRÆCIQVE SVIS LEGIBVS VIVERENT. Non tamen diu his pactis steterunt. sed vnusquisque probabiles captans prætextus, subinde plura acquirere nitebatur. Cassander equidem cùm Alexandrum Rhoxanes adolescere videret, & sermones per Macedoniam à quibusdam spargerentur, decere, vt puero. è custodiâ producto, regnum paternum traderetur: sibi ipsi metuens, Glauciæ custodiæ præfecto imperauit, vt Rhoxanen obtruncaret, cum rege; & cadaueribus occultatis, factum nemini mortalium enunciaret.

Hoc imperata exsecuto, Cassander, Lysimachus, Ptolemæus, itemque Antigonus metu, qui à rege immineret, exsoluti fuêre. cùm enim nullus iam restaret in imperio successor, vnusquisque deinceps gentes aut vrbes in potestate habens, spes regias alebat, & prouinciam, cui Præfectus erat tanquam regnum armis partum, obtinebat. Res igitur Asiæ & Europæ, Græciæ denique & Macedoniæ ita comparatæ erant. In Italiâ Romani validis equitum peditumque copiis aduersus Pollitium Marrucinorum oppidum expeditionem susceperunt. & parte ciuium in coloniam

missâ,

missâ, Interamnam, quæ vocatur, habitandam illis dederunt.

VI. In Siciliâ verò, dum indies Agathoclis potentia crescit, ipseque numerosiores exercitus contrahit: certiores facti Carthaginienses quòd princeps ista oppida per Insulam suæ ditionis faceret, & viribus duces ipsorum superaret: gnauiùs bello incumbendum censuerunt. Confestim ergo triremes instruunt cxxx, & Amilcarem, summæ nobilitatis virum, designant prætorem, eique tradunt militum ciuicorum duo millia, inter quos multi erant illustres viri; ex Africâ verò ccIↃↃ, & ex Tyrrheniâ cIↃ conductitios, & rhedarios cc, Baleares & funditores cIↃ. magnam præterea vim pecuniæ, & telorum frumentique ac cæterorum bello conducibilium, quem vsus requirebat, apparatum. Iamque vniuersa classis portum Carthaginensium egressa altum tenebat: cùm derepentè tempestas illum obruens, triremes LX pessumdedit, & frumentarias cc corrupit. classis reliqua, magnis tempestatibus agitata, vix tandem in Siciliam euasit. interierant etiam illustrium Carthaginensium non pauci. quod in causa fuit, vt publicum ciuitas luctum susciperet. nam si quando maius vrbi infortunium accidit, nigris mœnia lacernis obtegere, moris est. Amilcar verò assumptis, quos tempestas reliquos fecerat, militem peregrinum conscribit: & ex sociis per Siciliam idoneorum agit delectum. copias etiam ibi relictas sibi adiungit: & diligenter omnibus quæ bello accommoda essent, procuratis, exercitum sub dio continet, peditum habens circiter X L M, & equitum V, M, fermè. Intra breue igitur tempus correcto, quod nuper acceperat, detrimento, cùm vir bonus videretur, exterritos priùs sociorum animos reparauit, nec vulgarem hostibus trepidationem incussit.

CXVII Agathocles contrà, vires Carthaginensium viribus suis longè maiores esse videns, castella non pauca, & quotquot exulceratis in ipsum animis essent oppida, ad Pœnos defectura existimabat. Geloorum verò vrbi timebat maximè, quòd in horum territorio omnes hostium copias esse audiret. Nec exiguùm classis damnum hoc tempore illi euenit. de nauibus enim xx, cum ipsis viris iuxta fretum in Carthaginensium potestatem venêre. Præsidio tamen Geloorum vrbem tutandam ratus, apertè copias introducere non

audebat; ne anteuenirent ipsum Geloi, quibus occasio hactenus defuerat; atque ita oppido, quod magnas illi commoditates præstabat, excideret. Paucos itaq; milites paullatim, quasi res alias curantes, intromisit, donec numero longè superarent oppidanos; breuique pòst ipse profectus illuc, proditionis Geloos postulat & defectionis, siue reuera tale quippiam patrandi consilia agitauerant, siue exsulum calumniis fidem adhiberet, aut certè pecunias ille corradere cuperet. quatuor ergo millia Geloorum & ampliùs mactat, opesq; horum sibi vendicat. Reliquis etiam Gelois omnibus edicit, vt & signatos nummos, & argentum aurumque infectum exhibeant, supplicium comminatus illis qui secus facerent. Edictum hoc cùm omnes præ metu confestim exsequerentur, magnam ille vim pecuniæ coaceruat, & cunctis ditioni eius subiectis magnum iniecit terrorem. Et quamuis maiore, quàm par esset, crudelitate aduersum Geloos vsus putaretur; trucidatos tamen in fossis extra mœnia tellure ingestâ tumulauit; relictoque in vrbe præsidio satis valido, ex aduerso hostium castra posuit. Tenebant autem Carthaginenses Ecnomen (*nefarium*) collem, vbi Phalaridis castellum fuisse aiunt. in hoc Taurum æneum habuisse Tyrannus fertur, ad excruciandorum supplicia sic adornatum, vt subdito igne machina incandesceret. ideoque ab impiâ in miseros sæuitiâ colli nomen Ecnomi (*Scelerati*) inditum. E regione autem de castellis quæ Phalaridis fuerant, Agathoclis alterum, Phalarium ab eo nuncupatum, tenebat. In medio castrorum fluuius erat, quem veluti propugnaculum vtrique contra hostem sibi fecerant. Rumores autem prioribus seculis inualuerant, magnæ hominum multitudini circa hunc locum, in conflictu pereundum esse. quæ clades vtris euentura esset, cùm non constaret, factum est, vt religione præpediti exercitus ad pugnam tardiores essent. Itaq; neutri cum vniuersis copiis amnem transire audebant, donec repentina quædam causa ad iustum eos conflictum excitauit. Cùm enim Afri hosticum incursarent, Agathocles ad idem faciendum irritatur. dumque prædam Græci abigunt, & à castris iumenta quædam abducunt, è Carthaginensium vallo qui eos sequantur, erumpunt. Agathocles verò, quod futurum esset, præuidens, eximiæ virtutis viros ad insidias collocauerat iuxta flumen hi dum Carthaginenses

CX. VIII.

ses eos qui prædam abigebant, insectantur, iamq; fluuiũ traiecerant, repentè ex insidiis consurgunt, & inordinatos aggressi facilè in fugam vertunt. Interea dum Barbari cæduntur, & ad castra fugiunt, Agathocles decertandi tempus iam adesse ratus, totum exercitum ad hostium castra ducit. & ex improuiso illos adortus, parte fossæ celeriter complanatâ, valloq; resciffo, vi in castra irrumpit. Carthaginenses repentinâ hac impressione consternati, cùm ad explicandam aciẽ satis ocii capere non possent, vtut casus tulit, hostibus occurrunt, & certamen ineunt. Et quia circa fossam dimicatur fortiter, totus in propinquo locus mortuis veluti constratus oppletur. nam Carthag. nobilissimi, vbi castra expugnari vidẽt, suppetiis ferendis adsunt. Contrà Agathocleani successu tam felici animosiores facti, vnoque conflictu se bello defuncturos rati, Barbaris incumbunt.

XIX. Amilcar igitur suos viribus inferiores esse, & Græcorum subinde plures in castra se infundere videns: funditores ex Balearibus insulis, haud pauciores mille, admouet. hi crebro magnorum lapidum iactu multos vulnerant, nec paucos vim castris inferentium perimunt, ac plurimorum arma quibus tegebantur, perfringunt. nam id genus hominum ad lapides, qui minæ pondus habent, intorquendos condocefactum, ingens ad victoriam in prœliis momentum adfert, vt qui à pueris in artis funditoriæ exercitationibus studiosè excoluntur. Hoc modo etiam tunc extrusis è munitione castrorum Græcis, superiores exstitêre. Agathocles tamen aliis in locis impressionem in castr. facit. quæ cùm iam expugnarentur, nouæ ex Africâ copiæ Carthagine ex insperato appellunt. quamobrem animis denuò confirmatis, qui in castris erant à fronte dimicârunt. Qui verò subsidio venerant in orbem circumsetêre Græcos, quibus vulneratis, in contrarium subitò præter opinionem sors pugnæ se conuertit nam fugam arripuêre Græci, pars in Himeram fluuium, pars in castra quæ per XL stadia receptus erat. & quia tractus ille campestris erat, Barbarorum equites non infra quinque millia insequebantur. hinc euenit, vt totum in medio spacium cadaueribus oppleretur, fluuio etiam multùm adiuuante Græcorum interitum. Cùm enim canicularis tùm esset anni tempestas,

& persecutio illa circa meridiem fieret: plerique fugientium per æstum, fugæque ærumnam, siti correpti affatim & salsam quidem vndam bibebant. Propterea non pauciores iis, qui inter fugiendum trucidati fuerant, absque vulnere prope fluuium mortui sunt inuenti. Ceciderunt autem in hac pugna Barbarorum circiter Iↄ, Græcorum septem millibus non pauciores. Tam insigni affectus clade Agathocles, fugâ elapsos adsumsit, incensisque castris, Gelam se recepit. famam autem de se sparserat, quòd illicò Syracusas mouere constituisset. Inciderunt tum in agro CCC Africani equites in quosdam Agathoclis milites, à quibus Agathoclem Syracusas recessisse edocti, Gelam, vt amici, intrarunt. verùm spe irritâ, iaculis confossi interierunt. Concluserat autem se Agathocles intra Gelam, non quod Syracusas euadere nõ posset: sed quòd abstrahere vellet Carthaginenses ad obsidionem Gelæ: vt Syracusanis interim sat tuti ocii ad fruges comportandas esset: quando tempus ita tum flagitaret. Amilcar initio quidem Gelam obsidere sibi proposuerat: sed manum inesse audiens quæ propulsando foret, & Agathoclem copiâ rerum instructum, ab eo conatu destitit, & oppida castellaque adiens, in ditionem ea recepit; ergaque omnes humaniter se gessit, vt Siculorum erga se beneuolentiam excitaret. Camarinæi ergo & Leontini; itemque Catanæi, & Tauromenitæ, missis continuò legatis, ad Carthaginenses sese applicant. paucisque diebus pòst Messenii & Abacænini, & multæ ciuitates aliæ, quæ prior esset inter se certantes, ad Amilcarem deficiunt; tanta post cladem illam tyranni odio vulgus contentio incessit. Agathocles verò abductis, quæ reliquæ manserant, copiis Syracusas: partes murorum ruinosas reficit: fruges ex agris deportat: & hoc mente agitat, vt iusto ad vrbem præsidio relicto, robur exercitus in Africam deportet, bellumq; ab Insulâ transferat in continentem. Nos igitur, prout initio à nobis institutum, traiectionem Agathoclis in Africam libri sequentis initium faciemus.

CXX.

ISTA VIGESIMO DIODORI VOLVMINE continentur.

Docimi & Phœnicis Ducum ab Antigono defectio.
Vt Antigonus, contra Lysimachum castra metatus, copiis eum longè superarit.
Vt Demetrium filium ex Græcia accersiuerit.
Vt Ptolemæus vrbes in Caua Syria subegerit, & Seleucus, è superioribus prouinciis descendens, ad Cappadociam vsq; processerit.
Digressio copiarum omnium in hyberna.

DIOD. SICVLI BIBLIOTHECAE HISTORICAE Liber XX.

QVi prolixas nimis conciones Historiis infarciunt, aut crebris declamationibus vtuntur, eos non iniuriâ quis reprehendat. præterquàm enim quòd continuam narrationis seriem intempestiuâ orationum introductione interrumpunt, etiam illos qui cupidè ac studiosè expetunt rerũ cognitionẽ remorantur. At enimuerò quos suã dicendi facultatem ostentare iuuat, iis seorsum conciones publicas, & sermones à legatis habitos; laudationes itẽ & vituperationes; atq; id genus alia cõponere licet. Nã qui styli moderatione adhibitâ, separatim vtrumq; argumentum elaborârint, non præter rationem vtroque tractationis genere laudem promerentur. Iam verò occurrunt, qui in Rhetoricis ornamentis nimii, totam historiam velut appendicem concionum fecêre. Atqui non mala dumtaxat scriptio molesta est; sed hoc etiam, quòd, licèt in cæteris scopus attingi videatur; à conuenienti tamen locorum & temporum ordine aberratur. propterea qui id genus scripta legunt, partim artificiosas illas orationes, etiamsi maximè appositæ videantur, transiliunt: partim prolixitate & intempestiuâ scriptoris diligentiâ lassati, prorsum à lectione desistunt. Nã historiæ natura simplex est, & inter se cohærens, adeoq; corpori animato similis: cuius pars auulsa gratiam illam animalem deperdit. Contrà, quod debitam habet compositionem, suo commodè

loco obſeruatur, & totius deſcriptionis cohærentia iucundam & perſpicuam exhibet lectionem.

Nec tamen artificium Rhetoricum, vſque quaque repudiatum omninò ex Hiſtoria profligamus. nam quia varietate Hiſtoria exornari debet: quibuſdam in locis huiuſmodi orationes adoptari neceſſum eſt. & hac opportunitate ne me quidem priuatum velim. Itaque ſi circumſtantiæ legati, aut conſiliarii, aut id genus aliorum orationem expetunt. qui tum ad certamen non animosè deſcenderit, etiam ipſe culpandus fuerit.

II

Rationes enim non paucas quis inuenerit, quare ſæpenumero Rhetoricus ornatus ſit adhibendus. Nam de multis dextrè ac præclarè dictis per negligentiam haud quaquam prætereunda ſunt, memoratu digna, & quæ coniunctam cum hiſtoriâ vtilitatem habent. aut vbi res magnificæ fuerint atque ſplendidæ, concedendum minimè, vt à magnitudine argumenti oratio ſuperari videatur. Eſt etiam, vbi præter expectationem aliquid euenit, vt ad diſſoluendum intricatæ rationis nodum accommodatis inſtituto verbis vti cogamur. Verùm de hiſce nobis dicta hactenus ſufficiant. Nunc ad rerum propoſitarum commemorationem procedendum: ſi tempora quæ in hanc ſcriptionem cadunt, priùs fuerint annotata. In antecedentibus libris res à Græcis & Barbaris geſtas à vetuſtiſſimis inde temporibus proſecuti ſumus, vſque ad annum qui expeditionem Agathoclis in Africam proximè antecedit: ad quam ab expugnatione Troiæ LXXXIII anni ſupra Iↄ CCC computantur. In hoc autem volumine annexis quæ cum hiſtoriâ cohærent, annos IIX complexi, à traiectione Agathoclis in Libyam exordiemur, atque in eum deſinemus annum, quo reges animis & opibus coniuncti, Antigono Philippi commune bellum intulerunt.

III

Archonte Hieromnemone Athenis, & Conſulibus Romæ Caio Iunio, & Quinto Æmilio, in Siciliâ Agathocles pugnâ ad Himeram à Carthaginenſibus profligatus, maximâ exercitus parte, in quâ præcipuæ vires, amiſsâ, confugerat Syracuſas. vbi cùm ſocios defeciſſe vniuerſos, & Barbaros Siciliam ferè totam, præter Syracuſas in ditionem redegiſſe, copiiſque tum terreſtribus tum naualibus longè præſtare, cerneret: rem inſperatam & maximè teme-

rariam

rariam suscepit. Dum enim in hac opinione sunt omnes, illum reluctari Carthaginiensibus ne conaturum quidem: ipse relinquere in vrbe præsidium satis firmum, & cum delectâ suorum manu in Africam traiicere animum induxit. quod si faceret, Carthaginenses, qui delicatam in diuturnâ pace vitam egissent, & imperiti essent discriminum in pugnis, facilè à suis, omni laborum genere exercitatis, superari posse, sperabat. ad hæc illorum per Africam socios, qui iam dudum imperata grauiter ferrent, occasionem defectionis arrepturos. & quod maximum, se per inopinatam hanc irruptionem, terram hactenus ignarã populationis, & ob felicitatem Carthaginiensium omni bonorum genere refertam, direpturum, summatim vt dicatur, Barbaros abstractum à tellure patriâ, Siciliaque tota, & omne bellum in Africam translaturum. id quod etiam euenit. V. Nulli enim amicorum consilio hoc reuelato, Antandrum fratrem cum idoneo præsidio vrbi curatorem præficit: & adscriptis militiæ qui idonei videbantur, peditibus, vt cum armis præstò sint, edicit; equites autem præter armaturam etiam stragulum equestre, seu ephippium frænumque secum ferre iubet, vt equos aliquando nactus, qui rebus ad vsum necessariis instructi, adscendant, in parato habeat. nam in strage nupera, peditum maxima pars interierat. equites autem propè omnes euaserant incolumes: quorũ tũ equi in Africã transportari nequibant. Ne verò per absentiam eius res nouas molirentur Syracusani, disiunxit à se inuicem cognationes, & maximè fratres à fratribus, parentes à liberis: alios in vrbe relinquens, alios secum deportans. Nam certum erat, eos qui Syracusis remanerent, etiamsi animis à principe alienissimi essent, nihil tamen absurdi contra Agathoclem, ob caritatem natorum & propinquorum, facturos. Et quia pecuniæ laborabat inopiâ, facultates pupillorum à tutoribus ad se traduxit; se longè meliùs, quàm illos tutelam gesturum, fideliùs etiam restituturum adultis, confirmans. A mercatoribus etiam mutuum accepit; & nonnula in templis donaria ad se recepit; fœminisque ornatum detraxit. Opulentiores autem plerosque molestè hoc ferre, & à se alienos esse videns, concionem aduocat: in qua cladem nuper acceptam & imminentes exinde calamitates deplorat. Se quidem (ait) perferendis ærumnis exercitatum,

facilè obsidionem toleraturum : at misereri ciuium si oppugnationem sustinere inclusi cogantur. saluti igitur suæ & facultatibus consulere eos iubet, qui quicquid fortunæ visum fuerit, perferre nolint. Mox vrbe excedebant illi, qui opibus pollebant maximè, odióque principis flagrabant, hos ille, immissis conductitiis, è medio sustulit, opésque confiscauit. Ita cùm vno facto pecuniâ simul ditatus esset, & vrbem ab inimicis suis repurgasset: seruos ad militiam aptos manumisit. V. Iamque paratis omnibus, & LX nauibus instructis commodum nauigandi tempus exspectabat. Celato igitur proposito, alii in Italiam expeditionem illum suscipere: alii Siciliam Carthaginensibus subiunctam vastaturum, autumare: omnes denique de salute illorum desperare, qui soluturi erant, insaniamque principis reprehendere. Hostes verò tum longè maiore triremium numero stationem habebant. ideò per dies aliquot in nauibus militem continere primò cogebatur: quòd soluendi commoditas negaretur. deinde cùm frumentariæ citato vrbem cursu peterent: Carthaginienses cum totâ classe aduersum illas contendunt. Tum Agathocles incepti sui spem ferè nullam habens reliquam, vt ostium portus statione vacuum conspicatur, magnâ remigiorum celeritate vsus, erumpit. Ibi Carthaginenses iam onerariis propinqui, vbi confertis hostes nauibus cernunt euectos, initio quòd frumentariis auxiliatum eos venisse existimarent, regressi classem ad pugnam expediunt. Verùm vbi rectâ præteruehi, iámque multum anticipasse videtur, ad insequendum se conuertunt. Hîc dum mutua fit concertatio, naues quæ commeatum aduehebant, inopinatò periculum effugiunt: & cùm iam frumenti penuriâ vrbs laboraret: magnam alimoniæ vbertatem efficiunt. Agathocles etiam cùm iam ab hoste opprimeretur, nocte superueniente, quod minimè sperasset, euadit. Postridie tantum fit solis deliquium, vt stellis vbique apparentibus, omninò noctis instar esset. Quamobrem à Numine difficultatem sibi portendi Agathoclis milites rati, in maiore super futuris anxietate erant. VI. Nauigatione igitur per sex dies, totidémque noctes continuatâ, iam aurorâ appetente, subitò Carthaginiensium classis haud ita procul conspicitur. Tum ingenti connixi studio, remigatione inter se certabant: Pœni expugnatis nauibus, simul in potestatem

se acce-

se accepturos Syracusas, patriámque magnis erepturos periculis, existimant. Græci verò, nisi priores littus contingant, & sibi paratum ante oculos supplicium, & domi relictis durissimam seruitutem tolerandam, vident. Iámque Africa in conspectum venerat. tum demum cohortatio naualium sociorum & contentio incredibilis exsistit. Velociùs quidem Barbari nauigabant, quòd diuturno remiges vsu exercitati essent: sed mediocri interuallo præuerterant naues Græcorum. Nauigatione igitur quàm ocyssimè confectâ, vt terræ propinquârant, confertim inter se in littus, tanquam certatores quidam prosiliebant. nã vltimas Agathoclis primæ Carthaginiensium naues, iam intra teli iactum impetebant. Idcò postquàm ad breue tempus arcubus & fundis decertârant, cum paucis Barbarorum nauibus conserti, Agathocles, qui multitudine polleret superior euasit, & Carthaginienses, retrò inhibita puppi, paullùm extra teli iactum constitêre. Tum expositis ad Lapidicinas, quas vocant, copiis Agathocles, iactóque è mari ad mare vallo, naues subduxit. Et post facinoris tam audacis perpetrationem, aliud maiore cum periculo coniunctum aggreditur. Adhibitis enim ducibus & præfectis, quos ad conatum suum morigeros habebat, postquàm Cereri & Proserpinæ rem diuinam fecerat, concionem aduocat. Tum ad orationem publicè habendam cum corona & splendido vestitu progressus, vbi pauca, quæ instituto conuenirent, præmiserat, vota deabus, Siciliæ præsidibus, Cereri & Proserpinæ, à se nũcupata adiecit, quod naues vniuersas in faces conuertere ipsis velit. honestum igitur esse, vt salutem adepti illis se nunc exsoluant. pro illis verò se longè plures, si strenuè decertârint, redditurum promisit. deos enim per victimas totius belli victoriam prænunciare. Ea dum memorat, famulorum quidam facem accensam affert: quâ correptâ, cùm omnibus eodem modo præfectis tradi iussisset, deas inuocat. primúsq; ad triremem prætoriam contendit, & stans in puppi, cæteris vt exemplũ imitentur, edicit. Ibi cùm omnes triremium præfecti simul ignem subderent, & celeriter flamma in sublime efferretur, tubicines bellicum canere, exercitus acclamare, omnésque simul de saluo domum reditu vota facere. Hoc ideò potissimùm fecit Agathocles, vt fugæ prorsus obliuisci in periculis militem cogeret. Nam refugii ad naues spe amputatâ in

solâ eos victoriâ salutis fiduciam collocaturos, manifestum erat. Deinde cùm exiguis esset copiis instructus hoc præuidebat, quòd, si tueri vellet classem, necessariò partiendus esset exercitus, atque ita non sat virium ad pugnas sibi fore: sin præsidio vacuum relinqueret vt Carthaginienses illâ potirẽtur, effecturum. VII Verumtamen dum vniuersa ita classis ardet, & flamma ingens spacium obtinet, pauore Siculi percelluntur. initio enim præstigiis Agathoclis decepti, cùm & celeritas rei susceptæ locum considerationi non daret, omnes in facinus consenserant. ast vbi tempus singula expendendi spacium concessit, pœnitudo illos incessit, animóque maris, quo dirimerentur, vastitatem metientes, salutem pro desperatâ habuêre. Agathocles igitur hanc animorum infirmitatem militibus eximere properãs, copias ad Magnam, quam vocant, vrbem ditionis Carthaginiensium duxit. Regio autem intermedia, per quam iter faciendum, hortis & omni genere plantariorum exculta erat, aquarum copiam per riuos & canales eò deducta, quibus totus ibi tractus rigabatur. crebræque ibi villæ sumptuosis ædificiis, opereque tectorio elaboratæ, quibus opulentia dominorum significabatur. Ædes verò rebus omnibus ad fruendum accommodis erant refertæ, quòd incolæ in pace diuturnâ fructuum vbertatem congesserant. Ager partim vitibus, partim oleis erat consitus, arboribúsque cæteris, quæ fructum gignunt, repletus. In alterâ verò parte campus erat in quo boum armenta, & greges ouium pascebant, & in paludibus vicinis magna equarum frequentia erat armentariarum. & quid multa? felicissima erat omnium commodorum in locis illis copia; quòd Carthaginiensium nobilissimi fundos illos possessioni suæ vendicarent; & quodam elegantiæ studio ad voluptatẽ istã facultates cõuertissent. idcircò amœnitatem regionis, & felicitatem admirantes Siculi, spes sublimes gerebant: quòd digna periculis præmia vincentibus proposita cernerent. Agathocles ergò milites iam animos ex mœrore colligere, & ad pericula paratiores esse videns, subito mœnia incursu adoritur. Quæ oppugnatio cùm ex improuiso accideret, & oppidani ob bellorum imperitiam, ad breue tempus subsisterent: vi vrbem cepit. eàque ad direptionem militi concessâ, exercitum prædâ simul & fiducia repleuit. Et continuè motis ad album, vti vocant, Tunetem

castris

castris, vrbem in potestatem accepit, quæ bis mille stadiis à Carthagine distat. captas has vrbes præsidiis occupandas miles censebat; iámque acquisitas ex prædâ opes in eâ deposuerant: sed Agathocles, consentanea rebus à se gestis animo agitans, cùm nullum relinqui perfugii locum expedire vulgus docuisset, vsque dum collatâ hostē acie deuicisset, vrbes euertit, castráque sub dio collocauit.

IX. Interea Carthaginienses, qui propè stationē Siculorum substiterāt, vbi classem videre incensam, primùm læti erant, quasi metu ipsorum hostes corrumpere naues coacti fuisset. sed posteaquàm in agros suos promoueri hostiles copias viderunt, quid euenturum esset coniectantes, suum in damnum illam nauium iacturam esse factam, arbitrabantur. Quamobrem pelles in proris suis expanderunt, quod moris est factitare perpetuò, si quid mali Reipublicæ Carthaginiensium impendere videatur. quin etiam ferramenta è nauibus Agathoclis in triremes suas receperunt. & qui rem omnem, vt eueniret, accuratè renunciarent, Carthaginem misère. at priùs quàm hi quid factum esset, indicatum venirent, quidam ex agro, qui classem Agathoclis imminere senserāt, rem properè Carthaginiensibus nunciauerunt. qui repentino perculsi euentu, copias suas tam nauales quàm terrestres internecione periisse autumabant. nunquam enim Agathoclem nisi victorem Syracusas præsidio destitutas ausurum fuisse relinquere, nec hoste maris imperium obtinente, traiicere copias animum inducturum. Tumultus igitur & trepidatio vrbem occupat, populique ad forum fit concursus, & senatus consultatio initur, quid facto opus esset. exercitus enim, qui signa cum hoste conferre posset, ad manum non erat. Interim ciuica multitudo belli rudis & ignara, iam animos desponderat, hostésque iam propinquare mœnibus putabantur. proinde legatos de pace ad Agathoclem mittendos esse nonnulli censebant, qui simul quid hostis gereret, explorarent. aliis vt exspectarent visum, dum quid actum esset exactè cognouissent. Hæc perturbatio dum vrbem tenet, à prætore classis missi appellunt, & rerum gestarum rationes exponunt.

X. Ibi cùm omnes denuò animos colligerent: Senatus omnes classis præfectos incusat, quòd dum mare in potestate haberent, hostiles Africam copias ingredi permisissent. summósque militiæ duces creant, Hannonem & Bomilca-

rem, licèt paternas inter se inimicitias exercerent. Priuatam enim horum diffidētiam ac dissensionem communem Reipublicæ incolumitatem fore existimabant. sed à vero multùm aberrârunt. nam Bomilcar iamdudum tyrannidem affectârat. sed cùm potestatem & tempus molitionibus suis accommodum hactenus non habuisset; tunc imperium adeptus occasionem eximiam arripit; Causa horum potissima erat, Carthaginiensium in pœnis acerbitas. Viros enim illustrissimos in bellis ad summa imperia euehunt: quòd his præ cæteris pro summa rerum propugnandum existimant. pacem verò nacti eosdem falsò criminantur, & iniquis iudiciis circumuentos, per inuidiam suppliciis afficiunt. propterea nonnulli imperiis præfecti, sententiarum in iudiciis metu ab imperio deficiunt, aut ad tyrannidem se conuertunt. quod & Bomilcar, alter Carthaginiensium imperator, tunc factitauit. de quo paullò pòst dicemus. Prætores ergo Carthaginiensium, dum tempus cunctationi haud opportunum esse vident, militem ex agro & vrbibus sociis non præstolantur, sed ciues ipsos in apertum educunt, peditum nō minus quadraginta mille, equites mille, ac CIↃ CIↃ curruum. Et colle quodam haud procul hostibus occupato, copias ad pugnam explicant. Dextro in cornu Hanno præerat, quem in cohorte sacrâ constituti adiuuabant. sinistrum Bomilcar regens, profundam efficiebat phalangem, quòd aciem longiùs extendere natura loci prohiberet. Currus autem & equitatum in fronte collocârunt eo consilio, vt cum his primâ incursione factâ, Græcorum vires tentarent.

XI. Agathocles contrà aciem Barbarorum speculatus, dextrum cornu Archagatho filio commendauit, attributis illi peditibus bis mille ac quingentis. Exinde Syracusanos circiter ter mille & IↃ ordinant; postea mercenariorum ex Græcia tria millia; & postremo tria millia Samnitum, Tyrrhenorum & Celtarum. Ipse cum satellitio & mille armatis pro dimidio cornu propugnabat, sacræ Carthaginiensium cohorti oppositus. Sagittarios autem, & funditores, qui IↃ numero erant, in cornua distribuerat. Armorum sanè militibus vix satis erat. quare cùm ex eorum numero, quibus munimenta deerant, quosdam inermes videret, integumenta clypeorum baculis distendit; speciéque orbem clypei imitatus, illis tradidit, ad vsum quidem neutiquam

idonea,

idonea, sed quæ ex longinquo intuitu armorum opinio-
nem in illis efficere possent, qui verum ignorarent. Ani-
maduertens præterea milites ob exercitus Barbarici, inpri-
mis verò equitatus, multitudinem consternatos esse, com-
pluribus per castra locis noctuas emisit, quas iam olim ad
hoc præparatas habebat, vt vulgo timiditatem eximerent.
hæ itaque per agmen volitantes, dum clypeis galeisque in-
sident, animos militum confirmabant, pro felici id augu-
rio accipientibus singulis; propterea quòd sacrum Miner-
uæ animal id habetur. Hæc verò commenta licèt vana qui-
busdam videantur, magnis tamen successibus haud rarò
causam præbent; quod & tunc euenit. nam cùm fiducia
multitudini (hoc pacto) iniecta fuisset: diditâ insuper fa-
mâ, quòd apertè victoriam illis Numen portenderet, peri-
culo animosiùs se committebant. Nam vbi currus in
eos impressionem fecêre, partem missilibus conficiunt, par-
tem præteruehi sinunt, plerosque in peditum aciem re-
uerti cogunt. eodémque modo excepto equorum impe-
tu: cùm vulneribus confecissent multos, in fugam retrò
illos conuertunt. Dum ita præclarè in primâ acie decer-
tatur, pedestre Barbarorum agmen vniuersum manus
conserere cœpit. commisso igitur prælio quàm acerrimo,
Hanno, delectorum circa se cohortem, quam sacram vo-
cant, habens, dum suo victoriam Marte conciliare stu-
det, magnâ Græcos mole vrget, plurimósque tollit. &
quanquam omni telorum genere obruitur, non tamen ce-
dit: sed vtut multis affectus vulneribus porrò grassatur, vs-
que dum delassatus occubuit. quo prolapso, versantes in
eâ parte Carthaginienses animos submittunt. Ex aduer-
so miles Agathoclis in spem arrectus, multò magis con-
firmatur. Quæ postquàm à quibusdam resciuit Bomil-
car, copiarum præfectus alter, tyrannidis occupandæ oc-
casionem à deo ipso sibi oblatam ratus, ita secum ratio-
nes putauit. si Agathoclis exercitus interiret, principatum
à se inuadi non posse; quòd ciuium potentia superaret:
sin victor ille animos Carthaginiensium infringeret,
iam victos se facilè subacturum; & quando sibi visum fue-
rit, Agathoclem quoque debellaturum. His animo volu-
tatis, cum antesignanis referre pedem cœpit, tacitam suo-
rum inclinationem hostibus indulgens; & Hannonis morte

suis indicatã, vt seruatis ordinibus in tumulum se recipiant, (id enim sic expedire) hortatur. Vrgente autem hoste, cùm tota regressio fugæ instar præ se ferret, Afri proximi, aciem primam vi superatam esse opinantes, etiam ipsi fugam arripiunt. In sacram interea cohortem tributi, post interitum Hannonis imperatoris, fortiter primùm resistunt, & transcensis cadaueribus suorum, omne discrimen sustinent. Vbi verò maximam exercitus partem in fugam esse coniectam, hostésque à tergo circumsistere, intellexêre: simul cedere coguntur. Toto igitur Carthaginiensium exercitu iam terga vertente, Barbari Carthaginem versus fugam intendunt; & Agathocles aliquò persecutus vsque reuertitur, castráque Carthaginiensium diripit. Ceciderunt in hac pugnâ Græcorum cc; Carthaginiensium cIↃ haud plures; vt verò quidam memoriæ prodidêre, amplius IↃↃ cIↃ. In castris autem Carthaginiensium inter alias opes, currus inuenti sunt complures; in quibus plura quàm ccIↃↃ ccIↃↃ manicarum paria vehebãtur. cùm enim minimo se Græcos negocio superaturos Barbari putarent, cohortati inter se fuerunt, vt quàm plurimos caperẽt viuos, vinctósq; in ergastula detruderent. Verùm numen cœleste (vt mihi quidẽ videtur) " datâ veluti operâ, superbè rationes subducentibus, rerũ spe- " ratarum exitum in contrarium mutat. Agathocles itaque " postquàm Carthaginienses præter suã illorúmq; opinionem deuicerat, intra mœnia eos conclusit. Et fortuna, quæ alternatim post clades felices successus afferre solet, victores æquè vt victos humiliauit. nã in Siciliã Carthaginienses post victũ magno prælio Agathoclem, Syracusas obsidebant. in Africã tãto conflictu superior Agathocles obsidione premebat Carthaginienses. & quod maximè admirandũ, princeps iste in suã insulã copias habens integras, Barbaris succubuerat: in continente verò cum parte exercitus profligati victoribus superior euadebat. Quapropter Carthaginienses à diis calamitatem hanc inflictã sibi rati, ad omne genus supplicationum erga numen se conuerterunt, inprimis verò Herculem coloniæ suæ patronum, iratum sibi arbitrati, vim magnam pecuniæ, & preciosissimorum donariorum copiam non exiguam, Tyrum misêre. nam quòd ex illâ in coloniam erant deducti, per ætates superiores decimam omnium quæ in prouentuum rationem cadebant, deo transmittere solebant.

XIII.

XIV.

solebant. sed posteaquam magnis aucti opibus multò luculentiores percipiebant reditus, perexiguum, religione dei posthabitâ, mittebant. clade igitur illâ ad pœnitentiam adacti, omnium in Tyro deorum memores erant. Quin & aurea simulacris delubra è templis misêre ad supplicationem; quod ad auerruncandam dei iram plus facere existimarent, si donaria mitterent ad deprecationem. Saturnum præterea sibi aduersum esse causabantur, quòd, cùm superiori tempore filiorum præstantissimos huic deo sacrificarent, pueros deinde clàm emptos & enutritos ad sacrificium mitterent. Et habitâ inquisitione, subdititii nonnulli ex immolandis sunt reperti. His animo perpensis, cum & hostes ante vrbẽ castra habere cernerent, religio iniicitur, quasi patritos deorum honores abrogassent. Errata igitur illa, vt absque morâ corrigant, ducentos ex præcipuâ delectos nobilitate pueros sacrificio publico immolát. Alii etiam criminationibus obnoxii, non pauciores trecentis spontè se offerunt. Erat autem apud illos ænea Saturni statua, quæ manus supinas extendebat, ita ad terram inclinatas, vt impositus illis puer deuolueretur, & in voraginem ignis plenam rueret. Hinc Euripidẽ, quæ fabulosè apud illum memorantur de sacrificio in Tauris, desumpsisse consentaneum est: vbi sic interrogatam ob Oreste Iphigeniam introducit:

At quod sepulcrum me peremtum recipiet?
Sacer intus ignis, & cauum terræ specus?

Fabula etiam, quæ ex priscâ apud Græcos famâ traditur; quòd suos è medio liberos tollat Saturnus; hac lege apud Carthag. seruari videtur. V. Cæterùm postquàm talis in Africâ mutatio accidit, Carthaginenses ad Amilcarem in Siciliam postulatum mittunt, vt auxilium suum celerrimè expediat: ac ferramenta simul nauium Agathoclis ad eum perferenda curant. is appulsis eò legatis imperat, vt clade silentio pressâ, rumorem inter milites spargant; Agathoclem tum classem tum exercitum omnem funditus perdidisse. Ipse verò missis quibusdam Syracusas, qui tum ex Carthagine aderant, vnà cum ferramentis vrbis deditionem exigit. copias enim illorum à Carthaginensibus concisas, nauesque exustas esse. quod si qui fidem non habeant, rostrorum exhibitione rem demonstrari. Cùm, qui in vrbe erant, hanc Agathoclis calamitatem ex nunciis audiuissent, plerique cre-

didêre; Primores vt rem ambiguam in occulto seruârunt: ne quid tumultus exsisteret, & extemplò dimisére legatos. Exsulum verò propinquos & amicos, & ex aliis, qui quæ gerebantur ab illis, molestè ferebant, non pauciores octo millibus ex vrbe eiecerunt. Exinde cùm tanta multitudo repentè ex patria fugere cogeretur, vrbs discursatione, tumultu & fœmineis lamentis plena erat. nec vlla domus per hoc tempus erat luctus non particeps. Nam qui tyrannidi fauebant, Agathoclis ipsorumque natorum calamitatem deplorare, priuatorum alii, deflere eos qui in Africâ periisse existimabantur: alii sortem horum miserari, qui focis suis, deisque patriis submouerentur; quibus neque manere neque vrbe excedere per obsidionem Barbarorum liceret, & præter iam enumerata tantæ acerbitatis mala, tenellæ ætatis sobolem & vxores in fugâ secum abstrahere cogerentur. Amilcar verò, cùm relegati fugâ se ad ipsum recepissent, salutem illis donauit; instructoque exercitu Syracusas contendit, quasi propter solitudinem, & annunciatam relictis superstitibus calamitatem iamiam vrbem in potestatem redacturus. Mittit tamen priùs legationem; & Antandro cum adhærentibus, si vrbem ipsi tradant, impunitatem concedit. Fit igitur ducum, qui auctoritate præstare videbantur, consessus. ibi multis vltrò citroque dictis, Antander naturâ effœminatus, & contrarium fratris audaciæ rebusque gestis ingenium habens, vrbem dedendam censet. sed Eurymnon Ætolus, quem consiliarium fratri Agathocles adiunxerat, contrariam edens sententiam, omnibus, dum verum explorârint, perseuerandi auctor est. Tum Amilcar de oppidanorum sententiâ edoctus, machinas omnis generis, obfirmato ad oppugnationem animo, compegit. Agathocles verò, post conflictum illum, duas naues quas triacontoros à XXX remis vocant, construxerat. harum alteram Syracusas misit, collocatis in eam remigibus præstantissimis & nearcho, ex fidelissimis, quos secum habebat, amicis vno: qui victoriam suis domi renunciaret. Secundis igitur ventis vsi, quinto die Syracusas noctu appellunt, coronatique ac Pæana cantantes, cùm illucesceret, ad vrbem prouehuntur. Quod vbi naues Carthaginensiũ excubitrices sensêre, citatò insequuntur. & quia non multum præuerterant fugiẽtes, certamẽ remigationis oritur. dumq,

XVI.

remiges

remiges ita inter se contendunt, ab oppidanis & obsidenti-
bus re animaduersâ concurritur ad portum;& vtriq; de suis
anxii,vt præsenti sint animo illos exhortantur. Et iamiam
comprehendebatur trigintaremis;Barbarique iubilare;op-
pidani verò,quòd suppetias ferre non possent, pro salute ad-
nauigantium suorum vota diis facere. cumque persequen-
tes iam proram impacturi essent, non procul à terrâ nauis
appetita,intra teli iactum subire occupat,& opem ferentibus
Syracusanis periculum euadit. Tum Amilcar ciues præ so-
licitudine repentinoque exspectati nuncii aduentu ad por-
tum confluxisse se videns, quòd partem muri incustoditam
esse coniiceret,fortissimos militum cum scalis ire iussit. qui
derelictas nacti custodias,nemine sentiente conscenderunt.
& iam interuallum inter duas turres propè occupauerant,
cùm vsitata vigilum lustratio,ad eum locum deueniens,id a-
nimaduertit orta igitur pugna,fit ciuium concursus:qui an-
teuertentes subsidia ingressis ventura, illos partim interfi-
ciunt,partim de propugnaculis dant præcipites. ob quæ non
parum contristatus Amilcar, exercitum ab vrbe abduxit,&
militũ 100 Carthaginiensibus auxilio misit. Dum hęc

XVII. gerentur, Agathocles, iam campestria in potestate habens,
castella vicina Carthagini vi cepit, vrbiumque alias metu,a-
lias odio Carthaginensium,subiunxit, Castrisq; propè Tu-
netem munitis,cùm præsidium satis validum inibi reliquis-
set,in oppida mari vicina mouit. primamque vi subegit no-
uam vrbem;subactis autem clemẽtem se exhibuit. inde ver-
sus Adrymetẽ progressus,obsidione illã cinxit. Elymam ve-
rò Afrorum regẽ societate armorum sibi adiunxit. Quibus
auditis Carthaginenses vim belli omnem Tunetem cõuer-
tunt,castrisque Agathoclis potiti, admotis vrbi machinis,
continuâ oppugnatione illam premunt. Agathocles de suo-
rum clade per nuncia quorundam certior factus,maximam
exercitus partem in obsidione reliquit.assumptoq; satellitio,
cum exiguâ manu in montem quendam tacitè contendit:
vnde tum ex Adrymetinorum, tum Carthaginensium, qui
Tunetem obsidebant,agro conspici posset. Noctu verò ius-
sis ad longum tractum ignes excitare militibus,suspicionem
Carthaginensibus iniecit,quasi validâ cõtra ipsos manu ac-
celeraret:obsessis autem,veluti nouæ hostibus copiæ magno
numero suppetias latũ adessent. Eo strategematis mendacio

vtrique decepti, cladibus improuisis afficiebantur. nam qui Tunetem obsidebant Carthaginem refugêre, machinis etiam relictis. Adrymetini verò præ metu patriæ deditionem fecêre. Hac igitur certis pactionibus receptâ, vi Thapsum cepit Agathocles. aliasque in illo tractu vrbes, tum expugnando tum persuadendo, ad se pertraxit. Oppidis tandem in vniuersum plus quàm ducentis in potestatem redactis, in superiores Libyæ terras expeditionem facere constituit. Motis igitur castris, cum multorum itinere dierum processisset: Carthaginenses eductis tum aliis, tum quę ex Siciliâ traiecerant, copiis, obsidionem Tunetis denuò aggrediuntur; nec pauca incolis, quæ sub hostium fuerant ditione, recuperant. quare cùm tabellarii ex Tunete aduenirent, & quæ gesta essent à Pœnis referrent, Agathocles è vestigio regreditur. Vbi iam ducentis ab hoste stadiis aberat, castra metatur, & militibus ne ignes accendant, interdicit, arreptoque per noctem itinere, sub initium diei in depopulantes agrum, & inordinatim extra castra palantes, irruit, & plus quàm duobus millibus cæsis, captisque non paucis, magnos ad successus futuros progressus fecit. Carthaginenses enim subsidiis è Siciliâ iam aucti, & sociorum in Africâ auxiliis confirmati, Agathocle superiores esse putabãtur. sed post hunc Agathoclis successum, animi Barbarorum rursus infracti sunt. nam & Elymam Afrorum regem, qui desciuerat, & principem cum magna Barbarorum multitudine occidit. Hic ergo Siciliæ & Africæ status tum erat.

XVII.

Cæterùm in Macedoniâ, Cassander cum auxilium tulisset Autoleonti Pæonum regi, bellum gerens cum Autariatis, illum è periculo exemit: & Autariatas cum liberis & vxoribus, quos in comitatu habebant, ad ccIↃↃ ccIↃↃ, iuxta Orbitaum, quem vocant, montem collocauit. Dum his ille occupatur, in Peloponeso dux Antigoni Ptolemæus, cuius fidei exercitum ille commiserat, principi suo infensus, quòd meritis honoribus non adficeretur; fidem Antigoni deserit, & societatem cum Cassandro init. Reliquerat autem procuratorem Satrapiæ ad Hellespontum quendam ex fidelissimis amicis Phœnicem. huic milites transmittit, vtque castella & vrbes tueatur, nec Antigoni deinceps auctoritatem sequatur, monet. Erat in communi ducum fœdere etiam hoc comprehensum, VT GRÆCAS VRBES

XIX.

LIBE-

LIBERAS DIMITTERENT. Ideò Ptolemæus Ægypti princeps Antigonum criminatus, quòd oppida nō-nulla præsidiis muniisset, bellum ei moliebatur. missisque cum Leonide præfecto copiis, asperæ Ciliciæ vrbes Antigono subiectas, potestatis suæ faciebat. Ad vrbes etiā Cassandro & Lysimacho addictas rogatum misit, vt suam amplexæ sententiam, ne cresceret potentia Antigoni, prohiberent. Antigonus verò natu minorem filium Philippum cum Phœnice & defectoribus belligeratum, ad Hellespontum misit: sed in Ciliciam Demetrium. qui militiæ suæ munus strenuè exsequens, & Ptolemæi duces vicit, & vrbes recuperauit.

XX. Dum ista peraguntur, Polysperchon in Peloponneso agens, dum in crimen vocat Cassandrum & Macedonum imperium rursus affectat, è Pergamo Herculem Barsines accersit. is Alexandri filius erat, & Pergami educabatur, iam circiter XVII annos natus. Polysperchon igitur sæpenumero ad hospites suos priuatos & Cassandri inimicos missitans, vt adolescentem in regnum paternum reducerent, orabat. per literas etiam ad rempublicam Ætolorum missas rogauerat, vt suppeditatis copiis, in societatem expeditionis venirent, multò ampliorem se gratiam, si restitutionem in regnum paternum pueri adiuuarent, retributurum, pollicitus. Dumque è sententiā res eueniunt, & Ætoli se postulatis attemperant, multi insuper alii ad reditum noui regis confluunt, summatim supra CCIↃↃ CCIↃↃ peditum, nec infra CIↃ equitum congregantur. Et Polysperchon in belli apparatum incumbens, pecunias colligit, ad Macedones etiā amicè affectos, qui auxilia peterent, mittit.

XXI. Interea Ptolemæus, iam Cypri vrbes sub ditione habens, postquam à Nicocle Paphiorum rege, occultam cum Antigono amicitiam fuisse initam, ex relatu quorundam cognouit, ex amicorum numero Argæum & Callicratem, cùm mandatis de tollendo Nicocle, misit. magnoperè enim metuebat, ne qui alii etiam ad mutationem properarent; cùm plurimos iam antea viderent defecisse. Illi ergo in Insulam profecti, à Menelao exercitus præfecto militibus acceptis, domum Nicoclis circumsistunt, & exposito regis decreto, vt vitā se abdicaret, imperant. qui ad diluendum quæ obiiciebantur, primùm se conuertit. ast vbi nemo attendit, sibi manus infert. Axiothea Nicoclis vxor, auditā viri morte, filias

suas adhuc virgines, iugulat, ne quis hostium sibi illas mancipet, fratrumque Nicoclis coniuges, vt vnà cum ipsâ mortem oppetant, instigat. cùm tamen nihil acerbi in eas statuisset Ptolemæus; sed incolumitatem illis concessisset. Quamobrem regiâ tam improuisis repletâ cædibus & infortuniis, fratres Nicoclis, foribus occlusis, domoque succēsâ, mortem cruentam sibi consciuère. Ita familia regum Paphiorum, tragicis oppressa calamitatibus, abolita fuit. Nos verò promissam rerum narrationem exsecuti, ad reliquâ dehinc gesta stylum transferemus. Per id tempus in Ponto, post obitum Parysadæ, qui Bospori Cimmerici rex fuerat, Eumelus, Satyrus, & Prytanis, eius filii de principatu inter se contenderunt. horum natu maximus Satyrus imperium à patre acceperat, quod ille per XXXVIII annos gesserat. Eumelus autem cum Barbaris quibusdam finitimis amicitiam pactus, de regno fratri controuersiam mouit. de quo Satyrus certior factus, cum numerosâ aduersus illum manu contendit, & superato Thapsi fluuio, vbi castris hostium approximauerat, plaustris, quibus maximam commeatus vim aduexerat, castra circumdedit, instructâque acie, ipse medium, vt Scytharum mos habet, agmen obtinebat. Militabant verò ipsi mercenariorum è Græciâ duo millia, haud plures, Thracesq; totidem cæteri omnes Scythæ erant auxiliares, supra viginti millia, & decem equitum millia haud pauciores. Eumelum Ariopharnes rex Thracū adiutabat, vicies mille equites, & viginti duo millia peditum habens. Commisso igitur prælio quàm acerrimo, Satyrus qui circum se delectos habebat viros, equestre init prælium cum Ariopharne, in acie mediâ sibi opposito. & postquàm multi vtrinque ceciderant, vi tandem perrumpens, regem Barbarorum in fugam conuertit; ac primùm hosti incumbens, obuium quemque trucidat. Post vbi fratrem Eumelum in dextro cornu vincere, suosque mercenarios terga vertisse intellexit: à persecutione desistit, & profligatis succurrens, iterum victoriam parit, totumque hostium agmen fundit fugatque; ita vt omnibus planum fieret, iure ad ipsum tum propter ætatem, tum etiam virtutē, pertinere in regno paterno successionē. Ariopharnes verò & Eumelus prælio superati in regiam cōfugêre. hæc sita erat ad Thasin fluuium, qui circumfluens eā, cùm altæ sit profunditatis, difficilimum

XXII.

XXIII.

limum aditũm concedebat præcipitia illam ardua cingebãt,
syluæque confertæ,quæ duos omnino ingressus, & quidem
manu factos habebant. quorũ vnus ad ipsam patebat re-
giam,turribus excelsis & propugnaculis obfirmatus. alter
ex diuersâ parte in paludibus erat, ligneis repagulis & clau-
stris munitus, & columnatis ædificiis, quæ super aquis ha-
bebat,interseptus. Tanta cùm loci firmitas esset, Satyrus
initio agros hostium vastauit, pagosque incendit, vnde ca-
ptiuorum prædæque vim ingentem coëgit. deinde per adi-
tus irrumpere conatus,ad propugnaculum & turres pluri-
mis suorum amissis,retrocessit. impressione autem per pa-
ludes factâ ligneis castellis potitur. quibus direptis,traiecto-
que fluuio,syluam etiam, quâ necessariò ad regiam transeũ-
dum erat,cædere aggreditur. Dumque strenuè hæc pera-
guntur,metuẽs rex Ariophatnes,ne arx vi caperetur, in cer-
tamen incubuit confidentiùs,quippe in victoriâ solâ reposi-
tam esse incolumitatem videns. quin & sagittarios ab vtro-
que transitus latere distribuit,quorum opera ligna cæden-
tes vulnerabat: cùm neque missilia præuidere,neque ferien-
tes propulsare,aut vlcisci propter densitatem arborum,pos-
sent. ad triduum tamen syluam deiiciendo viamque aperi-
undo, Satyri miles quamuis laboriosè perdurauit. quarto
demum die muro successerunt. At quia telorum copiâ & lo-
corum angustia vincebantur,magnis affecti sunt detrimen-
tis. Meniscus enim mercede militantium ductor,vir intelli-
gentiâ,animique intrepidi robore præcellens,per aditũ illa-
psus,ad murum licèt strenuè cum suis certaret, retrò tamen,
longè maiore globo in ipsum erũpẽte,pellitur. quẽ Satyrus,
in periculo versantẽ conspicatus,auxilio maturato subleuat:
dumque hostium impressionem excipit, brachium eius ha-
stâ transuerberatur. quo vulnere grauiter affectus, in castra
se recipit, & insequente nocte vitâ excedit: cùm à morte Pa-
rysadæ genitoris vix nouem menses regnasset. Meniscus au-
tem conductitii militis ductor, obsidione solutâ, in Garga-
zam vrbem exercitum abduxit. atque inde regis corpus Pan-
ticapæum ad Prytanim eius fratrem per amnem deportauit.

XIV. Is sepulturâ magnificè peractâ, postquàm in regiâ con-
ditoriâ exuuias reposuerat, Gargazam absq; morâ profectus
exercitũ simul & principatum accepit. Eumeli tũ legatio de
parte regni ipsum conuenit; Verùm ille non obtemperauit.

Præsidio itaque Gargazæ relicto, Panticapæum rediit, vt regni statum confirmaret. Per id verò tempus Barbarorum auxilio Gargazam occupat Eumelus, & de cæteris vrbibus & castellis non pauca. Cumque exercitum in eum duceret Prytanis, signis ipse collatis fratrem vincit; Isthmoque, paludi Mœoticæ vicino, inclusum, ad deditionis pacta adigit, quibus & militem tradit, & regno se excessurum pollicetur. Vbi verò Panticapæum rediit, in quâ omnium regia erat perpetuò, qui in Bosphoro regnarunt, imperium denuò recuperare conatur: sed victus in Hortos, vti vocant, perfugit, ibique occiditur. Tum Eumelus, post mortem fratrum, vt imperium stabiliret, amicos Satyri & Prytanis, coniuges præterea & liberos, è medio sustulit. solus tantùm Parysades, Satyri filius, oppidò iuuenis adhuc, manus eius euasit. nam equi celeritate vsus, ex vrbe ad Agarum, Scytharum regem, profugit. Cùm autem ciues necessariorum cædem indignè ferrent, aduocatâ in concionem multitudine, Eumelus de perpetratis se purgauit, & patriam eis reipublicæ formam restituit. immunitatem etiam, quam incolæ Panticapæi habuerant, illis concessit; omnia insuper tributa se illis remissurum pollicitus, multáque ad fauorem populi conciliandum sibi, tum disseruit. Cunctis igitur breui ad pristinā beneuolentiam per beneficia reductis, æquū deinceps iuxta leges imperium exercuit; nec mediocrem sibi virtutum admirationem peperit. Byzantinos enim & Sinopenses, cæterosque Græcos Ponti accolas beneficiis prosequi non intermisit. Quando Collantiani obsidione premebantur à Lysimacho, magnaque rerum necessariarum inopiâ laborabant, mille horum, ob victus penuriam emigrantes, suscepit, quibus non perfugium solummodò tutum, sed habitationem etiam in vrbe concessit. Ad hæc Psoam, quam nominant, & agrum sorte inter eos diuisit. Et in commodū eorum, qui Pontum nauibus frequentant, bello contra Barbaros Heniochos & Tauros Achæosque latrociniis assuetos, suscepto, mare à prædonibus tutum reddidit. Quare non in regno tantùm, sed per totum ferè orbem, dum mercatores animi eius magnitudinem prædicabant, laudem, pulcerrimum beneficentiæ fructum, reportauit. Magnum præterea tractum agri in finitimis Barbari ditioni suæ adiunxit, regnumque ad claritudinem euexit longè maiorem. Deniq;

XXV.

omnes finitimas gentes debellare instituit; & quæ instituerat breui exsecutus fuisset: nisi præmaturum habuisset vitæ exitum. cùm enim annos quinque & totidem menses regno præfuisset, inopinato quodam casu oppetiuit. Dum enim è Scythiâ domum reuertens ad sacrificium quoddam properat, quadriiugoque curru, qui quatuor rotis instructus, & tẽtorio contectus erat, ad regiam contendit: equi consternati violenter illum abripiunt. nam cùm habenis contrahendis auriga non sufficeret, metuens ille ne in prærupta loca deferretur, desilire conatur: sed gladio rotæ implicito, eodem simul impetu abstrahitur, & illicò exanimatur.

XXVI. De Eumeli & Satyri fratrum exitu, oracula paullò vaniora quidem, quæ fide tamen incolæ dignantur, memoriæ sunt prodita. Satyro enim respondisse ferunt deum, vt à Musculo sibi caueret, ne quando mortem ipsi afferret. ideò neque seruum neque ingenuum quẽquam inter subditos id nominis habere passus est. domesticos prӕterea & rurales formidabat mures, puerisque assiduè, vt & necarent illos & cauernas oblinerent imperabat. Tandem cùm omnia quàm fieri potuit maximè fecisset, quibus fatum se exsuperaturum confidebat, vulnere tamen in brachii musculum accepto, vitam terminauit. Eumelo autem oraculum erat redditum, vt domum portatilem vitaret. quare nec iste domum temerè intrabat, nisi famuli priùs & tectum & fundamentum probè scrutarentur. at postquàm tentorium quod curru gestabatur, mortis illi causam præbuisse visum est, vnusquisque impletam esse oraculi fidem, existimabat. Atqui de rebus ad Bosphorum gestis, hæc nobis sufficiant. Porrò in Italiâ Consules Romanorum cum exercitu Samnium ingressi, prælio Samnites ad Talium quod vocatur, superarunt. cúmque victi collem, sacrum ipsis nominatum, occupassent; tunc quidem in castra sua, nocte iam obortâ, Romani se receperunt: sed postridie redintegratâ pugnâ, Samnitum plurimi cecidêre, captique sunt plures bis mille ducenti. Secundùm hos tam felices successus Romani iam locis aperto cœlo expositis liberè potiebantur: & rebellantes sibi vrbes subigebant. Cataractæ igitur & Ceraunię post expugnationem præsidia imponunt.

XXVII Cæterùm Archonte Athenis Demetrio Phalerensi, consulare imperiũ Romæ adierunt Quintus Fabius iterũ, &

Caius Marcius. Tum Ptolemæus Ægypti rex, vbi duces suos vrbes in Ciliciâ amisisse cognouit, classe Phaselidem transportatâ, vrbem illam expugnauit. hinc in Lyciam transuectus, Xanthum, Antigoni præsidio insessam, vi cepit: inde Caunum appulsus, vrbem sibi deditam accepit, arcesque præsidiis occupatas violentâ manu subegit. & Heracléum exscidit: Persicum verò deditione militum in manus eius venit. Tum in Côn profectus, acciuit Ptolemæum. is Antigoni ex fratre nepos erat, exercitumque fidei suæ creditum habebat: sed relicto patruo, cum Ptolemæo rei communiter gerendæ societatem iniuerat. Ex Chalcide igitur profectum, & Côn delatum, initiò humaniter Ptolemæus excepit. pòst cùm insolentiùs illum se gerere, & duces muneribus colloquiisque sibi deuincire, animaduerteret; veritus ne quid insidiarum moliretur, præoccupatum custodiæ tradidit, & cicutam bibere coëgit. milites autem castra illius secutos, promissis ad se pellexit, & ordinibus suorum immiscuit. Inter has rerum vices, Polysperchon postquàm numerosum coëgisset exercitum, Herculem Alexandri & Barsines in regnum paternum reducebat. dumque ad vrbem, quæ Stymphalia vocatur, castra habet, Cassander cum exercitu superuenit. Cùm autem castra à castris haud procul abessent; nec illubentes viderent regis sui reditum Macedones; metuens Cassander, ne Macedones, naturâ procliues ad mutationem, ad Herculem transfugerent, legationem mittit ad Polysperchontem, & in hoc dat operam, vt de rege illum edoceat; si reductio processura sit, ab aliis imperata hominem facturum: sin auxiliatus ipsi adolescentem sustulerit, pristinas in Macedonia largitiones consecuturum. fore etiam, vt adiunctis sibi copiis, summus militiæ dux in Peloponneso declaretur, & omniũ in principatu Cassandri cum honoribus amplissimis consors reddatur. Tandem plurimis & ingentibus promissis inescatum Polysperchontem, fœdere clanculum inito, adduxit, vt regem dolo necaret. Sublato igitur adolescente, Polysperchon iam apertè cum Cassandro negocia communicans, donationes in Macedonia obtinuit, & milites, prout conuenerat, Macedonicorum peditum cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ, & Iↄ equites Thessalos accepit. cumque alios etiam voluntarios adsciuisset, per Bœotiam transitum in Peloponnesum tentauit. verùm

XX-VIII

à Bœo-

à Bœotis & Peloponnesiis prohibitus, retrò mouit, digressusque ad Locros illic hybernauit. Dum verò hæc aguntur, Lysimachus in Chersoneso vrbem condidit, quam à se Lysimachiam nuncupauit. Cleomenes autem Lacedæmoniorum rex mortem obiit, cùm annos sexaginta & decem menses imperium tenuisset: cui qui successit, Aretas filius XLIV annos regno præfuit. Per hoc ipsum tempus, Amilcar copiarum in Siciliâ imperator, reliquis insulæ locis in ditionem redactis, cum exercitu Syracusas mouit, quasi vi etiam illas expugnaturus. & commeatus quidem subuectionem impediuit, vt qui iam longo tempore mare in potestate haberet; frugibusque per agrum vastatis, loca circa Olympium ante vrbem sita occupare fuit aggressus. Inde primo statim incursu muris copias admouere constituerat: quòd vates, dum exta inspicit, illum postridie Syracusis omninò cœnaturum, prædixisset. Oppidani autem, intentione hostis animaduersâ, noctu tria peditum millia, & quadringentorum circiter equitum, Euryclum occupare iussos, emisere. quibus mandata celeriter exsecutis, Carthaginenses clam hoste illud futurum arbitrati, de nocte intempestâ progrediuntur. Dux omnium erat Amilcar, stipatores perpetuò sibi adiunctos secum habens. sequebatur eum Dinocrates, equitum magisterio præfectus. peditum verò exercitus in duas phalanges, vnam Barbarorum, alterâ Græcorum, qui arma sociauerant, diuisus erat. Variarum insuper gentium colluuies prædæ causâ extra ordinem sectabatur. quæ vt nullum militiæ vsum exhibet: ita sæpenumerò tumultus, & vanæ trepidationis causam præbere solet, vnde grauissima non rarò pericula exsistunt. Et tunc in illâ viarum angustiâ & asperitate, impedimentorum baiuli, aliique exercitus asseclæ, ordinibus non adscripti, in transitu de viâ inter se contendere: arctatâque multitudine, quidam pugnos inter se conserere. & dum plures vtrinque succurrunt, clamor & tumultus ingens exercitum inuadit. Sub quod tempus Syracusani, qui Euryclum insederant, tumultuario Barbarorum aduentu cognito, cùm superiora tenerent loca, in hostes impetum faciunt. quidam in editis consistentes locis, accedentes missilibus impetunt. nõnulli qui opportuna loca præceperant, viam Barbaris intercludunt. alii, fugientes ad præcipitandum se de rupibus,

adigunt. caligo enim & ignorantia faciebant, vt hostes magnis cum copiis ad insidias venisse putarentur. Carthaginẽses igitur cùm propter locorum imperitiam & angustias hæsitarent, fugam tandem capessunt. at quia latè patens exitus ibi locorum negabatur: pars, eaque numerosa, ab equitatu suorum proculcatur: pars veluti hostes, errore per noctẽ gliscente, inter se depugnant: Amilcar initio quidem hostis incursum fortiter excipiebat, & Prætorianis suis ad subeundum cõmune periculum erat hortator. postea verò ob perturbationem & metum à militibus desertus, vix incolumis à Syracusanis abripiebatur. Hîc non immeritò quis annotauerit fortunæ inæqualitatem, & insolentiam eorũ, quæ secus quàm existimassent hominibus eueniunt. Nam Agathocles fortitudine nemini secundus, magnoque exercitu, qui in pugnâ ad Himeram ipsum adiuuabat, instructus, non solùm Barbaris succubuit, verùm & præcipuum robur, maximamque partem exercitus amisit. At intra muros Syracusarum relicti, exiguâ deuictorum ciuium manu nõ modò exercitum Carthaginiensium à quo obsessi fuerant, subegêre: sed etiam Prætorem Amilcarem, inter ciues suos clarissimum, in manus suas viuum acceperunt. Et quod admiratione summâ dignum, ccclↃↃↃ cclↃↃ cclↃↃ peditum, & IↃↃ equitum, exiguus hostium numerus, fraudis cõmento, locique naturâ adiutus, extremè superauit: vt verum sit quod trito sermone circumfertur: *Multa in bello vana.* Post hanc fugam Carthaginenses, alii aliò dispersi, vix postridie iterum conuenére. At Syracusani cum manubiis quamplurimis in vrbem reuersi, Amilcarem tradiderunt illis, qui sumendi de homine supplicii cupidi erant. Haruspicis etiam effatũ memoriâ repetiuerunt, qui posterò die Syracusis illum cœnaturum prædixerat: cuius veritatem Numen euentu cõprobasset. Amilcarem itaque vinctum cæsorum propinqui per vrbem circumducunt, dirisque excruciatum tormentis, cum extremâ contumeliâ trucidant. Vrbis exinde principes quosdam miserunt: qui præcisum illius caput ad Agathoclẽ perferrent, & nuperam illi victoriam annunciarent. Carthaginensium verò exercitus, post acceptam cladẽ, quæ causa fuisset tantarum calamitatũ, edoctus, vix tandem metu liberatur. & quia duce carebant, dissidium inter Barbaros & Græcos oritur. Exsules igitur cũ cæteris Græcis Dinocratẽ

XXX.

XXXI.

sibi

ſibi imperatorem creant. Carthaginenſes autem ſecundũ à prætore dignitatis gradum tenentibus imperium committunt. Per quod tempus, cùm Agrigentini eum Siciliæ ſtatũ eſſe cernerent, vt percommodùm inuadi poſſet: inſulæ principatum ſibi vendicare cœperunt. Carthaginenſes enim bello cum Agathocle ſuſtinendo vix pares fore, exiſtimabant. Dinocratem verò, qui collectum ex fugitiuis agmen haberet, facilè ſubigi poſſe. Syracuſanos etiam, quos victus inopiâ grauiſſimè premeret, de prærogatiuâ contendere ne tẽtaturos quidem. quod denique maximum eſſet; cùm ad liberandas ciuitates militiam hanc ſuſciperent: libenter omnes, tum propter odium aduerſus Barbaros, tum propter inſitam cunctis propriæ iuriſdictionis cupiditatem, obſecuturos. Xenodicum ergò ducem creant, eumque idoneo exercitu inſtructum ad bellum mittunt. Is extemplò Gelam cõtendens, cùm ab hoſpitibus quibuſdã priuatis noctu admiſſus eſſet: ſimul vrbe, validoque exercitu & pecuniâ potitur. Libertatem igitur adepti Geloi, cum omni ciuium robore in ſocietatem militiæ tranſeunt, operamq; ſuam ad liberãdas ciuitates promptiſſimè conferunt. Hoc Agrigentinorum incepto per totam Inſulam diuulgato: ſubita libertatis cupiditas vrbes inceſſit: primique Ennæi miſſis legatis vrbem Agrigentinis dedunt. qui hac in libertatem aſſertâ, Erbeſſum præſidio firmatum, pergunt; initoque acriter conflictu, cùm ſubſidio venirent oppidani, præſidium expugnatur, & complures de Barbaris cadunt; poſitisque armis dedunt ſeſe ad quingentos. His dum diſtricti tenentur Agrigentini, quidam ex militibus, quos Agathocles Syracuſis reliquerat, captâ Echetlâ, Leontinum & Camarinenſem agrum depopulantur. Calamitas iſta grauiter affligebat ciuitates: quòd regio vaſtata, frugesque omnes corruptæ eſſent. ideo profectus in hęc loca Xenodicus, à Leontinis & Camarinæis bellum profligat, expugnatâque Echetlâ, quæ caſtellũ erat probè munitum, popularem ciuibus adminiſtrationem reſtituit. Syracuſanis etiam terrorem incuſſit. præſidia denique & vrbes, hîc illic obitas, à magiſtratu Carthaginenſium vindicauit. Interea frumenti penuriâ grauiter vexati Syracuſani, cùm naues annonam ferentes appulſuras intellexiſſent, triremes x x expediunt; animaduerſoque, Barbaros ſtationẽ habere ſolitos, negligentiùs cuſtodias agere, non ſentiẽtibus

XXXI

illis excurrunt,& ad Megarenses vsque prouecti,aduentum mercatorum præstolantur. Cùm verò xxx Carthaginiensium naues in eos inueherentur,principio sanè nauali contēdere prælio instituunt;sed ad terram fugati,ad fanum quoddam Iunonis natando euadunt. hinc pugnâ cum nauibus ortâ:cùm ferreas nauibus manus iniicerent Carthaginienses,& à terrâ illas abstraherent violentiùs: decem triremes capiuntur. reliquas subsidium ex vrbe superueniens eripit. Atque ea tum rerum Siciliæ erat conditio. In Africa XXIII. verò Agathocles,postquàm appulissent,qui caput Amilcaris afferebant,illo accepto, ad castra hostium eò vsque, equo procurrit,vt exaudiri vox eius posset, capiteque monstrato, vt copiæ illorum succubuissent, exponit. quæ res acerbissimum Carthaginensibus dolorem attulit: qui ritu Barbarorum adorato capite,regis interitum suam calamitatem esse rati,ad persequendum bellum nihil animi habebant. Agathocles contrà successibus in Africa elatus, quòd tanta rerū prosperitate afflueret,spes gerebat sublimes; quasi periculis iam omnibus esset perfunctus. Atqui fortuna hanc rerum secundarum affluentiam in eodem tenore persistere haud concessit;verùm à propriis militibus maxima principi pericula conciliauit. nam Lyciscus quidam, ex numero præfectorum,ad cœnam ab Agathocle inuitatus, vbi vino incaluerat,maledictis imperatorem verberabat,sed Agathocles, quòd virum ob rei bellicæ vsum magni faceret, iocis acerbè dicta eludebat. Archagathus verò eius filius,molestè id ferens,conuiciis ac minis hominem contrà incessebat. finitóque conuiuio,cùm ad suum quisque tentorium abiret: Lyciscus Archagatho incestum cum nouercâ adulterium contumeliosè obiecit. cum Alciâ enim (id nomen mulieri fuit) vxore patris,rem clanculum habere existimabatur. Maiorem igitur in modum excandescens Archagathus, correpto satellitis cuiusdam pilo,latus eius transfixit. quem continuò exstinctum, qui curâ illius afficiebantur, in tabernaculum suum deportarunt. Quàm primùm verò illuxit, interfecti amici, & militum aliorum complures, hinc inde concurrunt;& ob id factum indignati,tumultu castra replent. Ex præfectis etiam multi, qui in criminibus hærebant, dum metuunt sibi ipsis, occasione datâ vsi, seditionem non exiguam accenderunt. Cumque totus exercitus crudelitatis illius

lius odio inflammaretur,ad supplicium de homicidâ sumē-
dum arma singuli corripiunt. Ad extremum de medio Ar-
chagathum tollere decernunt. quod si filium non traderet
Agathocles,ipsum loco illius pœnas daturum. Quin & sti-
pendia sibi debita flagitant: nouosq; Duces, qui castris præ-
essent,eligunt. ad postremum Tunetis mœnia occupant,&
X. principes ex omni parte custodiis circumsepiunt. Hac
apud hostes seditione exploratâ, Carthaginenses quosdam
de suis miserunt, qui ad transitionem illos solicitarent, am-
pliora stipendia,muneráque non contemnenda polliciti. E
Ducibus ergo multi exercitum ad eos se traducturos pro-
misêre. Agathocles verò,vbi salutem in extremo positā mo-
mento videt;metuens, ne hosti deditus cum ignominiâ vi-
tam finiret,satius fore statuit,si quid perpetiendum sit,à mi-
litibus morte affici. Depositâ igitur purpurâ,indutoque ple-
beio & vili amictu,in medium processit, factoque ob noui-
tatem rei silentio, accurrentibus vndique multis, oratio-
nem præsenti rerum statui attemperatam habuit, & com-
memoratis quas hactenus gessisset, rebus, ad mortem iam
oppetendam se paratum esse dixit, siquidem commilitoni-
bus ex vsu videretur. nunquam enim timiditate adactum se
committere velle,vt vitæ seruandæ amore,indignum sese a-
liquid pateretur; eiusque rei ipsos fore testes cùm dixisset;
ensem tanquam se ipsum transfixurus nudauit. Iamque
vulnus sibi inflicturus erat: tum exercitus,ne id faceret, ex-
clamare, & ex omni parte voces accidere, à crimine illum
absoluentes. cúmque regium assumere habitum multitu-
do iussisset:effusis cum lacrymis populo gratias agens,con-
uenientem sibi ornatum rursus induit, lætóque applausu
restitutionem eius in integrum multitudo consolatur. Car-
thaginenses interim exspectabant, quasi iamiam Græci ad
illos transituri essent. Tum Agathocles,occasionem non
prætermittens,exercitum in eos educit. Carthaginensibus
verò,ad se ab hostibus fieri secessionem ratis, nihil eorum,
quæ verè tum gererentur, in mentem venit. Agathocles
tandem,vbi hosti propinquauerat,subitò classicum cani iu-
bet,& factâ impressione,magnam edit stragem. Carthagi-
nienses improuiso hoc casu oppressi, multis suorum deside-
ratis in castra refugêre. Sic Agathocles filii temeritate in ex-
tremū cōiectus periculū, suâ virtute non tantùm è malis sese

expediuit; verùm hostes insuper profligauit. At qui seditionem præcipuè concitauerant, & quotquot à principe alienos habebant animos, reliqui plus quàm ducenti ausu nefario ad Carthaginienses transfugerunt. Nos iam expeditis Africæ & Siciliæ rebus, per Italiam etiam gestorũ memores erimus. XXV. Sutrium Romanorum coloniam infesto cũ exercitu aggressi fuerant Etrusci. ad huius ergo defensionẽ validis cum copiis profecti consules, Etruscos prælio victos ad castra vsque persequuntur. Circa quod tempus Samnites, longinquiùs abducto Romano exercitu, Iapyges, Romanis addictos, citra omnem metum oppugnabant. Consules ergò copias diuidere coguntur. & Fabius in Etruria resistit: at Marcius aduersus Samnites profectus Allifas vrbem vi capit, & socios obsidione vexatos periculis eximit. Fabius autem, postquàm Etrusci ingenti cum multitudine ad oppugnationem Sutrii cõfluxerant, insciis hostibus per finitimorum agros in Etruriam superiorem, iam longo tẽpore nullas incursiones expertam, irruptionem facit. & improuisò illos aggressus, longè latéque regionem populatur, incolas qui occurrerant fundit; multosque interficit; nec exiguus viuorum numerus in manus eius peruenit. Posthæc altero ad Perusiam (quam vocant) prælio Etruscis superatis, multisque cæsis: gentem illam perterrefecit: primus Romanorum cum exercitu hæc loca ingressus. Arretinis verò, Crotonensibus & Perusinis inducias concessit, & expugnatâ Castulâ (vti vocatur) ad omittendam Sutrii obsidionem Etruscos adegit. XXVI. Romæ per hunc annum censores creati: quorum alter Appius Claudius, obsecundante collegâ Caio Plautio, multa maiorum instituta loco dimouit. Populo namque gratificans, nullam Senatus rationem habuit. ac primò aquam, quæ Appia de ipso nominatur per LXXX stadia in vrbem perduxit, magnamque pecuniæ vim ex ærario, Senatus iniussu, hoc ad opus insumpsit. deinde maximam viæ partem, quæ Appiæ nomen ab ipso refert, à Româ Capuam vsque, per stadiorum mille amplius interuallum, duro lapide constrauit: magno sumptu locis, quæ eminebant effossis, & exæquatis quæ hiatus & cauitatem habebant. atque ita omnes ærarii facultates exhausit; eoque communis emolumenti studio, immortalem sui memoriam reliquit. Senatus quoque ordinem temperauit,

non solùm nobiles & dignitate præstãtes, vt moris hactenus fuerat, legendo, sed è libertinorũ quoque censu multos admiscendo. quæ patritiã nobilitatẽ iactantes grauissimè ferebãt. Adhæc potestatem ciuibus fecit, vt cuicumque vellent sese aggregarent, & vbi vbi libéret censerentur. Tandem magnam sibi cumulatam videns apud nobiles inuidiam, fauore plebis se contra patriciorum inimicitias præmuniendo, aliorum ciuium offensam declinauit. in equitum lustratione nemini equum ademit. in Senatorum etiam recensione nullum ex obscuris Senatu mouit, quod à Censoribus factitari solebat. At enim Consules tum inuidiâ stimulati, tũ quòd nobilitati gratificari volebant, Senatum cogebant; non quem ille legerat, sed quem Censores ante illum conscripserant. Populus verò his sese opponens, Appii causæ fauebat, vtque cognatorum prouectionem confirmaret: ad ædilitatis munus cæteris illustrius Flauium quendam libertæ cuiusdam filium extulit. isque primus Romanorum liberto natus hunc dignitatis gradum consecutus est. Appius tandem abdicato magistratu, inuidiam Senatus reformidans, cœcitatis simulatione domi se continebat.

XXX-VIII. Iam princeps in Atticâ republicâ erat Charinus, & Romani consulare imperium tradiderant Publio Decio & Quinto Fabio. & apud Eléos centesima decima octaua Olympias agebatur; quâ victoriam retulit Apollonides Tegeata: cùm Ptolemæus, è Myndo magnâ cum classe per Insulas nauigans, in transitu Andrum, reducto præsidio liberauit. inde ad Isthmum transportatus, Sicyonem & Corinthum à Cratesipoli recepit. Quibus verò de causis vrbes tam illustres suam in potestatem acceperit, superioribus libris à nobis expositum est. iteratâ ergo narratione supersedendum. Cæteras insuper Græciæ vrbes in libertatem vindicare sibi proposuerat; multum ex beneuolentiâ Græcorum rebus suis accessurũ arbitratus. At cùm frumentum & pecunias suppeditare iussi promissorum nihil facerent: indignatus princeps pacem cum Cassandro hac conditione iniuit. vt quas quisque tum haberet in potestate vrbes, retineret. Tum Sicyone ac Corintho præsidio firmatis, in Ægyptum traiecit. Dum hæc geruntur, Cleopatra Antigono infensa, propensione suâ ad Ptolemæum inclinauit, Sardibusque, vt transportaretur ad ipsum, excessit. erat hæc Ale-

xandri Persarum debellatoris soror, Philippi Amyntæ nata, & Alexandri, qui expeditionem in Italiam susceperat, coniux. Ob generis ergo nobilitatem Cassander & Lysimachus, Antigonus etiam & Ptolemæus; denique præstantissimus quisque ducum, post Alexandri obitum, eius matrimonium ambiebat. cùm enim Macedones coniugium hoc sectaturos, vnusquisque speraret: familiam regiam, tanquam summum hac ratione imperium ad se translaturus, affectabat. At Sardium præfectus, cui attinendæ Cleopatræ mandatum dederat Antigonus, discessum eius inhibebat. & principis deinde iussu muliercularum quarundam operâ dolosè illam necauit. Antigonus verò se necis auctorem diffamari nolēs, quasdam ex mulierculis, quasi vitæ illius insidiatas, capite plexit, & funus regiâ magnificentia curauit. Talem ergo Cleopatra, certatim à nobilissimis ambita ducibus, ante nuptiarum conciliationem, vitæ exitum sortita est. Nos iam Asiæ Græciæque res exsecuti, ad reliquas orbis partes stylum transferemus. In Africâ Carthaginienses exercitum ad Numidas, qui defecerant, in ordinem redigendos miserant. Agathocles ergo Archagathum filium cum parte exercitus ad Tunetem reliquit. ipse cū fortissimorum agmine, peditum ccIↃↃ cIↃ cIↃ, & octingentorum equitatu, & carrucis quinquaginta, magnis hostem itineribus sequitur. Interim Carthaginienses ad Numidas, quos Suphones vocant, progressi multos incolarum sibi adiungunt. rebellium etiam nonnullos ad societatem pristinam reducunt. Audito verò, in propinquo hostem esse, in tumulo quodam profundis, transitúque difficilimis fluentis incluso, castra ponunt, eáque repentinis hostium incursionibus opponunt. Numidarum autem maximè idoneos Græcorum tergis adhærescere. & vexationibus molestis progressum retardare, iubent. quibus imperata exsequentibus, funditores & sagittarios Agathocles obiectat. & ipse cum cæteris copiis, ad castra hostium contendit. Sed Carthaginienses animaduerso eius consilio è castris exercitum educunt, aciéque instructâ, ad conflictum parati resistunt. Vt Agathoclis verò militem iam flumen transire vident; composito illos agmine inuadunt, magnámque hostium ad fluuium traiectu difficilimum stragem edunt. Interea dum Agathocliani vi transitum sibi facere nituntur, Græci virtute præcellunt, multitu-

XXXIX.

dine

dine Barbari superant. Dúmque acies vtrinque ad longum temporis spacium fortiter dimicant, ex vtraque parte Numidæ à pugnâ desistunt, finémque certaminis exspectant, impedimenta profligatorum diripiendi consilio. Tandem Agathocles cum suis, quos circa se fortissimos habebat, primus aciem sibi oppositam perrupit, huiúsque fugâ, vt cæteri etiam terga verterent, effecit. Equites tantùm Græci, qui Carthaginiensibus militabant ductu Clinonis, Agathocleanos grauiter incumbentes sustinebant. acrique certamine commisso, plerique strenuè pugnantes occubuêre; reliqui casu quodam euaserunt.

L. Tum Agathocles ab insecutione desistens, impetu in Barbaros, qui in castra refugerant, conuerso: dum locis arduis, & accessu difficilibus irrumpere nititur, non minus damni patitur, quàm infert Carthaginiensibus. nihil tamen idcirco de pertinaciâ remittit, sed victoriâ elatus hostem vrget, vi castra expugnaturum se confidens. Interea intenti in pugnæ euentum Numidæ, in impedimenta Carthaginiensium inuolare non poterant, quòd vterque exercitus propè castra decertabat. in Græcorum igitur castra facto impetu, cum Agathoclem inde longiùs auultum, eáque propugnatorum auxilio destituta scirent, facili irruptionis negocio repugnantes interemerunt, & captiuorum multitudine, aliisque emolumentis sunt potiti. Quæ vbi resciuit Agathocles, raptim eò copias duxit, & direptorum nonnulla recuperauit. sed Numidæ partem maximam asportârunt, ortâque nocte se procul inde subduxêre. Hinc tropæo erecto, princeps spolia inter milites diuisit, ne quis rerum suarum iacturam ægrè ferret. captiuos autem Græcos, qui à partibus Carthaginiensium steterant, in castellum deposuit, qui principis vltionem veriti, de nocte præsidium castelli inuadunt. at pugnâ superati, locum quendam munitum occupant, numero haud infra mille: quorum supra 10 erant Syracusani. Quod factum vbi cognouit Agathocles cum exercitu illuc contendit: & post datam fidē, istinc deductos insidiatores illos omnes mactauit.

LI. Hæc igitur pugnâ defunctus, cùm omnia quæ ad subiugandos Carthaginienses facerent speculatione mentis exigeret, Orthonē Syracusanum Cyrenen & Ophellā legationem obire iussit. hic amicorum qui cum Alexandro militârant vnus erat, & Cyrenen cum vicinis vrbibus validúmque

exercitum in potestate habēs, maiorem animo principatum complexus fuerat. Dúmque in his cogitationibus versatur, legatus Agathoclis venit cum hac petitione, vt ad debellandos Carthaginienses suam cum illo operam coniungere velit. in cuius officii remunerationem Africæ dominium ei permissurum Agathoclem, pollicetur. sufficere huic Siciliam: vbi periculis, quæ à Carthaginiensibus immineant, exsolutus, totam insulam in ditionem redigere securè liceat. Ad ampliandum verò imperium Italiam in propinquo esse, si ad maiora censeat adspirandū. Africam enim vasto difficilíque salo disiunctam, ipsi nequaquam conuenire, in quam nunc equidem, non cupiditate, sed necessitate adactus, venerit. Ophellas igitur, cùm ad consilium iam olim meditatum nunc spes noua accederet, lubens obtemperauit, & Athenienses de societate per legationem conuenit. Euthydicam enim Miltiadis, qui nomen suum ad imperatorem referebat eorum, qui ad Marathonem victores exstiterāt, natam in matrimonium duxerat. quare tum ob hanc coniugii necessitudinem, tum ob alia beneuolentiæ studia, in ciuitatem receptus fuerat; multíque Atheniensium ad hanc militiam promtis animis obsequebantur. Ex aliis præterea Græcis non pauci adiungere se expeditioni huic properabant, quòd florentissimā se Africæ partem sorte diuisuros, & Carthaginis opes direpturos, sperarent. nam res Græciæ ob bella perpetua, & cōtentiones principum inter sese, infirmæ profligatæque erant. Itaque non multis tantùm commodis se potituros; sed à præsentibus etiam malis liberatum iri, persuasum habebāt.

XLII. Ophellas tandem vbi cuncta expeditioni necessaria affatim comparauerat, copias eduxit, plus quàm cclↃↃ peditum, & sexcentos equites, centúmque currus, & aurigas essedariósque milites supra ccc, sub signis habens. ad hæc qui extraordinarii appellantur, non infra cclↃↃ comitabātur. multíque horum liberos & vxores, nec non alia secum impedimenta, ducebant, ita vt hic exercitus coloniæ speciem haberet. Octodecim ergo dierum itinere confecto, tria stadiorum millia emensi, circa Automalas castra posuêre. Inde progredientibus mons erat vtrinque præruptus, profundam in medio vallem habens; ex qua læuis quædam petra in arduum scopuli verticem assurgebat; ad cuius radicem spatiosum fuit antrum, hederâ & taxo opacū; in quo Lamiam

reginam, pulcritudinis eximiæ fœminam, degiſſe fabulan-
tur: ſed propter animi ferocitatem inſequente tempore fa-
ciem eius in beluinam fuiſſe transformatam. exſtinctis enim
omnibus eius liberis, caſum hunc illam grauiſſimè tuliſſe,&
inuidentem aliis matronis liberorum felicitatem, ex vlnis i-
pſarum abripi,& confeſtim necari iuſſiſſe infantes. Quam-
obrem noſtrâ etiamnum ætate, famâ de muliere iſtâ perma-
net apud pueros, eiúsque nomen ſummo illis eſt terrori.
cùm verò ebrietati indulgeret, quiduis pro arbitrio citra in-
quiſitionem faciendi licentiam dediſſe. quoniam ergo nihil
eorum, quæ tum in prouinciâ gererētur, animaduerteret ſe-
dulò, quaſi non videret illa, creditum fuiſſe. propterea fabu-
lati ſunt quidam, quòd oculos in marſupium coniecerit, ne-
gligentiam vini abuſu commiſſam in merum ſuprà dictum,
quaſi hoc viſum adimeret, transferentes. In Africâ autem
hanc fuiſſe, Euripidem quis teſtem exhibuerit: dicit enim;

Quis non probroſum nomen id mortalibus,
Nec Africanæ nouerit Lamiæ genus?

.III. Cæterùm Ophellas aſſumpto exercitu, per ſiticulo-
ſam & beſtiis infeſtam, magno cum labore pergebat. non
enim aquâ tantùm carebat: ſed etiam nutrimento ſicco de-
ſtitutus, amittendi totius exercitus periculum ſubiit. ſolitu-
dines præterea ſyrtibus vicinas angues, & omnis generis fe-
ræ obtinebant. & quia morſus plerorumque lethales erant,
multi in calamitatem incidebant, quos nec medicorum, nec
amicorum opitulatio quicquam ſubleuauit. nam ſerpentum
aliqui eundem quem terra colorem referebant. hoc facie-
bat, vt à nemine præuiderentur. quos cùm multi per igno-
rantiam calcarent, mortiferis ſauciati ictibus interibant. Ad
poſtremum, itinere duorum amplius menſium ærumnoſiſ-
ſimè confecto, vix tandem Agathoclis caſtra aſſequuntur:
vbi copiis exiguo inter ſe diſiunctis interuallo, caſtra poſuê-
re. Atqui Carthaginienſes cognito horum aduentu trepi-
dabant, quòd tantum contra ſe robur veniſſe cernerent. A-
gathocles verò Ophellæ obuiam progreſſus, benignè omni-
bus ſuppeditatis, vt exercitum ad vires ab ærumnis reparan-
das curaret, monebat. ipſe per dies aliquot cunctatus, cùm
ſingula, quæ in caſtris vicinis agebantur, explorata haberet,
iámque maiore parte militum pabulatum & frumentatum
egreſſa, Ophellam, nihil à ſe deliberatorum ſuſpicantem,

animaduerteret: concionem militum suorum aduocat, & Ophellam criminatus, quòd qui ad societatem armorum venisset, nunc insidias pararet, exacerbatâ multitudine, confestim instructum contra Cyrenæos exercitum educit. Insolentiâ rei perculsus Ophellas, defendere se conatur. at celeritate hostis oppressus, dum & reliquiæ exercitus ad resistendum non sufficiunt, inter præliandum occumbit. Agathocles multitudinem adhuc reliquam ad ponẽdum arma cogit, animisque omnium promissionum liberalitate conciliatis, toto sic exercitu potitur. "Ophellas ergo dum amplæ nimis "spei indulget, & ad credendum est procliuior, eiusmodi vitæ exitum sortitus est.

XLI. Carthagine interea Bomilcar, iam dudum tyrannidis occupandæ consilia animo tractans, idoneum instituto suo tempus quærebat. Tametsi verò sæpius occasio meditata exsequendi oblata fuerat, semper tamen leuis aliqua causa interueniens illum remorabatur. "religiosi enim sunt qui magnas & nefarias res aggredi parant; "& semper cunctari quàm agere, differre quam exsequi rem, malunt. quod etiam tunc euenit. Verùm vbi commodum se tempus inuenisse iudicauit, ciuium qui circa ipsum erant clarissimos, in expeditionem contra Numidas emisit: ne quem ex nobilitate sibi aduersantem haberet. interim metu reuocatus, nemini tyrannidis consilia detegere audebat. Sub idem verò tempus, quo ab Agathocle Ophellas fuit oppressus, accidit vt hic etiam principatum inuaderet: vbi neuter quæ apud hostes gererentur, compertum habebat. nam nec Agathocli quicquam de tyrannidis affectione, vrbísque tumultu constabat; (vbi facilè Carthaginem subegisset. Bomilcar enim in ipso facinore deprehensus, Agathoclis partes adiuuare, quàm corporis supplicium expendere, maluisset) nec rursum Carthaginienses aliquid de Agathoclis impressione cognouerant. nam facilè ipsum, adiunctis Ophellæ copiis, domuissent. Vtrisque verò non temerè hanc ignorantiam accidisse reor; quamuis res arduæ essent, atque inter se propinqui facinora tanta susciperent. Agathocles enim virum sibi amicum è medio sublaturus, nihil eorum quæ apud hostes gererentur, aduertendum curabat. Bomilcar verò in libertatem patriæ adimendam intentus, quid in hostium castris ageretur, nihil pensi habebat: quippe cui in præsentiâ non hostes, sed ciues debellare propositum esset.

rum esset. Hæc cùm ita se habeant, hoc quispiam loco Historiam reprehendat, videns multas generísque diuersi res in vitâ eodem tempore geri, scriptores verò ad interrumpendam narrationem, & ad res, quæ vno geruntur tempore diuidendas, necessitate contra naturam adigi. vnde sequatur, vt veritas quidem gestorum affectionem suam habeat: descriptio verò, cui facultas hæc negatur, quanquam res quidem imitetur; longo tamen interuallo post veram illarum affectionem relinquatur. Bomilcar

XV. ergo militum delectu in nouâ, quam vocant, vrbe habito, (illa verò haud veteri Carthagine procul sita est) cæteros cum dimisit. quingentos verò ciues inceptorum conscios, & mercenariorum mille circiter exhortatus, tyrannum se declarauit. diuisoque in partes quinque agmine, vrbem inuasit, quotquot in vicis occurrerent, trucidans. tum incredibilis per vrbem fuga trepidatioque oritur. Et Carthaginienses initiò hostem irripuisse, proditâ vrbe suspicari. ast vbi verum innotuit, iuuenes concurrere, factisque ordinibus contra tyrannum tendere. ille mactans in plateis obuios quosque in forum properat, magnámque ciuium, quos inermes offenderat, stragem edit. Cùm verò Carthaginienses altas circa forum domos occupassent, telisque crebris rem gererent, coniurationis socii, quod locus missilibus expositus esset, vulneribus incessebantur. Malè igitur affecti in globum coëunt; & per vicorum angustias in Nouam vrbem euadunt; ex ædibus interim quas subibant crebris iactibus impetiti. cúmque editum quendam locum occupassent, iam totâ ciuitate in armis congregatâ, castra defectoribus opponunt Carthaginenses. Tandem legatos à numero seniorum maximè idoneos mittunt, & impunitate delictorum concessâ, pacificè dirimuntur. Erga cæteros sanè, propter impendentia vrbi pericula, iniuriarum memores haud erant: sed Bomilcari grauissimis cruciatibus ignominiosè affecto, nulla iurisiurandi ratione habitâ, vitam ademerunt. Hoc pacto Carthaginienses, summâ rerum in extremum periculum adductâ, pristinam Reipub. patriæ formam recuperarunt. Interea Agathocles onerarias naues spoliis refercir, impositósque ex Cyrene aduenas, qui bello minùs habiles essent Syracusas deportat. verùm exorta tẽpestate, naues partim demersæ, partim ad insulas Italiæ

Pithecusas reiectæ sunt: adeóque paucæ Syracusas integræ peruenerunt. In Italia Consules Romani Marsis, quos Samnites bello vexabant, auxiliati, pugnâ superiores erant; magnâ hostium cæde factâ. deinde per agros Vmbrorum profecti, in Hetruriam hostiliter animatam inuadunt; & castellum quod Caprium vocatur, expugnant. Cùm verò incolæ regionis super induciis legatos mitterent; cum Tarquiniensibus in annos XL, cum Etruscis verò cæteris in annum duntaxat inducias fecêre.

XLV Post anni exitum Athenis Anaxicrates creatus fuit Archon; Romæ consules Appius Claudius, & Lucius Volumus. Per id verò tempus Demetrius Antigoni, validis à patre copiis terrestribus simul & naualibus, telorum insuper aliorúmque ad obsidionem vtilium conuenienti apparatu instructus, ab Epheso soluit. iniunctum verò illi fuerat, vt omnes per Græciam vrbes, primámque omnium ciuitatem Atheniensium, Cassandri adhuc præsidio occupatam, in libertatem vindicaret. Piræeum igitur cum exercitu appellit, primóque statim aduentu, post edicti proclamationem vndique oppugnationem inceptat. Dionysius verò præsidii Munychiani præfectus, & Demetrius Phalerensis curator vrbi datus à Cassandro, valido militum robore de muris hostem propulsant. sed ex Antigonianis quidam, factâ per vim irruptione, iuxta littus mœnia transcendunt, plurésque certaminis socios accipiunt. Hoc itaque modo capitur Piræéus. Ex inclusis Dionysius, præsidii ductor, in Munychiam refugit. Demetrius autem Phalerensis in vrbẽ se recepit. Postridie legatus à populo cum aliis ad Demetrium missus, cum de libera iurisdictione, suáque incolumitate disseruisset: vt cum comitatu dimitteretur, impetrauit; & Athenas retineri haud posse videns, Thebas atque inde ad Ptolemæũ in Ægyptum perfugit. Hic ergo cùm vrbis administrationem decem annos tenuisset, eo quem diximus modo, è patriâ excussus est. populúsque Atheniensis in libertatem vindicatus de honorandis iurisdictionis restitutæ auctoribus decretum fecit. Demetrius autem b.listis aliísque machinis admotis, vnà cum missilibus Munychiam terrâ maríq; oppugnabat. Cúmque obsessi de muris strenuè se tutarentur, accidit, vt Dionysiani locorum difficultate & altitudine superiores essent, (nam Munychia non solùm naturâ loci, sed etiam

structuris murorum firma est:) Demetrius verò maiore militum numero, apparatúque multùm præualeret. Tandem oppugnatione ad biduum continuatâ, cùm præsidiarii catapultis & ballistis sauciati, qui sufficerentur, non haberent, succumbebant. Interim Demetriani, qui per vices pericula subirent, & recentes sibi mutuò succederent, nudato ballistarum ictibus muro, in Munychiam irrumpunt, coactisque ad ponendum arma præsidiariis, viuum capiunt ductorem.

XLI. His intra paucos dies feliciter expeditis, Munychiam Demetrius exscindit, & libertatem populo integram restituit: amicitiæ quoque & societatis fœdus cum eis sancit. Ob quæ communi decreto, quod Stratocles scripserat, à populo sciscitur, vt Antigoni Demetriíque statuæ ex auro, propè Harmodium & Aristogeitonem in curru erigantur; & vterque ducentorum talentûm coronâ insigniatur; aráque ipsis dicata Seruatorum appelletur. Ad decem præterea tribus, alias duas Antigonidem & Demetrianam adiiciant; Denique ludos pompámque, & sacrificium quotannis exhibeant, ita vt vterque Mineruæ peplo intexatur. Populus itaque, Lamiaco bello potestate suâ exutus, post XV annos, auitum reipublicæ statum recuperauit. Præsidio tenebatur adhuc vrbs Megarensium. hanc expugnat Demetrius, liberámque populo iurisdictionem reddit. Amplos igitur honores & beneficia à ciuibus reportat. Antigonus porrò cum Athenien. legatio ad ipsum profecta de honoribus decretis scitum exhibuisset, vbi simul de frumento lignisque ad structuram nauium egêre: centum & quinquaginta millia medimnûm tritici, & quantum ad centum naues sufficeret materiæ, populo largitus est. Tum Imbri præsidio deducto, vrbem ciuibus restituit. Scriptis inde literis ad Demetrium filium mandauit, vt Senatum è ciuitatibus sociis constitueret, qui de communi Græciæ vtilitate consilia tractaret: ipse verò transportatis in Cyprum copiis, quàm ocyssimè cum Ptolemæi ducibus belligeraret. Is iussa parentis sine morâ exsequens, in Cariam transmittit, Rhodiosque ad bellum Ptolemæo inferendum exhortatur. quod cùm illi detrectarent, pacémque cum omnibus æquè colendam præferrent; inimicitiarum populi cum Antigono primordium inde exstitit.

XLVII. Demetrius ergo in Ciliciam deuectus, militibusque & nauibus inde acceptis, in Cyprum

traiecit; habens tum secum ccIↄↄ Iↄↄ peditum; cccc equites; nauium ad cursum expeditarum triremes supra decem & centum, tardiorum verò, sed tamen militarium, LIII; pontones insuper omnis generis, quot tantæ equitum peditúmque multitudini sufficerent. Ac primò in finitimâ Carpasiæ orâ castra posuit, subductisque nauibus, vallo & fossâ profundâ castra muniuit. Vicinas deinde vrbes aggressus, Vraniam & Carpasiam vi cepit. ac relicta tutandis nauibus custodiâ mediocri, Salaminem exercitu infesto petiuit. Menelaus verò Insulæ cum imperio præfectus, eductis è castellis hinc inde militibus, Salamine tum subsistebat. Iámque stadia XL hostes aberant: tum XII millia peditum, & Iↄ ccc equites, ille eduxit. prælióq; paulisper commisso, Menelaus ab hoste pressus, cum suis terga vertit. & Demetrius in vrbem vsque hostes insecutus, cIↄ cIↄ cIↄ haud pauciores cepit, mille autem interemit. Ac captiuos quidem criminibus exsolutos, in ordines suos distribuit. sed cùm ad Menelaum transfugerent, propterea quòd impedimenta sua in Ægypto penes Ptolemæum reliquerant: eos in proposito contumaciter perseuerare animaduertẽs, in nauigia collocatos ad Antigonum transmisit. Is per id tempus in superiore Syria commorans, vrbem, suo nomine Antigoniam vocitatam, iuxta Orontem flumen condebat, magnificos in eam sumptus faciens, ita vt ambitu LXX stadia complecteretur. nam locus ad insidiandum Babyloniæ, & superioribus prouinciis, inferiori etiam Satrapiæ, & præfecturis Ægyptum vsque idoneus erat. At non longo hæc vrbs tempore durauit. Seleucus enim illam destruxit, & oppidanos in aliam à se constructam, suóque nomine Seleuciam appellatam, deduxit. verùm hæc singula exponemus accuratè, vbi tempora illa attigerimus. Cæterùm Menelaus, in Cypro pugna superatus, missilia & machinamenta in mœnia transtulit, & dispositis per propugnacula militibus, ad conflictum se accinxit, cùm & Demetrium ad pugnam se præparare videret. Ad Ptolemæum quoque in Ægyptum misit, qui clades acceptas nunciaret, & auxilium, quia res Cypri in summo periculo versarentur, flagitaret. XLIX Demetrius autem cùm Salaminiorum vrbem non contemnendam, & propugnatorum magnam in eâ vim esse, cerneret, eximiæ magnitudinis machinas, & catapultas ballistásque omnis generis, cæterúm-

que apparatum, qui terrorem incuteret, conficere decreuit. acciuit præterea ex Asiâ opifices cum ferro, lignorúmque copiâ, & idoneo rerum insumendarum apparatu. Iámque omnibus celeriter maturatis, construxit machinam, quam Helepolin, ab expugnandis vrbibus, vocârunt, in vnoquoque latere quadragenos quinos cubitos latam, & XC cubitos altam, inque nouem contignationes distinctam: quæ quatuor rotis firmissimis, octonósque cubitos altis incumbens, ageretur. Arietes etiam prægrandes, & duas testudines, portandis arietibus aptas, fecit. In tabulata Helepolis inferiora varias intulit petrarias, quarum maximæ trium talentorum erant. in media catapultas, quæ spicula iacerent, maximas, in suprema tandem, catapultas minimas, petrariarúmque vim magnam, & viros qui his rectè vti scirent plures ducentis. Admotis itaque vrbi machinis, dum missilibus crebris vtitur, quâ pinnas ballistarum iactu detergeret, quâ muros arietum incussu deruit. Sed quòd obsessi fortiter repugnarent, & machinamentis alias opponerent machinas; per dies aliquot periculum erat anceps, & pares vtrinque vexationes, vulneráque mutua. Ruente ad extremum muro, cùm iam periculum erat, ne vrbs vi caperetur: appetente nocte, pugna circa muros desistitur. Tum Menelaus, iam exactè prouidens vrbem, nisi noui quippiam contrà moliretur, expugnatum iri, magnam aridæ materiæ copiam eò congesit, & hac circa medium noctis iniectâ hostium machinis, & facibus, quotquot habebant simul a mœnibus desuper immissis, operum maxima quæque incenderunt. Flamma igitur derepente in auras sublata, Demetriani quidem opem ferre conabantur: at præueniente celeriter flammâ, machinæ conflagrabant, militúmque qui in eis erant, complures interibant. Demetrius tamen nihilo magis, licèt hæc spes non successisset, ab incepto destitit: sed terrâ marique oppugnationem vrgens, temporis diuturnitate se hostes debellaturum existimauit.

L. Ptolemæus verò, clade suorum auditâ, cum exercitu instructissimo terrestri ac nauali ex Ægypto soluit; & ad Cypri vrbem Paphon delatus, naues assumit, Citiúmque, quod ducentis à Salamine distat stadiis, appellit. tota eius classis centum quadraginta longas habebat naues: quarum erat maxima quinqueremis, minima quadriremis. has pontones sequebantur,

plus quàm cc, peditum vehentes millia xii, haud minus. Is ergo missis quibusdam itinere terrestri ad Menelaum, naues si fieri posset, quàm citissimè (lx numero erāt) ad se mitti iubet. Nam spes erat, si his classem augeret, fore, vt certamine ducentis nauibus commisso, victoriam obtineret. At Demetrius animaduerso eius consilio, partem exercitus ad obsidionem relinquit: cunctas ipse naues replet, & collocatis in eas militum præstantissimis, missilia quoque ac petrarias imponit, & catapultarum quod satis foret, trispithamarum in proris constituit. magnisque adornata impendiis classe ad pugnam, vrbem circumnauigat, & ad portus ostium, paullùm extra teli iactum, anchoris demissis, pernoctat: tum vt classem vrbanam, ne cum cætera coniungatur, inhibeat, tum vt hostis aduentum, ipse ad prælium interim paratus, exspectet. Ptolemæus inde Salaminem versus prouehitur, & quia actuarias (hypereticas, id est, *ministratorias* vocant) in comitatu naues habebat, stupenda videbatur classis amplitudo.

LI. Demetrius aduentu hostis intellecto, nauarchum Antisthenem, vt classis oppidanæ eruptionem ad conflictum intercludat, cum decem quinqueremibus relinquit. interim equitatui mandat, vt in littore præstò sint, ad enatantes, si quid infortunii contingat, tuendum. ipse explicatis ordine nauibus, ciix nauium classem, haud amplius, ducens, cum iis, quæ in castellis ibi captis armatæ fuerant. quarum maximæ hepteres erant, pars tamen maior penteres. Læuum cornu hepteres Phœnicensium vii, & quadriremes Atheniensium xxx, duce Medio classis huius prætore, tenebant. Secundùm has hexeres decem, totidemque penteres ordinauit, consultum fore ratus, vt cornu, in quo ipse decertaturus erat, probè muniretur. In mediâ verò acie nauium minimas statuit, quibus Themiso Samius, & Marsyas rerum Macedonicarum scriptor, præerant. Dextrum cornu habebant Hegesippus Halicarnassensis, & Pleisthias Cous. classis totius gubernator supremus. Ptolemæus autem initio Salaminem versus propero cursu sub noctem contendebat, vt ingressu hostem, quod sperabat, anteuerteret. ast vbi luce exortâ, hostium classis non procul instructa videbatur, etiam ipse ad nauale se prælium accingit. Pontones igitur à longinquo iubet subsequi, & cæteris nauibus ordine iusto dispositis, sinistrum cornu ipse occupat,

pat, vbi maximæ illi naues præsidio erant. Aciéque in hunc modum instructa, vtrique de more per celeustas (*exhortatores*) vota diis faciebant, ita vt præeuntium vocem multitudo sequeretur. Principes verò, iam de vitâ fortunísque omnibus, aleam iacturi, in magnâ solicitudine versabantur. Demetrius igitur ab hoste tribus circiter stadiis remotus, signum pugnæ, de quo conuenerat, auratum nempe clypeum, omnibus per vices conspicuum, extulit. Factitante idipsum Ptolemæo, confestim quod dirimebat eos interuallum occupatur. Tubæ classicum canunt: acies vtrinque iubilant: nauésque terribili modo ad conflictum procurrunt. Atque initio arcubus & petrariis ballistis, frequentibus etiam iam iaculis, res geritur, & multi missilibus expositi vulnerantur. Deinde cùm naues nauibus approximantes, iam violento impetu concursuræ essent, qui in foris stabant hastas pariter demissas protendere, & remiges celeustarum hortatu alacriùs incumbere. Iámque violento roboris nixu impulsæ naues erant: cùm partim remos inter se detergere; vt ad fugam & insecutionem inutiles redderentur, & classiariorum, si ad strenuam sui defensionem conuerterentur, impetum in conflictu cohiberent: partim a rostris in proram illisis, puppes ad repetendum inflictum a gere retrorsum. Propugnatores interim super illis constituti, vulneribus se mutuis impetere, quòd singulis in propinquo scopus esset. Nonnulli trierarcharum feriunt ex obliquo, rostrisque indiuulsim adhærescentibus in naues hostium insiliunt, & inuicem nunc damna inferunt, nunc accipiunt. Nonnulli enim prensatis nauium lateribus, dum transcensu aberrant, in mare præcipites ruunt, & confestim super adstantium hastis transuerberantur. Quidam conatus sui compotes facti, alios perimunt, alios in arctum compulsos in salum deturbant. Summatim, variæ & repentinæ pugnæ vices erant: dum non rarò victi superiores, ob nauium altitudinem, exsistunt; & victores propter statum humiliorem, & rerum quæ in huiusmodi periculis contingere
„ solent inæqualitatem, premuntur. In certaminibus enim,
„ quæ terrâ geruntur, manifestè virtus apparet, cùm nullo in-
„ terturbante casu fortuito, primas consequi possit: at in pu-
„ gnis naualibus, multæ variis modis causæ eueniunt, quæ
„ faciunt, vt qui virtutis suæ iure optimo victoriam aliàs re-

portarent, nec opinatò succumbant. Inter cæteros verò cunctos præclarissimè Demetrius, in puppi hepteris consistens, decertabat. cùm enim globatim se hostes circumfunderent, alios iaculis eminus petendo, alios hastâ cominus feriendo, sternebat. multis sanè variisque telis impetebatur: sed ea tum prouidendo declinabat, tum armis protectoriis excipiebat. Propugnatores illi tres aderant; horum vnus lanceâ transfixus cecidit, cæteri duo grauiter erant vulnerati. ad extremum vi repulsis, qui ex aduerso stabant, dextrum cornu in fugam conuertit. & continuò etiam proximos terga dare coëgit. Ptolemæus verò, qui maximas secum naues & militum robur habebat, oppositos sibi negocio haud magno fudit fugauitque, & nauium alias demersit, alias cum ipsis militibus cepit. iámque à victoriâ reuertens, etiam cæteras se facilè subacturum sperabat: cùm læuum cornu profligatum, & proximas quásque fugam capessere, & Demetriũ vi grauissimâ imminere, animaduertit. ad Citium ergo retrocessit. Victor autem hoc prælio Demetrius, naues militares Neoni & Burricho tradit, cum mandatis, vt hostem persequantur, & in mari natantes excipiant. ipse naues suas acrostoliis exornat, captásq; hostium naues remulco trahens, ad castra portúmque suum reuertitur. Interim verò dũ prælio nauali disceptatur, Menelaus Salamini præfectus naues LX, viris armisque completas, Menœtio nauarcho in subsidium Ptolemæo misit; & certamine cum nauibus, quę stationem in ostio portus habebant, commisso, cùm oppidani vi sibi exitum patefacerent, Demetrianæ ad terrestres se copias fugâ receperunt, Menœtiani autem in altum euecti, vbi paullò seriùs quàm commodum esset, venerunt, Salaminem regrediuntur. Prælio hunc exitum sortito, pontones amplius centum in potestatem venerunt, in quibus IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ propè militum erant. De longis vnà cum viris captæ sunt XL, corruptæ verò circiter XXC. quas salsugine plenas ad castra prope vrbem victores subduxère. Vitiatæ etiam fuerant ex Demetrianis XX; quæ debitâ accuratione refectæ, commodos deinceps vsus præbuerunt. LIII.

Tum Ptolemæus, rebus Cypri desperatis, in Ægyptum soluit. At Demetrius acceptis in ditionẽ cunctis Insulę oppidis, præsidiarios in ordines suos cooptauit. Erant autem peditũ in ordines digestorum CCIↃↃ IↃↃ CIↃ, equites verò circiter LIV.

circiter IↃↃ. & nuncios rerum feliciter gestarum, in nauem maximam impositos, ad parentem misit. Antigonus vbi de victoriâ cognouit, successus magnitudine elatus, diadema sibi imposuit, & regis deinceps nomen vsurpauit, eundem titulum & honorem etiam Demetrio concedens. Quin & Ptolemæus, de celsitate animi nihil remittens ob acceptam cladem, diademate etiam ipse caput euinxit, & in omnibus exinde literis regem sese appellauit. Horum exemplo reliqui etiam principes, Seleucus qui superiores prouincias suæ ditioni recèns adiunxerat; itémque Lysimachus & Cassander, qui portiones ab initio sibi tributas retinebant, reges se proclamârunt. De his verò postquàm satis à nobis dictum est, per Africam & Siciliam gesta nūc seorsum exsequemur.

LV

Agathocles cùm principes iam memoratos diadema sumpsisse audiret, quòd se nec copiis, nec terrarū amplitudine, nec reb[s] deniq; gestis inferiorē duceret illis, se quoq; regē nuncupauit; diadema tamen vsurpandum haud censuit. nam sub tyrannidis affectatæ tempus perpetuò coronam, pro sacerdotii cuiusdā ritu gestabat; quā de principatu contēdens postea non deposuit. Sunt qui datâ operâ illum ab initio hanc gestasse dicant, quòd non admodum crinitus esset. Verum enimuerò appellatione tam magnificâ dignum aliquid gerere properans, in rebelles Vticenses exercitum duxit, subitóque vrbem incursu adortus, ciues in agris exclusos cepit ad trecentos. Et initio quidem veniâ delictorum illis concessâ, vt vrbem sibi traderent, postulabat. at cùm obsessi non obtemperarent, machinam construxit, quam suspensis ex illâ captiuis, mœnibus admouit. Vticenses calamitosorum quidem fortunam miserari, sed pluris omnium libertatem facientes quàm illorum salutem, militem per muros disponere, & propter obsidionem tolerare. Tum Agathocles catapultas, & funditores, sagittariósque machinæ adhibet, motóque ex illâ certamine, oppugnationem exorditur, ciuiúmque animis quasi cauteria quædam inflixit. Qui stabant super muris principio missilibus rem gerere cunctabantur, obiectis pro scopo ciuibus, inter quos primariæ nobilitatis quidam erant. at cùm impressio hostium ingrauesceret, in machinâ constitutos propulsare tandem coguntur. Hîc accidit, vt cladem inopinatam, fortunæque ludibrium, præ angustiâ necessitatis ineuitabile, Vticenses

experirentur. cùm enim Græci captos ex vrbe ciues obiecissent, alterutrum omninò faciendum erat, vt aut, ciuibus parcendo, patria in hostis potestatem veniret, aut vrbi succurrendo, miserrimorum ciuium multitudinē absque misericordiâ trucidarent: id quod etiam accidit. Dum enim omni telorum genere hostes arcēt, simul impositorum machinæ corpora missilibus fœdè lacerant, simul dependentium inde ciuium aliquos traiiciunt, aliquos catapultis ceu clauis, quacunque sors ferret corporis parte, machinæ affigunt, ita sanè vt ignominiosa affectio, suppliciique atrocitas illa, crucis instar exhiberet. Et hoc obuenit quibusdam, prout casus temperabat, à propinquis & amicis; quòd accuratam pietatis humanæ rationem habere non sinebat necessitas. Agathocles exutis quasi affectionibus, periculo se obiectare vidēs oppidanos, coronâ vrbē cinxit, & partem quandam non probè satis munitam violenter adortus, in vrbem irrupit. Tum Vticensium alii in ædes, alii in templa confugiunt. quibus iratus ille, omnia per vrbem cædibus replet. nam quosdam in ipso conflictu trucidat, quosdam suspendio necat, aliorum, qui ad delubra arasque deorum perfugerant, spem irritam facit. Hinc facultatibus direptis, & præsidio ad vrbem relicto, iuxta equi, vt vocant, arcem, quam natura ipsa vicino lacus situ munierat, castra mouit. Et post acerrimam oppugnationem, cùm nauali etiam prælio indigenas vicisset, vi summâ illam cepit. Hunc ad modum vrbibus subactis, maritimorum tractuum plerosque, & qui mediterranea incolebant, omnes sui iuris & arbitrii fecit, Numidis solummodò exceptis: quorum pars amicitiam cū illo fecit, pars vltimam rei totius disceptationem exspectauit. In quatuor genera hominum Africa tum erat diuisa. nempe in Pœnos; qui Carthaginem tum incolebant; itémque Libo-Pœnos; qui quòd multas vrbiū maritimarū tenerent, & matrimoniorum necessitudine Carthaginiensibus deuincti essent, à nexu affinitatis, compositam hanc appellationem reportârunt. maior deinde pars incolarū & vetustissima Afrorū nomen habebat. extremóq; Carthaginiensiū, ob dominatus asperitatē, odio flagrabat. postremi tandē erāt Numidæ, vastos Libyæ tractus, vsq; ad deserta, occupātes. Agathocles verò, licèt iam sociorum auxiliis, & proprii exercitus robore, Carthaginiensibus superior esset: de Siciliæ tamē reb⁹ anxiè

LVI.

cogitans,

cogitans, aphracta & pentecontoros, (*naues apertas, & quinquaginta remorum* actuarias) construxit; in quas duo militũ millia collocauit, & Archagatho filio negociis in Libyà præposito, in Siciliam cursum dirigens, cum classe inde soluit.

LVII. Inter has rerum gestarum vices, Xenodocus, Agrigentinorum prætor, postquam multas in libertatem vindicasset vrbes, spemque Siculis magnam peperisset; fore vt legum suarum ius per totam insulam recuperarẽt: copias suas contra Agathoclis præfectos eduxit, supra cIↃↃ peditum, & equites propemodum mille. Leptines autem & Demophilus exercitu, quàm possent maximo, Syracusis & è castellis vicinis conscripto, octies mille & ducentorum peditum, & mille ac ducentorum equitum; castra illi opposuerant. Commisso tandem summis viribus prælio, vincitur Xenodocus, & militum non infra mille IↃ desideratis, Agrigentum refugit. quâ debilitati clade Agrigentini, & inceptum suum longè pulcerrimum, & spem libertatis sociis iniectam, destituunt. Recèns depugnatum fuerat, cùm Agathocles in Siciliâ Selinuntem appulit, & statim Heracleotas, qui libertatem vrbi reddiderant, iugum subire iterum coëgit, & in alteram Insulæ partem inde progressus, Thermitas (quorum vrbs Carthaginiensium præsidio tenebatur) subegit, datâque fide missos fecit. Tum expugnato Cephalœdio Leptinen præfecit. Ipse per mediterranea profectus, Centorippa noctu, receptantibus eum de ciuium factione nonnullis, clàm intrare conatur. at patefactis insidiis cùm præsidium subueniret, amplius IↃ suorũ amissis, ex vrbe pellitur. Hinc à quibusdam Apolloniatis, qui patriam se illi tradituros receperant, accitus, eò contendit. sed proditoribus deprehensis, suppliciõque affectis, illius quidem diei oppugnatione nihil effecit. postridiè verò multis incommodis affectus, post magnam suorum iacturam, vix tandem vrbe potitur. & plerisque Apolloniatarum mactatis, bona direptioni tradit.

LVIII. In eo dum res versatur, Dinocrates exsulantium ductor, Acragentinorum institutum persequendum ratus, communis se libertatis vindicem profitetur, magnique ex omnibus locis concursus ad se auctor exsistit. alii enim ex innato cunctis amore libertatis, alii metu Agathoclis, libẽter vltroque ad imperata præstò erant. Coacto igitur militum fermè duodecim peditatu, & mille quingentorũ equi-

tatu(qui omnes ad exsiliorum ærumnas, laborumque tractationes perpetuas, adsuefacti erant) castra in aperto metatur, & principem ad pugnam lacessit. At dum Agathocles longè viribus inferior, pugnandi copiam non facit, ille vestigiis inhærens, crebrò palmam sine puluere (quod dicitur) reportat. Ab hoc tempore res Agathoclis non in Siciliâ modò, sed etiam per Africam, in deterius mutari cœperunt. nam Archagathus imperator ab eo relictus, post discessum patris, initio quidem missâ in vlteriores tractus parte copiarum, duce Eumacho, feliciter rem gerebat. is enim cùm Tocas, vrbem permagnam, expugnasset, multos in viciniâ Numidas subegit. Oppido dehinc alio, cui Phellina nomen, per oppugnationem capto, finitimæ terræ incolas, qui Asphodelodes indigetantur, & colore ab Æthiopibus nihil differunt, imperium admittere coëgit. Tertiam quoque eximiæ magnitudinis vrbem, Maschalam in potestatem redigit, quam Græci antiquitus, à Troiâ illuc delati, vt suprà libro tertio à nobis dictum, habitârunt. E qui posthæc arcem, illi quam Agathocles expugnârat, cognominem, subiugauit. Inter has vltima fuit Acris, vrbs suæ iurisdictionis: quam venditis sub coronâ incolis, diripiendam militi concessit. atque sic onusta prædis castra, ad Archagathum retrò mouit. Strenui igitur viri existimationem consecutus, aliam in vlterioris Africæ terras expeditionem suscepit, vrbesque pridem occupatas prætergressus, in oppidum, quod Miltinen nuncupant, improuiso aduentu irrumpit. At cùm Barbari, aduersus eum conglobati in vicis, superiores euaderent, præter omnem spem cum magnâ suorum iacturâ eiicitur; atque inde digressus per excelsum montem, ad stadia ducenta porrectum, & felibus refertum, duxit. in eo nihil prorsus auium, neque in arboribus, neque in cauernis, propter inimicitias cum illo bestiarum genere nidulatur. Montanis hisce superatis, regionem Simiis abundantem ingressus, ad tres vrbes venit, quæ Pithecusæ, si Græcæ linguæ more verteris, appellantur. Harum instituta à nostratibus longè differunt. easdem enim domus Simiæ quas homines frequentant; & pro diis habentur apud illos, vt apud Ægyptios canes; paratos etiam in cellis penariis cibos, quando libet, nemine prohibente, hæ bestiæ sumunt, nominaque

LIX.

minaque

minaque vt plurimùm à Simiis, vt apud nos à diis, paren-
tes liberis suis imponunt. Qui animal hoc interfecerint, in
eos, vt nefariæ impietatis reos, supplicio capitis animaduer-
titur. ideò apud nonnullos prouerbii vicem obtinuit, quod
in magnificè se efferentes dicitur; *Simiæ cruorem bibisti.* Eu-
machus itaque vnam harum vrbium vi captam diripuit, ce-
liquas duas ad parendum induxit. A finitimis autem bar-
baris magnas contra se copias euocari, certior factus, citato
agmine inde mouit, ad maritima reuerti constitutum ha-
bens. Ad hoc vsque tempus Archagatho in Libya cũ-
cta ex animi sententia eueniebant. deinceps cùm meliora de
bello Carthaginensium Senatus consilia tractaret: tripar-
titum ex vrbe agmen educere patribus conscriptis placuit:
vt vnum maritimas vrbes, alterum mediterranea, tertium
superiora loca peteret. hoc enim si fecissent, eventurum pu-
tabant, primùm, vt simul obsidione reique frumentariæ in-
opiâ vrbs liberaretur. Cùm enim ingens ex omnibus locis
turba Carthaginem perfugisset, euenit, vt omnium rerum
inopiâ laboraretur; absumptis iam illis, quæ ad vitam tole-
randam conducerent. Nec verò periculum expugnandæ vr-
bis suberat: cùm & maris propinquitas, & firmitudo muro-
rum, accessus facultatem excluderent. Deinde socios quo-
que in fide permansuros existimabant, si plures sub dio ex-
ercitus, ad auxilium ferendum parati, excubarent: & quod
omnium erat maximum, ad diuidendas hostem copias &
procul à Carthagine abstrahendas, adactum iri, sperabant.
quæ omnia pro sagaci illorum coniectatione acciderunt.
Triginta millibus enim militum ex vrbe dimissis, relictis
mercatoribus, non solùm quantum satis esset, suppetebat:
verùm superfluâ etiam vbertate omnium fruebantur. Et
socii, qui metu hostium antè hac illis se adiungere cogeban-
tur, animis tunc receptis ad pristinæ amicitiæ fœdus recur-
rerunt. Archagathus itaque totam Africam hostili-
bus occupatam exercitibus videns, exercitum etiam ipse di-
uisit. & partem in maritimos tractus misit; reliqui dimi-
dium Æschrioni tradidit; alterum ipse duxit, sufficiente ad
Tunetem præsidio relicto. Tam numerosi validique ex-
ercitus dum per agros vndique vagantur, & rerum omni-
um conuersio iam imminere putatur, quem res euentum
sortitura esset, omnes suspensis animis trepidi exspectabant.

Tum Hanno copiarum in mediterraneis ductor, insidiis Æschrioni positis, nec opinantem opprimit, & supra cIɔ cIɔ cIɔ cIɔ peditum cædit, & de equitatu cc; inter quos etiam ipse erat præfectus. reliqui partim in manus veniunt, partim ad Archagathum, qui quingentis inde stadiis aberat, incolumes euadunt. Imilcon verò prætor in superiora loca dux creatus, primò vrbem quandam insederat contra Eumachum, qui grauem ex vrbibus prædâ exercitum trahebat. At cùm ordinatâ acie prouocarent ipsum ad pugnam Græci, partem exercitus probè instructam in oppido reliquit, cum edicto, vt quamprimùm simulatâ ipse fugâ pedem referret, in persequentes erumperent. Interim dimidium illo suorum educens, sub ipsis propè castris pugnam conserit, & statim velut terrore perculsus, fugam arripit. Eumachiani victoriâ tumidi, nullâ ordinis ratione habitâ insequuntur, & tumultuariè vestigiis retrocedentium inhærent. cùm repentè in diuersâ vrbis parte instructa se manus effundit, clamoremque ad vnum hortatum extollit: illi velut attoniti substitêre. Et quia Barbari in malè ordinatos, & nouitate rei exterritos, impressionem fecerant, vt subitò Græci terga darēt, euenit. Cùm verò receptum in castra hostes præclusissent, Eumachiani in proximum se tumulum, aquis tamen destitutum recipere coguntur, locoque à Pœnis circumsesso, partim siti confecti, partim ab hostibus attriti, omnes ferè interierunt. nam de ccIɔɔ cIɔ cIɔ cIɔ peditum, xxx dūtaxat euaserant, deque Iɔccc equitibus quadraginta periculum effugerant. Archagathus ergò tanta calamitate affectus, Tunetem retrocessit, & quicquid de militibus, quos emiserat, restabat, vndique reuocauit. in Siciliam quoque misit, qui quæ accidissent, patri indicarent, vtque auxilio veniret quam citissimè, exhortarentur. Ad clades verò iam acceptas, aliud Græcis detrimentum accessit. omnes enim socii, paucis tantùm exceptis, ab illis desciuerunt. hostesque adunabant inter se copias, & locatis in propinquo castris, ceruicibus ipsorum imminebant. nam Imilco angustias insederat, hostemque centum inde stadiis remotum, ab eruptionibus in agrum excludebat. ex parte alterâ quadraginta stadiis à Tunete, castra posuerat Atarbas. idcircò non maris solùm hoste, sed etiam terræ imperium obtinente, magnâ frumenti penuriâ vexabat Græcos, & terror vndique premebat.

LXII.

bat. Dumque in extremâ iam trepidatione versantur, Agathocles de cladibus suorum in Africâ certior factus, XVII naues longas parauerat, quibus Archagatho suppetias ferre destinabat. Cùm verò eius in Siciliâ res in peius vergerent, quòd exsulum circa Deinocratem numerus, magis magisq; augesceret: bellum in Insulâ Leptinæ præfectisque eius administrandum committit: ipse completis nauibus transmittendi occasionem exspectat, quòd triginta Carthaginensium naues in statione contra illum essent. Quo tempore XVIII ex Etruria naues subsidio venêre, noctu clam Carthaginensibus portum ingressæ. Hanc occasionem nactus, imperatoriâ hostes arte circumuenit; Socios enim monet, vt tantisper subsistant, dum egressus ipse Pœnos ad insequendum se abstraxerit. Ex portu igitur cum XVII nauibus citatò soluit; quem hostium statio è vestigio insequitur. Agathocles verò, simul ac Tyrrhenos portum egressos videt, extemplò se conuertit, directisque in frontem nauibus cum Barbaris prælium committit. Ibi Carthaginenses rei nouitate, & quòd triremes ipsorum in medio hostium tenerentur, perculsi fugam capessunt. Tum Græci quinque naues cum ipsis hominibus in potestatem redigunt. Carthaginensium verò prætor, dum prætoria iamiam capitur, sibi ipse manus infert, mortem captiuitati iam imminenti anteponens. Sed tamen non rectè sibi consuluisse visus est. nauis enim secundum nacta ventum, sublato dolone, periculũ euasit.

LXIII. Agathocles igitur, nec spem habens in mari Carthaginenses superandi, præter omnium opinionem nauali eos prælio deuicit; & mare deinceps in potestate habens, securum mercatoribus transitum præstitit. Quamobrem Syracusani, cùm vndique commeatus importaretur, pro summâ rerum necessariarum inopiâ, repentè omnium abundantia fruebãtur. Hoc successu elatus princeps, Leptinen hostiles agros, maximè verò Agrigentinos, depopulatum mittit. nam Xenodocus cum suis in republicâ aduersariis, qui propter acceptam nuper cladem famam eius denigrarent, simultatem & dissidium habebat. in hoc igitur operam det Leptinæ mandat, vt ad pugnam conserendam hominem eliciat. facilè enim exercitu in factiones diuiso, paullóque antè profligato, superiorem fore. id quod etiam accidit. Nam Leptines, incursatis Agrigentinorum finibus, agrum illorum vastabat.

Xenodocus initio quiescebat; cùm se imparem hosti arbitraretur. verùm à ciuibus timiditatis incusatus, exercitum numero quidem fermè hostili parem, at virtute longè inferiorē, eduxit. causa erat, quòd oppidani in ocio & vmbrâ degerant: illi verò excubiis sub dio agrestibus, & perpetuis militiæ laboribus exercitati fuerant. Prælio igitur commisso, Leptiniani statim in fugam actos Acragantinos, ad vrbem vsque insectantur. In profligatorum acie ceciderunt pedites circiter I) ,equites plures quinquaginta. Tum molestè ferentes has clades Agrigentini, ad causam dicendum Xenodocum, quòd geminæ sibi cladis auctor exstitisset, vocabant. is reipublicæ gestæ inquisitionem & iudicii rigorem formidans, Gelam migrauit. Agathocles verò, hostibus intra paucos dies terrâ marique victis, sacrum diis faciebat, splendidisque epulis excipiebat amicos; depositaque inter pocula maiestate regiâ, quouis priuato abiectiùs se gerebat, hoc eo consilio factitans; primùm, vt vulgi beneuolentiam, quam hac ratione venabatur, sibi conciliaret: deinde, vt libertate dicendi in se cuilibet inter compotandum concessâ, quo quisque esset animo, exploraret: vino citra velamentum prodente veritatem. Erat autem naturâ facetus & gesticulator, nec in publicis etiam conuentibus cauillis assessores impetere, habitumque ac mores aliquorum effingere, omittebat; ita vt plebs sæpenumerò ad risum se converteret, non secus ac si ex imitatoribus morum histrionibus aut præstigiatoribus aliquem spectaret. Ad conciones solus, à populo tantùm stipatus, ibat, Dionysio Tyranno multùm dissimilis. hic enim adeò diffidebat omnibus, vt comam & barbam plerumque nutriret: ne præcipuas corporis partes nouaculæ tonsoris obiicere necessum esset. quod si quando tonsura caput indigeret, capillos adurebat; vnicùm tyrannidis munimentum ostendens esse diffidentiam. Porrò Agathocles correptâ inter conuiuandum grandi ex auro phialâ, se non priùs à figulinâ destitisse, quàm talia poculorum figmenta solerter elaborasset, gloriabatur. non enim diffitebatur, sed vt gloriosam sibi iactabat, artem illam: vt ex abiectissimo vitæ genere ad eminentissimum se culmen euectum, ostenderet. Cùm oppidum quoddam haud ignobile obsideret, & propugnatores de muro vociferarentur, *figule, caminarie, quando stipendia militibus persolues?* vbi

LXIV.

ues?vbi istud expugnauero,respondit. Postquàm ergo con-
uiualis vrbanitatis astu, quínam alienatis à dominatione a-
nimis forent, animaduertisset, eosdem aliquando seorsum,
& de cæteris Syracusanis,qui magnificos gerebant spiritus,
IↃ,conuiuio iterum excepit, & mercenariorum fortissimis
circundatos mactauit ad vnum omnes.vehemens enim me-
tus illum torquebat,ne post discessum in Africam, reuocato
cum fugitiuis Dinocrate,principatum abrogarent. Hoc igi-
tur modo stabilitis imperii rebus, Syracusis classem soluit.

LIV. In Africam vbi traiecisset, extremam in castris despe-
rationem & inopiam offendit. ideò, vt acie decertetur,ex cō-
modo fore iudicans, militem ad discrimen pugnæ exhorta-
tur. & copias in aciem dispositas educens, Barbaris pugnan-
di copiam offert. erant ad summum reliqui de peditatu
IↃↃ cIↃ Græcorum, Celtæ autem, Samnites & Etrusci il-
lis non pauciores; Afrorum propè ccIↃↃ. insidiosum id
hominum genus,& perpetuò cum occasione ab vno ad al-
terum transiens. præter hos mille & quingenti equites,car-
rique Africani sexies mille amplius. Carthaginienses au-
tem,tametsi loco arduo,& quò difficilis erat accessus, castra
habebant;cum desperatis tamen in discrimen vitæ ac fortu-
narum se coniicere nolebant: sed continendo se in castris, v-
bi rerum omnium copia afflueret; commeatuum penuriâ,
& protrahendo tempore,debellaturos se hostem,sperabant.
Agathocles igitur, cùm in plana hostes elicere non posset,
tempusque ipsum audendi aliquid & periculose commit-
tendi necessitatem afferret: ad castra Barbarorum copias
adducit. Egrediuntur illi contrà: & quanquam numero &
locorum difficultate longè superiores erant; Agathocles
tamen impetum hostis,licèt vndique pressus,ad tempus su-
stinet. at cùm mercenarii aliique cederent,ad castra se reci-
pere cogitur. Tum Barbari grauiùs incumbere, Afrosque
sine vlla vexatione, vt gratiam illorum demererentur, præ-
terire: Græcos verò & mercenarios,armorum indiciis co-
gnitos,cædere, donec in castra illos fugassent. Et tunc A-
gathocleanorum ad tria millia occubuerunt. Nocte dehinc
insequente, repentina quædam calamitas, præter omnium
spem,vtrumque exercitum oppressit. XVI. Nam Carthagi-
nenses,dum à partâ victoriâ ad gratiarū vota diis exsoluēda,
captiuorum pulcerrimos immolant, iamque ingens flam-

ma captiuorum corpora inuolucrat: ventus repentè ingruẽs sacrum tabernaculum, aræ vicinum, succendit; & vlterius in prætorium, & adiuncta Ducum tentoria, grassatur. vnde trepidationis & pauoris multum in castris exortum: dum alii ignem restinguere conantes, alii cùm arma, tum supellectilia preciosa exportantes, à flammis recorripiuntur. Tabernacula ex arundinibus & stramine contexta erant. ideò ex ventorum impetu subinde magis bacchante incendio, auxiliaris militum opera celeritate eius præuertitur. quare dum tota repentè castra flagrant, complures quos in viarum angustiis interceperat flamma, viui concremantur, & impietate par illis supplicium repensante, extemplò suæ in captiuos crudelitatis pœnas luunt. Alios, qui cum tumultu & vociferatione è castris se proripiebant, aliud & quidem maius periculum insequitur. Nam Afrorum, qui in Agathoclis acie locum habuerãt, Ioo, Græcis desertis ad Barbaros transfugiebant. hos ad speculandum emissi, vt contẽdere ad Carthaginensium castra viderunt, omnes Græcorum copias ad pugnam instructas adesse rati, confestim exercitus aduentum suis nunciant. quo didito rumore, tumultus, & iamiam aduentantis hostis per tota castra metus oritur. Vnusquisque igitur salutem in fugâ ponere, & nullo à magistratibus edicto proposito, dum ordo nullus seruatur, fugientium alius in alium incidere, quorum pars errore noctis, pars metu, suos non agnitos tanquam hostes propulsare. Interea dum ingens perpetratur cædes, errorque inualescit; alii cominus pugnantes interimuntur, alii sine armis exsilientes, inter fugiendum in præcipitia, subito consternatis metu animis, ruunt. Tandem plus quàm millibus quinque exstinctis, reliqua multitudo Carthaginem se recepit. Oppidani famâ suorum decepti, prælio eos victos, maximamque exercitus partem interiisse, credebant. in hac itaque trepidatione portas aperiunt, suosque cum tumultu & consternatione recipiunt, timidè interim cauentes, ne cum extremis irrumpat simul hostis. Exorta verò luce, licèt verum cognouissent, vix tamen à malorum, veluti iamiam imminentium, formidine liberari potuêre. Circa idem tempus, imaginatione quadam, vanoque metu deceptus Agathocles in simile calamitatis genus incidit. cùm enim Afri desertores, post deflagrationem castrorum, & tumultum inde excita-

LXVI

LXIIX.

tum,

tum,vlteriùs procedere non auderent,retrò, vnde venerant, ſe conuertunt. Quos vbi Græcorum quidam accedere ſenſerunt,quòd Carthaginenſium imminere copias putarent, Agathocli hoſtilem in propinquo exercitum eſſe renunciãt. Principis igitur iuſſu ad arma conclamatur, mileſque è caſtris magno cum tumultu erumpit. Interea dum flammam in caſtris altè glomeratam vident, & vociferatus Carthaginenſium ad aures accidit; reuerà Barbaros omnibus in ſe copiis tendere ſuſpicantur. At quia deliberationem præciderat animorum perturbatio, pauor tota inuadit caſtra,omneſque fugam arripiunt. Mox cùm Afri ſe admiſcuiſſent, nocte ignorantiam cumulante, occurrentem ſibi quiſque vt hoſtem depellit. Dumque ita per totam noctem diſperſi huc illuc Panico terrore correpti vagantur, factum eſt, vt plus cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ interirent. Reliqui,veritate vix tandem exploratâ, in caſtra redierunt. Ad hunc igitur, quem diximus,modum, vterque exercitus, vanitate belli, prouerbio celebrata,deceptus,infeliciter rem geſſit. Poſt quod infortunium, cùm & Afri iam omnes defeciſſent, & quod reliquum erat copiarum bello cum Carthaginienſibus continuando impar eſſet, Africam poſthabere ſtatuit. At militẽ vt ſecum tranſportaret,fieri non poſſe exiſtimauit,tum quòd nauigia tranſuectioni idonea non præparaſſet,tũ quòd Carthaginienſes recuperato iam maris imperio,id nequaquam paſſuros intelligeret. Neque Barbaros pacem ſecum inituros,ſed internecionis eorum, qui primi in Africam traieciſſent,vt argumento firmiſſimo,cæteros ab inuadendâ Africâ deterrituros,prouidebat. Cum paucis igitur,quibuſcum natu minorem filium Heraclidem ſimul intrare iuſſit, clàm inde ſoluere conſtituit. Archagathum enim formidabat,ne quando cum nouercâ rem habens præcipitis audaciæ homo inſidias contra ſe moliretur. At hic quæ ſecum agitaret ſubodoratus,præfectis qui conatum impedire poſſent, rem detegere conſtituerat.ideoq; in diſceſſum erat intentus.iniquũ enim eſſe cenſebat,ſi ipſe qui parẽtis & germani causâ dimicando bonam diſcriminis partem ſuſtinuiſſet,derelinqueretur ſolus,vt deditus hoſti iacturam ſalutis faceret. Idcircò ex ducibus quoſdã de clandeſtinâ Agathoclis comitumq; in ſequentem noctem abitione certiores facit. Fit illicò cõcurſus, nec illum modò prohibent, ſed vulgo etiam militum fraudẽ

illam exponunt. qui non absque dolore exasperati, principẽ corripiunt, vinctumque custodiæ tradunt. Cessante igitur imperio, tumultu & perturbatione castra miscentur. Iamque nox ingruerat, cùm rumor, hostem imminere, in castris spargitur. ibi pauitare omnes, Panicoque metu percelli, ac nullo imperante accinctus vnusquisq; prosilire. Quo tempore qui principem asseruabant, non minùs attoniti cæteris, cùm euocari se ab aliquibus opinarentur, subitò Agathoclem compedibus illigatum produxêre. quem vbi vidit multitudo, ita in misericordiam versa, vt dimitteretur, exclamauit. Solutus ille vinculis cum exiguo comitatu nauigium conscendit, insciisque omnibus sub Pleiadis occasum, iam hyeme appetente, discessit. ita dum suæ curam salutis agit, filios dereliquit. quos milites confestim, fugâ patris cognitâ, trucidârunt, & creatis sibi ducibus, cum Carthaginiẽsibus hisce pactis transegerunt, vt acceptis CCC talentis, oppida, quæ tenebant, redderent, & qui Carthaginensibus militare vellent, stipendia, quæ darentur, obtinerent. cæterique in Siciliam deportati Solûntem ad inhabitandum occuparent. Maior itaque pars militum, quæ in fœderis religione perstitit, compromissa reportauit. Quotquot verò vrbes præsidiis insessas, spe fiduciâque mittendi ab Agathocle subsidii retinebant, expugnati fuerunt. quorum præfectos in crucem egerunt Carthaginenses, cæteros compedibus vinctos coëgerunt, vt quæ deuastauerant rura suis iterum laboribus excolerent. Hoc igitur pacto Carthaginenses quartũ iam annum bello diuexati, libertatis pristinæ quietem receperunt.

LXX.

In hac expeditione Agathoclis in Africam, nõ immeritò notaueris admirabiles euentus, & sumptum diuinâ prouidentiâ de filiis supplicium. In Siciliâ enim victus, maximam exercitus partem amiserat. in Africâ exiguâ manu paullò antè victores bello fregit. in Siciliâ cunctis vrbibus exutus intra Syracusas obsidionẽ tolerauerat: in Africa oppidis cæteris omnibus in potestatem redactis Carthaginenses obsidione pressit. quo ipso fortuna velut data opera, quas vires in rebus desperatis habeat, testatum fecit. Postquam verò ad tantum fastigium euectus Agathocles Ophellam, amicitiæ & hospitii iure colendum, interfecerat: manifestè ostendit deus, quòd ob perpetratum in hominem illum scelus, Numen, quæ deinceps illi contigerunt, dispensârit. nam

LXXI.

quo

quo mense ac die necauerat Ophellam, exercitumque ad se pertraxerat, eodem vicissim, & filios & copias deperdidit. & quod præcipuè attendendum, deus, vt bonus legumlator, geminas ab eo pœnas repetiuit. nam qui nefariè vnum sustulerat amicum, duobus simul filiis priuatur, ita vt illi manus afferrent iuuenibus, qui cum Ophellâ venerant. hæc in contemptores id genus rerum dicta nobis sunto.

LXII. Cæterùm Agathocles cùm citato ex Africâ cursu in Siciliam traiecisset, accersitâ copiarum parte, ad sociam Ægestanorum vrbem contendit. & deficiente pecuniâ, maximam facultatum partem à locupletibus exegit: cùm decem hominum millia in vrbe habitarent. id complures iniquo ferebant animo, conuentusque inter se agebant. Insidias ergo sibi structas prætexens, in grauissimas vrbem calamitates demersit. nam pauperrimum quemque ex oppido eductum, iuxta Scamandrum fluuium mactauit. at qui maiores possidere facultates videbantur, hos tormentorum cruciatibus ad fatendum adegit, quantum quisque pecuniarum haberet. alios enim rotarum districtos radiis torquebat: alios catapultis innexos, iaculabatur. quibusdam talos exsecabat, & vehementius instans cruciatibus afficiebat horrendis. Aliud præterea supplicii genus, Phalaridis Tauro non absimile, excogitauit. æneum namque lectum fabricauit, qui corporis humani effigiem referret, ab vnaquaq; parte claustris interceptum. in hunc inseruit, quos cruciare volebat, igneque subiecto viuos cremabat. eo tantùm machina hæc à Tauro differebat, quòd homines in angustiis hisce pereũtes, oculis erant expositi. Matronis quibusdam opulentis malleos pedum ferreis cancris seu forpicibus compressos infringebat. nonnullis præcidebat mammas. lumbis prægnãtium lateres imponens, horum pondere fœtus elidebat. Hoc pacto dũ omnes tyrannus opes inuestigat, & tota vrbs plena est terroris, quidam se vnà cum ædibus comburunt, quidã laqueo sibi vitã præcludunt. sic Ægesta calamitosissima vnius diei vexatione, cum omni hominum flore ad internecionem periit. virgines tamen & pueros in Italiam deportatos, Brutiis Agathocles vendidit, vrbemq; vt ne nominis quidẽ vestigium maneret, Dicæopolin nuncupatam transfugis habitãdã concessit.

LXXIII. Filiorum enim cædẽ vbi resciuit, omnibus in Africã relictis iratus, quosdã ex amicis Syracusas ad fratrẽ

Antandrum misit cum mandatis, vt cõsanguineos illorum, qui militiæ Carthaginensis socii fuerant, trucidaret vniuersos. Hic celeriter mandata exsequens tam varias perpetrauit cædes, quàm antea nunquam fuerant commissæ. Non enim florentes ætate duntaxat, fratres aut patres, aut liberos, sed etiam auos horumque patres, si fortè in extremo senectæ limine adhuc superessent, cunctis per ętatem sensibus iam destitutos: nec non infantes, qui in vlnis gestabantur; ideoque nullo afficiebantur sensu calamitatis imminentis; ad necem raptauit. Quin & fœminæ, quæ vel necessitudine, vel cognatione illos attingerent, quisquis deniq; relictis in Africa supplicio suo mœrorem allaturus erat; ad necem ducebãtur. Interea dum ingens & promiscua hominum multitudo ad supplicium in littore maris abstrahitur, & mactatores instant: lacrymæ, obsecrationes & lamenta confertim exsistunt, tum ab his qui citra miserationem iugulãtur, tum ab illis qui vicinorum calamitatibus perculsi, ob imminens supplicium, nihil à iam necatis animo differebãt. Et quod grauissimum erat omnium, tantâ strage factâ, cùm proiecta in littore cadauera iacerent, neque consanguineus quisquam, neq; amicus, iusta alicui facere audebat, veritus, ne & ipse necessitudine aliquâ deuinctus illis putaretur. Multitudo autem cæsorum in littore faciebat, vt mare per satis longum inde spaciũ cruore temperatum, incredibilem illius crudelitatis magnitudinem procul metiendam oculis exhiberet.

LXXIV.

Insequente anno, summum Athenis magistratũ Corybus, Romæ cõsulare imperium Quintus Marcius, & Publius Cornelius accepêre. Sub id tẽpus Rex Antigon⁹, cùm filius ipsi natu minimus è viuis excessisset, regio funus apparatu deduxit: & Demetrio ex Cypro ad se vocato, copias ad Antigoniã conuenire iussit. nam expeditionẽ in Ægyptum destinârat. Itaque peditum agmen ducens ipse, per Cauam Syriã signa promouit, habens in exercitu peditũ supra xxc millia, equites nongentos, elephãtos tres & xxc. Classi Demetrium præfecerat: quem secundùm copias terrestres orã legere iussit, instructas habens in vniuersum CL naues longas, & centum militares: quibus ingẽs telorũ copia vehebatur. Cùm nauium magistri occasum Pleiadum censerent respiciendum, qui post dies octo futurus videbatur, vt nimis ad pericula timidos, increpauit. ipse ad Gazam castra metatus,

quòd

quòd Ptolemæi apparatum anteuertere cuperet, militibus, vt decem dierum cibariis se instruerent, imperauit. Camelis autem ex Arabiâ coactis medimnûm frumenti ccc Iↄↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ, & vim magnã fœni cæteris iumentis imposuit, carrisque tela vehens, iter per deserta faciebat, non absque molestiâ: quod pleraque ibi loca palustria erãt & cœnosa, maximè circa Barathra, quæ vocantur.

LXXV. Demetriani verò postquàm nocte intempesta Gazâ soluissent, trãquillo per aliquot dies mari, citarum nauium remulco militares post se trahebant. Inde cùm Pleias opprimeret eos, & ventus Borealis insurgeret, multæ quadriremes subitò ad vrbẽ Rhaphiam, appulsu difficilem & lacustrem, vi tempestatis delatæ sunt. de nauigiis autem, quibus tela vehebantur, alia vndis submersa perierunt, alia cursu reciproco Gazam petière. firmissimis tamen summâ contentione enixi Casium vsque penetrârunt. id Nilo haud procul distat: sed importuosum est, & tempestate coortâ nullum præbet accessum. Iactis idcircò ancoris, duobus circiter stadiis à terrâ in salo multis circundati periculis consistere cogebantur. nam cùm fluctus concitatiùs illideretur, periculum erat ne vnà cum hominibus naues pessum irent. & quia littus in hostico accessum negabat; neque nauibus appellere, neque hominibus enatare citra periculum dabatur; quodque grauissimum, iam aqua potabilis defecerat. ad eam denique penuriam sunt redacti, vt si ad vnum tempestas diem adhuc durasset, omnes siti enecti periissent. At dum in extremâ versantes anxietate exitium iam imminens exspectant, flatus remisit, & Antigonus cum exercitu illuc delatus, haud procul à classe castra posuit. nauibus itaque egressi vires in castris reficiunt, & auulsas à classe naues præstolantur. In hac autem maris commotione, perierunt quinqueremes tres, vnde quidam ad littus enatârant. Hinc promotis Antigonus copiis prope Nilum, duûm interuallo stadiorum castra metatur.

LXXI. At Ptolemæus, cùm opportunissima loca firmis præsidiis occupasset, misit quosdam in nauigiis, quæ cõtis propellebantur, cũ mandatis, vt propè exscensum nauigantes proclamarent, illum, si qui ab Antigono deficerent, binas gregario minas, præfecturam gerenti talentum, esse daturum. His ita proclamatis, defectionis cupido mercenarios Antigoni inuasit. inter quos etiam plerique duces

erant, certas ob causas transitionis cupidi. Cùm igitur multi desciscerent, Antigonus sagittarios & funditores, catapultasque complures in ripâ fluminis disponit, quibus excurrentes in nauibus contariis repellit. nonnullos etiam transfugarum correptos, suppliciis horrendis multat, vt à simili conatu ausuque cæteros deterreret. Assumptisque nauibus, quæ tardiùs venerant, ad Pseudostomon, quod vocatur, contendit; ibi se partem militum expositurum arbitratus. ast vbi validum inibi præsidium inuenit, & catapultis omnique missilium genere prohibetur, nocte iam appetente discedit. Hinc magistris nauium, vt in facem intenti prætoriam sequantur, mandat, & ad ostium Nili, quod Phagneticum nominant, prouehitur. ortâque die, vbi multas aberrasse naues cognouit, illas exspectare, & omnium quas agebat celerrimas ad quærendum illas emittere, coactus est. Tempore igitur longiùs protracto, Ptolemæus de accessu hostium certior factus, properè suis auxiliatum venit, instructisque copiis in littore constitit. Tum hoc etiam descensu exclusum se cernens Demetrius, oramque contiguam stagnis & paludibus à naturâ munitam esse audiens, cum totâ classe retrocessit. Vehemens inde Boreas incumbit, sublatisque in altum fluctibus, tres quadriremes & militares aliquot, eadem tempestatis violentiâ in littus eiectæ, in Ptolemæi manus venerunt. cæteræ, dum summâ ope rem gerunt nautæ, incolumes ad castra Antigoni euaserunt. Ad omnes vero fluminis exitus præsidia Ptolemæus firmissima disposuerat, magnamque fluuiatilium nauigiorum copiam in promptu habebat, omni missilium genere, & viris qui his vti scirent, instructorum. quæ res Antigonum haud modicè angebat. Nam ostio Pelusiaco ab hostibus præoccupato, nauales copiæ nullum habebant vsum, copiæque terrestres, vastitate fluminis inhibitæ, vtut maximè vellent, nihil efficiebant. & quod maximum, elapsis iam bene multis diebus, & milites frumentum, & iumenta pabulum deficiebat. Submittente igitur animos exercitu, Antigonus concionem aduocat, ducibusque consilium proponit, vtrum manere præstet & belligerari, an nunc quidem in Syriam reuerti, sed postea meliùs instructos redintegrare expeditionem, quo tempore minimæ altitudinis videatur amnis. Ibi cunctis eò inclinatis, vt quàm ocyssimè abirent, vasa milites

LXXVII.

concla-

conclamare iussit, & classe simul totâ oram legente, celeriter Syriam repetiuit. Ptolemæus autem discessu hostium maiorem in modum lætatus, instituto diis sacro pro beneficiis acceptis, splendidum amicis epulum exhibuit, datisque ad Seleucum, Lysimachum & Cassandrum literis, tum de prospero successu, tum de multitudine transfugarum eos certiores fecit. Ipse iam altero Ægyptum certamine tutatus, iamque regionem hastâ partam iure se tenere existimans, Alexandriam remeauit.

LXXVIII.

Interea dum hæc geruntur, Dionysius Heracleæ Ponticæ tyrannus vitam cum morte commutat, cùm annos XXXII regnasset. Principatum verò eius filii Zathras & Clearchus per successionem adepti, decem & septem annos imperârunt. In Siciliâ interim Agathocles subiectas imperio suo vrbes obibat, præsidiis illas muniēs, & pecunias extorquens. ingens enim formido hominem ceperat, ne quando propter aduersos casus, libertatis ius armis repeterent. Per id verò tempus, Pasiphilus dux, audita filiorum Agathoclis nece, & clade in Libyâ acceptâ, flocci Dynastam pēdebat; & ad Dinocratem transiens, amicitiam cum eo iungebat; occupatisq; vrbibus, quas fidei suæ commissas habebat, exercitum, qui tum sub imperio illius erat, magnis spebus illectum, à tyranno alienabat. Agathocles itaque, spe vndique abscisâ, vsque adeò fuit animo deiectus, vt missâ ad Dinocratem legatione, his eū conditionibus ad pacificandum inuitaret: EXCESSVRVM IMPERIO AGATHOCLEM; ET CIVIBVS SYRACVSAS REDDITVRVM; NEC EXSVLEM FORE DINOCRATEM DEINCEPS, MODO CASTELLA DVO, THERMA ET CEPHALOEDIVM, CVM TERRITORIIS ADIVNCTIS, AGATHOCLI TRADERENTVR.

LXXIX.

Hîc quispiam non ab re miretur Agathoclem, quî factum sit, vt qui in cæteris omnibus constans perstiterit, nec vnquam vel extremo discrimine imminente, animum desponderit, tunc eò pauoris sit redactus, vt citra puluerē, quod dicitur, tyrannide, pro quâ tot & tanta sustinuerat certamina, hostibus cedere voluerit. quodque absurdissimum est omnium, cùm Syracusis aliisque vrbibus adhuc potiretur, nauesq; & pecunias cū exercitu mediocri in potestate haberet, ad eam rationis infirmitatem lapsus sit, vt nihil eorum quæ

Dionysio contigerant, meminisset. Hic enim, cùm in manifestè deploratas coniectus esset angustias, adeò vt periculorum metu impendentium principatus spem omnem abiiceret, iamque voluntariam è Syracusis fugam equo esset arrepturus: Heloris, amicos cæteros ætate præcedens, cohibito eius impetu; *pulcrum*, inquit, *Dionysi, sepulcrale est tyrannis.* Assimile huic est, quod Megacles eius socer ad illũ protulit; *Illi, qui tyrannide exuatur, sic abeundum esse, vt crure trahatur, non vt voluntariè discedat.* Quibus monitis erectus Dionysius, forti animo aduersus quæcunque terribilia videbantur, & amplificauit imperium, inque huius bonis & emolumentis senio exacto, maximum in Europa principatum ex se natis reliquit. Agathocles vero nullo horum erectus, nec experientiâ suâ spes humanas refellens, tantum imperium cõditiunculis dedititium fecit. quas tamen effect⁹ non comprobauit. nam licèt Agathoclis voluntate essent ratæ, Dinocratis tamen ambitio illas non admisit: Monarchiæ enim inhiabat. ideò alienus erat à Democratiâ Syracusanâ, & magistratus, quem tunc gerebat, sibi placebat. plus enim quàm ccIↃↃ ccIↃↃ peditum, & tria millia equitum, multasque præcipuæ magnitudinis vrbes sub imperio suo habebat, adeò quidem, vt tametsi exsulum imperator vocaretur, reuerâ tamen majestatem regiam haberet: cùm summa rerum omnium penès illum esset potestas. Quod si Syracusas rediisset, priuatam illum vitam agere, interque plebeios numerari, quòd libertas æqualitatem amat, & in ferendis suffragiis à quolibet populi assentatore de gradu submoueri, quòd vulgus eminentiæ liberiùs dicentium aduersatur, omninò necessum erat. Quamobrem Agathoclem quidem tyrannidis fastigium deseruisse, non iniuriâ quis dixerit. At Dinocrati rerum à Dynastâ feliciter deinceps gestarum causa meritò adscribatur. Is enim, Agathocle crebrò per legatos de conuentionis formulâ solicitante, duoque illa castella expetente ad vitæ sustentationem, probabiles subinde prætextus, quibus spem pactorum intersecaret, fabricabat: nunc Siciliâ totâ emigrandum illi, nunc liberos obsidũ loco exhibendos esse, dictitans. Agathocles igitur consilio hominis intellecto, ad exsules misit, qui Dinocratem, vt qui libertati in pristinum vindicandæ obstaret, criminarentur. Legatione etiã ad Carthaginenses expeditâ, pacem cum

LXXX

cum illis hoc pacto fecit, vt quicquid vrbium sub ditione Pœnorum antea fuisset, postliminio reciperent. pro quibus trecenta auri talenta, ad argenti rationem æstimata, seu CL, vt Timæus prodidit, & medimnûm frumẽti CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ ipse accepit. In hoc igitur statu res tunc Siculæ erant.

L X-X. In Italiâ Samnites, Soram & Atiam, vrbes populo Romano societatis fœdere coniunctas, expugnarunt, & diuendiderunt captiuos. Consules igitur cum validis copiis impressione in Iapygiam factâ, propè Syluiam vrbem castra locauêre. ea cùm à præsidio Samnitum custodiretur, ad dierum aliquot obsidione tentârunt Romani, & per vim tandem captâ, plus quàm X captiuorum millia, magnámque spoliorum cæteroqui copiam abstulêre. Inde Samnitum agros, exscindendo arbores, omniáque passim vastando, peruadunt. postquàm enim complures annos cum hac gente de imperio Roma contendisset, fore tandem sperabant, vt hostes, bonis vbique per agros exutos, ad cedendum potentioribus necessitas adigeret. itaque mensibus quinque in depopulanda hostium regione consumptis, villas propè omnes exussêre, exstirpatisque omnibus, quæ mitis aliquid fructus exhibere possent, ad vastitatem agros redegerunt. Post hæc Anagnitis, propter iniurias illatas bellum indixerunt, ac Frusinone oppido expugnato, agrum venum dedêre.

XX-II. Anno illo exacto Archontis munus Athenis capessebat Xenippus, Romæ verò consulatum inibant Lucius Postumius, & Tiberius Minucius. Per id tempus Rhodiis cum Antigono bellum exsistit, his de causis. Rhodiorum tunc ciuitas naualibus copiis pollebat, & optimè administrabatur inter Græcos. ideò reges & dynastæ certatim illã ambiebant, cùm in suam vnusquisque amicitiam pertrahere illam properaret. Illa ex longinquo prouidẽs, quod in rem suam esset, cum omnibus priuatim amicitiam iniit, sed bellis, quæ inter se principes gerebant, se non admiscuit, quò fiebat, vt ab vno quolibet regiis muneribus honestaretur; & quia pace ad longum tempus fruebatur, magna rerum suarum incremẽta perciperet. Nam adeò potentia illius creuerat, vt suis priuatim impensis, in commodum Græcorum, bello in Piratas suscepto, mare prædonibus infestum purgaret. Alexander sanè, quorum memoria celebratur, omnium potentissi-

mus, hanc vrbem præ cæteris coluerat maximè, ita quidem, vt testamentum de toto regno illic deponeret; & cæteroqui suspiciens illam, ad magnificentiam quandam promoueret. Ita Rhodii, iunctâ cum omnibus dynastis amicitiâ, ne cui iure secum expostulandi ansam præberent, sedulò cauebant: animis tamen ad Ptolemæum magis inclinabant. nam maximam commodorum suorum partem ex Ægypto per mercatores eò commeantes accipiebant; totaque adeò ciuitas illius regni opibus alebatur. Quod intelligens Antigonus, vt à coniunctione cum Ptolemæo illos abstraheret, maturè operam dedit. Et iampridem, quando armis cum Ptolemæo de Cypro disceptabat, legatos eò miserat, vt auxilia suppeditarent, nauésque Demetrio mitterent, postulatum. quod cùm illi recusassent, quendam è legatis suis classem in eos ducere iusserat, cum mandatis, vt ex Rhodo in Ægyptum nauigantes, direptis mercibus, abstraheret: sed hoc à Rhodiis depulso, iniqui eos belli auctores esse dictitãs, validis se vrbem copiis obsessurum interminatus fuerat. Tunc verò magnos illi honores Rhodii sciuêre, missisque legatis rogârunt, ne contra fœdus bello contra Ptolemæum immiscere se ciuitatem cogeret. Vbi verò asperiùs illis rex occurrens, Demetrium cum exercitu & obsidionalibus machinis in eos misit: vim eius præpotentem veriti, per nuncios primò, se auxilio contra Ptolemæum Antigono venturos Demetrio, significant. At illo ex nobilissimis centum obsides flagitante, mandatis insuper adiectis, vt classem in portus reciperent: insidias vrbi tendere illum rati, ad bellum sese præparant. Demetrius contrà vniuersis copiis in portu ad Elorymna contractis, ad expeditionem in Rhodum classem adornat. Erant illi variæ magnitudinis naues longæ CC; actuariæ plus CLXX, quibus vehebantur militum XL millia circiter, adiunctis simul equitibus & piratarum auxiliis. præstò quoque erat missilium omnis generis copia, & ingens rerum omnium ad expugnationem conducibilium apparatus. & præter hæc priuatorum hominum, qui rerum venalium foro vtuntur, pontones, non multò pauciores mille sequebantur. Cùm enim à multis annis Rhodiorum ager nihil vastationis expertus fuisset, multitudo hominum, qui è damnis bello afflictorum emolumenta sua corradere solent, ex omnibus eò locis confluebat. Demetrius ergò

LXX-XIII. LXX-XIV.

ergò classe velut ad naualem pugnam terribiliter instructâ,
naues longas, quæ trium spithamarum catapultas in proris
gestabant, præire, militares autem & hippagines remulco
tractas ab iis, quæ remigio vtebantur, subsequi iussit. vltimò
piratarum erãt pontones, mercatorúmq; naues & annotinæ
supra modũ, vti dictũ est, numerosæ. Totum igitur spacium
inter insulam oppositámque oram nauigiis oppletum cerne-
batur, metúmq; ingentem ac stuporem ab vrbe prospectan-
tibus incutiebat. Milites enim Rhodiorum, per mœnia dis-
positi, aduentum hostis operiebãtur. senes autem & fœminæ
ex ædibus (nam vrbs theatri formam referebat) prospectum
habebant, omnésque magnitudine classis, & armorum ra-
diantium fulgore perculsi, de rerum summa nõ mediocriter
soliciti erant. Tum ad Insulam Demetrius appellit, expositó-
que milite, castra vrbi admouet, sic tamẽ, vt extra teli iactum
illa poneret. & statim ex piratis aliísque idoneos maximè e-
mittit, qui terrà marique insulam depopulentur. proximum
quoque territorium arboribus nudat; villísq; destructis, ca-
stra inde sua communit, fossâ tergeminâ, vallísque densis ac
grandibus illa complexus; ita vt calamitate hostium inco-
lumitatem suis procuraret. inde totus exercitus, naualiúm-
que sociorũ operà, quicquid inter vrbẽ & exscensum erat spa-
cii, aggere consternit, portúmq; nauibus amplũ satis reddit.

LXX-
XV.

Interim Rhodii missitandis legatis, ne quod irrecupe-
rabile vrbi damnũ inferat, precantur. vbi verò preces nõ au-
diri vidẽt, abiectâ spe cõpositionis, per legatos, ad Ptolemęũ,
Lysimachũ & Cassandrũ missos auxilia petũt, quòd propter
eos vrbs bello premeretur. Inquilinis autem, qui in vrbe cõ-
sederãt, aduenisq; potestatẽ faciunt, secum, si velint, pro vrbe
propugnãdi. At reliquam inutilẽ turbam ex oppido ablegat,
tum vt inopiã rerum necessariarũ præcauerent, tum ne quis-
quam præsentem vrbis statum molestè ferens, proditor eius
fieret. Hinc eorũ qui armis gestandis essent recensione factâ
ciuiũ ad IↃↃ cIↃ, inquilinorũ & hospitum mille inuenerũt.
Plebiscitũ quoq; factũ, vt de seruis, qui bonos se viros in pe-
riculis exhibuissẽt, soluto dominis precio manumitterentur,
inq; ciuiũ numero essent. Promulgatũ insuper, se qui in bel-
lo oppetissent, sepulturâ publicâ honestaturos, parentésq; ac
liberos ærarii impensis alituros, & virginibus dotẽ erogatu-
ros ex publico, filiósque iã adultos Bacchanalibus in theatro

integrâ armaturâ coronaturos. Hisce promissionibus omnium animis ad pericula fortiter subeunda excitatis; in reliquorum etiam, vt tum fieri poterat, incumbunt apparatum. Cùm enim vnanimis esset populi consensus, pecuniam conferebant locupletes; artémque suam ad armorum fabricationem exhibebant opifices; nemóque nō operi sedulò intentus, vt alterum contentione superaret, accelerabat. Idcircò pars catapultis & ballistis, pars cæteris rebus adornandis, operam dare. nonnulli affectas murorum partes instaurare, plerique lapides in mœnia portantes coaceruare. quin etiam tres naues velocissimas in hostes, & mercatores qui commeatum illis apportabant, emisêre. hæ repentè illos aggressæ multa mercatorum nauigia, qui terræ deprædandæ gratiâ excurrerant, demerserunt, nec pauca ad littus abstracta concremârunt, & qui de captis redimendo sese essent in vrbem perduxêre. cum Demetrio enim conuenerant Rhodii, vt redemptionis inter se precium numerarent, pro libero capite drachmas millenas, pro seruo quingenas.

LXXXVI. Cæterùm quia magna rerum omnium copia ad struendas machinas præditus erat Demetrius, testudines duas fabricari cœpit, vnam aduersus petrarias, alteram contra catapultas, ambásque duabus onerariis in frontem directis atque coniunctis superimposuit. Duas etiam quatuor tabulatorum turres, oppidanis in portu altiores exstruxit: quarum vtraque geminis portaretur nauigiis pariter incedentibus, interque se connexis; vt inter promouendum vtriusque lateris status pondus æquale haberet. Vallum præterea natabile supra ligna quadrupedia, clauis inter se cōpaginata, exstruxit, vt accessu suo hostes ab incursatione in naues machinis oneratas prohiberet. Interea dū hæc perficiūtur, coactos lemborum validissimos tabulis communit; & adhibitis, quæ claudi possent fenestris, è trium spithamarum catapultis, eas quæ quàm longissimè iacerent, cum viris qui dextrè his vterentur, & Cretensibus sagittariis, imponit; nauibúsque extra teli iactum admotis, missilibus oppidanos, dum altiores iuxta portum muros educunt, sauciat. Rhodii, in occupando Demetrium portu totum esse, animaduerso, etiam ipsi ad defensionem eius necessariis comparandis studium impendunt. duas itaque machinas super aggerem collocant, trésque alias in onerariis nauibus ad parui claustra

portus,

portus, cum catapultis & petrariis variæ magnitudinis constituunt; vt horum præsidio, si vel milites in aggerem exponerent, vel applicarent machinas, impressionem hostis propulsarent. Ad hæc in onerariis, quarum statio in portu erat, telorum receptacula imponendis catapultis idonea disponunt.

[LXXVI.] Iámque vtrique hunc ad modum parati erant, cùm machinas admouere portubus instituens Demetrius, asperioris interuentu tempestatis impeditur. At tranquillæ de hinc noctis occasione clàm adnauigat, & summo aggere portus magni occupato, confestim circumuallat locum, & tabulis saxisque interseptum obstruit. Tum CCCC in eum milites cum omni telorum genere exponit, locus autem ille quinque tantùm plethris à muro distabat. Orta dehinc luce, cùm tubæ clangore ac vociferatu machinas in portum subuehunt; tum minoribus, & procul volantibus catapultarum telis murum in portu exstruentes depellunt. ballistis autem machinamenta hostium, murúmque per aggerem ductum, quà conquassat, quà deiicit. infirmus enim & humilis tum temporis erat. Cúmque oppidani fortiter se defenderent, totum illum diem inferendis damnis & accipiendis exigebant. Appetente verò nocte, nauigiis remulcando tractis extra teli iactum machinas subducit. At Rhodii scaphis materiâ aridâ & tædâ repletis, ignéque assumpto, hostes persequuntur, & tum quidem propius machinas aduecti, materiam succendunt, sed statim vallo natante, missilibúsque depulsi, retrocedere coguntur. inualescente autem flammâ, pauci cum scaphis post restinctionem reuertuntur; pars maxima, conflagrantibus acatiis, natando euadunt. Postridie eodem Demetrius modo impressionem ex mari facit; in terrâ vndique simul incursionem, cum vociferatu & tubis, fieri iubet, vt angorem metúmque Rhodiis incutiat; dum multa simul huc illuc eos distrahunt.

[LXXVII.] Hoc oppugnationis genere vsus ad dies octo, machinas in aggere dispositas ballistis, saxa talenti pondere torquentibus, confringit, murique interturrium cũ ipsis turribus disiicit. Quin & muri, qui portui obtentus erat, partem milites occupant; ad quam conuersi Rhodii, pugnam cum hoste conserunt; & numero superiores, alios occidunt, aliis retrò sese corripiendi necessitatem afferunt. Oppidanis adiumento fuit loci ante vrbem asperitas, quòd magna vis grandium saxorum

structuræ extra murum subiecta erat. Cúmque scaphæ non paucæ, quæ milites aduexerant, per trepidationem illam appulissent, Rhodii acrostolia celeriter auellebant, iniectisque malleolis & tædâ in naues, eas ipsas concremabant. Hi dum hisce rebus districti tenentur; nauibus suis circumquaque inuecti Demetriani, scalas muro admouent, instántque vi maiore, dum milites in terrâ auxiliantur, bellicúmq; simul clamorem ingeminant. Ibi dum multi audacter periculis sese committunt, & confertâ muros turbâ conscendunt, acris initur conflictus: quòd oppugnãtes extrinsecus summâ vi rem gererent, & oppidani intus globatim concurrerent ad defensionem. Tandem animosè certantibus Rhodiis, qui ascenderant partim cecidêre, partim vulneribus cõfecti in manus venerunt: inter quos de primatiis nonnulli ducibus erant. Hac igitur clade oppugnantibus illatâ, in suum machinas portum Demetrius asportat, & tum has, tum naues damno affectas reparat. Interim Rhodii defunctis iusta faciunt: manubiásque hostium, cum nauium rostris diis consecrãt, murorum etiam partes à petrariis deiectas, instaurant. Demetrius autem postquàm reficiendis machinis, & nauigiis dies septem insumpserat: iam omnibus ad oppugnationem adornatis; portum denuò aggreditur. vt enim hoc potiretur, & à commeatu oppidanos excluderet, omni studio contendebat. Vbi igitur ventum intrà teli iactum, faces, quarum magna vis erat, in separatas Rhodiorum naues subiicit, balistisque, mœnia concutit, & catapultis quicquid corporum oculis sese offert, vulnerat. Oppugnatione igitur cum magno terrore cõtinuata, Rhodiorum naucleri, anxiè timentes nauibus, faces exstinguunt. vrbisque prætores, quos Prytanes vocant, imminẽte iam portus capiendi periculo, ciuium optimum quemque ad subeundum pro communi salute discrimen exhortantur. Vbi dum multi cum alacritate obsequentes se præbent; tres naues omnium firmissimas viris delectis complent, quibus mandant, vt hostium nauigia, quæ machinas vehebant, rostris demergere conentur. Hi tametsi vi magnâ telorum impeterentur, violento statim inflictu vallum ferro præmunitum disrumpunt, nauésque multis ictibus concussas, aquâ replent, & duas quidem machinas deprimunt. Cùm verò tertia rudentibus à Demetrianis retrò traheretur, Rhodii prosperis successibus animati, audaciùs quàm

LXX. XIX.

tius quàm par esset periculo se ingerebant. ideò cùm multa de magnis nauigiis circumfusa multas laterum partes rostris pertunderent: Execestus classis prætor, & triremium præfectus, aliique nonnulli vulnerati, in potestatẽ hostis venerunt. Cúmque etiam cætera multitudo enataret ad suos, à Demetrianis nauis vna capta fuit, reliquæ periculum effugére. Ab hoc prælio nauali Demetrius aliam fabricauit machinam, quæ prioris tum altitudinem tum latitudinem excederet triplo. Iámque portui imminebat: cùm subitò è ruptâ nube exortus Auster, promouentes eã naues suppressit, machinámque deturbauit. ad quod temporis momentum, Rhodii, occasione dextrè vsi, apertis iterum portis, eos qui portum occupárant, adoriuntur. Acris igitur pugna initur ad bene longum tempus: vbi dum suis Demetrius ob tempestatem subuenire nequit. Rhodiíque per vices certamen subeunt; positis armis regii, ad quadringentos numero, dedere se coguntur. Hanc adeptis victoriam Rhodiis, auxiliares quidam ad vrbem appellunt CL à Cnosiis, & IↃ plures à Ptolemęo missi, inter quos Rhodii quidam, apud regem stipendia facientes, erant. Atque sic Rhodii tum obsidio se habebat.

XC. In Sicilia verò Agathocles, vbi cũ Dinocrate exsulibúsq; conuenire non poterat, quas tum habebat copias in eos duxit. necessarium fore existimans, vt periculo se committeret, & audacter de summâ rerum dimicaret. Sequebantur eum peditum haud plures IↃↃ, & equites IↃ CCC. Dinocrates cum exsulibus hostium eruptione conspectâ cupidè ad pugnam occurrit; quòd numero longè superior esset. plures enim CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ peditum erant, nec tribus equitum millibus pauciores. Hinc ad Gorgium, quod vocatur, castra metati, instructâ tandem acie confligunt; & acre paulisper certamen, ob partis vtriusque ardorem, committitur. sed post exiguum, cùm nonnulli à Dinocrate dissidentes (erant autem bis mille ac plures) ad Tyrannum transirent, vt exsules succumberent, effecerunt. Nam Agathoclianis tum animi longè magis confirmantur: at Dinocratiani perculsi, quòd plures esse transfugas suspicarentur, in fugam se præcipitant. Tum aliquò vsque insecutus Agathocles, cùm modum cædi statuisset, ad profligatos postulatum misit, vt finitis tandem dissidiis, in suam quisque patriam reuerteretur. Experimentis enim cognouisse exsules, quòd, si armis cũ

ipso contendant, nunquam superiores esse queant, cùm etiam nunc milite longè instructiores succubuerint. Equites sanè omnes in Ambicas castellum euasêre. nonnulli etiam peditum nocte insequente aufugêre. At maior pars collem occupârunt, & victoria ex armorum conflictu desperatâ, cognatorum, amicorum, & patriæ eiúsque bonorum cupidi, cum Agathocle pacem fecerunt. quos ille, cùm accepta fide ex colle quodam munito descendissent, armis exuit, copiisq; circumseptos ad vnum omnes, iaculis confixit, ad IↃↃ CIↃ CIↃ, vt Timæus ait, numero, seu vt alii literis tradiderunt, circiter CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ. hic enim tyrannus fidem & iusiurandum perpetuò floccipendebat, virésque sibi non ex stipantibus eum copiis, sed ex infirmitate subditorum comparabat, magis socios quàm hostes reformidans. Conciso hunc ad modum exercitu hostili, reliquias exsulum ad se recepit, & Dinocratem parti exercitus ducem, resartâ gratiâ, præfecit, maximas exinde res fidei illius committens. Vbi Agathoclem quispiam demiretur, quòd qui omnes alioqui suspectos haberet, vt nemini vnquam firmiter crederet, erga solum Dinocratem ad finem vsque amicitiam conseruârit. Proditis ergo sociis Dinocrates, Pasiphilum Gelæ correptum interemit, castelláque & vrbes Agathocli tradidit, biennio in subiungendis ditioni eius hostibus consumpto. In Italia Romani Paliniis debellatis agrum ademerunt, & nonnullos, qui Romanis studuerant, iure ciuitatis donarunt. Posthæc in Samnites, qui Phalerium agrum depopulabantur, Consules profecti sunt, consertóque prælio, victor abiit Romanus. signa tunc capta viginti. capta militum supra duo millia; expugnatáque vrbe Bola, è vestigio Caius Gellius Samnitium imperator cum IↃↃ CIↃ sese ostendit. Pugna tum vehemens oritur, quâ & Gellius ipse capitur, aliorúmque Samnitium plerique conciduntur: nonnulli etiam viui in hostium manus veniunt. Consules ergo rebus ita prosperè gestis, de sociis vrbibus, quæ captæ fuerant, Soram, Harpinum & Sereniam recuperârunt.

XCI.

Anno illo peracto, Pherecles Archon fuit Athenis, Romæ autem consulare imperium excepêre Publius Sempronius, & Publius Sulpitius. Olympias tum agebatur decima nona supra centesimam, quâ Andromenes Corinthius è stadio palmam retulit. Eo tempore Demetrius Rhodum

XCII.

obsidens,

obſidens, cùm oppugnationes è mari conatibus non reſpondiſſent, à terrâ inuadere vrbem cõſtituit. Præparatâ igitur lignorum omnis generis copiâ, machinã, quæ Helepolis à capiendis vrbibus vocatur, magnitudine priores lõgè exſuperantẽ, confecit. quadrangula enim baſis erat, cuius vnũquodque latus ad quinquaginta cubitos eduxit, ex lignis quadratis ferróq; reuinctis, compaginatũ. Medium verò ſpaciũ trabibus, cubito fermè inter ſe diſiunctis, excepit, vt machinã propulſuris ſtandi locus foret. totáq; moles agitabilis erat, octo firmis grandibúsque rotis ſuffulta. apſidum enim craſſitudo binûm erat cubitûm firmis ex ferro laminis obducta. Ad translationes autẽ ex obliquo antiſtrepta (*inſtrumẽta ad circumuerſandum idonea*) fabricata erant, quibus tota machina in quãcunque partẽ facili momento agitaretur. Ex angulis porrò columnę aſſurgebant, longitudine æquali, centũ cubitis paullò inferiores; ita inter ſe contractæ, vt cũ totâ ſtructurâ, nouẽ ſtegarũ ſeu *contignationũ* eſſet, prima ſtega haberet lectos XLIII, ſuprema IX. Tria machinæ latera extrinſecus laminis ferreis, quæ clauis benè cõpaginatæ erãt, obtexit, ne quid ab ignitis miſſilibus nocumẽti afferretur. In fronte feneſtellas habebant tabulata, magnitudine, figurâque ad naturas telorũ inde iaciendorũ accommodatas. His valuæ, quæ machinã attraherẽt, additæ erãt; vt illis ad emittẽda iacula in cõtignationibus verſantes ſe tutarẽtur. ex pellibus enim cõſutæ, lanáq; refertæ erãt, vt balliſtarum ictus his clãgueſcerent. Vnumquodq; tabulatũ binis inſtructũ erat latis ſcalis, quarũ his ad vtiliũ importationẽ, illis ad deſcensũ vtebãtur, vt extra tumultũ omnia adminiſtrarẽtur. Qui machinã promouerẽt, ex vniuerſo exercitu delecti erãt ter mille quadringẽti, excellentes robore viri. quorum alii intus excluſi, alii à tergo cõſtituti, molẽ ita protrudebãt, vt plurimũ ab arte motus adiuuaretur. Teſtudines etiã cõſtruxit, partim foſſarias, partim arietarias, nec nõ porticus, per quas qui manus operi admouerent, tutò accedere & recedere poſſent. Naualiũ autem ſociorũ operâ ſpaciũ, per quod adducendæ eſſent machinæ, repurgauit, ita vt lõgitudo operis ad ſex interturria ſeptémque turres protẽderet. multitudo denique artificũ & operarũ cõgregata haud multò XXX millibus erat minor. Quamobrẽ cùm exſpectatione citiùs, ob tantã operantiũ multitudinem, cũcta perficerẽtur; formidabilis erat Rhodiis Deme-

CIII.

trius. non enim granditas solùm machinarum, & coacti exercitus multitudo; sed strenua etiam vis & solertia regis in obsidionibus illos percellebat. Nam in comminiscendo supra modum ingeniosus fuit, & præter architectorum industriam & artem, multa adinuenit: vnde Poliorcetæ, h.e. *vrbiũ oppugnatoris*, cognomentum reportauit. In oppugnationibus equidẽ tam præpotens erat, & violentus, vt nullus videretur murus tam firmus, qui circumsessis tutũ ab eo munimen præstaret. Eâ præterea magnitudine corporis & elegantiâ erat, vt heroicam præ se ferret dignitatem; adeò quidem, vt qui aduenissent hospites, & decorem regiâ maiestate ornatum viderent, admirarentur, & in expeditionibus comites se illi spectandi gratiâ præberent. Ad hæc animo quoque excelsus & magnificus erat, non vulgi tantummodò, sed etiã principũ alicubi contemptor. & quod maximè insolens, ipsiq; velut propriũ erat, in pace ebrietati & cõuiuiis, cũ choreâ & comessatione coniunctis, vacabat; & (vt paucis rẽ totam comprehendamus) Bacchi morem, quẽ inter mortales fuisse quondã fabulæ perhibent, imitabatur. Idẽ verò in bellis gnauus erat & sobrius: ita sanè, vt supra omnes, qui operis aliquid factitarẽt, corpus animũque operosum exhiberet. Sub hoc enim confecta sunt tela maxima, & machinarũ omne genus, quæ alibi gentiũ constructas longè superârunt. Idẽ post obsidionẽ illam patrisque interitũ, naues maximas in mare protraxit. Interim Rhodii, operum apud hostes progressum conspicati, alterũ intrinsecus murũ educunt, illi respõdentẽ, qui in oppugnatione laboraturus erat: vsi ad hoc lapidibus ex ambitu theatri, quod destruebãt, vicinisque domibus, & fanis quibusdã, cùm pulcriora se diis ædificaturos, seruatâ vrbe, vouissent. Nouẽ etiam naues emittunt, præfectisque mandãt, vt excursibus per omnia factis, ex improuiso immineant, captáq; nauigia partim demergãt, partim deducant in vrbẽ. Hi trifariam diuisi soluũt, & Damophilus cum nauibus, quæ phylacides, id est, *præsidiariæ*, Rhodus indigetãtur, ad Carpathũ prouehitur: multáq; Demetrii nauigia assecutus, partem rostris vulneratã supprimit, partẽ ad littus pertractam incendit; è captiuorũ turbâ, qui vsui forent, delectis. Nec pauca fruges ex insulâ asportãtia in patriã abducit. Menedemus, qui tribus præerat triremiolcis (*triremis imperfectæ genus est*) Patara Lyciæ profectus, deprehensam in anchoris

XCI

nauem,

nauem, sociis naualibus ad terram egressis, comburit. multas etiam ex iis, quæ cõmeatum in castra vehebant, in potestatẽ redactas, Rhodum trãsmittit. capit & quadriremẽ ex Ciliciâ venientẽ, quæ vestem regiã vehebat cæterámq; supellectilẽ, quã Phila Demetrii coniux, impensiùs adornatam, viro miserat. Is vestitũ in Ægyptũ curat deportãdũ: purpureæ enim stolæ erãt, quas gestare non nisi regẽ decebat. nauẽ autẽ subducit, & nautas tũ ex quadriremi, tũ ex aliis nauigiis à se captis, vẽdit. Amyntas dux nauiũ reliquarũ ad insulas traiecit, hostésque ad machinas cõducibilia aduehẽtes nactus, naues illorũ ex parte demersit, ex parte in vrbem deduxit. in quibus capti sunt vndecim artifices præclari, & ad tela machinásque fabricandas peritiã eximiâ instructi. Tũ habito cõuentu publico, de Antigoni ac Demetrii statuis demoliendis consiliũ proposuêre, non tolerandũ asseuerãtes esse, si oppugnatores eodẽ honore quo benefactores afficerẽtur, ob quæ populus indignatus, illos, vt cõtra officiũ agentes, obiurgauit nec vllũ Antigono honorẽ abrogauit; pulcréque & gloriæ & vtilitati cõsuluit. Hæc enim magnitudo animi, & iudicii in statu populari cõstantia, apud cæteros laudẽ, apud obsidẽtes verò pœnitudinẽ, effecit. nã qui ciuitates Græciæ, nullã benemeritis beneuolentiã testificãtes, in libertatẽ vindicabãt, hi sub iugũ seruitutis hãc redigere videbãtur, quæ summã in gratiã referendã cõstantiã faceret testatã. Ad inopinatos itẽ fortunæ casus id proderat. si .n. vrbs caperetur ad veniæ impetrationẽ restabat cõseruatæ ab illis amicitiæ recordatio. Hæc igitur ẽ Rhodiis singulari prudentia acta sunt.

XCV. Iámque Demetrius cuniculis vrbẽ suffoderat, cùm transfugarũ quidã, cunicularios iã intra pomeria esse, obsessis indicauit. Idcircò Rhodii ductã è regione muri, qui ruiturus videbatur, in profundũ fossa, celeriter etiã ipsi cuniculos egerunt, hostibusq; subter terra obuiam facti, vlteriùs progrediendi facultatẽ ademêre. Dumq; cuniculi à parte vtraq; custodiũtur, quidã ex Demetrianis Athenagorã custodiæ à Rhodiis præfectum pecuniâ corrũpere satagunt. is natione Milesius erat, mercenariorũ ductor à Ptolemæo illuc missus. qui proditurũ se vrbẽ pollicitus, diem constituit, quâ ex præcipuis ductoribus à Demetrio mittatur, per fossam noctu in vrbem adscensurus, qui locum excipiendis militibus aptum dispiciat: illectoque in spes magnas Demetrio, Senatui rem aperit. Misit igitur rex ex familiaribus amicis Macedonem Alexandru-

ſed hunc è cuniculo emergentem Rhodii corripiunt: Athenagoram contrà aureâ coronâ honeſtant, & honorarii loco quinque argenti talentis donāt,aliorū interim mercenariorū & hoſpitū beneuolentiā erga populū prouocare maturantes.

Perfectis ergo machinis, cùm omnem ſub mœnibus locū repurgaſſet Demetrius, Helepolim in medio cōſtituit, & teſtudines aggeſtitias numero I I X ita diſtribuit, vt quatuor vtrūque machinæ latus clauderēt. vnicuique harū porticum vnā adiunxit: vt,qui intrarēt,exirēntq; rurſus,tutò imperata exſequi poſſent. Teſtudines verò,quæ arietes ferrent, duas adhibuit magnitudine longè ſuperiores. vtrâque enim ſic confirmatā habebat, vt quælibet eſſet C X X cubitorū, ferróque probè munita,& frontē prætenderet roſtro nauis aſſimilem, faciliq; momento ſubiectis rotis protruderetur:efficacē denique impulſum à mille haud minus in conflictu viris ſumeret. Mœnibus igitur machinas applicaturus,in vnamquāque Helepolis contignationē balliſtas & catapultas,quæ ipſi cōgruerent,intulit. Tum ad portū & loca vicina,nauales miſit copias;ad reliquā muri partē, quæ oppugnationem admittere poterat, exercitū terreſtrē diſtribuit. Tandē cùm ad vnū omnes iuſſum atq; ſignū clamorē bellicū extuliſſent: ex omni vndiq; parte vrbē cū impetu aggreditur. Iámq; arietibus & petrariis mœnia quatiebātur,cùm aduētātes Cnidiorū legati,vt vim inhiberet,orabant,perſuaſuros ſe Rhodiis pollicentes,vt quoad eius fieri poſſet,imperata admitterēt. Remittente impetū rege; quāuis vltrò citróque multa diſſeruiſſent,conuenire tamen inter ipſos non potuit. Strenuè igitur oppugnatio redintegratur, turrimq; validiſſimā ex quadrato lapide conſtructā proſtrauit Demetrius, totúmque interturriū adeò cōcuſſit, vt omnis ad propugnacula tranſitus facultas oppidanis adempta eſſet.

XCV.

Verùm his ipſis diebus rex Ptolemæus magnam vim nauium commeatum aduehentiū Rhodiis mittit. Erant in his trecēta millia artabarū frumenti cum leguminibus: quæ dū recto ad vrbē curſu feruntur,nauigia quidem, quæ commeatum in ſua trāsferrent caſtra, Demetrius illuc expedire conatur:ſed illæ vēto ſecundo plenisq; velis concitatæ, in portus ſuos appellunt,& miſſi à Demetrio infecto negocio reuertūtur. Tunc & Caſſander CCIↃↃ medimnûm hordei, & Lyſimachus CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ medimnûm tritici, totidémq;hordei, Rhodiis

XCVII

diis transmisit. Vbi tanta annonæ vbertas oppidum beârat, obsessi animos iã fatiscentes resumserunt. Ex commodo igitur suo fore arbitrati, si machinas hostiũ inuaderẽt, missilium incendiariorũ vim cõparant, ballistásq; ac catapultas omnes in muro collocãt; & insecutâ nocte circiter vigiliã secundam repentè custodiã continuis petrariarũ iactibus incessunt; aliisq; telis, & inter hæc igniferorũ omni genere vsi, concurrentes illuc sauciant. Demetriani igitur, quibus hæc impressio inexspectata venerat, de operũ incolumitate anxiè solliciti ad defensionẽ illorum concurrunt. Tum nocte illuni faces violẽter intortæ refulgere, & catapultarum sagittæ, ballistarúmq; saxa, improuiso rotata iactu, multos pugnantiũ lædere, qui volantiũ in se missiliũ ictus prospicere nequirẽt. Iam & à machina laminæ quædã deciderant, nudatóq; loco, faces in detecta operis ligna incidebãt. Anxius idcircò Demetrius, ne vlteriùs grassante igni totũ absumeretur machinamentũ; quâ potuit celeritate succurrit, & præparatâ in tabulatis aquâ irruentẽ exstinguere flammã conatur; & ad extremũ destinatos promouendis operibus tubâ conuocat, horúmq; opera extra teli iactũ machinas educit.

XCIIX. Hinc orto die calculis, vt coniecta à Rhodiis tela colligant, dat negociũ; quod oppidanorũ inde apparatum cõiectare volebat: quibus imperata exsecutis, de telis igniferis, magnitudine variantibus, recensita sunt plus quàm octingenta, pila catapultaria non pauciora mille quingentis. tanta vis missilium, cũ exiguo noctis tẽpore effusa esset, apparatum vrbis, impensámq; huius largitatem demirabatur. Et tunc quidẽ Demetrius opera detrimẽtum passa refecit, operámq; sepulturæ mortuorũ & curationi vulneratorũ tribuit. Intra quod tẽpus relaxationem à vi machinarum cõsecuti oppidani murum tertiũ lunari forma ædificant, ambitu eius complexi, quicquid de mœnibus periculo expositum esset. Nihilo tamẽ minus collapsam muri partẽ fossa profundâ cingunt: ne cum graui rex mole vno statim impetu irrumpendi facultatẽ haberet. Naues præterea ad cursum optimè comparatas, Amyntâ præfecto, emittunt. is ad vlteriorem Asię continentem profectus ex inopinato piratis quibusdã à Demetrio missis, ingruit. hi tres habebant naues apertas, & fortissimi putabãtur omnium, qui cũ rege militabant. pugnáq; ad tẽpus haud longũ commissâ, Rhodii naues vnà cum viris subigunt; inter quos etiã prin-

ceps erat piratarũ Timocles. Mercatorũ quoq; nõnullos inuadunt; quibus celoces nõ paucas, frumẽto onustas, adimũt; & cùm has, tũ naues piratarũ non cõstratas, noctu, clã hostibus, Rhodũ deducunt. Demetrius verò, operibus quæ vitiata fuerant, resartis, machinas ad muros applicat; omnique telorũ genere haud parcè vtens, in propugnaculis cõstitutos depellit; & contiguũ loci tractũ arietibus verberãs, duo interturria deiicit. in quorũ medio dũ turrim oppidani magnã cõtẽtione tutãtur, valida contiuuáq; per successionẽ certamina illis incrudescũt, adeò vt etiã Imperator illorũ Aminias, dum cõfidẽtiùs pugnat, ceciderit, déq; militibus aliis cõplures occubuerint. Hæc dũ geruntur, Ptolemæus rex frumentũ, aliúmq; cõmeatũ priùs suppeditato haud minorẽ, & mille quingẽtos vnà milites, quorum ductor Antigonus Macedo, Rhodiis misit. Ad quod tẽpus legati ab Atheniensib. & aliis Græciæ ciuitatib⁹, quinquaginta plures, Demetriũ cõueniũt, omnésq;, vt bellũ cum Rhodiis cõponat, deprecantur. Fiunt igitur induciæ, multíque sermones, nunc ad populũ, nunc ad Demetriũ habentur; consentire tamẽ nequaquã possunt. Idcircò re infectã legati abscedunt. Induxerat exinde animum Demetrius noctu vrbẽ inuadere, quã parte murus fuerat dirutus. de pugnacibus itaq; præstãtissimos, déq; aliis idoneos, ad cIↃ IↃ delegit. hos circa vigiliã secundã ad murũ accedere quietè iussit: ipséq; in procinctu militẽ habẽs, partiũ singularũ præfectis edixit, vt simul ac signũ à se datũ fuerit, coniuncto vociferatu, terrà mariq; vrbẽ adorirentur. Mandatũ exsequũtur omnes; & statim pars, ad ruinas murorũ contendẽs, excubiis ad fossam interfectis, in vrbẽ irrumpit, & circũiecta theatro loca occupat. Rhodii, quod acciderat cognito, cùm tumultu vrbẽ totã misceri viderẽt, portus & mœniũ propugnatoribus, vt suã quisque stationẽ tueatur, & hostẽ extrinsecus aggressũ propulset, mãdant: ipsi cũ agmine lectissimorũ & milite, qui recèns Alexãdriã venerat, illis qui intra mœnia irruperãt, occurrunt. Exortã verò luce, cùm signũ Demetrius extulisset, tum qui portũ inuaserant, tũ qui murũ coronã cinxerant, ad eos, qui partes theatro circũcirca vicinas insederãt, animãdos, clamorẽ bellicũ edunt. Puerorũ itaque & fœminarũ per vrbẽ turba, quasi patria iam caperetur, in pauoribus erat lacrymisq;. Cæterùm prælio inter eos, qui vrbi se infuderãt, & Rhodios cõmisso, licèt multi vtrobique oppeterent,

X CIX

initio tamen neutri loco cedebant. Postea cùm Rhodiorum
subinde plures sese aggregarent, prōptisq; animis periculum
subirent; quòd pro patria & rebus maximis certamen esset;
regiiq; premerētur: Alcimus & Mātias, cæterorū duces vul-
neribus cōfecti, occubuêre; reliqui partim dimicātes periêre,
partim in manus hostium venêre. Demetrius, quamuis
fortunā è manibus subiugationē vrbis sibi extorsisse arbitra-
retur, ad oppugnationē tamen iterū sese parabat. sed cùm pa-
ter, vt quibus posset conditionibus pacē faceret cū Rhodiis,
scripsisset; occasionē quàm cōmodissimam exspectabat, quæ
speciosum cōpositioni prætextū suppeditaret. Ptolemæus et-
iā quanquam Rhodiis antè scripserat, quòd magnā frumenti
copiā, & tria militū millia missurus esset, tamen cùm deinde
cōsuleret, vt pactis, si fieri posset, mediocribus transigerēt, o-
mnes ad pacē animis vergebāt. Per id quoq; tēpus Ætolorū
cōmunitas legatos de pacificatione miserat. Ideò pax tādem
Rhodiis cū Demetrio his cōditionibus inita est: vt sui iuris &
absq; præsidiis vrbs foret, suosq; sibi prouētus haberet; vt ar-
morū societatē Antigono præstaret, nisi si Ptolemæo bellū
inferret; obsides deniq; centū ex ciuibus, quoscunq; præscri-
psisset Demetrius, exceptis qui magistratu fungerentur, tra-
detent. Hoc pacto Rhodii annum obsessi finem bello

CI.

statuerūt, meritisq; præmiis, qui bonos se viros præstiterant,
cohonestātes; etiā seruos qui præclarè se gesserāt, manumis-
sos ciuitate donauerūt. Regū deinde Cassandri & Lysimachi,
& illorū qui gloria secundi, plurimū tamen ad vrbis salutem
cōtulerant, statuas posuerūt. Ptolemæū verò vt gratiā referē-
da, quod percupiebāt, superarēt, missis in Libyam Theoris, ex
Ammonis oraculo sciscitātur, an Ptolemæū vti deum vene-
randū censeat. quo annuente, lucū in vrbe illi consecrāt qua-
dratū, exstructa ad vnūquodq; latus porticu ad stadii longi-
tudinē quem Ptolemæū indigetārūt. Theatrū quoq; instaurārūt,
& prostratas mœniū partes, aliaq; loca ruinis affecta, multò
elegantiùs quàm antea fuerāt. Demetrius autē firmata cum
Rhodiis pace, ex mādato parētis, cū vniuersis inde copiis, sol-
uit, & per insulas deuectus Aulidē Bœotiæ appulit, Græcos
in libertatē vindicare properās. Cassander .n. atq; Polysper-
chō, exsoluti per hostis absentiā metu, iāpridē cōplures Græ-
ciæ partes depopulabātur. Chalcidēsium igitur vrbē omniū
primò à Bœotorū præsidio custoditā, in libertatē vindicauit.
Bœotosq; pterrefactos à Casſādri amicitiā desciscere coëgit.

Postea societate cum Ætolis initâ, ad belligerandũ cum Polysperchonte & Cassandro se accinxit. Hæc dũ geruntur, Eumelus Bospori rex iam sextum annum regnum administrãs, obiit. quod excipiens Spartacus eius filius annos viginti regnauit. Nos iamiã explicatis Græciæ Asiæq; negociis, ad cæteras orbis partes orationẽ transferemus. In Siciliâ Agathocles Liparæos pace fruentes ex improuiso adortus, L argẽti talẽta, ne minimâ quidẽ lacessitus iniuriâ, exegit. Quo quidem tẽpore à multis pro diuino habitũ, quod iã dicetur; cùm in nefariũ scelus euidentissimo argumento sit animaduersum. Orabãt tunc Liparenses, vt ad solutionem pecuniæ, quæ summæ deerat, tẽpus sibi cõcederetur, negãtes vnquam se hactenus sacris donariis abusos. sed Agathocles pecuniam in Prytanéo repositã, cuius pars Æoli, pars Vulcani, inscriptionẽ habebat, illos dare coëgit, nactusq; protenus inde soluit. Is ergo, qui ventos in potestate habere illis in locis dicitur, in primâ statim nauigatione de illo pœnas sumsisse multis visus est. Vulcanus autẽ sub interitũ communicato cum igni nomine, feruidis carbonibus viuũ vstulans, conueniens impietati suppliciũ in patriã tyranno inflixit. nam eiusdẽ voluntatis iustitiæque fuit, quòd ab illis, qui parentes ad Ætnæ radices seruabant, abstinuit, & quòd in impios erga Numen vim suam exseruit. at quod de Agathoclis exitu nũc dictum est, cùm ad conueniens inde tempus delati fuerimus, euentus cõfirmabit. Deinceps verò perstringẽda nobis quæ in cõtiguis Italiæ regionib⁹ fuerũt gesta. Romani & Samnites cõtinuato XXII annos & sex mẽses bello, per legatos pacẽ inter se fecêre. Cõsulum verò alter Sẽpronius, in Æquorũ regionẽ irruptione factâ, quadraginta oppida intra dies ad summũ quinquaginta subegit; totáq; gẽte in ditionẽ Romanorũ coactâ, domũ reuersus, triumphũ egit laudatissimũ. Pop. autem Rom. cũ Marsis, Pelignis & Marrucinis societatis fœd⁹ iniit.

CII.

Cùm annuum illud tempus elapsum esset, Archon fuit Athenis Leostratus, Romæ autẽ Cõsules Serui⁹ Cornelius, & Lucius Genucius. Quibus rẽpublicam administrantibus, Cassandro bellum inferre, Græcísque libertatem restituere & ante omnia res Græciæ ad bonum redigere statum, Demetrius sibi proposuit: tùm quòd magnam sibi gloriam è libertate illâ prouenturã existimaret, tum vt Cassandri duces cũ Prepelao coniunctos se attriturum cõfideret. Et tunc imperii

CIII.

perii caput se petere iudicabat,si in Caſsãdrũ ipſum duceret. Tenebatur tunc vrbs Sicyoniorũ à præſidio regis Ptolemęi, cui magnâ nominis claritate Philippus præerat. hanc noctu ex improuiſo adortus,intra mœnia irrumpit. præſidiarii autem ſtatim in arcẽ ſe proripiunt. Demetrius vrbe potitus,locum inter domos & arcẽ occupat. Iamq; machinas admoturus erat;cùm perculſi qui intus erant,arcẽ ſub pactione dedunt,ipſiq; in Ægyptũ auehuntur. Perſuaſis inde Sicyoniis, vt in arcẽ ſedes transferrent,Demetrius partem vrbis portui adiunctã(qui locus inſigniter munitus erat)cõplanat.cúmq; vnà cũ oppidanâ multitudine ædificationis operi manũ admouiſſet,& populũ in priſtinã vindicaſſet libertatẽ,diuinos à merito iſto affectis honores conſequitur. Nã Demetriadem nuncupârunt vrbẽ,ſacraq; & feſtos cõuentus, itẽq; ludos illi peragẽdos quotannis,aliosq; honores,tanquã conditori exhibendos,ſanciuerunt. verùm tẽpus rerũ mutationibus interceptũ,iſta abrogauit. Sicyonii ergo lõgè meliorem adepti locũ,in eo ad noſtra vſq; tẽpora cõtinenter habitârunt. Arcis enim ambitus planus & ſpacioſus,præcipitiis vndiq; acceſſu difficilimis incluſus tenetur,vt nuſquã machinæ adduci queant.nec aquæ copia deſtituitur; quo factũ, vt hortos ſibi ferantiles pararẽt. Idcircò quid ad voluptatẽ in pace ac protectionẽ in bello conduceret,pulcrè ſagacitas regis prouidiſſe exiſtimatur.

CV. Hinc rebus Sicyoniorũ cõpoſitis,Demetrius cũ toto exercitu Corinthũ mouit, quã præfectus Caſſandri Prepelaus cũ præſidio tenebat.& ſtatim noctu per oſtiolum quoddã à ciuibus nonnullis introductus, vrbẽ cum portubus in poteſtatẽ redigit. Cumq; præſidiarii partim in Siſyphium, quod vocatur,partim in Acrocorinthum refugiſſent,adhibitis ad munimenta machinis,poſt multos labores ſummâ tãdem vi Siſyphiũ capit. Cõfugerant obſeſſi ad eos qui Acrocorinthum inſederãt: verùm etiã hos perterrefactos tradere arcẽ cogit. in oppugnationibus enim hic rex oppidò intolerabilis erat,& in cõficiẽdis ad expugnationes operibus egregiè ſolers. Quanquam verò libertatẽ Corinthiis reddiderat, præſidiũ tamen nihilominus Acrocorintho impoſuit: quòd vrbẽ ſub regis tutela permanere cuperent ciues, donec cum Caſſandro eſſet debellatũ. Atq; ita turpiter eiectus Corintho Prepelaus,ad Caſſandrũ ſe recepit.Porrò in Achaiã progreſſus Demetrius Butã vi cepit, & ſuã ciuibus iuriſdictionẽ reddidit. Scyroq; poſt dies non ita multos in poteſtatẽ acce-

ptâ, præsidium expulit. inde cæteras Achaiæ vrbes accedens liberauit, motisque versus Ægium castris, mœnia circumsedit: & Strombichum ducem præsidii allocutus, vt vrbē traderet, postulauit. At cùm ille in postulata non consentiret; sed multa in Demetrium conuitia de muro, & quidē cum ignominiâ, iaceret, rex machinas adegit, & mœnia demolitus, summa vi vrbē cepit. Ibi Strombichū, à Polysperchonte ducem præsidio datū, aliosq; sibi inimicos circiter LXXX, ante oppidum in crucē egit. Captosq; de cæteris mercenariis ad duo millia, suorum ordinibus inseruit. Post vrbis huius expugnationem, qui castella in propinquo tenebant, fieri non posse arbitrati, vt vim regis effugerent, deditionem fecére. Eodem modo etiam illi, qui vrbes cum præsidio tutabantur, cùm à Cassandro ac Polysperchonte nihil subsidii mitteretur, Demetriusq; cum maximo armorum robore, & machinis omnem modum excedentibus immineret, vltrò locū dedére atque ita Demetrii se res habebant. In Italiâ Tarentini, cum Lucanis Romanisq; belligerantes, missis Spartam legatis, auxilia & Cleonymum imperatorē sibi petunt. cùm igitur Lacedæmonii ducem expetitum non inuiti concederent, & Tarentini pecuniam nauesque subministrarent, Cleonymus ad Tænarum Laconiæ militum quinque millibus contractis, quàm breuissimo cursu Tarentum nauigat. Hîc mercenariorum conductâ manu, quæ priori nō esset inferior, etiā oppidanos cōscribit, in totū supra CCIↃↃ CCIↃↃ peditum, & duo millia equitum. de Græcis præterea Italicis plurimos, & gētem Messapiorum sibi adiungit. Quare cùm numerosum haberet exercitum, conterriti Lucani amicitiam cum Tarentinis redintegrant. Metapontini duntaxat obsequium detrectant. Lucanis igitur agros illorum vnà secum incursandi auctor est; & per occasionem Metapontinos aggressus, terrorem illis incutit. & quanquam vt amicus vrbem introierat, plus tamen quàm sexcentis argenti talentis ciues emungit, obsidumq; loco virgines accipit ducentas, non tam muniendæ fidei, quàm libidinis suæ explendæ gratiâ. Depositâ enim veste Laconicâ, deliciis tempus impendebat, ac iugo seruitutis inuoluebat eos, qui fide illius se commiserant. nam licèt tantum haberet copiarum & apparatus, nihil tamen Spartâ dignum effecit. Expeditionem quidem in Siciliā facere instituerat, quasi tyrannide Agathoclis euersâ, iuris

CV.

suis

sui libertatem Siculis redditurus esset: sed omissâ in præsens hac militiâ, in Corcyram traiecit, & vrbe potitus, magnam pecuniæ vim exegit, præsidiumque inibi collocauit: hac tanquam arce belli vti, rebusque Græciæ hinc imminere cogitans. Statim & legati à Demetrio Poliorcete & Cassandro, de societatis fœdere ipsum conuenêre. sed cum neutro se coniunxit. Hinc cùm Tarentinos & quosdam alios defecisse audiret: relicto ad Corcyram quod sufficeret præsidio, cum reliquis copiis in Italiam, ceu puniturus contumaces, transmisit; oræque appulsus, vbi Barbari custodias agebant, vrbem cepit; hominibusque sub corona venditis, agrum populationibus vastauit. sic Triopio etiam, quod vocant, expugnato, ad tria captiuorum millia suæ potestatis fecit. Circa quod tempus, regionis illius Barbari in agmen coëuntes, nocturnu castra inuadunt, & plures ducentis ex Cleonymi militibus interimunt, ac mille circiter viuos capiunt. cumque hoc periculo, coorta simul tempestas, XX nauigia, quorum propè castra erat statio, corrumpit. Tantis igitur cladibus semel atque iterum acceptis, Cleonymus in Corcyram cum exercitu renauigauit.

C I.

C V.

CVII.

Iam anno exactô, in Archontis munere Athenis Nicocles, in cõsulatu Romæ Marcus Liuius, & Marcus Æmilius, succedebant. Quo tempore Cassander Macedoniæ rex Græcorum vires subinde crescere, totamque belli contra se molẽ insurgere videns, de euẽtu trepidè solicitus erat. Missis igitur in Asiam legatis ad Antigonum, vt secum pacificaret, orauit. Vbi verò ille se nullam agnoscere pacificationẽ, nisi Cassander res suas ipsius arbitrio permitteret, respõdit: territus ille Lysimachum è Thraciâ, quicum summam rei communicet, accersit. semper enim hunc in maximis terroribus adhibere in auxilium solebat, tum ob virtutem huius viri, tũ quòd regnum eius Macedoniæ fines attingeret. Hi ergo de communi vtilitate inter se consiliati, legatos mittunt ad Ptolemæum, regẽ Ægypti; & superiores prouincias in potestate habentem Seleucum; & superbiam Antigoni in responsionibus demonstrant, bellique huius periculum omnibus commune esse docent nam si Macedoniam obtinuerit Antigonus, mox aliis etiam regna sua ademturum. experimentum enim sui iam exhibuisse aliquoties: quòd subinde plura appetat, totumque sibi imperium extra vllam societatem

vendicet. Expedire igitur, vt omnes inter se cōſpirent, & bellum cōmune cōtra Antigonum ſuſcipiāt. Ptolemæus & Seleucus, quòd vera illum aſſeuerare iudicarent, lubentes obſequuntur, & numeroſis ſubuenire copiis cōſtituunt. CVIII. Caſſandro autē viſum, hoſtis aduentū non operiendū; & expeditione prius factâ, anticipare quod expediret. Idcircò partem exercitus, mittens vnâ ducem, Lyſimacho tradit. ipſe cū reliquo agmine in Theſſaliam mouit Demetriū oppugnaturus & Græcos. Lyſimachus ergo cū milite ipſius ex Europâ in Aſiā tranſgreſſus, Lampſacenos & Parianos, cùm ſponte in partes eius cōcederent, liberos dimittit; expugnatoq; Sigæo præſidiū induxit. Exinde IↃↃ cIↃ cIↃ peditum, & mille equitibus Prepelao traditis, ad Æolidis & Ioniæ vrbes adiūgendas illū mittit. Ipſe Abydū primò obſidere aggreſſus, tela machinasq; & alia cōparat. Aſt vbi per mare à Demetrio armatorū multitudo, quæ vrbem tutari poſſet, ſuperuenit, à propoſito deſiſtit; Phrygiâq; ad Helleſpontū ſubactâ, etiam Synada vrbē, in quâ regia erāt impedimenta, obſidione cinxit. Quo tēpore Docimū Antigoni præfectum ad res Marte cōmuni gerendas induxit, eiuſq; operâ Synada & caſtellorū quædā vbi regiæ opes recōditæ erāt, in poteſtatē accepit. Interim Prepelaus dux, in Æolidē Ioniāq; miſſus à Lyſimacho, Adramyttio in tranſitu potitur, Epheſumq; obſidet, & pauore obſeſſis iniecto, vrbē deditione accipit, & Rhodiorū obſides illic deprehenſos in patriā dimittit. Epheſios autē miſſos facit. ſed omnes in portu naues incendit: quòd maris dominiū hoſtes tenerent, totuſq; belli exitus adhuc incertus eſſet. Hinc Teios etiā atq; Colophonios ſubiunxit. Erythræis autem & Clazomeniis per mare ſubſidiū venerat; ideò vrbes haſce capere non potuit, ſed agrū illorum populatus, Sardeis verſus duxit. Ibi præfectū Antigoni Phœnicē & Docimū ad defectionē pellexit, vrbemq; præter arcē in fidē accepit. hanc enim cuſtodiens Philippus, de neceſſariis Antigoni vnus, beneuolentiā erga eū, qui ſibi fidē habebat, conſeruauit. In hoc itaq; ſtatu res Lyſimachi tū erant. CIX. Antigonus tunc ingens certamen & feſtū Panegyricum Antigoniæ inſtituerat, magniſq; ad hoc præmiis & mercedibus vndique conciuerat athletas, & artifices præclariſſimos. Vbi verò de trāſitu Lyſimachi & defectione militum audiuit, ludos abrumpit, athletiſque & artificibus mercedem, non minus cc talentis,

perſoluit.

persoluit.ipse,copiis assumtis,ex Syria citatis itineribus contra hostes pergit. vbi Tarsum Ciliciæ peruenit, de pecunia, quã è Quindis asportauerat,exercitui ad tres menses stipendia numerat.& præter hanc cum exercitu tria talentûm millia aduexerat,vt,si quando pecuniâ opus foret, hæc sumptuũ facultas in promtu haberetur. Superato hinc Tauro,Cappadociã versus contendit,& rebelles in superiore Phrygiâ & Lycaoniâ ad pristinã militiæ societatẽ reduxit. Quo tempore Lysimachus,hostis aduentu cognito, in Senatu cum suis deliberauit,quid imminentibus his periculis agendum esset. Illi,ad pugnã nõ esse descendendum,quoad Seleucus è prouinciis superioribus aduentasset;sed occupanda firmiora loca,castrisque sudeto & fossâ præmunitis,aduẽtum hostis expectandum,censebant. Hic ergò, quod decretum erat,studiosè peregit. Antigonus verò, vt proximè hostes ventum, explicatis in aciẽ copiis,pugnam lacessebat.vbi nemo ex aduerso prodire audet;ipse loca quædã insidet, quâ cibaria hostibus importari necessum erat. Lysimachus ergò veritus,ne intercisо commeatu,in hostis potestatem veniret,noctu inde mouet,& CCCC stadia emensus, circa Dorylæum castra facit.locus enim ille frumento alioque commeatu abundabat: præterfluente amni, qui castra metantibus illic munimenti loco esset.Iacto igitur vallo, fossâ præaltâ triplicique sudeto castra firmârunt.

CX.

Antigonus discessu hostium audito,è vestigio insequitur, & castris illorum propinquans, vbi in aciem nemo descendit,fossâ circumdare castra cœpit, animoq; obsidendi,catapultas ac tela afferenda curat. Cúmque velitationes circa fossam exsisterent, quòd Lysimachiani telis in opere versantes arcere conarẽtur;in omnibus Antigoniani superiores erant. Iam temporis aliquid intercesserat,cum opera ad finem tendere, alimentaque circumsessos deficere. Lysimachus igitur,tẽpestuosâ captatâ nocte ex castris illis digressus,per loca editiora in hyberna concessit. Vt verò Antigonus exorta luce discessum hostis animaduertit, è regione per campestria etiã ipse cõtendit. sed cùm magni caderent imbres,& regionis ille tractus profundus & cœnosus esset:iumentorum non pauca hominesque nõnulli peribant:totus denique exercitus cum difficultate magnâ cõflictabatur.propterea rex,tũ vt militem ab ærumnis illis resiceret,tũ quòd hybernã anni tempestatem ingruere videret,à

persequendo destitit. conuenientissimis itaque locis ad hyemandum delectis, in partes exercitum distribuit. Certior autem factus, ex vlterioribus Satrapiis cum numerosis copiis descendere Seleucum: amicorum quendam in Græciam misit ad Demetrium, cum mandatis, vt quàm primùm cum exercitu ad ipsum veniret. maiorem enim in modum timebat, ne si omnes contra ipsum reges concurrissent, acie cum illis de summa rerum decernere, priusquàm copiæ ex Europa conuenissent, ipse cogeretur. Ita etiam Lysimachus in campo, vt vocatur, Salmoniæ exercitum in hyberna distribuit. largum verò ex Heraclea commeatum sibi procurauerat; quòd affinitatem cum Heracliensibus contraxerat. vxorem enim duxerat Amestrin, Oxyartæ filiam, Darii regis ex fratre neptem, quam Cratero coniugem dederat Alexander, tunc ciuitati imperantem. Et rerum quidem Asiaticarum is tunc status erat. In Græcia interim Demetrius, Athenis subsistens, sacris imbui, ritumque initiorum apud Eleusinem consequi, percupiebat. At cùm interuallo satis longo dies legitima, quâ peragere initiationem solebant Athenẽses, abesset, populo, mutandi patrii moris, propter merita, suasor fuit. inermem igitur sacerdotibus se permittit, & ante statum diem initiatus, Athenis discedit. Et tum quidem ad Chalcidẽ Eubœæ classem & copias terrestres coëgit. Postea verò quàm aditus à Cassandro occupatos audiuisset, itinere terrestri adeundam Thessaliam haud censuit: sed cum exercitu in portum Larissæ præteruectus, copiis expositis, vrbem primo statim aduentu recepit, expugnataque arce, præsidiarios vinctos in custodiam compegit, & legum suarum vsum Larissæis restituit. deinde Pronas & Pteleum sibi adiunxit. Dium quidem & Orchomenon Thebas commigrare iusserat Cassander. ipse verò translationem hanc vrbium prohibuit. Cassander, vbi res ex animi sententia Demetrio succedere aduertit, Pheras atque Thebas validioribus præsidiis munit, contractoque in vnum locum exercitu, castra sua Demetrianis opponit. totus verò numerus erat ccIↄↄ ccIↄↄ Iↄↄ cIↄ cIↄ cIↄ peditum, & equitum bis mille Demetrium sequebantur cIↄ Iↄ equites, nec minus Iↄↄ cIↄ cIↄ cIↄ peditũ ex Macedoniâ, & ccIↄↄ ccIↄↄ Iↄↄ ex vrbibus Græciæ. ferentarii autem & piratarũ ex variis gentibus colluuies, qui ad bella & rapinas cõfluere solẽt,

CXI.

octo

octo millibus haud pauciores; vt summa omnium esset ad
Iↄↄↄ in exercitu terrestri. Iam per multos dies castra inter
se opposita erant, & vtrinq; instruebantur acies, sed pars neu-
tra in pugnam descendebat, rerum in Asiâ euentum suspen-
sis animis exspectans. Tum inuocatus à Pheræis Demetrius
cum parte copiarum vrbem subintrauit, & arce expugnatâ,
Cassandri milites in fidē acceptos dimisit, suamque Pheræis
CII. libertatē restituit. Dum hic rerum Thessalicarū status
est, missi nomine Antigoni veniunt ad Demetrium, qui pa-
tris mandata exponentes, vt quàm maturrimè copias in A-
siam transportet, exhortantur. patri ergo morem gerere ne-
cessarium arbitratus rex, pacem eâ conditione cum Cassan-
dro facit, vt pacta tum demum valeant, si genitori probētur;
nihil tamen dubitans, quin pro cassis illa parens habiturus
sit, cui armis finem bello imponere omninò sit decretum. in-
terim discessum è Græciâ suum videri decorum, nec fugæ si-
milem, volebat. In fœderis enim tabulâ inter alia etiam
hoc scribendum curauerat, vt Græci nominis vrbes non per
ipsam modò Græciam, sed Asiam quoque liberæ forent. Tū
demum, comparatis ad transuehendum milites, & impedi-
menta nauibus traiectitiis, cum totâ classe soluit, ac directo
per insulas cursu, Ephesum transmisit, expositoque milite
castra metatus, vrbem in pristinum ordinem coëgit, & præ-
sidium à Prepelao duce Lysimachi inibi collocatum datâ fi-
de abire permisit: suâ denique custodiâ arci impositâ, Hel-
lespontum vsque progressus est. Ibi Lampsacenos & Paria-
nos, aliasque mutatæ fidei vrbes, recuperauit. Hinc ad Ponti
ostium profectus, apud Chalcedoniorum fanum castra mu-
niit, & ad tuendum locum tria peditum millia, & XXX naues
longas ibi reliquit. copias reliquas in vrbes, ad hybernandū
huc illuc dispartitus. Sub hæc tēpora Mithridates, imperio
Antigoni subditus, cùm in Cassandri partes transiisse puta-
retur, ad Ciū Mysiæ, cuius, vt & Arrhinæ, XXXV annos prin-
ceps fuerat, interfectus est. principatū eius filius Mithridates
excepit, & magnâ ditionis parte auctus, Cappadociā & Pa-
CIII. phlagoniā annos XXXVI gubernauit. His ipsis diebus
Cassāder, post abitū Demetrii, maritimas vrbes imperio suo
iterū vindicauit. Pleistarchū verò cū exercitu in Asiā Lysi-
macho auxiliatum misit. adiuncta ipsi fuerant CCIↄↄ CIↄ
CIↄ peditum, equites Iↄ. Pleistarchus ergo ad Ponti fauces

delatus, insessum ab hoste locum inuenit, desperatoque trãsitu inuasit Odessum, quæ inter Apolloniam & Galatiam, ex aduerso Heracleæ, quæ copiarum Lysimachi partem habebat, sita est. Ibi cùm nauigiis ad transportandum militem idoneis destitueretur, trifariam exercitum partitur. prima sanè classis Heracleam incolumis peruenit. altera à præsidiariis ad ingressum Ponti nauibus subacta fuit. tertiã, qua Pleistarchus ipse transmittebat, tanta oppressit tempestas, vt pars maxima nauium & corporum interiret. nam hexeris, quæ Prætorem vehebat submergitur, & de nauigantibus in ea, qui quingenti vt minimum erant, tres & XXX dumtaxat euadunt. inter hos etiam Pleistarchus fuit; qui fragmento nauis suffultus, ad terram semimortuus eiectatur. is Heracleam deportatus, refocillato à calamitate ista corpore, ad Lysimachum in hyberna se contulit: cùm maiorem exercitus partem amisisset.

CXIV Iisdem diebus ex Ægypto profectus cùm instructissimo exercitu Ptolemæus, omnes in Cauâ Syriâ vrbes in ditionem redegit. Interea dum Sidonem obsidet, quidam falsò renunciantes aderant, quòd commisso inter reges prælio, Lysimachus & Seleucus victi Heracleam se receperint, victorque Antigonus cum exercitu in Syriam contendat. A quibus ille deceptus, cùm verum esse nuncium crederet; cũ Sidoniis in quinque menses inducias fecit, & præsidio munitis, quæ subegerat, oppidis, cum exercitu in Ægyptum remeauit. Dum hæc geruntur, de militibus Lysimachi quidã ex hybern s ad Antigonum transfugiunt, bis mille videlicet Autariatæ, Lyciique & Pamphylii circiter IↃCCC. hos perhumaniter excipit Antigonus, & stipendiis, quæ sibi à Lysimacho deberi affirmabant, persolutis, honoraria insuper adiungit. Per id tempus etiam Seleucus, cum numeroso exercitu, ex superioribus præfecturis ducto, in Cappadociam venit, militesque præparatis tabernaculis, in hyberna collocauit. Habebat autem sub signis in peditatu CCIↃↃ CCIↃↃ, in equitatu, sagittariis equestribus adnumeratis, circiter CCIↃↃ CIↃ CIↃ, elephantes CCCCLXXX, currusque falcatos supra centũ. Regũ itaq; copiæ hunc ad modũ coibãt; quòd omnes ad futurã æstatẽ armis disceptare constitutum haberẽt. Nos verò vt initio propositum fuit, bellum, quod reges inter sese de rerum summâ gesserunt, libri sequẽtis initium faciemus.

ECLOGÆ

ECLOGÆ, SEV EXCERPTA E CHRONICORVM DIODORI SICVLI LIBRIS VI, QVI VIGESIMVM INSEQVVNTVR.

LAVRENTIO RHODOMANO interprete.

EX LIBRO XXI.

ECLOGA I. OMne vitium sanâ mente præditis fugiendum est, maximéque plura habendi cupido. hæc enim dum vtilitatis spe multos ad iniustitiam inuitat, maximorum hominibus malorum causa exsistit. idcircò cùm veluti metropolis sit iniuriarum, multas ingentesque calamitates efficit, non plebeiis tantùm, sed maximis etiam regibus. Antigonus enim rex Asiæ, bello quatuor regibus, inter se consentientibus, Ptolemæo Lagi Ægyptiorum; Seleuco Babyloniorum; Lysimacho Thracum; & Cassandro Antipatri Macedoniæ regi, illato, pugnaq; commissâ, multis sauciatus iaculis perimitur; sed regio honore sepelitur. Filius autem eius Demetrius, cum matre suâ Straonice, in Ciliciâ tum commorante, opibusq; cunctis in Salaminem Cypri nauigauit: quod hæc in Demetrii potestate esset.

II. Corcyram naualibus & pedestribus copiis à Cassandro circumsessam, iamq; facilem expugnatu, Agathocles, rex Siciliæ, liberauit, vniuersis Macedonum nauigiis incensis. * Multa belli vana. Ignorantia enim ac fraus sæpe non minùs efficiunt, quàm strenua in armis opera.

III. Ad relictum Agathocles exercitum profectus, post reditum è Corcyra: cùm audiuisset Ligures & Tyrrhenos

illis mercenarios occurrisse, qui filium eius Archagathum, absente ipso interemissent, omnes trucidauit, duobus millibus haud pauciores. Ob quæ cùm alienati essent ab eo Brutii, oppidum illorum, Ethas nomine, obsidere instituit. Sed cùm Barbari magnis viribus coactis, noctu ex improuiso illum adorirentur, militum quatuor millia amisit, atque ita Syracusas repetiuit.

IV. Agathocles, coactis naualibus copiis in Italiam transfretauit, in animoque habens aduersum Crotonem exercitum ducere, nuncium ad Menedemum, qui amicus illi erat misit, ne turbaretur: perque mendacium obsidere vrbem volens, filiam præ se ferebat Lanassam in Epirum ad nuptias mittere, regia ornatam classe: & hac fraude illectam illos imparatos offendit. Hinc obsidioni incumbens, à mari ad mare mœnia circumdedit. Cumq; petrariæ & fossæ adiumento domum maximam deruisset, Crotoniatæ id conspicati apertis præ metu portis, Agathoclem exercitumque receperunt. Tum irruptione in oppidum factâ ædes diripuerunt, virosq; trucidarunt. Rex verò cum Barbaris finitimis Iapygibus & Peucetiis, societatem armorum iniit, nauesq; prædatorias subministrans partes de prædis accepit. Tandẽ præsidio ad Crotonã relicto, Syracusas renauigauit.

V. Diallus, Atheniensis scriptor, de reb. vbiq; terrarum gestis XXVI libris historiam coagmentauit. Psaon verò Platæensis res ab eo susceptas, XXX libris descripsit.

VI. In bello Etruscorum, Gallorum, Samnitum cæterorumque sociorum à Romanorum Fabio Consule deleta sunt centum millia, vt Duris testatur.

VII. Antipater ex inuidiâ matrem è medio sustulit. Alexander etiam frater Antigoni rege Demetrio in auxilium accersito, per dolum ab eo necatur. Consimili modo ipsum etiam Antipatrum matricidam, & Antigoni fratrem dolosè occidit, regni socium habere nolens.

VIII. Agathocles vi militum coactâ, in Italiam traiecit, peditum XXX millia, Equitum cIↃ cIↃ in armis habens. Naualibusq; copiis Stilponi traditis. Brutiorum agrum prædis agendis infestum habere iussit. Is dum fundos maritimos populatur, in tempestatem incidẽs plerasq; naues perdidit. Agathocles autem, Hippóniatarum vrbe circumsessâ, petrariarum adminiculo machinarum vrbem cepit, & in potestatem

testatem redegit. quo perculsi Brutii, de pace legatos mittunt. Sexcentis igitur obsidibus acceptis, præsidioq; inibi relicto, Syracusas redit. At Brutii non seruato iuramento, omni ciuitatis robore milites oppugnant, ipsosque concidunt, & recuperatis obsidibus, ab imperio Agathoclis sese vindicant. * Veniæ lenitas præ suppl cii rigore deligenda.

Maxima illorum pars qui exercitus ducunt, quo tempore in maximis fortunæ difficultatibus hærent, vulgi affectus sequuntur, dum aduersationes illorum metuunt.

Demetrius rex cùm iterum desciuissent Thebani, dirutis expugnatione muris, summâ vi oppidum cepit, & x dumtaxat viros, defectionis auctores sustulit.

Agathocles filium Agathoclem misit ad regem Demetrium, vt sociale armorum fœdus cum eo faceret. Rex verò iuuenem lubens suscepit, regiâq; amictum stolâ donis cumulauit magnificis. cumq; eo vnum ex amicis Oxythemin dimisit, opinione quidem confirmandæ per acceptam fidem societatis, at re ipsâ, vt speculator foret Siciliæ.

Rex Agathocles vbi longo tempore pacem cum Carthaginiensibus coluisset, magnos tandem naualium copiarũ apparatus faciebat. Iterum namq; castra in Libyam transportare, nauibusq; frumenti ex Sardinia & Sicilia exportationem Pœnis intercludere animo suo proposuerat. Superiori enim per Africam bello, maris imperium adepti Carthaginenses, patriam è periculis in tutum collocârant. Etsi autem naues habebat Agathocles omni instructas copiâ, ducentas quadriremes & hexeres, ad finem tamen quod moliebatur non perduxit, his de causis Ægestanus quidam genere Mænon apud illum erat, qui in excidio patriæ captus, in seruitium regis, ob formæ elegantiam adscitus erat. Et ad tempus quidem perplacere sibi conditionẽ simulabat, adeò vt vnus ex amatis & amicis regis numeraretur. sed quia ob patriæ calamitatem, suiq; propudiosam dehonestationem clàm principi infensus erat, vltionis de illo sumendæ tempus arripuit. Rex enim iam senio affectus, subsidiales copias Archagatho commiserat. Is Archagathi in Libya mactati filius erat, atq; ita regis Agathoclis nepos, virili strenuitate, audaciâque generosi animi longè cæteros ex delectu supergrediens. qui cùm circa Ætnam castra haberet, rex ad successionem regni filium Agathoclẽ

prouehere cupiens, primùm Syracuſanis adoleſcentem commendat, & hunc imperii ſucceſſorem relicturum ſe denunciat. Poſtea in caſtra illum mittit, ſcriptiſque ad Archagathum literis, terreſtres & nauticas ei copias tradere iubet. Quare in alium deuolui regnum videns Archagathus, vtrique inſidias tendit. Ad Mænonem enim Ægeſtanum miſſo nuncio, vt regem veneno tollat, perſuadet: ipſeque ſacris in Inſulâ quadam celebratis, cùm Agathoclem nauigio illuc delatum epulo excepiſſet, noctu inebriatum iugulat. Cumque eius cadauer in mare deiectum ad terram fluctus expuliſſet, agnitum id incolæ Syracuſas retulerunt. Cùm autem rex in more haberet, vt ſemper à cœnâ dentes pennâ repurgaret: compotatione tũ deſurgens, ſcalprum expetebat. Tũ Mæno putrefaciente veneno illitũ hoc ei tradebat, qui operoſiùs per errorem illo vtens, carnem dentibus circumiectam vndique contingebat. vnde primùm continuæ ægritudines exortæ, & cruciatus in dies vehementiores. deinde immedicabilis putredo vndique dentes complexa. Morti ergo proximus populo in concionem aduocato impietatem Archagathi accuſare, & multitudinem ad vindictam de illo ſumendam incitare, democratiam populo ſe iam reſtituturum, confirmans. poſthæc extremè iam afflictum, in rogo depoſuit Oxythemis, à rege Demetrio pridem miſſus, & ſpirantem adhuc cremauit: cùm propter mali ex putrefactione inſolentiam vocem edere non valeret. Ita Agathocles, cùm plurimas diuerſiſſimasque cædes imperii ſui tempore edidiſſet, & crudelitati in ſuæ gentis homines impietatem in deos etiam accumulaſſet, dignum ſceleribus exitum vitæ exhibuit: poſtquàm duodetriginta annos in principatu, LXXII in vitâ exegerat, vt Timæus Syracuſanus refert, & Callias, etiam ipſe Syracuſius XXII librorum auctor, Antander præterea, Agathoclis frater, qui etiam hiſtorias ſcripſit. Syracuſani verò popularem ſtatum redepti, Agathoclis bona publicârunt, imagineſque illi poſitas conuulsêre. Mænon interim, qui regi inſidias ſtruxerat, in caſtris Archagathi verſabatur, fugâ Syracuſis elapſus. criſtaſq; ob hoc erigens, quòd regnum abrogaſſe videretur, Archagathum dolo interfecit, exercituq; potitus, cùm multitudinem verborum humanitate ſibi conciliaſſet, bellum Syracuſis facere conſtituit, & principatum ſibi vindicat.

XIII. Syracusani Hicetam prætorem, vt aduersus Mænonem belligeraret, dimiserunt. is ad tempus bellum continuabat, detrectantibus pugnam aduersariis, nec vllo modo in aciem descendentibus. At cùm Mænonis se partibus adiungerent Carthaginienses, copiisque multùm præualerent: coacti sunt tandem Syracusii, traditis CCCC obsidibus, bellum cum Pœnis dissoluere, & reducere exsules. Cùm verò mercenarii in electione magistratuum honore suo fraudarentur, euenit vt seditione vrbs repleretur. Dumque correptis armis ita dissident Syracusani & conductitii milites, tandem seniores missâ legatione vix multis apud vtrosq; precibus obtinuerunt, vt à tumultu desisterent, hac equidem conditione: vt mercenarii stato tempore distractis facultatibus Siciliâ excederent. His ita ratificatis, peregrini ex compacto Syracusis emigrarunt, & ad fretum progressi, à Messeniis vt amici & socii ad murum in vrbem intromittuntur. Ibi humaniter in ædes recepti, noctu hospites obtruncant, ductisque illorum vxoribus, suæ potestatis vrbem faciunt, Mamertinamque vocant, à Marte, qui illorum linguâ Mamers nuncupatur. * Qui enim popularis regiminis non sunt consortes, hi nec in calculi à tribuno plebis (seu præside populi) confirmandi societatem admittuntur.

XIV. Hostibus quàm maximè terribilem esse, in beneuolentia verò erga amicos constanter permanere decet.*

XV. Quandoquidem illo tempore cùm quid expediret, vos lateret, verbis ad gratiam compositis morem gessistis: nunc quando calamitates in prouinciâ; reipsâ cernatis, aliud edocti estis. * Nam ignorare interdum quæ in vitâ accidunt hominis est: at iisdem in rebus errare sæpius, id in rationem prorsus destitutum cadit. Quantò enim plures in errores incidimus, tantò maiori pœnâ digni sumus.* Eò ciuium nonnulli cupiditatis prouecti sunt, vt domos suas ex patriæ detrimentis splendidiores facere velint. ** Qui verò tam nefaria commiserunt in aliorum opitulatores, quomodo ipsos quæso tractassent?

XVI. Peccatis venia tribuenda est, & in reliquum tempus quiescendum.

XVII. Non qui deliquerunt, sed qui ob delicta non resipiscunt, omnimodo puniendi sunt.

Æquitas & clementia apud homines antiquior est supplicio. XVIII.

Honestum est aptumque inimicitias dissoluere, eiusque loco amicitiam reducere. * Nam quando ad inopiam homo redactus est, ad primum veluti raptum amicorum festinare solet. XIX.

Naturâ hominibus insita plura consequendi cupiditas, ab huiusmodi affectione non planè abstinebit. * Domi relinquendus est tumor superbiæ, & tyrannicum vestitus schema. Liberam verò ciuitatem qui ingreditur, eum legibus istic morem gerere oportet. * Cuius enim genus & regnum hæreditario quis iure accepit, in huius etiam gloriam succedere volet. Turpe namque est Pyrrhi quidem Achillis filii nomen referre, actionibus verò Thersitem repræsentare. * Quantò plus enim gloriæ quis acquisitum habet, tantò maiorem illis habebit gratiam, per quos felices obtinuit successus. Ideo quæ cum gloriâ & gratiâ quis consequi potest, iis cum iniuria & opprobrio potiri ne expetat. * Pulcrum itaque est, ô homines, in alienis erratis propriæ incolumitatis capere experimentum. XX.

Non decet quemquam cognationi alienorum præferre respectum, odiumque hostium beneuolentiæ sociorũ. XXI.

EX LIBRO XXII.

Patritum est Epirotis non pro patriâ suâ tantùm decertare, sed pro amicis etiam & belli sociis pericula subire. ECLOGA I.

Decius Romanorum militum tribunus, Rhegio præsidiis custodiendo præfectus, ob Pyrrhum regem ciues mactat, & facultates fœminasque sibi mancipat. Campani hi erant, eodemq; modo fecerunt quo Mamertini; sicut illi Messenios trucidauerant. Postea, quòd iniquè miserorum peculium diuisisset, Rhegio excidit, à Campanis suis in exsilium actus. Adiuuerant illos etiam Mamertini; qui cum pecuniis adhuc reliquis ducem sibi hunc creauerunt. Porrò cùm ocularis eum morbus corriperet, accitus ab eo medicorum probatissimus, vt patriæ iniuriam vltum iret, cantharidibus Decium inunxit, visuq; orbauit. Sibi autem fugâ ex Messene consuluit. In Siciliâ interim tyranni erant, Hicetas Syracusis; Phintias Agrigenti; & Tyndarios Tauromenii, II.

vrbi-

vrbiumque minorum alii. Phintias autem & Hicetas, conflato inter se bello, ad Hyblæum acie instructâ concurrerunt, victoriamque retulit Hicetas. Tum excursionibus vltrò citroque factis, opes diripiebant, & incultam hoc pacto faciebant regionem. Hicetas autem victoriâ elatus, Carthaginensibus aciem opposuit, victusque magnam suorum militum iacturam fecit, ad Teriam fluuium. Tum Phintias vrbem condit Phintiada nominatam, Geleosque è patriâ submotos in eâ collocauit. sita autem hæc est ad mare. Muris enim domibusque Gelæ destructis, populum in Phintiadem transtulit, postquàm mœnia forumq; memoratu dignum & templa deorum condiderat. * Vnde reus cædis peractus vrbium cunctarum odiis illi subditarum flagrauit, quæ & præsidia expulerunt. Inter quas primi Agyrinæi.

II. A Gallis Ptolemæus rex trucidatus, omnesque Macedonum copiæ concisæ ac deletæ.

V. Cadméa victoria prouerbium est, hoc sensu: quando victores clade afficiuntur: victi autem nihil periculi habent, ob imperii magnitudinem.

V. Phintias, conditor Phintiadis, & Agrigenti tyrannus, somnium vidit, exitum illi vitæ repræsentans. Dum aprum venatur, sus in eum ruere, latusque eius ferire dentibus, & transadacto vulnere ipsum perimere visus.

VI. Hicetas vbi IX annos Syracusis principatum tenuerat, à Thynione Mammei filio è tyrannide exigitur.

VII. Thynion & Sostratus Hicetæ successores. Hi Pyrrhum regem in Siciliam iterum accersunt.

VIII. Mamertini fraudulenti Messeniorum interfectores, militiæ fœdus cum Carthaginiensibus pacti, decreto publico Pyrrhum à transitu in Siciliam prohibere statuerunt. Tyndarion verò, Tauromeniæ tyrannus, ad illum inclinabat, paratusque erat in vrbem recipere copias illi adiunctas.

IX. Carthaginienses, Romanis in societatem adscitis, I϶ viros in naues receperunt suas, & ad Rhegium transgressi, vrbem quidem oppugnare cœperunt, sed ab obsidione tandem desistunt: & materie, quæ ad compingendas ibi naues parata fuerat, incensâ, ad fretum præsidiis custodiendum, transitumque Pyrrhi obseruandum, permanserunt.

X. Dum Thynio insulam in potestate habet, & Sostratus Syracusis dominatur, decies mille armatis instructi inter se belligerantur. Sed bello defessi ambo legatos ad Pyrrhum mittunt.

XI. Pyrrhus in Italiâ annos duos & menses quatuor bellum gessit. Dumque ad discessum ille se parat, Carthaginienses obsidione premunt Syracusanos terrâ marique, centum nauibus in portu magno stationem habentes, & terrestri exercitu quinquaginta millium prope muros castra metati, Syracusios intra mœnia continebant. Agrum verò ipsorum incursionibus populantes desertum vastumque reddebant. Quamobrem bello defatigati Syracusani, in Pyrrho spes habebant, propter Lanassam vxorem, Agathoclis filiam ex quâ Alexandrum susceperat. ideo legatos, alium post alium, quotidie mittebant. Ille igitur, collocatis in naues militibus atque Elephantis cæteroq; instrumẽto, Tarento soluit, decimoque die ad Locros appulit. Inde fretum ingressus, cùm in Siciliam traiecisset, ad Tauromenium defertur. Hinc adiuncto in societatem Tyndarione principe Tauromeniæ, militibusq; ab eo acceptis Catanam deuehitur, & ab incolis magnificè susceptus, aureisque coronis redimitus, copias terrestres exponit. Quibus Syracusis iter habentibus, classis ad pugnam adornata oras interim legit. Vt Syracusis proximârunt, Carthaginienses quòd ad vsus necessarios iam ante XXX naues dimiserant, cum reliquis belli fortunam tentare non audebant. Idcirco Pyrrhus citra discrimen Syracusas peruenit, & à Thynione insulâ, reliquaq; vrbe à Syracusanis & Sosistrate acceptâ. Is enim Agrigentum multasque alias tenebat vrbes, in armis habens milites supra mille. Atq; tunc Thynionem & Sosistratem, Syracusiosque reconciliauit & ad concordiam reduxit, magnumque ab hac pace fauorem consecutus est. Rex autem tela machinasque & apparatum vrbis accepit. Naues, quas Syracusis accepit, fuêre CXX tectæ, & XX apertæ: sed regia Ennéris erat. Vniuersa igitur classis, cum iis quæ cum ipso aduectæ fuerant, CC numerum excedebat. Eo dum occupatur, legati ex Leontinis, ab Heraclidâ dynastâ missi, veniebant, renunciantes, se vrbem regi tradituros, vnà cum præsidiis, & peditibus quater mille, equitibusque IↃ. Complures etiam alii tum aderant, Pyrrho & vrbium deditionem

nem & auxilia pollicitantes. Is cunctos humaniter acceptos,
in patrias suas remisit, etiam Africâ se potiturum sperans.

XI. Portus Corinthiacus Lechæus vocatur.

XII. Brennus, Galatarum rex, cum CXL millibus scuta-
torum & CCIↃↃ equitum, cæteraque turbâ circumforanea,
& mercatoribus plurimis; bis mille insuper plaustris, in
Macedoniam progressus, bellum genti intulit, & ingen-
tem militum iacturam fecit, vt nihil virium haberet impres-
sione in Græciam factâ, & oraculum apud Delphos, quan-
tumuis expilare istud cupiens. Nam pugnæ dum crebræ
committuntur, myriadibus ibi aliquot desideratis, Brenno
etiam ipsi vulnera aliquot infliguntur. Ad mortem igitur
grauatus, conuocato suorum agmine ad Galatas verba fe-
cit, iisque consuluit, vt tum ipsum, tum vulneratos vniuersos
interficerent, crematisque plaustris, expediti domum redi-
rent, & Cychorium sibi regem constituerent. Brennus tan-
dem cùm mero affatim se ingurgitasset, semetipse confodit.
Quē vbi tumulârat Cichorius, saucios & à tēpestate fameq; æ-
grè habētes ad CCIↃↃ CCIↃↃ interemit. atq; ita cū supersti-
tibus eadem via domum iter fecit. At circa locorum diffi-
cultates, ex insidiis Græci incumbentes, extremum agmen
resecare impedimentaque omnia auferre. Ad Thermopy-
las deinde progressi, cùm alimenta eos deficerent, alia XX
millia relinquunt. Dardanorum tandem regionem pera-
grantes, vniuersi pereunt, ita vt nec vnus superesset qui do-
mum rediisset.

XIV. Cæterùm Pyrrhus, vbi apud Syracusas & Leonti-
nos res constituisset, cum exercitu Agrigentum versus pro-
greditur. Dumque adhuc in viâ est in nauibus occurrunt,
qui nuncient se impositum à Carthaginiensibus præsidium
exturbasse, ne Phintias ipsis dominetur, vrbemque se fidei
illius permissuros, bellique socios fore, spondeant. Assum-
ptis igitur copiis, cum Agrigentum venisset, vrbem à Sosi-
strato accepit & milites, peditum IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ, equi-
tes verò IↃ CCC, delectos omnes, nihiloque inferiores Epi-
rotis. In fidem etiam accepit XXX vrbes, quibus imperaue-
rat Sosistratus. Posthæc Syracusas misit, qui instrumenta
expugnandis vrbibus aduehererent, ac multitudinem telorum;
cum quibus expeditionem fecit in Carthaginiensium ditio-
nem, habens in peditatu CCIↃↃ CCIↃↃ, in equitatu mille

quingentos,& elephantes aliquot,primamq; vrbium Heracliam ſubegit, Carthaginienſium præſidio firmatam. Deinde Azones occupat. Hinc Selinuntii regi ſe adiungunt;itemq; Halicyæi & Ægeſtani, aliæque ciuitates plurimæ. Erycina tunc non contemnendum habebat præſidium Carthaginienſium, naturâ alioqui firma & expugnatu difficilis. Hanc vi per oppugnationem capere ſtatuerat Pyrrhus: ideoq; machinas mœnibus admouet. Cùm ingens ad multum temporis validaque fieret oppugnatio, rex gloriam ſibi comparare volens, & ad Herculis ſe modum conformans, princeps in mœnia irruit,pugnamque ciens heroicam,inuadentes ipſum Carthaginiẽſes cædit, & tandem ſuppetias ferentibus amicis cæteris,ſummâ vi vrbem capit. Conſtituto autem ibi præſidio,ad Æginoram vrbem contendit firmitate inſignem, & pulcro ad Panormum ſitu. Cumq; Ægini ſe vltro accommodarent, ſtatim Panormitarum vrbem aggreditur, quæ pulcerrimum inter Siciliæ vrbes portum habet. ex quo etiam appellationem iſtam vrbs conſecuta eſt. hanc ipſam etiam vi ſubegit. Et munitione Erctarum occupatâ,totam Carthaginienſium ditionem ſuæ poteſtatis & arbitrii fecit, præter Lilybæum. Hæc enim vrbs à Carthaginienſibus erat condita poſtquàm Dionyſius tyrannus Motiam expugnârat Carthaginienſium. Congregatos enim quos ex illâ reliquos fecerat excidium, Lilybæi collocârant. ¶ 1. Iamq; in obſidendæ huius apparatu erat Pyrrhus cùm ex Africâ Carthaginienſes vim copiarum memorabilem ad Lilybæum transfretârunt: & quia penes illos imperium maris, magnam annonæ copiam, machinamenta etiam & tela incredibili numero aduexerunt. Et quia vrbs magnâ ſui parte in mare proſpectabat, acceſſum à continente præmuniuerunt, crebris turribus excitatis, eductâque foſſâ ingente. Tum legatos ad regem de tranſactione ac pacto miſerant, ad paciſcendum, pecuniaſque tradendum parati. At cùm pecuniæ penſionem rex non admitteret: Lilybæum tamen Carthaginienſibus concedere perſuaſum haberet: neceſſarii, qui tum concilio intererant, & legati ciuitatum auocantes illum, contenderunt, ne vllo modo Barbaris permitteret, vt acceſſum in Siciliam haberent: ſed ex totâ Inſulâ Pœnos abigeret, imperiumque pelago definiret. Continuò itaque rex prope mœnia caſtra metatus, initio crebris murum incurſationibus

per

per vices impetit: sed Carthaginenses eum repellunt: multitudine propugnatorum, & apparatus magnitudine adiuti. Tanta enim catapultarum tum acutè ferientium, tum saxa eiaculantium vis coacta illis erat, vt apparatus copiam murus haud caperet. Ideo cùm omnis generis tela in oppugnantes intorquerentur, multique oppeterent, nec pauci vulnerarentur, inferior abibat Pyrrhus. Machinas tamen fabricari etiam ipse aggressus est, præter adductas ipsi à Syracusis. & suffossione muros labefactare conatur. Sed cùm strenuè pugnando resisterent Carthaginienses, locusque petricosus esset, continuatâ per duos menses obsidione; spe per vim capiendæ vrbis desistens obsidionem soluit. Magnā igitur classem adornare, & hac maris imperium occupare, exercitum in Africam transportare secum vbi decreuerat, alio impetum suum conuertit.

XV. Cùm Mamertini, qui Messenen incolebant, creuissent, castella sanè multa præsidiis munierunt Ipsi autem cum agmine, quod expeditum esse iusserant, celerrimè opitulatum Messeniæ venerunt. Hiero autem ex hostico digressus, Mylis vi expugnatis, mille quingentos milites in potestatem redegit: & confestim aliis etiam locis subactis, Amesalum versus contendit, quod inter Centorippinos & Agyræos iacet. id licèt firmum esset, multumque haberet militum, expugnauit tamen diruitque, & præsidiarios criminibus exsolutos, in ordines suos adsciuit. Agri verò partem Centorippinis, partem Agyreis donauit. Posthæc autem Hiero validum habens exercitum in Mamertinos expeditionem fecit, Alesamque deditione sibi adiungit, & ab Abacæninis & Tyndaritis propensè acceptus, his etiam ciuitatibus potitur. Mamertinosque in angustum cogit locum. A pelago enim Siculo propinquam Messenæ vrbem Tauromenitarum habebat: & ab Etrusco mari oppidum Tyndaritarum. In Messenen etiam irruptione factâ, ad Loetanum amnem consedit, peditum habens CCIƆƆ, equites CIƆ IƆ. obiecerunt autem illi copias suas Mamertini, peditum IƆƆ CIƆ CIƆ CIƆ, equites * XL; quibus Cios præerat. Hic conuocatis haruspicibus ad sacrificium, de pugnâ sciscitabatur qui responderunt, per exta deos significare illum in hostium castris pernoctatu-

rum. Is ergo lætabatur, vt qui castris regis potiturus esset, & continuò distributis in ordinē copiis amnem transire conatur. Hiero autem ducentos exsules Messenios in commilitio habens fortitudine strenuisque factis præcellentes, quibus alios cccc ex delectu adiunxit vicinum collem, qui Thorax appellatur, eos circumire iussit, ita vt hostibus à tergo incumberent. ipse autem disposito in ordinem exercitu à fronte occurrit. ¶ I. Equestri igitur prælio simul ac pedestri commisso, (vbi rex tumulum quendam circa fluuium occupârat, & loci opportunitate prævalebat) certamen in æquilibrio ad tempus erat. Sed qui ad collem transierant, ex inopinato Mamertinos adorti, quòd recentes erant, pugnâ defessos haud difficulter interimebant. Tandem vndique circumuenti, fugam arripuêre. Syracusani autem totis instantes viribus omnes conciderunt. Imperator autem strenuè dimicans, cùm multis affectus vulneribus animo deficeret, viuus in hostis manus venit, spiransque adhuc in regis castra defertur, curæque medicorum traditur, noctem illic iuxta oraculum, ex aruspicumque prædictione, in castris hostium exacturus. Dumque rex Cion in sanitatem restitui magni æstimat, interea quidam veniunt, equos à pugnâ regi adducentes. ibi Cion, agnito filii sui equo, iuuenem è medio sublatum coniectabat. Maiorem ergo in modum conturbatus, ligaturas vulnerum dirupit, vt morte suâ interitum filii honoraretur. Mamertini autem accepto nuncio, quòd cum prætore suo Cio reliqui etiam milites cuncti interiissent, regi supplicum ritu occurrere decernunt. Nec tamen funditus Mamertinorum res occidere siuit fortuna. nam acciderat tunc vt Annibal Carthaginiensium prætor in Liparâ Insulâ stationem haberet. is repentinâ clade audita, quantâ potuit celeritate regem cōuênit, verbotenus vt ei gratularetur: sed reuerâ, vt arte imperatoriâ regem circumueniret. Rex itaque Pœno fidem habens, quieuit. Annibal verò Messenem digressus, cùm Mamertinos iam ad vrbis deditionem paratos offendisset, diuersum persuasit, sibique illos adstrinxit, * quadraginta militum suppetiis in vrbem introductis. Mamertini ergo postquàm ob cladem acceptam animos despondissent, quo dictum est modo in tutum fuerunt restituti. Hiero autem, sic arte delusus à prætore Carthaginiensium, desperatâ obsidione,

dione, Syracusas se recepit, cùm felicitatem vbique cele-
brem obtinuisset. Deinde vbi Carthaginienses non minùs
quàm Hiero Messene exciderant, in colloquium venêre; &
societatem inter se pacti, coniunctis Messenem viribus op-
pugnare constituerunt.

EX LIBRO XXIII.

Sicilia insularum omnium pulcerrima exsistit, vt quæ
multùm conducat ad imperii, seu principatus, incre-
mentum.

Hanno, Annibalis filius, vt in Siciliam venit, con-
tractis ad Lilybæum copiis, vsque ad Selinuntem processit:
terrestremque exercitum, propè vrbem positis castris, reli-
quit; ipse verò Agrigentum digressus, arcem communiuit.
Tunc populum adduxit, vt ad Carthaginiensium amici-
tiam se applicans, socialibus eos armis adiuuaret. Ad hunc,
postmodò in castra sua reuersum, legati veniunt ab Hiero-
ne, super bono communi. nam societatem inter se iniue-
rant de bello Romanis inferendo, nisi quamprimùm ex Si-
ciliâ facesserent. Cùm ergo vterque copias ad Messenem
duxisset, Hiero in colle, qui Chalcidicus vocatur, castra po-
suit. Carthaginienses verò terrestri exercitu consederunt in
Eunis (*cubilibus,*) vt vocantur, nauticoque arcem occupa-
runt, quæ Pelorias dicitur; & continenter Messenen oppu-
gnâbant. Quod vbi populus Romanus audiuit, alterum
ex consulibus Appium Claudium nomine, cum manu va-
lidâ misit: qui statim Rhegium peruenit. Ad Hieronem
autem & Carthaginienses legatos de soluendâ obsidione
expedit: & aduocatâ concione, insuper promisit, se Hiero-
nem bello non inuasurum. Ad quæ Hiero respondit, quòd
Mamertini ob Camarinam & Gelam, à se excisam, Messe-
nenque nefariè occupatam, iure oppugnentur. & quòd Ro-
mani, tantopere fidei nomen celebrantes, neutiquam san-
guinarios, qui extremo fidem contemptui habuissent, de-
fendere ac protegere debeant. Quod si pro hominibus ef-
flictim impiis tantum suscipiant bellum, cunctis manife-
stum mortalibus fore, quòd misericordiam erga periclitan-
tes cupiditati suæ prætextum adsciscant, & reuerâ Siciliam
affectent.

Romani primùm quadratos habebant clypeos ad bellum. poſtea verò quàm viderunt Tyrrhenos æneos geſtare clypeos, eodem ſe comparantes modo illos deuicerunt. II

Quando conſul ad Meſſenem traiecerat, Hiero proditum à Carthaginienſibus traiectum ſuſpicatus, Syracuſas refugit. Carthaginenſibus autem poſt iactam belli aleam victis, Ægeſtam conſul oppugnat, multisque ex militum numero deſideratis, retrò mouit. IV

Cùm ambo conſules in Siciliam profecti, Adranitarum vrbem obſediſſent, vi illam ceperunt. deinde cùm Centorippinorum oppugnantes ad æneas aulas ſederent, legati primùm à Læſinis veniebant: poſtea cùm aliis etiam ciuitatibus timor incubuiſſet, legatos etiam ipſæ mittebant de pace, oppidaque Romanis dedere parati erant. Fuerunt autem numero LXVII. Quarum copiis aſſumtis Syracuſas petierunt, Hieronem oppugnaturi. Is cùm grauiter ferre Syracuſios id videret, legatos de bello dirimendo ad Conſules miſit. Hi ergo cum ſolis Carthaginienſibus debellare properantes, conditionem non inuiti admittebant. Pacem itaque ad XIV annos compoſuêre, acceptis CXL millibus drachmarum; Et poſtquàm captiuos illis reddidiſſet, permiſerunt ei, vt & Syracuſanos ſub dominio ſuo retineret, & vrbes illis ſubiectas, Acra, Leontinos, Megarenſes, Ælores, Neatinos, Tauromenios. Interea dum hæc geruntur, Annibal cum naualibus copiis ad Xiphoniam prouectus erat, auxilium regi allaturus: ſed cognitis quæ facta erant, retroceſſit. V.

Adranonem vicum & Macellam per multos dies cùm oppugnaſſent Romani, ſine effectu abſceſsêre. VI.

Ægeſtani, primùm Carthaginienſium imperio ſubiecti, ad Romanos inclinârunt. ita & Alienæi fecerunt. Hilarum verò & Tyrittum & Aſcelum expugnârunt. Tyndarii autem vbi derelictos ſe vident, metu adacti etiam ipſi dedere ſe volebant. Sed Pœni quid propoſitum haberent, ſuſpicati, nobiliſſimos eorum obſides receperunt in Lilybæum; frumentumque ac vinum & cæteram ibi copiam aſportârunt.*Philemon Comicus fabulas ſcripſit XCVII. vixit an. XCIX. * Romanorum verò, qui Agrigentum obſederunt, foſſisque factis vallum iecerant, centum millia erant. VII.

Ad

Ad extremum cùm strenuè pro Agrigento propugnassent Pœni, vrbem Romanis dediderunt.

VII. Hanno senior, post obsidionem Agrigenti magnũ exercitum ex Africâ in Siciliam traduxit, peditum Iↄↄↄ, equitum Iↄↄ cIↄ, elephantes LX. Philinus Agrigentinus historicus id descripsit. Hanno autẽ cum omnibus copiis ex Lilybæo mouens, Heracleam venit. Sub quod tempus adfuêre, qui Erbesi deditionem offerrent. Hanno igitur bellum persequutus duobus prælijs amisit * peditum, equites CC, & cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ captiuorum. interim euenit vt XXX elephantes oppeterent, ac tres vulnerarentur.

X. Entellina quoq; ciuitas erat. * Hanno igitur, re prudenter consultatâ, vno strategemate simul inimicos & hostes sustulit. Et postquam sex ita menses desederant, Agrigentum in ditionẽ accipiunt, omnesq; vt mancipia deportârunt, plusquàm ccIↄↄ ccIↄↄ cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ. Desiderârunt tamen etiam Romani ccIↄↄ ccIↄↄ ccIↄↄ, & de equitatu Iↄ XL. Cæterùm Hannonem Carthag. cùm alium ei suffecissent, honoris gradu deiectum, sex millibus aureorum multarunt, & pro illo prætorem in Siciliam miserunt Amilcarem. Mystratum tunc obsederant Romani, multasq; ad hoc machinas fabricârunt. sed post menses septem re infectâ inde abierunt, compluribus suorum amissis. Amilcar verò ad Thermas Romanis occurrit, initoq; conflictu vicit, & Iↄↄ cIↄ occidit, parumq; abfuit, quin totum exercitum.* Mazaron etiam castellum à Romanis in seruitutem erat redactum. Tum Amilcar Carthag. Camarinam proditione recepit, paucisq; diebus elapsis Ennâ quoq; potitur, eodem quo Camarinam subegerat modo. Ibi Drepanum mare cinxit, & oppidum ex illo fecit, translatisq; Erycenis, Erycen diruit, præter locũ qui templũ ambiebat. Mystratum verò tertiùm obsessam Romani ceperunt, vrbemq; solo æquarunt, superstitibus sub corona vẽditis. Posthæc ad Camarinam processit consul, castrisq; ad eã locatis capiendo non fuit. Accitis verò ab Hierone instrumentis bellicis vrbe potitur, maioremq; captiuorum partem vendit. Continuò proditorum operâ etiam Ennam capit: vbi p̃sidiariorũ alii cæduntur, alii fugâ ad socios euadunt. Inde ad Sitanam progressus, summâ vi vrbem expugnat. Hinc præsidiis in alias vrbes collocatis, ad Camicũ se conuertit, Agrigentinorũ castellum, q̃ & ipsum proditione in eius potestatẽ venit, locũq; præsidio firmauit. Derelicta fuit ab incolis sub

hoc tempus etiam Erbesus. * Alycus autem fluuius, alio-rumq; extremus.

X. Bonos viros decet vel vincere, vel cedere superioribus. *

XI. In rebus aduersis cuncti homines Dei magis recordari solent. & sæpius at in rebus secundis, & quando res prosperè geritur, deos tamquam fabulas commentitias despicantur. & quando detrimentis afficiuntur, ad cautelam naturalem recurrunt. *

XII. Facilius est quempiam inimicis superiorem euadere: si modò consultore bono vtatur, delictorum reprehensione se corrigi persuasum habens. Et contingit vt qui ad eandem deferuntur. * Honestam ex bonis studiis & exercitationibus famam multorum animos ad virtutem magnopere excitare. * Fortunæ enim benignitatem, vt graue onus, cùm dextrè ferre non posset, maxima se gloriâ priuauit, patriamque in magnas calamitates coniecit. * Porrò cùm Romani in Africam ingentem cum Attilio Consule exercitum transmisissent, initio superiores erant Carthaginienses, vrbesque & castella multa capiebant. & magna vis militum ab illis concisa. pòst, simulac Xanthippus Spartanus, ductor mercede conductus, ex Græciâ venit, summâ vi Romanos deuicerunt Carthaginienses, numerosumque exercitum trucidârunt. Exinde nauales fiebant pugnæ, multumque nauigiorum & virorum interibat Romanis: ita vt numerus pessumdatorum ad cccIↃↃↃ se extenderet. * Gloria, quam priùs obtinebat, multiplicem ignominiam & turpitudinem mutauit: suisque casibus alios edocuit, vt in summâ potestate modestiam colant. & quod maximum, quorum infelicitati superbè insultauit, horum ludibria & potestatem ferre coactus est: cùm sibi veniam & condonatam alioqui profligatis misericordiam ipse præcidisset. * Qui enim ex solido erant victores, hos in solidum deuictos reddidit: & qui à clade, qua succubuerant, exitium iam exspectabant, hos vt despicatui haberent hostes, victoriæ magnitudine effecit. * Nihil hic admirandi, si imperatoris prudentia & in rebus experientia, quæ impossibilia videbantur, superauit. Cuncta enim ingenio & solertiæ peruia & ad exsequendum possibilia, arte in omnibus vires subigente. * Quemadmodum enim corpus animæ seruum est:

itâ magni exercitus ducum prudentiæ ſubiecti ſunt. * Omnia ad vtilitatem dirigente Senatu. * Philiſtus tunc hiſtoriam ſcripſit. * ¶ 1. Romani autẽ, qui in Africam traiecerant, & cum nauibus Carthaginienſibus depugnârant, victoreſque XXIV Pœnorum nauibus potiti fuerant, aſſumptis, qui è terreſtri prælio ſuperſtitârant Romanis, cùm in Siciliam tranſmiſiſſent, ab ipsâ Camarinâ in diſcrimen venerunt, nauesq; longas CCCXL, hippagines præterea, aliaq; nauigia CCC perdiderunt, ita vt à Camarinâ Pachynum vſq; cadauera hominum & brutorum, fractarumq; nauium reliquiæ, iacerent. Qui euaſerant, eos Hiero benignè ſuſcepit, ac veſtibus, cibo & reliquis neceſſariis recreatos Meſſenem vſque ſaluos & incolumes deduxit. Carthalo autem Carthaginienſis poſt Romanorum naufragium Agrigentum obſidione cinctum ſubegit, oppidumq; incendit, & mœnia deſtruxit. ſuperſtites autem in Olympium perfugerunt, Romani verò aliâ poſt naufragium claſſe exſtructâ, cum CCL nauibus ad Cephalœdium profecti, proditione illud capiunt. Hinc Drepanum aggreſſi, tentatâ obſidione, quòd ſuppetias illi ferebat Carthalo, excidunt. Et Panormum deferuntur. Ibi iactis in portu ancoris, prope muros, expoſitoque milite, vallo foſſaque vrbem circumdant. quia enim regio ad portas vſq; arbores ferebat, à mari ad mare aggeres foſsâ & vallo obducebantur. Hinc Romani continuâ oppugnatione, & machinarum vſu, murum deiecerunt, & vrbe exteriore potiti multos interimere. Cæteri in antiquam vrbem refugere, miſſisq; caduceatoribus ad Conſules vitæ incolumitatem petebant. qui ſtipulatione factâ, vt vicenarum in caput minarum penſione facta liberi forent. vrbem Romani occuparunt. & XIV ſanè millia pro precio conceſſa, ſi quis argentum inueniſſet, & dimiſſa. reliquos numero CCIↃↃ L, cæteraque impedimenta cum ſpoliis diſtraxerunt. At Ietini, eiecto Pœnorum præſidio, vrbem Romanis tradiderunt. eundem ad modum fecerunt etiam Soluntini, Petrini, Enaterini & Tyndaritæ. Tum conſules relictâ Panormi cuſtodiâ, Meſſenem abiêre. ¶ 2. Anno verò inſequente, Romani alterâ in Libyam nauigatione inſtitutâ, cùm ſoluere eos non paterentur Carthaginienſes, ad Panormum reuertuntur. inde Romam diſceſſuri, iterum tempeſtate obortâ, naufragium patiuntur, & CL naues amittũt;

cum cætero hippaginum & spoliorum apparatu. Sub hæc, dum portæ Thermarum præfectus, ob necessaria negocia peregrè abest, à Romanorum exercitu comprehenditur, & per internuncium cum imperatore agit, si dimiserit ipsum, noctu ciuitatis portam se illi aperturum. Is tempus certum pactus hominem abire sinit, & mille viros noctu illuc mittit qui anticipato tempore veniunt. Ad præfinitam igitur horam ille portam reserat, eamque præcipui ac nobiles ingressi, portæ custodi iniungunt, vt occludat, nec alium quemque introire sinat: quòd soli diuitias ciuitatis auferre cuperent. at hi omnes concisi, dignam cupiditate suâ mortem oppetiêre. Alio dehinc tempore Thermas & Liparam Romani in ditionem acceperunt. Cùm verò Erctam castellum XL millibus peditum & mille equitibus obsedissent, nihil effecere. * Asdrubal autem Carthaginiensium prætor, malè audiens apud suos, quòd non pugnaret: cum toto exercitu digressus, per Selinuntiæ terræ difficultates ad Panormum peruenit, vicinoque amne superato, circa muros castra posuit, nec vallo nec fossâ adornata, propter hostis contemtum. Et tum denuò mercatoribus magnam vini copiam aduehentibus, Celtæ se ingurgitant. dumque vociferatu & ordinis confusione omnia replent, Cæcilius consul in eos irruens extremè profligatos vincit, & LX elephantes in potestatem redactos Romam mittit. Vnde admiratio subiit Romanos.

EX LIBRO XXIV.

ECLOGA I.

SElinuntiorum vrbis à se euersæ ciues Lilybæum transtulerant Carthaginienses; Romani autem longis nauibus CCXL, & cercuris LX, omnique nauigiorum genere ad Panormum deuehuntur, & hinc ad Lilybæum, quam obsidere cœperunt. Terram equidem à mari ad mare fossa præmuniunt, tum catapultas, arietes & testudines congestioni idoneas aliasque fabricant. Ostium verò portus, cum quindecim cercuros lapidibus refersissent, per aggestionem explent. Vniuersa Romanorum turba erat CCCIↃↃↃ & CCIↃↃ Oppugnationi verò destinati sexagies mille pedites, septingenti equites. Obsessis autem suppetiæ venerunt à Carthagine CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ virûm, atque frumentum. vnde animos cum Adherbale resumsere. Tum

Roma-

Romani copiarum in vrbem ingressu cognito, iterum portus ostium aggesserunt, lignisque grandibus & ancoris obuallarunt. At ventus, qui tum vehementius ingruerat, & mare exasperatum omnia dissoluêre. Petrariam quoq; machinam fecerunt Romani. sed intus alium excitarant murum Carthaginienses. Quin & fossam vrbis terra aggesta oppleuêre Romani: cuius latitudo habebat LX cubitos, profunditas XL. consertoque prælio, ad mœnia secundùm mare ex aduerso insidias collocarunt. Iamque multitudine in bellum ad mare euacuatâ, qui ad insidias dispositi erant, interim scalas in promptu habentes adscendunt, primumque murum capiunt. Quo audito, Carthaginiensium ductor, impetu in eos facto, decem millia vno in loco occidit, cæterosque in fugam compulit. omnia insuper Rom. instrumenta, testudines, arietes, petrarias, chostrides, magno incumbente flatu, exusserunt. Hinc vbi Carthaginienses viderunt, nihil sibi equites suos prodesse in locorum angustiis, Drepanon illos amandarunt. multumq; auxilii tum Carthaginiensibus accessit. At Romani per instrumentorum incensionem, commeatusque penuriam & pestiferam luem, in difficultates coniecti, (soli enim Romani carnibus vescebantur & socii) in morbum inciderunt, adeò, vt intra pauxillum dierum cc I ↄↄ exstinguerentur. quo factum, vt abrumpendæ obsidionis percupidi essent. At Hiero Syracusæ rex magnam frumenti copiam mittens, animos illis ad continuandam obsidionem iterum accendit. ¶ I. Exinde Romani alium consuli surrogantes, imperium (militare) Claudio Consuli tradiderunt, Appii filio, qui copiis assumptis portum denuò obstruxit, vt ab antecessoribus factum. sed mare iterum omnia disiecit. Porrò Claudius magnopere sese efferens, CCX naues omnium optimas instruxit, & Drepanon aduersus Carthaginienses, vt cum eis dimicaret, appulit, victusque CXVII naues, & ccIↄↄ ccIↄↄ virorũ amisit. Tã validam in mari pugnã, illustremq; victoriã nec Carthag. nec quibusuis aliis circa hæc tempora contigisse, facilè quis deprehendet. Et ꝙ præcipuè mirandũ, quãuis in tanto periculo Carth. versarẽtur, & XC tantùm naues haberent, non solùm nemo occubuit, sed etiã pauci vulnerati sunt. Post hæc Annibal trierarchã cũ XXX nauib. Panormũ misit; quæ forũ annonæ; Rom. interceptũ Drepanon abstulerunt: & de reliquo foro, quæ vsui sibi forẽt

acceptis, Lilybæum remeârunt, omnique bonorum genere obſeſſos cumulauêre. Venerat iam Carthagine etiam Carthalo prætor, cùm LXX nauibus longis, & totidem frumentariis. qui cùm & ipſe Romanos inuaderet, naues aliquot demerſit, & de ſtationem habentibus quatuor ad terram abſtraxit. Poſtquam verò audiuiſſet claſſem Romanam Syracuſis ſoluiſſe, collegis in ſententiam adductis, CCXX nauibus optimis contra illos euehitur. Iamque in mutuum claſſis vtraque conſpectum venerat, circa littus Geloum: cùm Romani timore perculſi, ad Phintiadem reflexerunt, nauibus, quæ commeatum portabant, aliiſque, poſt ſe relictis. Cùm verò nihilominus in eos proueherentur Carthaginienſes, acre certamen oritur. Tandem Pœni de magnis nauibus quinquaginta depreſſerunt: de longis in profundum egêre LX. confregerunt autem inutileſque reddiderunt XIII. Poſthæc ad Alycum flumen digreſſi Carthaginienſes ſaucios refecerunt. ¶ 2. Interea Iunius conſul nihil horum compertum habens ex Meſſene prouehitur XXXVI nauibus longis, onerariiſque non paucis. & Pachynum prætergreſſus atque in Phintiadis portum delatus, ob ea quæ acciderant, expauit. Vbi verò cum omni claſſe in eos tendebant Carthag. territatus conſul, tredecim illas inutiles incendit, & ad Syracuſas vela facit, tutũ ab Hierone receptũ ſibi datũ iri ſperans. ſed deprehenſus iuxta Camarinã in terrã confugit, ad loca aſpera vadoſaq;. Ibi cũ flatus inſurgeret violẽtus, circumito Pachyno in tranquillo ancoras iecêre Cùm itaque in magnum veniſſent diſcrimen Romani, cunctas naues annotinas perdiderunt, & centum ac quinque longas itidem, vt vix duæ reſtarent integræ; & vectores plerique interirent. Iunius itaque acceptis illis duabus cum viris adhuc ſaluis, in caſtra ad Lilybæum ſe recepit. Is noctu Erycem adortus occupauit, & Ægothallum muro cinxit; quem nunc Acellum vocant, Iɔ CCC militibus ad caſtellum relictis. Carthalo autẽ, vbi loca circa Erycem iam teneri ab hoſte reſciuit, noctu vim militum nauibus illuc deportat, præſidiumq; Ægothalli adortus caſtello potitur, factuſq; ſuperior, alios interimit, alios ad Erycem fugat, munitionem verò iſtã tria armatorum millia cuſtodiebant. In primo autem conflictu nauali Romanorũ occubuêre ccIɔɔ ccIɔɔ ccIɔɔ Iɔɔ; nec minor captiuorum erat numerus.

In Catanæ regione castellum erat, nomine Italium, quod Barcas Carthaginiensis oppugnatum. * Nam consilia & strategemata (*castrameta*) ducum, amicis didita, innotescunt hostibus per transfugas, & in militibus timiditatem parientia, magni periculi exspectationem important. Barcas autem noctu appulsus, expositis copiis, ipse adscensus ad Erycem (qui x x x stadiorum est) princeps, vrbem occupat, omnesque occidit: superstites autem Drepana transmigrare fecit. * In omni tempore & negocio vsu venire solet, vt ordinis boni obseruatio magnorum bonorum sit effectrix.*

Calatinus autem consul longis nauibus trecentis, aliisque nauigiis & pontonibus IↃ cc (quæ simul iuncta mille efficiebant) in Siciliam, transmisit, & ad Erycenorum emporium naues applicauit. Hanno etiam ex Carthagine CCL longis nauibus & onerariis in sacram insulam traiecit. vnde ad Erycem defertur. Ibi occurrentibus Romanis, vtrinque ingens exsistit prælium: in quo Carthaginienses CXVII naues amiserunt, & inter has, x x cum ipsis viris. Romani verò LXXX acceperunt, XXX ad impensas, L ad partitionem; captiuosq; Carthaginienses, vt Philinus refert, IↃↃ CIↃ, vel vt alii IV millia & XL. Aliæ verò naues secundo vento Carthaginem refugerunt. * Nullus enim fortitudinis vsus, cùm pessum eunte nauigio, corpus vbi insistat non habens, à mari hostibus veluti in manus traditur. Bello igitur Romani cũ Carthaginiensibus per XXIV annos continuato, & Lilybæo decennium obsesso, pacem inter se fecerunt.

EX LIBRO XXV.

ECLOGA I.

EPicurus philosophus, in libro quem *ratas opiniones* inscribit, vitam cum iustitiâ coniunctam perturbatione vacare pronunciat: iniustam verò perturbatione quàm plurimâ refertam esse: Breui dicto multum veræ sententiæ, & vt summatim dicatur, id quod hominum improbitatem probè corrigere queat, complexus. Iniustitia enim, metropolis omnium malorum, non infimæ tantùm conditionis hominibus, sed semel vt comprehendamus omnia, etiam gentibus, & ciuitatum populis & regibus, maximas producit calamitates. Commilitio enim Carthag. adscripti erant Hispani, Galli, Baleares, Afri, Pœni, Ligures, & serui altero

parente Græci * Qui & rebellarunt.* Tunc ipsâ experientiâ doctrice intelligere fuit, quantò excellentior sit imperatoris solertia quàm imperitia vulgi, & temerarium militis gregarii tyrocinium.* Vsque adeò in imperiis constitutorum magnam habet excellentiam modestia, & nihil supra hominem agere.* Post discessum verò ex Siciliâ mercenarii Carthaginienses contra illos insurrexerunt, ob has causas.*Pro equis in Sicilia mortuis, virisque interfectis, precia modum excedentiã poscebant.** Et bellum inter se gesserunt annos quatuor, menses totidem. Trucidantur verò tandem à Barcâ prætore: qui etiam in Siciliâ aduersum Romanos fortiter militârat.

II. Amilcar verò Carthaginiensium præturam gerens, breui ad incrementa patriam perduxit, adeò vt ad columnas Herculis, Gadesque classe prouectus sit. Colonia hæc Phœnicum est, in extremis orbis finibus ad ipsum Oceanum iacens ac portum habet. Cumque bello Iberos & Tartessios cum Istolatio duce Celtarum ac fratre ipsius, domuisset, omnes cæcidit: & inter hos duos illos fratres, cum aliis ducibus nobilissimis & tria millia quos viuos ceperat, ordinibus suorum accenturiauit. Indortes autem quinquaginta millibus denuò contractis, ante pugnam in fugam conuersus, in editum quendam locum se recepit. vbi circumsessus ab Amilcare noctu iterum fugit, & maxima copiarum pars cæditur. ipse dehinc Indortes viuus in hostium manus deuenit. Quem luminibus Amilcar orbat, & corpus ludibriosè tractatum in crucem agit. alios verò captiuos supra x millia dimittit, multasque vrbes persuasione sibi adiungit; multos etiam debellat. Tum Asdrubal gener Amilcaris, à socero Carthaginem missus ad bellum Numidarum, qui Carthaginensibus rebellabant, IIX millia deleuit; cIↃ cIↃ cepit; reliqui sub iugum seruitutis redacti, vt vectigal penderent. Interim Amilcar in Hispaniâ multis subactis ciuitatibus, oppidum condidit maximum, quod à situ loci appellauit Acram Leucam, hoc est, *candidam arcem*. Tum Helicem vrbem Amilcar obsessam cùm oppugnaret, maiore exercitus parte & elephantis ad hybernandum in vrbe à se conditâ, Arce candidâ amandatis, cum reliquis ibi permansit. Cùm autẽ Orisso rex obsidione pressis ferret suppetias, (doloso tamen amicitiæ prætextu, ac si Amilcari subueniens illos inuaderet)

in fugam Amilcarem vertit. quâ acceptâ filiis & amicis salu-
tē procurauit: ipse autem per aliam viam deflexit. dumq; rex
eum persequitur, in flumen ingressus magnum cum equo,
ab hoc excussus sub vndis periit. Hannibal autem & Asdru-
bal, eius filii in Arcem candidam salui peruenêre. * Amilcar
itaq; licèt multis ante nostram ætatem annis obierit, ab hi-
storiâ laudem suam tanquam Epitaphion reportet. Asdru-
bal verò Amilcaris gener, clade soceri cognitâ promotis re-
pentè castris, ad candidam Arcem peruenit, habens plusquā
centum elephantes. Is imperator ab exercitu & Carthag. re-
nunciatus, quinquaginta peditum millia vsu exercitatorum
deligit, belloq; primùm Orisson regem frangit: deinde cun-
ctos fugæ Amilcaris auctores trucidat, vrbesq; illorum in
potestatem accipit, numero XII & cunctas deniq; Hispaniæ
ciuitates. Cumq; nouo inito matrimonio vxorē haberet re-
gis Hispanorum filiam, ab Hispanis vniuersis imperator cū
plenâ potestate appellatur. Exinde vrbem maritimā condit:
q̄ Carthag. appellauit: & præter hanc deinde alteram, Amil-
carem ipsum potentiâ supergredi volens. In exercitu suo du-
xit IↃↃↃ peditum IↃↃ cIↃ cIↃ cIↃ equitū, & cc elephan-
tes. Tādē ministri familiaris exceptus insidiis iugulatur, præ-
turâ IX an. gestâ.

I. Celtæ cum Gallis bello aduersum Ro-
manos conflato, exercitum ducentorum millium coëgerunt.
primaq; pugnâ victores abiêre. secundo etiā conflictu inito,
vicerunt, vbi alter Rom. Consul interēptus. Quin & Rom.
sub signis habebant IↃↃↃ peditum, & IↃↃ cIↃ cIↃ equitū. Ro-
mani tamen licèt duobus succubuissent præliis, tertio victo-
riam insignem retulerunt XL millibus interfectis, reliquisq;
captis. ** Ita vt & maximus illorum rex iugulum sibi præci-
deret; sed alterum in potestatem suam redigeret viuum. Hoc
tam insigni strenuitatis edito exemplo, consul factus Æmi-
lius, Gallorum & Celtarum regiones depopulatur, multasq;
vrbes & castella capit. Atq; ita multis Romā emolumentis
refercit.

V. Hiero Syracusæ rex vt ad bellū Celticū Roma-
nis opitularetur, frumentū misit; cuius precium bello confe-
cto recepit.

V. Cùm post cædem Asdrubalis Carthaginien-
sis prætura destituta esset, milites Amilcaris filium natu ma-
iorem, Annibalē, sibi ducem per suffragia creauerunt. * Dūq;
Saguntinorū vrbs ab Annibale obsidetur, ciues sacra in vnū
conferunt. Auro præterea argentoque (quicquid eius in æ-

dibus erat) & mundo fœmineo, vt inauribus & id genus aliis, conflatis, æs & plũbum admiſcent, vt id prorſus inutile fieret. Tandem egreſſi & heroicè præliati, conciduntur vniuerſi; cùm priùs magnam & ipſi ſtragem feciſſent. Matronæ etiam occiſis liberis vapore fornacum ſemetipſas ſuffocârunt. Atq; ita ſine lucro potitus eſt oppido Annibal. Quem ad cauſam de fœdere præuaricato dicendam cùm expetiſſent Romani, nec compotes fierent, bellum, quod Annibalicum dicitur, excitârunt.

EX LIBRO XXVI.

ECLOG. I.

NEc poëta, nec hiſtoricus, nec vllus denique artifex præcepti alicuius rationalis, per omnia lectoribus placere poteſt. Nec fieri poteſt, vt natura mortalis, etiamſi ſcopum attingat, comprobationem omnium ſine vllâ reprehenſione conſequatur. Neque enim Phidias in magnâ habitus admiratione ob imaginum eburnearum fabricationem; neque Praxiteles, qui excellenter lapideis operibus affectiones animi admiſcuit; neque Apelles, neque Parrhaſius; qui ad ſummum coloribus peritè temperatis pictoriam artem prouexerunt; tantam in operibus ſuis felicitatem experti ſunt, vt peritiæ ſuæ effectum omninò inculpabilem exhiberent. Quis enim illuſtrior eſt poëta Homero? & inter rhetores Demoſthene? interque eos, qui probè vitam exegerunt, Ariſtide & Solone? Et tamen ad horum gloriam & facultatis excellentiam acceſſit, quæ carperet, & inſcitiam redargueret, oratio. Quia enim homines erant, tametſi ad excellentiam ſuſceptorum à ſe operum peruenirent, in multis tamen ob imbecillitatem humanam lapſi ſunt. Nam quædam hominum ingenia inuida ſunt, parumque ſapiunt; quæ præclarè effecta prætermittunt: ſed deprauationem & culpationem probabilem recipientibus adhæreſcunt. Inde fit, vt aliorum criminatione ſuam augere peritiam ſtudeant; neſcientes interim, quòd omnis facultas non ex aliorum paſſione, ſed proprio habitu ſpectetur. Admiretur verò quiſpiam huius ſtoliditatis induſtriam, ad mala enitentem: quâ ex aliorum vituperatione ſuam auferre gloriam conantur. * Sunt autem naturæ quædam ſtupiditate ſuâ nocentes, quemadmodum fructus elegantes, pruinæ ac niues vrunt. Enim-

uerò albedinis in niue resplendentiâ hebetatus visus, exactâ contemplatione priuatur: ita mentes hominum quorundam, cùm aliquid memorabile efficere neque velint, neque possint, ab aliis peracta calumniantur. Idcircò rectè sentientes decet, iis qui per industriam suam virtutis metam assequuti sunt, impertiri laudem. si qui verò successus habuerunt rariores, naturæ humanæ infirmitatem non sugillare. At de inuidiæ studiosis iam satis dictum esto.

II. Quemadmodum enim bonus athletes, post multum temporis vnctioni corporis tributum, ad certamen descendit, * magnam experientiam & facultatem sibi comparârunt.

III. Menodotus Corinthius res Græcas descripsit libris XIV. Sosilus verò Iliensis Annibalis facta complexus est libris VII.

IV. Apud Romanos Legio V millia comprehendit.

V. Naturâ homines ad res secundas accurrunt: sed profligatorum sorti cum aliis insultant. * Nam animam, quæ tamen natura immutabilis est, contrariam inducturam esse mutationem.*

VI. Cùm Rhodus à terræ quassatione ingenti ruinam fecisset, Hiero Syracusanus ad instaurationem muri sex argenti talenta donauit. & argenteos lebetes magni precii, præter monetam; nauibus etiam frumentariis immunitatem vectigalium.

VII. Quæ nunc Philippopolis vocatur Thebarum olim Phthioticarum nomine insignis erat.

VIII. Deliciarum enim continuarum & mollis lecti vsus, vnguentorumque omnis generis preciosus apparatus haudquaquam mollem, adsuetamque malorum tolerantiam, resoluerant.* Corpora verò animique in fœmineam luxuriosamque indolem mutata fuerant.* Humana enim natura insuetam laborum exercitationem, victumq; frugalem difficulter admittit: ocium verò luxumque ex æquo persequitur. Annibal enim magnis cum ærumnis & vrbes Romæ & terræ Brutiorum adeptus, deinceps Crotonem quoq; cepit, Rhegium etiam obsessurus. Ab occasu enim exorsus duabus Herculis columnis, omnem Romanorum terram ad Crotonem vsque sibi subiecit.

ECLOGÆ, HOC EST, EXCERPTA EX DIODORI SICVLI Bibliothecæ Libris, qui desiderantur, vt in Bibliotheca Photii Patriarchæ exstant, in Latinum conuersæ

à

LAVRENTIO RHODOMANO

EX LIBRO XXXI.

ECLOGA I.

DVm hæc geruntur, Rhodiorum legati Romam, vt ciuitatis suæ crimina diluerent, venêre. nam in bello cum Perseo fauorem suum ad regem inclinasse, & Romanorum amicitiam prodidisse, videbantur. At cùm nihil eorum, propter quæ legationem susceperunt, expedirent: deiectis erant animis, cumque lacrymis principes ciuitatis compellabant. Sed postquàm Antonius, ex Tribunis plebis vnus, in Senatum eos introduxerat, primus de legationis negocio verba faciebat Philophron. & post hunc Astymedes. Cùm multa ad exorandum & deprecandum apta disseruissent, & ad extremum cygneam, quod prouerbio dicitur, edidissent cantionem, vix responsum acceperunt. quo metu quidem omni exsoluti; acerbis tamen probris, ob crimina ingesta, multati sunt. Iccircò videre est apud Romanos de gloriâ inter se certare viros illustrissimos, per quos propè maxima quæque populo rectè administrantur. In aliis enim rebus publicis alius alium inuidiâ prosequitur: Romani verò se mutuò laudant. vnde fit, vt hi, dum publicum commodum augere certant, res gerant pulcerrimas: alii verò, dum iniquè

què gloriam appetunt, & alter alterius cœptis officit, detri-
mentum patriæ concilient.

Perſeum Macedoniæ regem vltimum, qui ſæpe cum Ro-
manis amicitiam coluerat, ſæpe etiam magno cum exercitu
bellum illis fecerat; tandem Æmilius bello fractum cepit,
& illuſtrem à victoria triumphum egit. Perſeus autem tam-
etſi tantas in calamitates præcipitatus erat, vt clades, quibus
affectus erat fabulis rerum nunquam geſtarum ſimiles vi-
derentur: tamen vitâ cedere nolebat. nam priuſquàm Se-
natus, quid perpetiendum illi foret, conſtituiſſet, vnus ex
prætoribus vrbanis in carcerem Albanum, vnà cum liberis,
hominem compegit. Eſt autem hic carcer profundè effoſ-
ſus ſub terra ſpecus, magnitudine cœnaculi, decem lecto-
rum capacis, vt maximè; caligine ac fœtore oppletus, pro-
pter hominum, qui huc, ob crimina capitalia damnati, de-
truduntur, multitudinem: quorum maior pars illis tempo-
ribus hic coercebatur. Nam multis in loco tam anguſto
concluſis, corpora miſerorum naturam beluinam induc-
bant. & cùm alimenta, omniaque ad cæteros vſus pertinen-
tia, in vnum commiſcerentur, factum eſt, vt tantus inde
fœtor exſpiraret, vt accedentium nemo facile ſufferre poſ-
ſet. Ad ſeptem itaque dies in conditione hic afflictiſſima
perdurauit, vt extremorum etiam hominum qui cibis di-
menſis veſcerentur, auxilium imploraret. hi enim ex com-
miſeratione partem iſtorum humaniter miſello impertiue-
runt lacrumantes. Quin & gladium, quo ſeſe interficeret, &
„ reſtim, quâ gulam frangeret, obiecêre; conceſsâ poteſtate,
„ vt pro arbitratu illis vteretur. verùm nihil tam dulce calami-
toſis videtur, quàm vitâ diutius frui, tametſi morte digna
patiantur. Denique in extremis his anguſtiis vitam finiiſſet,
niſi Marcus Æmilius, curiæ præſidens, ad illius dignita-
tem, & æquitatem patriæ ſuæ, reſpectum habens, cum in-
„ dignatione Senatum admonuiſſet. ſi humanum non cura-
„ rent metum, at Nemeſin, quæ inſolenter abutentes poteſta-
„ te inceſſit, reuererentur. Quamobrem in mitiorem tradi-
tus cuſtodiam, dum nouis ſubinde ſpebus inhæreſcit, ſi-
milem priſtinis gladibus vitæ exitum habuit. Biennio e-
nim in hac vitæ cupiditate exacto, cùm barbaros cuſto-
des offendiſſet, ſomno frui prohibitus ab illis, viuere
deſiit.

Cappadociæ reges, ad Cyrum Persarum dominatorem se genus referre dicunt. Ab vno præterea Persarum illorum qui Magum è medio sustulerunt, oriundos se, confirmant. Et cognationis à Cyro deductæ seriem ita enumerant. Cambysæ patris Cyri germanã fuisse Atossam. ex hac & Pharnace Cappadociæ rege natũ esse Gallũ: vnde Smerdis; ex quo Artames; & ex hoc Anaphas; quem ob fortitudinem Cappadociæ principatu decessisse, aiunt, ne tributa Persis solueret. Hoc defuncto eiusdem nominis filius imperat. post huius verò obitum relictis duobus filiis, Datame & Arimnæo, imperium excepisse Datamen, virum & bello & aliis imperii partibus laudatissimum. qui pugnâ cum Persis commissâ, cùm egregiè prælio decertasset, in acie occubuit. Successit autem in regno filius Ariamnes. quo nati Ariarathes & Holophernes. Is cùm annos quinquaginta principatu functus, nullum memoriâ dignum facinus patrasset, moritur; & natu maior filiorum Ariarathes imperium suscepit. qui eximio fratrem amore complexus, per omnes honorum gradus ad splendidissimas eum dignitates prouexisse memoratur. Persis etiam contra Ægyptios profectis socia arma iunxit; & honoribus amplissimis, quos Ochus Persarum rex fortitudinis causâ impertiuerat, auctus rediit, vitamq; in patriâ reliquit; filiis Ariarathe & Arysa relictis. Frater autem, qui & ipse Cappadociæ imperium tenuit, cùm genuinâ sobole careret, Ariarathem grandiorem natu ex fratre nepotem, adoptat. ¶ I. Circa hæc tempora Alexander Macedo Persarum opes bello frangit: pòst etiam viuendi finem fecit. Perdiccas autem, rerum summæ præfectus, Eumenem Cappadociæ imperatorem mittit. Tum debellato Ariarathe inque pugnâ cæso; & Cappadocia ipsa, & finitima Macedonibus subiiciuntur. Ariarathes verò, prioris regis filius, omissâ in præsens spe (regni) cum paucis in Armeniam discedit. Nec multo tempore pòst, Eumene ac Perdiccâ defunctis, Antigonoque & Seleuco districtis, copiis ab Ardoato, rege Armeniorum, acceptis, ductorem Macedonum Amyntam interfecit, subitóq; Macedones è regione expulit, atque ita regnum gentile recuperauit. Tres huic filii erant; quorum ætate maximus Ariamnes regnum accepit. Is affinitate cum Antiocho, quem deum nominant contractâ, filiam huius Stratonicen Ariarathæ, ex filiis natu maiori matrimonio

nio

nio coniunxit. & quia liberorum amantissimus erat, diademà nato imposuit, omnesque regni honores, vt æquali fema cum potestate imperaret, cum illo communicauit. Patre autem viuis exemto, Ariarathes solus regnat. & vitam cum morte commutans, regnum filio Ariarathæ, tenerrimæ adhuc ætatis relinquit. Is filiam Antiochi, (quem magnum vocant) Antiochidem nomine, astutia excellentem, in matrimonium accepit. Hæc cùm liberis careret, duos marito inscio, pueros supposuit, Ariarathem & Holophernen. sed aliquantò pòst, naturâ semẽ receptante, præter spem duas filias peperit vnũq; filium, nomine Mithridatem. Exinde cùm de subiectitiis virum edocuisset, vt ætate prior cum mediocri sumptu Romam ablegaretur, effecit; posterior verò in Ioniam: ne litem de regno mouerent genuino. Hunc autem, vbi virilem ætatem attigit, etiam Ariarathem nominatum perhibent, disciplinisq; Græcis imbutum, cæterisq; insuper virtutibus laudem promeruisse. Cæterùm pater vt filio, qui genitorem mirificè amabat, vicem amoris redderet, impense cupiebat. & eo vsq; mutuæ beneuolentiæ studium illis progressum est, vt parens toto Imperio cedere filio certârit. ille autem fieri non posse, vt à parentibus adhuc viuis tantũ beneficium acciperet, demonstrârit. Is ergo, cùm fato parens concessisset, in regno successit, cùm cætera vitæ conformatione laudabilem se exhibens, tum Philosophiæ studiis animũ intendens; vnde factum, vt ignota Græcis Cappadocia tunc eruditis aptissimam vitæ stationem præberet. Hic etiam amicitiæ & societatis fœdus cum Romanis renouauit. Atqui narratio de generis illorum, qui huc vsq; in Cappadociâ regnârunt, reductione ad Cyrum in hisce iam subsistat.

IV. Romanorum enim, qui generis nobilitate & gloriâ maiorum præstant, simulacra finguntur, ad lineamentorum similitudinem, totamque corporis circumscriptionem. Habent enim per omnem vitam, qui ingressum obseruẽt, & formæ in oculos incurrentis proprietates singulas imitentur. Eodem modo progenitorum vnusquisque antecedit tali habitu & ornatu, vt qui intuentur, per euidentem illorum repræsentationem cognoscant, ad quos honoris gradus singuli euecti fuerint, & quantum de reipublicæ bonis & ornamentis participârint.

V. Memmius prætor cum exercitu in Hispaniam mis-

ſus erat. At Luſitani in ipſum conuerſi,cùm imparatũ à recẽti nauim appulſu offendiſſent, & pugnã vicerunt,& maximam exercitus partem interemêre. Diuulgato igitur paſſim hoc Iberorum ſucceſſu felice, Luſitani Iberis ſe longè præſtantiores eſſe opinati; hoſtes contempſêre:& multitudo,quæ ad concionem publicam confluxerat,hanc ob cauſam maximè, bellum contra Romanos ſuſcepit.

EX LIBRO XXXII.

ALEXANDER à pugnâ quingentis comitatus fugam intendit vrbem Arabiæ verſus quam Abas vocant, ad principem Dioclem: apud quem etiam filium Antiochum, teneræ adhuc ætatis, priùs depoſuerat. poſtea duces Heliadæ adiuncti,qui cum Alexandro erant, clancularias de munere ſuo imperatorio legationes miſerunt,doloſè Alexandrũ occiſuros promittentes. Quorum petitioni cùm locum dediſſet Demetrius,non proditores tantùm, ſed interfectores etiam,regis facti ſunt. Indignũ verò eſſet,ſi, quod ante vitæ Alexandri finem euenit(ſed propter inſolentiam fortè non creditur)ſilentio præteriremus,Alexandro enim rege,paullò antequàm inſtarent hæc tempora, conſulenti oraculum in Ciliciâ, vbi Sarpedonii Apollinis templum eſſe dicunt; deũ reſpondiſſe fertur, vt à loco ſibi caueret qui geminæ formæ deum protuliſſet. Et tunc quidem reſponſum diuinum pro ænigmate habitum: ſed poſtea exſtincto rege,veritatem cognitam fuiſſe, hoc modo. In Arabiæ vrbe, quæ Abæ vocatur,quidam Diophantus nomine habitabat,natione Macedo.is ductâ ex indigenis Arabicâ vxore,filium ſibi cognominem procreauit; & filiam Heraidem appellatam. Filium quidem ante maturum ætatis vigorem exſtinctum vidit; filiam autem,idoneam matrimonio ætatem cùm attigiſſet, dotatam collocauit viro cuidam, cui nomen Samiades. Hic vbi annum cum nupta vixiſſet, longinquam peregrinationem ſuſcepit. interea in morbum admirabilem,& omni fide maiorem, incidiſſe Heraidem ferũt. nam inflammationem cum tumore vehementem circa imum eius ventrem exſtitiſſe,magiſque ac magis intumeſcente loco, cùm exinde ad malum hoc magnæ febres acceſſiſſent,exulcerationem circa matricis collum factam eſſe, medicos exiſtimaſſe. Adhibitis igitur medicamentis, quibus tumores illos ardentes ſe repreſſuros putabant,cùm iam ſeptima dies eſſet, ruptâ ſuperficie

ECLOG. I.

ficie virile inguen cum adiunctis teſticulis ex pudendis Heraidis procidiſſe. Diruptionem verò iſtam cum affectione coniunctâ accidiſſe, neque medico, neq; alio extraneorum præſente, ſed matre tantùm & duabus miniſtris. tunc quidem ſtupore correptos & ob rei inſolentiam obmutuiſſe; Heraidis tamen curam pro facultate agentes ſubticuiſſe euentum illamque à morbo liberatam muliebrem adhuc veſtitum geſtaſſe, cæterumque vitæ domeſticæ viroq; ſubiectæ morem retinuiſſe. conſciis tamen huius euentus ſuſpicionem obortam, Hermaphroditum, hoc eſt, miſtum ex fœminâ & mare hominem eſſe. atque ita in priore vitæ conſuetudine cum viro, licèt naturalis coniunctio repugnaret, maſculinis tamen complexibus familiariter ſe accommodaſſe, viſam.

¶ I. Interea dum extraneos hæc conditio latet, Samiaden rediiſſe, & vt congruebat vxorem requiſiuiſſe. at quia illa in conſpectum prodire verecundiæ cauſa non audebat, grauiter tuliſſe Samiaden. Dumque inſtat continenter, & coniugem expetit, parens verò non concedit, & tamen cauſam exponere veretur: diſſidium magnoperè augeſcit. idcircò litem in iudicio patri de vxore ſuâ intendit, fortunâ mirabilem hunc cáſum, vt in fabularum actionibus fit, in crimen vocante. In Iudicium ergo conſeſſu, habitis vltro citroque orationibus, interfuit iudicio etiam corpus, de quo diſceptabatur. Hic iudices dubitant vtrum viro in vxorem, an patri in filiam maior poteſtas conueniat. Tandem vbi iudices oportere cenſebant, vt vxor virum ſequeretur: veritatem manifeſtauit; & fidente animo adſimulatam hactenus veſtem ſoluens, virilitatem ſexus cunctis monſtrauit, cum ſtomacho etiam in hanc vocem erupit. Num aliqui virum viro nubere cogant? Tunc obſtupefactis omnibus, ac voce admirabundâ rei nouitatem ſignificantibus, Heraidem pudore detecto, aliter veſtitam, muliebrem ornatum in iuuenis habitum mutaſſe, perhibent. Et medicos, cùm viſa ipſis quoque exhiberentur, cognouiſſe, quòd natura maris in fœmineæ naturæ loco, formam oui referente, abſcondita latuiſſet, & quòd in pelliculâ naturæ circumuolutâ, præter morem foramen extitiſſet, per quod ſuperflua exiuerint. Ideo locum prius fiſtulæ inſtar excauatum, poſt factam exulcerationem cicatrice obducendum eſſe, naturâque virili in decorem ſuum reſtitutâ, debitâ vtendum curatione, ſtatuiſſe. Poſt-

ea Heraidem, Diophanti nomine assumpto, in equitum ordines allectam. & postquàm in acie cum rege stetisset, Abas se vnà recepisse. Idcircò etiam oraculi sensum priùs non intellectum, tunc fuisse deprehensum: cùm rex Abas comperisset, quo in loco biformis ille natus erat. Samiaden tandem memorant, amore & pristinâ consuetudine victum, pudore insuper matrimonii à naturâ abhorrentis subactum, bona sua Diophanto, vt hæredi; testamento legasse; se autem abdicasse vita. Ita eam, quæ mulier fuerat, audaciam viri gloriamque obtinuisse: virum autem imbecillitate animi muliere deteriorem abiisse. ¶ 2 Similis huic euentui; casus, xxx annis pòst, in Epidauriorum vrbe, contigit. Epidauria quædam erat, vt habebatur quidem, puella, parentibus orba, cui nomen Callo. hæc meatum à naturâ mulieribus designatum sine foramine habebat; iuxta ipsum verò pectinem, vti vocant, qui locus erat instar fistulæ peruius, à primo ortu, superfluos per illum humores excernebat. ad maturam verò ætatem progressa, ciui cuidam tradita fuit in matrimonium. biennium itaque cum marito familiariter vixit, ita quidem vt fœminei complexus capax non esset, sed coitum præter naturam sustinere cogeretur. postea verò phlegmone circa pectinem oritur; ad quam horrendi cruciatus accedunt. Idcirco medicorum conuocatur multitudo: & aliorum quidem nemo curationis spem facit: sed pharmacopola quidam sanationem promittens, locum tumore elatum incidit, vnde viri pudendum, testiculi & virga, sed imperforata excidit. Ibi cùm omnes rem insolitam cum stupore demirarentur, restantibus particulis contra defectum auxiliatur. Initio extrema veretri incisa ad vreterem (hoc est, vrinæ meatum) vsq; terebrauit, & argenteum immittens cauliculum, per hunc redundantes humiditates eduxit. sed locum, qui ad fistulæ modum perforatus erat, exhulcerauit priùs, & tunc demum consolidauit. Cùm hunc ergo ad modum sanitatem illi tribuisset, geminam mercedem expetebat ægrotam enim mulierem se accepisse, & sanum adolescentem nunc præsentare, dixit. Callo ergo telæ radios aliasque fœminarum tractationes deposuit; Et assumpto viri amictu cæteroq; habitu, Callon, vno ad finem elemento, N videlicet adiecto, nominata fuit. Memoratur à quibusdã q̃ ante transformationẽ in virũ sacerdos Cereris fuerit, & quia viris nõ videnda

denda conſpexiſſet, religionis profanatæ iudicium adierit.

¶ 3. Conſimili modo Neapoli, aliiſque in locis, plures id genus caſus extitiſſe narrant; non quòd maris fœminæque ſexus in duplicis formæ locum per naturæ fabricationem tranſierit: (hoc enim fieri non poteſt) ſed quòd natura corporis membra falsò deſcripſerit, ad ſtuporem hominum & deceptionem. Proinde nos hoſce euentus, qui literis ac memoria proderentur, dignos iudicauimus, non voluptatis, ſed vtilitatis ad lectores rediturę, cauſa. Multi enim cùm talia pro monſtris habeant, ſuperſtitione obligantur; nec verò priuati duntaxat homines, ſed etiam nationes & ciuitates. Sub initium equidem belli Marſici, propè Romam Italicum quendam habitaſſe perhibent; qui cùm Androgynum, ſupra memoratis ſimilem, in matrimonium accepiſſet, Senatui id renunciauit. qui ſuperſtitione captus, & ab haruſpicibus Tuſcis perſuaſus, viuum cremari iuſſit. Hunc igitur, quòd ob ſimilem participationem ſexus in monſtrum (non verè tamē) degeneraſſet, ex ignorantiâ morbi, ſecus quàm decebat, exitio multatum perhibent. Nec multò pòſt cùm apud Athenienſes etiam ſimile quiddam accidiſſet, quòd affectionem hāc non intelligerent, viuum, aiunt, hominem fuiſſe combuſtum. Nam Hyænas ſic dictas mares ſimul & fœminas eſſe, alterniſque ſe annis inire, nonnulli fabulantur: cùm res ita non habeat. Licèt enim vterque ſexus ſimplicem & impermiſtam habeat naturam, per falſam tamen deſcriptionem accidit, quod temerè ſpectantibus imponit. Fœmellæ enim in ſuâ naturâ adiunctum eſt quiddam virili membro aſſimile; & maſculo contrà quod fœminei ſexus inſtar habet. Eadem ratio in cunctis animantibus locum habet, dum reuera naſcuntur multa variique generis prodigia, ſed non aluntur, nec ad perfectum ſui incrementum progredi poſſunt. Hæc ad corrigendam ſuperſtitionem dicta ſunto.

I Mœnia Carthaginenſium XL cubitorum altitudinem, & XXII latitudinem habere, aiunt. Sed tamen licèt ita ſeſe haberent, machinæ Romanorum, ſtrenuaque in bello facinora præſtantiora munimentis illorum viſa ſunt, vrbsque capta & ſolo æquata fuit.

II. Manaſſes (Latinis Maſiniſſa) qui inter Afros regnauit, & amicitiam cum Romanis perpetuò coluit, XC annos in vigore ætatem exegit, filioſque decem è vita excedens re-

liquit,quos & Romanorum tutelæ commisit. Erat autem corporis firmitate præstans,& à puero ad fortitudinem & labores adsuefactus. in quibus institerat vestigiis, in his totũ diem immotus permanebat. sedens ad noctem vsque non surgebat,totum in laborum exercitationes diem consumẽs. Equo semel conscenso,etiamsi diem ac noctem continenter equitaret,tamen non defatigabatur. Bonæ valetudinis ac roboris maximum id signum fuit,quòd XC propè annos natus filium habuit quadrimum,corporis viribus excellentem. In agrorum etiam culturâ tam eximiam collocauit operam, vt vnicuique filio agrum relinqueret CIↃↃ plethrorum,omni instrumento exornatum. LX denique annos præclarè regnum administrauit.

IV. Nicomedes parentem suum Prusiam, armis profligatum,cùm in templum Iouis perfugisset,necauit,regnumque Bithyniæ nefariâ cæde acquisitum in ditionem accepit.

V. CVM Lusitani satis idoneum initio ducem non haberent,in bello cum Romanis non magno subigebantur negocio.postea Viriathum nacti,magnis Romanos detrimẽtis affecêre. hic ex Lusitanis Oceanum accolentibus erat,à puero inde vsque pastor vitæque montanæ adsuetus, corporis etiam naturam adiutricem habuit. nam robore ac celeritate, membrorumque agilitate cæteris Iberis longè antecelluit. Ita autem se adsuefecerat, vt exiguo nutrimento,& multâ exercitatione, somnoque ad necessitatem solummodò vteretur.ferrea denique arma perpetuò gestando, & cum beluis ac latronibus decertãdo, apud multitudinem celebris euasit,& dux tãdem creatus, subitò prædonum circa se agmẽ congregauit.Magnosque in bellis progressus faciens,nõ ob alias tantùm virtutes in admirationem venit, sed imperatoriis etiam artibus excellere iudicatus est. In spoliorũ præterea distributione iustus erat,& pro merito illos,qui fortiter rẽ gesserant, muneribus extollebat. Ac subinde altiùs prouectus,non latronem ampliùs,sed principem se declarauit. Bella gessit cum Romanis,multisque prælijs victor abiit: adeò vt Vetilium Romanorum ducem,cum ipso debellarit exercitu,captumq; gladio sustulerit,& multa alia feliciter in bello patrârit: donec Fabius belli contra ipsum gerendi designatus esset imperator. Exinde decrescere cœpit. sed recollectis viribus,cùm præclarè contra Fabium rem administrasset,ad

pactiones

pactiones Romano nomine indignas illum adegit. At Cæ-
pio cui ſummum exercitus imperium cōtra Viriathum fue-
rat commiſſum, pacta hæc irrita fecit. & Viriathum ſæpe vi-
ctum, & in extremas cladis anguſtias compulſum, vt iam ad
pacis conditiones reſpiceret, domeſticorum fraude & inſi-
diis circumuentum, interemit: cúmque ſucceſſorē eius Tan-
talum, & copias illi adiunctas, perterruiſſet: vt ad pactiones,
quas ipſe vellet, deſcenderent, effecit; agrum denique & vrbē
habitationi illorum conceſſit.

EX LIBRO XXXIV.

ECLOGA I.

ANtiochus rex Hieroſolyma oppugnabat. Iudæi autem
ad tempus reſiſtebāt: ſed abſumpta omni victus copiâ,
de tranſactione cum eo legatos mittere coacti ſunt. Tum
amicorum ipſius plerique, vt ſummâ vi vrbem expugnaret,
gentemque Iudæorum internecione deleret, conſulebant.
ſolos enim inter omnes nationes à conſuetudine alterius gē-
tis abhorrere, & hoſtium loco habere cunctos. Maiores et-
iam ipſorum ex omni Ægypto fugatos, velut impios & diis
exoſos fuiſſe, demonſtrabant. cùm enim corpora ipſorum vi-
tiligine ac leprâ infecta eſſent, expiādi cauſa, vt homines ne-
farios, congregatos è finibus ſuis expuliſſe. Exterminatos
autem circumſita Hieroſolymis loca occupaſſe, gente Iu-
dæorum in vnum corpus redactâ, odium aduerſus homines
traditione propagaſſe. Ideoque leges prorſus alienas pro-
mulgaſſe, ne menſam cum aliâ natione communem habe-
rent vnquam, neque illi bene cuperent. Antiochus enim co-
gnomento illuſtris, Iudæis bello ſubactis, inacceſſum Dei fa-
num ingreſſus eſt, quo tamen Sacerdoti tantùm penetrare
lege permiſſum erat. in quo cùm viri prolixâ barbâ imaginē
ex lapide reperiſſet, aſello inſidentem, hanc Moſis eſſe iudi-
cauit; qui Hieroſolyma condidit; gentem coagmentauit; ac
mores nefarios, odioq; hominum ſcatentes, lege Iudæis ſan-
ciuit. Ipſe igitur odium in vniuerſas gētes deteſtatus, vt leges
abolerentur, operam dedit. Propterea conditoris imagini, a-
ræque dei ſubdiali, magnam ſuem immolauit, & cruorē illis
affudit, carnibus etiam apparatis, harum iure libros ſacros,
qui leges odio peregrinorum flagrantes continent, adſpergi
iuſſit. Lychnum præterea, immortalem ipſis dictum, qui

perpetuò in templo ardet, exſtinxit. Pontificem denique & cæteros Iudæos, vt carnibus veſcerentur, coëgit. Hęc vbi diſſeruerant amici, hortatores Antiocho ſummopere erant, vt gentem funditus exſtingueret. ſin minùs, vt abrogaret leges, & vitæ inſtituta mutare illam cogeret. At rex, quòd magno celſóque animo, & placido ingenio eſſet, cùm exacto, quod debebatur, tributo mœnibus Hieroſolyma nudaſſet, obſidibus acceptis, crimina genti condonauit.

II. CVM poſt euerſas Carthaginenſium opes, Siculorum res ad LX annos, per omnia proſperos habuiſſent ſucceſſus, ſeruile tandem bellum apud eos hac de causâ excitatum fuit. Poſtquàm facultatibus magnopere amplificatis, ingentes ſibi diuitias comparauerant, magnam ſeruorum multitudinem coëmebant: quibus è locis vbi paſcebantur gregatim productis, certæ per inuſtionem corporum notæ imprimebantur. Vtebantur autem illis, ſi iuniores eſſent, ad rẽ paſtoritiam; aliis, prout cuiusque vſus exigebat. ſed duros & rigidos in miniſteriis ſe illis exhibebant, & tum quod ad victũ, tũ quod ad veſtitum, minimâ illos curâ dignabantur. quorum maior pars latrocinando vitæ neceſſaria acquirebat: plenaq; cædibus erant omnia, non ſecus ac ſi prædonum exercitus hîc illic eſſent diſperſi. Regionum quidem præfecti illis obſiſtere conabantur. ſed quia pœnas infligere non audebant propter opes & auctoritatem dominorum, qui imperium in ſeruos habebant: ad deprædationem ſuæ quiſque prouinciæ conniuere cogebatur. quòd enim ex dominis plerique Romani equites eſſent, ac iudices fierent criminum, quæ prouinciarum præfectis inferebantur, terrori erant præfectis. Cùm itaque ærumnis ſerui premerentur, & verberibus idẽtidem præter rationem contumelioſè afficerentur, nõ ferendum ampliùs iudicarũt. Quare inter ſe, vbi opportunũ eſſet, congreſſi, de excutiendo ſeruitutis iugo ſermones conferebant, donec re ipsâ conſilium tandem exſecuti ſunt. ¶ I. Syrus quidam erat, ſeruus Antigenis Ennæi, in vrbe Apamea natus; homo arti magicæ & ciendis præſtigiis addictus. hic inſtinctu iuſſiſque deorum in ſomnis futura ſe prædicere fingebat, multiſque per id genus ſolertiam imponebat. hinc vlterius progreſſus, non ex ſomniis tantùm oracula promebat, ſed & vigilantem ſe deos videre, ac futura ex illis audire, ſimulabat licèt autem multa ſic nugaretur, caſu tamen quædam

dam vera esse euentus docuit. cumq; quæ non fiebant à nemine redarguerentur,sed quæ fiebant applausum mererentur,opinio de illo subinde magis crescebat. Ad extremum artificio quodam ignem cum furore lymphatico flammantem ex ore mittebat, atque ita de rebus futuris, ceu Phœbi numine afflatus,vaticinabatur.in nucem enim,aut tale quippiam vtrinque perforatum,ignem,quæque alere eum posset materiam,imponebat. Hic ante defectionem iactabat, Syriam apparuisse deam,& regnaturum prædixisse.& hoc non aliis tantùm,sed ipsi etiam domino,crebrò dictitabat.cúmq; in risum ea res verteretur: Antigenes, ex prodigiosis hisce nugis voluptatem hauriens, Eunum (nam hoc nomen erat præstigiatori)ad conuiuia secum ducebat, & quæstiunculis de regno motis,quomodo vnumquemque illorum, qui tum aderant tractaturus esset,interrogabat. Ille non vacillante sermone cuncta exponens, & quòd clementem se dominis exhibiturus esset,respondens, variis denique verborum mōstris ludens risum conuiuis omnibus excitabat. Et nonnulli ex ipsis portionibus non exiguis à mensâ ablatis eum munerabantur,cum hoc verborum additamento,vt ad regnum euectus beneficii memor esset.at enimuerò prodigiosa hæc nugacitas ad verum tandem regiæ potestatis exitum perducta est;& his qui ridicula in conuiuiis benignitate hominem exceperant,seriam beneficii compensationem præstitit. ¶ 2. Principium verò totius defectionis huiusmodi fuit. Damophilus quidam erat Ennensis,vir magno ob facultates magnas animo,sed ingenio superbo is modis tam indignis seruos accipiebat,vt nil suprà. Vxor verò eius Megallis cũ marito suppliciis afferendis,& omni inhumanitate seruis declaranda certabat.quibus effectum, vt efferati,qui sæuitiam illam experiebantur, in defectionem & cædem dominorum conspirarent. Eunum igitur adeunt, & num, quod consiliis iam agitent suis,dii permittant,sciscitantur. Is in partes illorum concedens,quòd permittant,solitis verborum præstigiis respondet, & vt primâ quaque occasione rei exsequendæ incumbant,persuadet. Extemplò igitur cccc seruorum manum cogunt; & prout tempus suppetebat, armati in vrbem Ennam irrumpunt,Euno ducente & præstigiosè exspirante flammas. Tum ingressi domus cędem maximam peragunt,ita vt nec pueris lactentibus adhuc parcerent: sed ab

vbere matris raptos terræ adfligerent. in matronas verò, & quidem maritis inspectantibus, quantum contumeliæ & obscœnæ libidinis exercuerint, verbis explicari nequit. Cùm ingens seruorum in vrbe multitudo se illis adiunxisset: qui cùm priùs extremæ crudelitatis exempla in dominos edidissent; postea ad aliorum se cædem conuerterunt. Interea Eunus Damophilum cum vxore in vicinis vrbi hortis commorari audierat. ex suis igitur quosdam misit, qui & ipsum & vxorem, vinctis post terga manibus, & multis in viâ contumeliis affectos, retraherent; soli autem filiæ se in omnibus parcere, propter morum humanitatem, & commiserationem erga seruos, auxiliandique propensam voluntatem, declarârunt. Quod euidens argumentum fuit, quòd quæ fiebant, non à crudelitate naturæ proficiscerentur, sed illatas eis iniurias vlciscerentur. Damophilum autem & Megallidem emissi ad hoc in vrbem pertractos in theatrum deduxerunt, vbi tota defectorum multitudo confluxerat. Cúmque Damophilus solerti commento salutem tueri conaretur, multosque oratione sua inflecteret: Hermias & Zeuxis, acerbis hominem odiis prosequentes planum vocitabant, nec exspectantes dum certam de illo populus sententiam tulisset, alter gladium per latera eius exigit, alter securi ceruicem abscindit. ¶3. Tum Eunus rex creatur, nō quòd vel fortitudine, vel imperandi scientiâ præstaret, sed ideò tantùm, quòd præstigiatoriis artibus excelleret, & defectionis auctorem se præbuisset; nomen præterea eius bonum, veluti omen futuræ erga subditos beneuolentiæ, præ se ferret. Sūmæ igitur rerum à defectoribus præfectus, aduocatâ cōcione, quos Ennensium viuos ceperant, trucidauit, quotquot arma fabricandi artem non callerent. illos ergo operi faciundo adstrinxit. Seruarum etiam potestati Megallidem tradidit, vt arbitratu suo vindictam de illa sumerent. hæ cruciatibus affectam ex alto præcipitârunt. Suos etiam dominos, Antigenem & Pythonem, ipse necauit, imposito tandē diademate, cæterisque omnibus regalem in modum circa se adornatis. vxorem etiam suam (quæ Syra & ciuis eius fuit) reginā declarauit, & cōsiliarios, qui prudentiā excellere videbātur, sibi adoptauit. inter quos erat quidā & nomine & natione Achæus, vir consilio ac promptitudine manuum præstās. Tridui ergo spacio plus Iↄↄ cIↄ hominum, quo fieri posset

modo,

modo,armatis,coactisq; aliis,qui asciis ac securibus vel fun-
dis,aut falcibus, sudibúsve præustis, aut coquorum verubus
vterentur,totam regionē prædis agendis infestabat. & infi-
nitā seruorum multitudinem sibi adiungens,cum imperato-
ribus & Romanis bello contendere ausus est;& collatis ma-
nibus,cùm numero prævaleret,sæpe victoriam obtinuit. iā
plusquàm decem hominum millia secum habens. ¶ 4. In-
terea etiam Cilix quidam Cleon aliorum seruorū defectio-
nem exorsus est.iamque erectis omnium animis hanc spem
conceperant,fore, vt excitatā seditione alii aliis bellum in-
ferrent,& defectores mutuis se cladibus atterentes, Siciliam
defectionis tumultu liberarent.sed contra quàm sperabatur,
copias suas coniunxêre : cùm Cleo nudo] Euni mandato se
subiiceret,& sub illo,vt regi par esset,imperatoris munus ad-
ministraret,quinquies mille propriorum militum agmē ha-
bens. Atque tum xxx propè dies à defectionis initio fuerāt
elapsi. Nec multò pòst,cum Lucio Hypsæo, qui Romā ve-
niens militum IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ ex Siciliā habebat, com-
missa pugna,defectores victoriā potiuntur:quorum CCIↃↃ
CCIↃↃ tunc erant,intraque breue tempus ad ducenta mil-
lia exercitus illorum numerus excreuit. Et quamuis multa
cum Romanis prælia committerent,sæpius tamen gloriam
referebant;clades autem accipiebant rariùs. Quo dissipato
rumore,Romæ etiam,vbi quinquaginta inter se coniuraue-
rant,seruorum defectio exarsit: in Attica verò plusquā CIↃ,
inque Delo & aliis locis. Sed qui publica in vnoquoque loco
negocia suæ curæ commissa habebant,celeritate auxilii,quo
periculis occurrebant, & suppliciorum grauitate, citò illos è
medio sustulêre: & quod supererat ad defectionem accen-
sum,ad mentis sanitatem reduxerunt. In Siciliā verò ma-
lum ingrauescebat: quòd & vrbes cum ipsis ciuibus cape-
rentur:& exercitus multi à defectoribus cōciderentur. ¶ 5.
Donec Rupilius imperator Romanus Tauromenium recu-
perauit, cùm per acerrimam oppugnationem ad extremas
angustias diramq; famem obsessos redegisset,adeò vt à car-
nibus liberorum deuorandis exorsi, & ad vxorum corpora
progressi,ne sibi quidem,dum alter alterum vorat, tandem
parcerent. Ibi Comanum Cleonis fratrē ex vrbe circumses-
sa fugientem,cepit. Postremò cùm Sarapion Syrus arcem
prodidisset,omnes in eā fugitiui in imperatoris potestatem

venerunt. quos excruciatos præcipitationis supplicio affecit. Hinc Ennam progressus, eodem modo vrbem oppugnat, & defectoribus extremè coarctatis, omnem salutis spem ademit. Hinc vbi Cleonem summum exercitus ducem vrbe egressum, & herois instar fortissimè præliatum interemerat, & paullò pòst ex vulneribus mortuum exhibuerat, proditione etiam hanc vrbem cepit. quandoquidem propter loci situm ac firmitatem aliâs vi capi non poterat. Eunus autem, assumptis IↃC stipatoribus, ad prærupta quædam loca, quæ hominis ignauia erat, fugâ se transtulit. sed qui cum illo erant ineuitabile sibi malum iam ingruere exploratum habentes (iam enim & Rupilius imperator in eos ducebat) præcisis ceruicibus se mutuò iugulabant. Eunus verò præstigiator & rex postquam in speluncis quibusdam præ timiditate receptum & effugium quæsiuisset, cum quatuor aliis exstractus fuit, cum coquo, pistore, & eo, qui in balneo ipsum fricabat: quarto autem, qui inter pocula iucundos ei ludos facere solebat. tum in carcerem compactus, resoluto in pediculorum exuberantiam corpore, dignum temeritatis suæ facinoribus vitæ exitum apud Morgantinam sortitus est. Deinceps Rupilius cum exiguâ militum delectorum manu totam perагrans Siciliam, ab omni latrocinio spe celeriùs eam liberauit. Rex autem defectorum Eunus sese Antiochum, & qui cum eo defecerant Syros nuncupârat.

EX LIBRO XXXVI.

ECLOGA I.

SVb idem tempus quo Marius Bocchum & Iugurtham, Africæ reges, ingenti pugnâ debellauit, & millia Afrorũ innumera occiderat, ac postea Iugurtham ipsum, à Boccho comprehensum, vt bellum eis motum condonarent, captiuũ inde abduxerat, maximis insuper cladibus à Cimbris Galliã bello vexantibus affecti Romani perturbatos habebant animos. eodem inquit, tẽpore, quidam à Siciliâ venerunt, qui multas seruorum myriades defecisse nunciabant. quo allato nuncio, tota respubl. Romana in magnis hærebat angustiis, vt cui LX militũ lectissimorũ millia in Gallia aduersus Cimbros bello periissent, nec idoneorũ militũ in expeditionẽ nouã delectus suppeterent. Quin etiã ante seruorum in Siciliã rebellionis tumultũ defectiones in Italiã se cõmouerant, sed

nec

nec diuturnæ nec magnæ: ac si Numen rebellionis in Sici-
liâ magnitudinem præsignificaret. Prima apud Nuceriam
fuit, vbi XXX serui coniurationem inter se fecêre: sed mox
pœnas dederunt. Secunda exstitit Capuæ; quando serui CC
rebellarunt, at mox deleti sunt. Tertia mirum in modum
accidit. Titus quidam Minutius erat, eques Romanus, patre
locupletissimo natus. is famulæ alienæ insigniter formosæ
amore exarsit, & complexu eius potitus, mirificè puellam, ac
subinde magis, deperire cœpit. Cúmque amoris insania ho-
minem ita subigeret, ac dominus illius emptionem ægrè
concederet, septem Atticis talentis eam tandem emit, cer-
túmq; soluendi precii tẽpus definiuit. fidem autem concilia-
bat patrimonium. Iámque solutions dies instabat. verùm
ille soluendo nõ erat. triginta igitur dierum prorogationem
denuò petebat. cùm verò his etiam expletis precium exige-
ret, at hic nullam expediendi nominis rationem inueniret,
amor tamen interim efferuesceret: facinus tandem insolens
aggressus, insidias illis qui debitum exigebãt, struit; & mon-
archicam sibi potentiam conciliat. quingentas enim arma-
turas, certum solutioni tempus constituens, emit; fidéque si-
bi habitâ, clàm in agrum quendam transtulit. tum excitatis
ad defectionem seruis domesticis numero CCCC. cùm dia-
dema & purpuram sibi induisset, cæteráque assumpsisset im-
perii insignia, & seruorum auxilio regem se declarasset: an-
te omnia illos qui precium puellæ exigebant virgis cæsos se-
curi percussit: Tum armatis seruitiis villas propinquas in-
uadebat: & qui promptè se ad defectionis societatem appli-
cabant, hos armis instruxit, aduersantes verò interemit.
Cúmque breui plures IↃCC coëgisset, in centurias illos dis-
tribuit: iactóque vallo, cunctis qui desciscebant à dominis
suis receptum præbuit. ¶ I. Quare rebellione Romam
nunciatâ Senatus prudẽte consilio illi occurrit, feliciqúe ma-
lum euẽtu compressit. Ex imperatoribus enim qui dum do-
mi erant vni, Lucio Lucullo, fugitiuorum ad pœnam retra-
hendorum negocium dedêre. hic eodem die, quo IↃC mili-
tum instituerat delectum, Capuam descendit, vbi quatuor
millia peditũ, & CCCC equites conscripsit. Minutius, vbi ci-
tatam in se Luculli expeditionem cognouit, munitum quen-
dam collem occupauit, habens in vniuersum tria hominum
millia & IↃ. Ac primo quidem conflictu fugitiui, quòd ex

ſuperiori loco depugnarent, rediêre ſuperiores. poſtea verò Apollonium, Minutii ſummum ducem, largitionibus corruptum, cùm publicâ illi fide impunitatem promiſiſſet Lucullus, ad prodendum rebellionis ſocios illexit. Hoc igitur operam nauante Romanis, & Minutio tandem manus inferente, hic ne captus ſupplicio afficeretur metuens, ſeipſum confodit. Statim cum ipſo etiam defectionis ſocii; præter Apollonium proditorem, interierunt. Atqui hæc maximè illius in Sicilia defectionis veluti præludium fuerunt. quæ tale nacta eſt principium. ¶ 2. In Marii aduerſus Cimbros expeditione, Senatus auxilia ex tranſmarinis gentibus accerſendi poteſtatem Mario dederat. Marius ergo ad Nicomedem Bithyniæ regem de ſuppeditandis auxiliaribus legatos miſit. ille verò reſpondit, Bithynos à publicanis in ſeruitutem maiori ex parte abſtractos, in prouinciis hîc illic attineri. Senatus igitur conſulto prouiſum fuit, ne ingenuus aliquis ex populi Romani ſociis in prouinciâ ſeruitutem ſeruiret: & vt prætores ſeu proconſules manumittendorum curam ſuſciperent. Licinius igitur Nerua, tunc in Siciliâ prætor, decreto morem gerens, re iudiciorum diſceptationi ſubiectâ, plurimos in libertatem vindicauit, adeò vt intra paucos dies octingẽtis plures ceu poſtliminio libertati reſtituerentur. vnde accidit, vt quotquot per inſulam ſeruirent, ad libertatis ſpem arrecti eſſent. Viri igitur auctoritate præſtantes ad prætorem conueniunt, eúmque, vt ab incœpto deſiſtat, hortantur. Is ſiue pecuniis illectus, ſiue gratiam aucupatus, cognitione iſtâ iudiciorum accuratâ ſuperſedit, & eorum qui recuperandæ libertatis cauſâ ipſum conueniebant, ad ſuum quemque dominum cum obiurgatione reuerti iuſſit. Tum ſerui conſpiratione inter ſe factâ, cùm poſt emigrationem à Syracuſis ad lucum Palicorum confugiſſent, de rebellione inter ſe colloquebantur. Cúmque in multis inde locis hæc ſeruorum audacia percrebuiſſet, triginta duorum prædiuitum in Ancyliorum regione fratrum ſerui, primi libertatem arripuerunt, quorum dux Oarius quidam erat. hi primùm noctu heros ſuos ſomno vacantes trucidant. mox ad vicinas progreſſi villas, mancipia ad libertatem capeſſendam exhortantur. quorum illâ ipſâ nocte c x x & plurium ad eos fit concurſus. Locum igitur naturâ firmum occupant, & operâ ſuâ firmiorem reddunt, aſſumptis et-

ptis et-

ptis etiam aliis L X X X, qui armis instructi venerant.

¶ 3. Prouinciæ autem prætor Licinius Nerua festinanter illos adortus, cùm oppugnare instituisset, conatu suo nihil effecit. Vbi igitur inexpugnabilem viribus locum vidit, ad proditionem respexit. consilii verò ministrum & exsecutorem habuit Caium quendam Titinium, cognomento Gadæum; quem promissione incolumitatis adduxit. fuerat autem hic capitis ante biennium condemnatus, sed pœnam effugerat, multósque ex liberis hominibus in regione illâ latrocinando interficere solitus, seruorum nemini erat molestus, aut grauis. Hic cum manu seruorum fidâ sibi ad Castellum, quasi communi bellum aduersus Romanos operâ gesturus, accedit. Beneuolè autem & comiter acceptus, imperator etiam ob fortitudinem creatur, castellúmque prodit. Rebellium inde pars inter pugnandum conciditur; pars supplicium, quod captos maneret, exhorrescentes, de rupe se præcipites deiecerunt. Prima itaque seditio fugitiuorum hunc ad modum exstincta est ¶ 4. Cæterùm militibus ad lares suos dimissis, quidam nunciatum venêre, seruos L X XX circiter, tumultu excitato, Publium Clonium, ordinis equestris virum, iugulasse, iámque magnum congregare numerum. Quin & imperator, cõsiliis aliorum seductus, iam maximâ etiam militum parte exauctoratâ, procrastinatione suâ tempus rebellibus, ad præmuniendum sese melius, concedebat. Cum præsente tamen manu in illos perrexit. Verùm vbi transmiserat flumẽ Albam, defectores in monte Capriano, vt vocant, commorantes præteriit, & Heracleam peruenit. Rumore igitur de ignauiâ imperatoris, aggredi illos nõ ausi, disseminato, plurimos seruorum ad defectionem excitabãt. Multísque confluentibus, & ad pugnam sese quomodocunque possent instruentibus, plures octingẽtis intra primos septẽ dies arma sumsêre. Dehinc ad duo millia numerus exerescit. Imperator autem apud Heracleã decrescente ipsorum multitudine certior factus, Marcum Titinium ducem creatum, adiunctis ei IↃC ex Ennâ præsidiariis, contra illos misit. Hic prælio cum defectoribus cõmisso, (quoniam & multitudine hominum, & locorum difficultatibus, illi superiores erant) terga cum suis vertit, ibi complures interfecti; reliqui proiectis armis vix fugâ salutẽ tutati sunt. Defectores autẽ tantam armorum vim subitò cũ victoriâ adepti

animosiùs proposito insistebant. & iam maxima seruorum pars ad defectionem incitata erat. Cúmque indies plures deficerent, breui numerus, supra quàm suspicatus aliquis fuisset, excreuit, adeò vt intra paucos dies sex millibus plures recenserentur.

¶ 5. Quo tempore etiam communi habito conuentu, & deliberatione de rerum administratione propositâ, inprimis regem sibi delegerunt Saluium quendam nomine, qui aruspicinæ gnarus habebatur, & in mulierum spectaculis ac pompis tibiis ad insaniam vsque modulabatur. Hic regnum adeptus, vrbes, vt inertiæ & deliciarum fomenta, declinauit. In tres autem partes diuiso rebellium agmine, ac totidem vnicuique parti ducibus præpositis, regionem incursare, vnóque loco & tempore vniuersos tandem conuenire iterum iussit. Ex populatione istâ magnâ cùm aliorum animalium, tum equorum copiâ ditati, exiguo temporis interuallo supra cIↃ cIↃ equitum, nec infra ccIↃↃ ccIↃↃ peditum sibi comparârunt, & quidē eorum, qui bellicis se tyrociniis probare nossent. Magno igitur impetu Morgantinam vrbem munitam repentè adorti, validis & continuis eam impressionibus oppugnant. Prætor autem tamquam ad subsidium vrbi ferendum nocturno itinere ad eam contendens (habebat autem secum armatorum ex Italiâ & Siciliâ circiter decem millia) defectoribus in oppugnatione occupatis superuenit: & irruptione in castra ipsorum factâ: cùm exiguam præsidiariorum manum, magnúmque captiuarum numerum, & copiosam omnis generis prædam, reperisset, non magno illa negocio expugnauit; & post direptionem Morgantinam versus duxit. At defectores repentè in illum retrò conuersi, quòd & superiore loco constituti essent, & violenter hostem inuaderent; statim propicium experiuntur Martem. Romani autem ducis copiæ fugæ se tradunt. Tum Rex defectorum, edicto proclamari iubet, vt nemo arma proiicientium occidatur. maior itaque pars abiectis armis fugâ sibi consuluit. Hoc igitur strategemate hostibus victis, Saluius & castra sua recuperauit, & victoriam adeptus nobilem, magnâ spoliorum vi potitus est. occubuerant tamen in conflictu de Italicis & Siculis non plures sexcentis, quod edicti illius clementia effecit. quater mille autem capti fuêre. Saluius exinde, cùm multi post hunc felicem successum

ad eum

ad eum confluerent, duplicato exercitu, iam apertum in potestate campum habebat. Ideò rursus in Morgantinæ obsidionem incubuit: & seruis in eà libertatem se donaturum proclamauit. Sed cùm domini eandem contrà illis conditionem proponerent, si fidos se certaminum socios præbuissent; quam domini obtulerant potiorem iudicàrunt: tantáque animorum promptitudine decertàrunt, vt obsidionem depulsarent. Sed prætor cassum hoc libertatis promissum cùm deinde fecisset, plerisque ad defectores transfugiendi causam præbuit. ¶ 6 Tunc & in Ægestanorum & Lilybæensium finitimorúmq; territoriis turbam seruorum contagio defectionis inuaserat. quorũ princeps & ductor Athenio quidam exstitit, vir fortitudine præstans, natione Cilix. hic cùm fratrum duorum diuitiis pollentûm res domesticas administraret, ac diuinationis astronomicæ peritiam haberet eximiam, primùm eos ad se pellexit, in quos imperium habebat circiter ducentos; postea etiam vicinos; adeò sanè vt quinque dierum interuallo plures mille conuenirent. à quibus ad regiam ille dignitatem euectus, imposito sibi diademate, secus quàm omnes alii, res gerere instituit. Non enim omnes promiscuè defectores recipiebat: sed tantùm strenuissimis militiæ suæ adscriptis, cæteros vt in pristinis officiis manerent, & suo quisque loco dispensationis suæ munus diligenter obiret, coëgit. quo largum suis commeatum procurabat. deos autem sibi per astra iampridem significasse fingebat, fore, vt Siciliæ totius regnum adipisceretur. parcendum igitur tum regioni ipsi, tum animantibus in eâ fructibusque, vt propriis. Tandem coactis plus quàm decem millibus Lilybæum, vrbem inexpugnabilem, obsidere audet. sed cùm inanem hîc insumeret operam, ab incœpto desistit. deorum id mandato fieri dictitans. si enim in obsidione perseuerent, calamitate quadam eos multatum iri. Simul ac verò regressum ab vrbe instituit, naues quædam, delectas Maurorum cohortes aduehentes, portum intrârunt. suppetiæ autem erant Lilybæensibus missæ, quorum dux erat quidam nomine Gomon. hic cum suis noctu ex improuiso Athenionis copias, in abitu iam versantes, aggressus, prostratis multis, nec paucioribus vulneratis, in oppidum se recepit. quamobrem illa ex sideribus prædictio fatidica in admiratione erat apud defectores. ¶ 7 Ingens verò tum

rerum confusio,& malorum,quod dicitur,Ilias, Siciliam occuparat. Non enim serui tantùm, sed etiam ex liberis egestate afflicti, omne rapinarum & flagitiorum genus committebant; & quicunque offerrentur, serui aut ingenui, ne quis perditam illorum malitiam enunciaret, omnes impudéter trucidabant. Ideò quotquot in vrbibus se continebant; vix illa quæ inter pomeria essent, pro suis habebant. quæ verò extra, aliena exlegíque violentiæ mancipata iudicabant. Multa insuper alia à multis contra normam æquitatis & humanitatis audacter peragebantur. Porrò Saluius ille, Morgantinæ oppugnator, cùm regionem ad Leontinum vsque campum incursionibus infestam reddidisset, vniuersum illic exercitum non minùs quàm triginta millia hominum delectissimorum congregauit. Tum sacrificio heroibus Italicis instituto, vnum de stolis purpureis, vt gratum se pro victoriâ exhiberet, dicauit. ipse autem regis nomine adscito, Tryphon à rebellibus vocabatur. Tricala autem occupare, ibíque regiam constituere, propositum habens, ad Athenionem mittit, eúmque vt Rex imperatorem accersit. Omnium tum suspicio erat, Athenionem primariam sibi dignitatem vendicaturum, ortáque inter rebelles seditione, bellum facilè restinctum iri: sed fortuna datâ velut operâ copias fugitiuorum augens, vt principes illorum concordiam inirent, effecit. Ducto enim raptim exercitu ad Tricala venit Tryphon, quò & Athenion cum tribus millibus se confert, Tryphonis mandato, vt imperator regis, se attemperans. Reliquas verò copias ad populandos incursionibus agros, & solicitandos ad defectionem seruos miserat. Posthæc tamen suspicatus Tryphon, fieri posse, vt arma aduersus se capesseret Athenio, maturè in custodiam hominem tradidit. castellum verò aliàs satis firmum magis communiuit, structurísque magnificis ornauit. Tricala inde nominatum, aiunt, quòd tria in se Cala, id est, *pulcra*, contineret. primùm enim aquis fontanis eximiæ dulcedinis abundat. deinde agros habebat adiacentes, vinetorum & oliuetorum plantationi, frugúmque culturæ mirificè idoneos. tertiò locus tam firmus erat, vt nihil supra, vtpote magnâ rupe atque inexpugnabili à naturâ instructus. Quam cùm ambitu vrbis octo stadia complexo cinxisset, & fossam profundæ altitudinis circumduxisset, pro regiâ illam habuit, vbertate omnium commodorum,

dorum, quæ ad vitæ vsum pertinent, refertam. Regale etiam palatium ibi construxit, cum foro, quod numerosæ hominum turbæ capax foret. Ex viris etiam prudentiâ eximiâ præditis numerum sufficientem delegit, eósque sibi consiliarios adiunxit; operâ illorum in iudiciorum administratione vtens. Ad hæc togâ prætextâ, & lati claui tunicâ, quando ius reddebat, amictum se exhibuit. Lictores denique vt cum virgis & securibus præirent, & cætera omnia, quæ regiam maiestatem efficiunt, exornántque, vt præstarentur, curauit. ¶ 8. Deligitur tandem à Senatu Romano Lucius Licinius Lucullus contra defectores imperator, quatuordecim millia ex Romanis & Italis, Bithynos autem Thessalósque & Acarnanes IↃ CCCL; ex Lucaniâ etiam IↃ C, quibus Gleptius, vir scientiâ rei militaris & fortitudine clarissimus, præerat; alios denique IↃ CCC conscriptos habens, adeò vt omnium summa esset septemdecim millia. Cum hoc ille exercitu Siciliam occupauit. quapropter Tryphon, Athenionem à culpâ exemptum, in consilium de bello aduersus Romanos adhibebat. Et ipsi quidem in castello subsistendum, atque inde hoste repugnandum esse, placebat. sed Athenionis consilium erat, ne se per obsidionem includi paterentur, sed in libero campo armis cum hoste disceptarent. quæ sententia vt potior cùm vinceret prope Scirthæam castra metâtur, quadraginta millibus haud pauciores. Romanorum inde castra duodecim stadiorum interuallo aberant. Primùm igitur velitaribus inter se pugnis assiduè confligebant. deinde instructâ acie congressi, cùm pugnæ momenta huc illuc nutarent, ac multi vtrinque caderent, Athenio ducentorum equitum, qui lectissimi erant, turma stipatus, omnem circum se locum strage hostium repleuit. Sed cùm vtroque genu saucius, tertium quoque vulnus accepisset, pugnæ vtilis esse amplius nequiuit. vnde fugitiui animis fracti in fugam se coniecêre. Athenio verò non secus ac si exstinctus esset latitauit, & morte ad tempus simulatâ, vbi nox ingruerat, saluti fugâ consuluit. ¶ 9. Victoriam ergo illustrem adepti Romani Tryphone etiam ipso cum suis ad fugiendum compulso, multísque in fuga cæsis, tandem non pauciores viginti millibus interemptos, compertum est. Reliqui adiuuante nocte, Tricala refugêre, tametsi etiã hos delere imperatori

perfacilè erat, si persequi voluisset. adeò tum animos despon-derant, & ad heros reuertendum, horúmque potestati omnia permittenda esse, in consilio fuerat propositum. Sed tamen eorum sententia obtinuit, qui vt ad extremum vsque halitum decertarent, ne hostium libidini salutem proderent, monebant. Nono pòst die Tricala obsessum venit imperator: vbi inuicem cædit, atque cæditur, & tandem inferior discedit. hinc animi rebellibus crescere. Imperator contrà nihil eorum, quæ officium exigeret, siue ob desidiam, siue munerum captationes, præstare. ob quæ postea ei repetundarum postulato multa irrogata fuit. Caius autem Seruilius, qui Lucullo in imperio successor in prouinciam missus est, nec ipse memoria dignum aliquid egit. propterea, vt Lucullus, in crimen vocatus, pœnas exsilio dependit. Mortuo inter hæc Thryphone, regnum Athenioni per successionem obtigerat is quà vrbes oppugnans, quà regionem totam populationibus, non obsistente Seruilio, citra metum vexans, præda ingenti potitur. ¶ 10. Sed anno exeunte, Caius Marius quintùm consul cum Manio Aquillio creatur. Ex his imperator contra defectores missus Aquillius, sua fortitudine id præstitit, vt rebelles insigni prælio vincerentur. cùm ipso demum rege apostatarum Athenione congressus, herois in morem decertauit. & hunc quidem interemit, ipse autem vulnus in capite accepit. Hinc reliquias defectorum ad decem hominum millia bello persequendos duxit. qui licèt impetum eius haud sustinerent, sed in munitiones refugerent: nihil tamen de constantiâ propositi remittens Aquillius omnia tentauit, quousque debellatos in potestatem redegisset. Mille adhuc supererant, Satyro ductore, quos armis primùm subigere cogitabat. verùm vbi per legationem se dediderant, in præsens quidem noxam illis remisit. at Romam pòst abductos cum bestiis depugnationi addixit. qui nobilissimum vitæ exitum sibi parâsse memorantur. nam certamine cum beluis abstiuisse, & mutuis ad publicas aras vulneribus semetipsos confecisse. cúmque vltimùm ex iis Satyrus ipse occidisset, hunc post alios omnes heroico quodam spiritu manus sibi inferentem, occubuisse. Seruile itaque bellum in Sicilia cùm annos prope quatuor durasset, hunc Tragicum finem habuit.

I. Battaces quidam nomine ex Phrygiæ vrbe Peſinûnte Romam venit, magnæ deûm matris ſacerdos. hic cùm deæ mandato ſe adeſſe profiteretur, magiſtratus conuenit & Senatum, hanc afferens orationem. Templum deæ contaminatum, Romæque nomine vt publica fiat expiatio, neceſſum eſſe. Amictum verò & reliquum corporis ornatum planè inuſitatum, & quem Romana conſuetudo non concedit, gerebat. auream enim habebat ſpectatæ magnitudinis coronam, ac ſtolam ceu floribus inſperſam, filisque aureis intertextam, quæ dignitatem regiam præ ſe ferret. Cúmque verba in roſtris ad populum feciſſet, ac religione imbuiſſet vulgi animos, publico quidem hoſpitio ac lautiis honeſtatus fuit; ſed ne coronam geſtaret, à tribunorum plebis vno Aulo Pompeio interdicebatur. ab alio plebis tribuno in roſtra productus, cùm de expiatione rogaretur, plena ſuperſtitionis reſponſa expromebat. ſed accidit, vt à factione Pompeii non ſine contumeliâ depelleretur. in hoſpitium igitur digreſſus, non prodibat amplius. Hæc tamen verba regerebat: non ſe tantummodò, verùm & deam ipſam, ludibriis & probris affectam nefariè. Tum ſubitò ardenti febri Pompeius corripitur, ac morbo cynanchico oppreſſus, vocem amittit, & tertio tandem die viuendi finem facit. Vulgique opinio fuit, diuinâ quadam prouidentiâ, quòd in antiſtitem & deam tantoperè deliquiſſet, vita orbatum eſſe. maiorem enim in modum ſuperſtitionibus dediti ſunt Romani. Quapropter Battaces, poſt conceſſam ſacri veſtitus & ornatus poteſtatem, muneribus ſplendidis honoratus, & à multis tum viris tum mulieribus, cùm reditum ex vrbe Româ inſtitueret, deductus fuit.

II. Mos erat militibus Romanorum, ſi ductor exercitus prælio cum ipſis aduerſum hoſtes conſerto ſupra Iↄↄ cIↄ hoſtium occidiſſe videretur, Imperatorem renũciare ipſum, quem Græci baſilea nominant.

EX LIBRO XXXVII.

I. BELLVM Marſicum à defectionis auctoribus nomen accepit; cùm omnes alioquin Itali Romanis bellum hoc intulerint. Primam autem belli cauſam hanc fuiſſe memorant, quòd Romani à modeſto, frugali ac temperante

viuendi more, qui ad tanta illos incrementa prouexerat, ad perditum luxus & proteruitatis studium desciuerant. hæc enim diuersitas effecit, vt dissidium inter plebem & senatum oriretur. Cúmque hic postea de ferendis suppetiis Italicos solicitaret, ius ciuitatis, multis hucusque votis expetitum, se cum illis communicaturum, & lege confirmaturum, promisit. ast vbi promissorum nihil Italiotis effectum dabatur, ex ipsis belli aduersus Romanos incendium erupit. Consulatum Romæ gerentibus Lucio Marcio Philippo, & Sexto Iulio (Cæsare.) Olympias verò post centesimã septuagesima secunda tunc agebatur. Variæ multimodæque clades, & vrbium ex vtraque belligerantium parte expugnationes, per hoc bellum acciderunt, dum velut data opera, & quasi in bilance, modò huc modò illuc victoria inclinat, neutrisque stabilem atque firmam sese præbet. sed tamen serò, post infinitæ multitudinis cędem, Romanis, vix magnâ cum difficultate victoriam adeptis, potestas imperii denuò confirmata est. In armis autem contra illos erant Samnites, Asculani, Lucani, Picentini, Nolani, cæteræque vrbes ac gẽtes. inter quas erat Corfinium, vrbs omnibus communis & claritate ac magnitudine excellens, cui nuper Italici colophonem imposuerant. in quâ tum alia, quæ magnam vrbem & imperium firmant, tum forum amplissimum & curiam extruxerant, largamque ad omnes belli vsus copiam, cum magnâ pecuniarum vi & commeatu vberrimo, illic repositam habebant. Senatum prætereа IↃ virorum constituerant: vnde qui summis patriæ magistratibus digni essent, ac prudenter de communi omnium salute consultandi facultatem haberent, producerentur. His ergo belli administrationem commendant, summamque adeò potestatem rerum omnium Senatoribus illis permittunt. ¶ I. Ab his sancita lex fuit, vt duo quotannis consules & imperatores XII crearentur. Ac tum consules erant facti, Quintus Pompædius Silo, natione Marsus, vir in gente suâ primarius, & Gaius Aponius Motulus, & ipse gloriâ rebusque gestis popularibus suis antecellens. Hi cùm totam Italiam in duas partes diuisissent, alterã sibi vterque partem, vt prouinciam consularem, designauit. Pompædio regionem à Cercolis sic vocatis inde vsque ad mare Hadriaticum, quippe tractus, qui ad occasum & septentriones vergunt, cum sex ducibus, attribuêre.

buêre. Quod reliquum erat Italici meridièm versus & ortū Caio Motulo, adiunctis totidem copiarum præfectis, assignârant. Hunc ad modum omnibus dextrè compositis, &, vt in summam res conferatur, ad antiquum Romani imperii ordinem confirmato etiam suo, acriùs in reliquum deinceps bellum incubuerunt, vrbemque illam communē Italiæ nomine indigetârunt. Bellum verò ita gessêre, vt partē maximam superiores essent; donec Cneus Pompeius consul factus ac summus belli ductor, Syllaque Catonis consulis alterius legatus, Italicos non semel, verùm sæpius, deuictos eò redegerunt angustiarum, vt vires illorum frangerentur. At nihilo minùs tamen bellum adhuc alebāt. Sed Caio Coscinio imperatore in Iapygiam misso, aliquoties succumbunt. Tot igitur ac tantis affecti detrimentis Corfinium nouam vrbē deserunt, quòd Marsi & vicinæ gentes iā in partes Romanorum concesserant, & communi omnium sententiâ Samnitum vrbē Æserniā translatis sedibus, prætores quinque sibi præfecêre; quorum vni Quinto Pompædio Siloni, propter virtutē & gloriā in administrandis bellis, imperii summam credidêre. Hic cōmuni prætorū assensu magnum contraxit exercitū, adeò vt numerus vniuersus cū veteranis, XXX milliū esset. At præter hos seruis ad pileum vocatis, & prout tēpus ferebat, armatis, collegit ex genere isto nō multo pauciores vicies mille, ac mille insuper equites. prælióque cum Romanis commisso, quorum dux erat Mamercus, Romanorum quidem paucos cædit, suorum verò supra IↃↃ CIↃ amittit. ¶ 2. Sub idē tempus etiā Metellus in Apuliā Venusiam, clari nominis vrbē, cùm numerosâ militū in eâ manu, expugnauit, & plures ter mille viuos cepit. Iamque Romanorū vires magis ac magis contra hostes inualescebāt, cùm Itali missis ad Mithridatem regem Ponti, bellica tum manu & apparatu vigētem, legatis, vt cum exercitu Italiam ad opprimendos Romanos inuaderet, petebant. hoc enim pacto facile potentiam Romanorum euersum iri. Ad quæ Mithridates respondet, se copias adducturum, simulatque Asiam (id enim tunc agebat) suæ ditioni subiunxisset. Rebelles igitur spe atque opibus deiecti, animos despondebant. Pauci enim Samnites adhuc erant reliqui, & Sabelli in vrbe Nolâ se continentes; ac præter hos Lamponius & Cleptius, qui Lucanorum reliquias sub imperio habebant.

Quapropter bello Marſico propemodum ſopito, inteſtinæ Romæ ſeditiones priùs ortæ denuò ſe commouerunt: quòd ex nobilitate multi certatim imperium aduerſus Mithridatem, magnitudine præmiorum illectati, ambirent. Nã Caius Iulius & Caius Marius, qui ſexies conſulatu functus erat, inter ſe contendebant, plebisque ſtudia in hanc & illam partem diuiſa erant. Interim & aliæ tum exſtiterant turbæ. Sulla enim conſul, Româ profectus, ad copias circa Nolam congregatas ſe contulit, & multos finitimorum territatos ſeſe cum vrbibus dedere coëgit. Cùm verò hic expeditionem contra Mithridatem in Aſiam ſuſcepiſſet, & Roma magnis tumultibus & cædibus inteſtinis diſtraheretur, Marcus Aponius & Tiberius Cleptius, adde & Pompædium, Italicorum adhuc reliquorum prætores, in Brutia tũc commorantes, Iſias vrbem munitam, longo tempore circumſeſſam, capere non poterant. Ideò relictâ ad obſidionem exercitus parte, cum reliquis Rhegium acriter oppugnant, quòd ſpes aderat, ſi hac fuiſſent potiti, ſe facilè tranſportatis in Siciliam copiis, inſulam omnium ſub ſole beatiſſimam, ſuam in ditionem redacturos. At prætor eius Caius Vrbanus, magno cum exercitu & apparatu alacriter rem gerens, perculſis magnitudine apparatus Italiotis, ex diſcrimine Rheginos eripuit. Poſtea cùm ciuilis inter Sullanos & Marianos contentio exarſiſſet, alii Sullæ, alii Mario adhærebãt. Maxima autem pars bello occubuit. reliqua Sullæ victori ſeſe adiunxit. Et ſic bellum Marſicum, quod omnium fuit maximum, vnà cum inteſtinâ ſeditione, prorſus tandem fuit exſtinctum.

II. Iam profligatum ac penè ſublatum erat bellum Marſicum: cùm ingens ſeditio domeſtica Romæ denuò conflata eſt: cuius auctores & ſigniferi erant Sulla & Caius Marius adhuc iuuenis, Marii qui tot conſulatus geſſit (ſepties enim fuit conſul) filius. In hoc autem motu, multa hominum millia int rierunt. ſed victoriam tandem obtinuit Sulla; & Dictator factus, Epaphroditum, id eſt, *Veneri gratum*, ſe nominauit. nec quamlibet arrogantiæ plenum nomen eum fefellit. tot enim bellis ſuperior, ſuâ vitam morte terminauit. Marius autem quamuis prælio aduerſus Sullam, vt generoſo animo dignum erat, decertaſſet, profligatus tamen in oppidum Præneſte cum CCIↃↃ IↃↃ refugit, vbi concluſus ad bene

bene longum tempus obsidionem tolerauit. sed tandem à cunctis destitutus; cùm nullam salutis viam cerneret, vt malis sese exsolueret circumstantibus, vnius ex seruorum fidelium numero manum auxiliatricem implorare coactus fuit. is vix tandem persuasus cùm vno ictu dominum vita expulisset, mox etiam semetipsum confodit. Et tum demùm motus hic ciuilis conquieuit. Belli tamen huius reliquiæ, quæ de Marii factione supererant, ad tempus cum Sullâ armis disceptàrunt, donec & ipsæ vnà cum aliis pessum iuêre.

¶ I. Verumenimuerò istis è medio sublatis, inter Pompeium, (cui rerum, partim Sullæ ductu, partim ipsius Marte, pro Romanis gestarum magnitudo Magni cognomentum peperit) inter hunc ergo & Iulium Cæsarem tantum discordiæ incendium fuit excitatum, vt ad intestinas cædes & lanienas Romani se conuertere denuò cogerentur. Simulatque verò Pompeius insigni clade quicquid habebat virium perdidit, & propè Alexandriam occubuit trucidatus; amplissima consulum potestas, angustis tandem circumscripta finibus, ad vnius Cæsaris dominatum recidit, ac seditionis tum finis erat. Sed illo trucidato, aduersus Brutum & Cassium eius interfectores ciuile bellum denuò commouetur; quod Lepidus & Antonius cum Octauiano Augusto consules administràrunt. Id cùm vi armorum non segniter, Cassio & Bruto victis atque cæsis, diremptum ac finitum esset: non multò pòst occulta Augusti & Antonii de primatu contentio in apertum bellum erupit. Et postquàm cognati sanguinis plurimum vtrinque effusum erat, imperium Augusto confirmatur. & summa penès illum potestas per totã inde vitam permansit: cùm magistratus consularis ordinem ac principatum suum iam amisisset.

EX LIBRO XXXIIX.

ECLOGA I.

CInna & Marius, conuocato clarissimorum ducum Senatu, inter se consiliabant, quibus rationibus pacẽ confirmarent. placuit ad extremum, vt inimicorum nobilissimos, qui litem de rerum summâ mouere possent, omnes necarent, vt repurgatâ partium suarum factione, securè deinceps & arbitratu suo res imperii vnà cum amicis administrarent. Continuò igitur fidem ac pacta reconciliatæ prius

gratiæ, loco nullo habuêre. condemnatorum ab ipsis cædes vbique indictâ causâ perpetrantur. Tum & Quintus Lutatius Catulus, qui triumphum insignem de Cimbris retulerat,& maiorem in modum à ciuibus diligebatur, à quodam tribuno plebis, capitis ad populum arcessitus erat. Cùm igitur imminens à calumnia periculum extimesceret, venit ad Marium, vtque sibi opem ferret, obsecrauit. Is amicus pridem fuerat: verùm tunc ex suspicione quadam alienatus, hoc modo respondit; *Moriendum est.* Catulus ergo spe salutis abiectâ, dum mortem contumeliæ expertem obire properat, peculiari quodam more & inusitato de vitæ statione decessit. in domum enim nuper incrustatam se inclusit; vbi cùm calcis euaporationem igni fumoque adauxisset, corruptâ respiratione suffocatus, è viuis excessit.

EX LIBRO XL.

ECLOGA I.

NOs bellum contra Iudæos literarum memoriæ proditurі,nostri officii esse duximus, si prius summatim de origine huius gentis & legibus ipsorum differamus. In Ægypto lue pestiferâ quondam exortâ plerique mali causam ad offensam Numinis referebant. cùm enim multi promiscuæ colluuionis aduenæ ibi habitarent, qui peregrinis ritibus in sacrorum ministeriis & immolationibus vterentur, euenit vt auiti deorum honores apud eos exolescerent. Hinc suspicio indigenis regionis illius iniecta,nisi alienigenas submouerent,futurum vt malis nunquam exonerarentur. Statim igitur expulsis aliarum nationum hominibus, pars nobilissima & strenuitate aliis præstans, eximiorum ducũ auspiciis in Græciam(vt perhibent)& alia quædam loca, variis iactata casibus,peruenit: quibus aliorum clarissimi Danaus & Cadmus præerant. Pars autem populi maxima in terram, quæ Iudæa nunc vocatur;ab Ægypto quidẽ haud longè dissitam,at omninò temporibus illis desertam reiecta est. Coloniæ huius ductor erat Moses quidam,vt appellatur, sapiẽtiâ & fortitudine maximè excellẽs. Is occupatâ regione cùm vrbes alias,tum quæ nunc clarissima est, Hierosolyma,ac tẽplum ibi, quod in summa illis veneratione habetur,cõdidit. tum Numinis honores & ceremonias sacrorum docuit.quin & rempub.legibus instruxit, atq; in ordinẽ certum redegit.

Multi-

Multitudinem in duodecim tribus diuisit, quòd numerum hunc perfectissimum esse, ac mensibus, qui annum faciunt integrum, respondere existimaret. ¶ 1. At nullam omninò deorũ imaginem statuamve fabricauit: quòd in Deum minimè cadere formam humanam; sed cœlum hoc, quod terram circumquaque ambit, solum deum esse, cunctaque in potestate habere, iudicaret. Sacrificiorum autem ritus vitæque conformandæ morem ita instituit, vt à cæterarum gentium institutis plurimùm discreparet. nam propter gentis suæ relegationem, inhumanam quandam & inhospitalem vitæ rationem præcepit. Viros præterea elegantissimos, & qui genti in vnum tunc corpus redactæ præesse maximè valerent, delegit, quos sacerdotes crearet. His munus illud destinauit, vt perpetuò templum obeuntes Dei cultibus & sacrificiis operarentur. Eosdem maximarum quoque rerum disceptationi iudices præfecit, legumque ac institutorum custodiam illorum fidei commisit. quocirca nunquam Iudæis regem fuisse aiunt. sed multitudinis gubernandæ curam & potestatem ei tradi perpetuò, qui inter sacerdotes prudentiâ & virtute præcellere videretur. hunc sacerdotem principem seu summum pontificem appellant. hunc pro nuncio & interprete iussorum Dei habent. hunc in concionibus publicis aliisque congressibus mandata proferre, atque hac in parte tam morigeros esse Iudæos perhibent, vt extemplò ad terram prostrati Sacrorum antistitem, oracula Dei sibi interpretantem, adorent. In fine autem legibus adscriptum est: MOSES AVDITOR DEI HAEC DICIT IVDAEIS. ¶ 2. Ad hæc multum studii cum insigni prudentiâ in res bellicas posuit legislator, & iuuenes ad tolerantiam & fortitudinem, ad constantiam denique in omnibus ærumnis exercendam, adegit. Quin etiam expeditiones in gentes finitimas suscepit, multosque terræ bello acquisitæ tractus hæreditario suis iure possidendos attribuit, ita quidem vt priuatis æquales sortis partes faceret, sacerdotibus maiores: vt ampliores percipientes reditus, Dei cultibus assiduè citra distractionem inhærerent. Nec priuatis sortis suæ patrimonium vendere licebat, ne aliqui, emptis per auaritiam fundis hæreditariis, eliderent pauperiores, gentemque redigerent ad paucitatem. Liberis insuper educandis vt operam darent, regionis inhabitatores

coëgit: cúmque exiguo sumtu infantes alantur, semper Iudæorum natio multitudine hominum viguit. Quod denique ad matrimonia & mortuorum funerationes attinet, vt suæ à cęterorum hominum legibus differrent plurimùm, ab illo effectum est. Cæterùm sub imperiis posteriori ætate exortis, maximè in quarto Persarum dominatu, & qui hunc euerterunt, Macedonum tempore, ex commixtione cum externis gentibus; multa de legum auitarum institutis apud Iudæos mutata exoleuerunt.

FINIS.

CHRO-

CHRONOLOGIA PRIMA, IN DIODORI SICVLI HISTORIAM.

Capita rerum gestarum, cum Archontibus Atheniensium, & Olympionicis, ad annos Mundi, Olympiadum & Vrbis conditæ, iuxta veriorem supputationem, applicata, exhibens.

ANNI						
Mundi.	*Olympiadis.*	*Vrbis.*	*Archontes.*	*Olympionicæ*	*Coss. Romani.*	*Res gestæ & euentus.*
3492	75	273	Calliades.	Asylus Syracus.	Kæso Fabius II. Sp. Furius, Dionys. Halicarnas.	Xerxis expeditio in Græciam; pugna ad Thermopylas Laced. Ad Artemisium Persarum infelix. Xerxes vict⁹ ad Salaminem; Carthag. ad Himeram à Gelone cæsi.
3493	2	274	Xanthippus.		Cn. Manlius. M. Fabius.	Græcorũ de Persis victoria ad Platæas & Mycalen. Mardonius, belli cõcitator, interfectus.
3494	3	275	Thimosthenes.		Kæso Fabius III. T. Virginius.	Muri Athen. instaurantur à Themistocle; astu delusis Spart. qui obstabant.

A. M.	*OL.*	*V. C.*	*Arch.*	*Olympionicæ*	*Cof. Rom.*	*Res gestæ & euentus.*
3495	4	276	Adimantus.		L. Æmilius. C. Seruil.	Ex Pireæo, Themistoclis consilio fit portus. Pausaniæ Laced. proditio detecta. Ipse fame necatur in templo.
3496	76	277	Phædon.	Scamãdrius Mitilene-us.	C. Horatius. T. Meneni⁹.	Hieronis cum fratre Polyzelo inimicitiæ. Naxios & Catanæos in Æthnam vrbem transfert
3497	2	278	Dromoclides.		Sp. Seruilius, A. Virgini⁹.	Spartani, maris imperium affectantes, reuocantur.
3498	3	279	Acestorides.		P. Valerius, C. Nautius.	Cumani Tyrrhenos vincunt, auxilio Hieronis Syrac.
3499	4	280	Menon.		A. Manlius, L. Furius.	Iapyges Tarentinos vincunt, & Rhegio potiuntur.
3500	77	281	Chares.	Dandes Argiuus.	L. Æmil. III. Vopiscus Tullius cæteros in seq. Chron. inuenies.	Thrasidæus Agrigent. tyrannus, ab Hierone victus, dominatu excutitur, & in exilio necatur.
3501	2	282	Praxiergus.			Themistoclis relegatio, fuga ad Xerxē, & interitus.
3502	3	238	Demotion.			Cimonis Athen. victoriæ de Persis in Thracia, in Asia minore; in Cypro.

A.M.	OL.	V.C.	*Archont.*	*Olympionicæ.*	*Res gestæ & euentus.*
3503	4	284	Phædon.		Terræmotus Spartæ; & bellum cũ Hilotibus & Meſſenis; Inimicitiarum inter Athenienſ. & Lacedæm. origo.
3504	78	285	Theagenides.	Parmenides.	Argiui Mycenas euertunt.
3505	2	286	Lyſiſtratus.	Poſidoniata.	Micythi Zanclei tutela fidelis.
3506	3	287	Lyſanias.		Syracuſani Democratiam inſtaurant, poſt Hieronis obitũ; excuſſo Thraſybuli iugo.
3507	4	288	Lyſitheus.		Xerxes trucidatur, Artaxerxes ſuccedit.
3508	79	289	Archidemides.	Xenopho Corinth.	Athen. cum Æginetis & Thaſiis bellum.
3509	2	290	Tlepolemus.		Ægyptus deficit ab Artaxerxe. Seditio Syracuſana.
3510	3	291	Conon.		Ægypti Athenienſium ope vincũt Perſas, Achæmene horum ductore.
3511	4	292	Euippus.		Vrbes Siciliæ, expulſis aduenis, ciuibus priſtinis reſtituuntur, à Syracuſanis & Ducetio.

A.M.	*OL.*	*V.C.*	*Archont.*	*Olympionicæ.*	*Res gestæ & euentus.*
3512	80	293	Phasiclides.	Toryllas (Torymbas Halicarnas.) Thessal⁹.	Athen. in Ægypto virtus; Ægyptiorum cum Persis pacificatio.
3513	2	294	Philocles.		Athenienſ. cum Epidauriis, Corinthiis & Æginetis bellum felix. Ducetii in Sicilia successus.
3514	3	295	Bion.		Athen. de Corinthiis victoriæ, duce Myronide: præliumque ad Geraneam cũ Lacedæm. anceps.
3515	4	296	Mnesitheides.		Athen. Thebanos ad Tanagram prælio nobilissimo vincunt.
3516	81	297	Callias.	Polymnastus Cyrenæus.	Tolmidæ Athen. res in Peloponneso & vicinis insulis feliciter gestæ.
3517	2	298	Sosistratus.		Periclis in Pelopõnesum & Acarnaniã felix expeditio.
3518	3	299	Ariston.		Petalismus Syracusis institutus & abrogatus.
3519	4	300	Lysicrates.		Periclis res gestę in Pelopõneso & Acarnania. Syracusani Thyrrheniam infestant. Ducetius vrbes in Sicilia condit.

3520

A. M.	*OL.*	*V.C.*	*Arch.*	*Olympionicæ.*	*Res gestæ & euentus.*
3520	82	301	*	*	
3521	2	302	Antidotus.		Ducetii clades & relegatio.
3522	3	303	Euthydemus.		Cimon Persas in Cypro vincit; & maris imperium Athen. vindicat.
3523	4	304	Pedieus.		Græcis in Asia libertatem restituunt Athenienses.
3524	83	305	Philiscus.	Crison Himeræus.	Athen. cum Megarensibus bellum.
3525	2	306	Timarchides.		Athen. ad Coroneam victi à Bœotis, vrbes Bœotiæ amittunt.
3526	3	307	Callimachus.		Pax triginta annorũ inter Græcos constituta. Thuriorum vrbs in Italia condita; legibus Charõdæ firmatur.
3527	4	308	Lysimachides.		Athen. Colonia in Eubœam ducitur.
3528	84	309	Praxiteles.	Chrison Himeræus.	
3529	2	310	Lysanias.		
3530	3	311	Diphilus.		Pax in Græcia, & vbique gentium.
3531	4	312	Timocles.		Samii in potestatẽ Athen. veniunt, Pericle bellum administrante.

A.M.	OL.	V.C.	Arch.	Olympionicæ.	Res gestæ & euentus.
3532	85	313	Myrichides.	Chrison Himeræus.	Syracusani Trinacriam exscinduntcæteras Siciliæ vrbes subigunt.
3533	2	314	Glaucides		Corinthiorum de Epidamno bellum cum Corcyræis.
3534	3	315	Theodorus.		Epidamnũ à Corcyræis subacta.
3535	4	316	Euthymenes.		Apparatus Corinthior. & Corcyr. ad bellum.
3536	86	317	Nausimachus.	Theopompus Thessalus.	Corcyræi auxilio Atheniensiũ vincunt Corinthios.
3537	2	318	Antilochides.		Potidæatæ & Chalcid. deficiunt ab Atheniensibus.
3538	3	319	Chares.		Thuriorum verus conditor inquisitus.
3539	4	320	Aspeudes.		Metonis Enneadeceteris edita.
3540	87	321	Pythodorus.	Sophron Ambraciotes.	Potidæam obsidione premunt Athenienses.
3541	2	322	Euthidemus.		Bellum Peloponnesicum à Pericle accensum.
3542	3	323	Appollodorus.		Pestis Attica.

A. M.	OL.	V.C.	Arch.	Olymp.	Res gestæ & euentus.
3543	4	324	Epaminondas.		Potidæam capiunt Athen. nouaque colonia frequentant. Phormionis res gestę in Peloponneso.
3544	88	325	Diotimus.	Symmachus, Messenius Sic.	Sitalcis Rex Thracum cum Perdicca Maced. bellum.
3545	2	326	Euclides.		Athen. expeditio prima in Siciliã. Platæas deditione capiũt & exscindunt Laced. Mytilene occupatur ab Athen.
3546	3	327	Euthydemus.		Pestis Attica iterum sæuit. Motus in Græcia.
3547	4	328	Stratocles.		Pylum contra Laced. muniunt Athen. Demosthenis & Cleonis res gestæ.
3548	89	329	Isarchus.	Symmachus, Messenius iterum.	Brasidas Megar. ab obsidione Athen. liberat. Rem feliciter gerit in Thracia. Ath. à Bœotis insigni prælio vincũtur ad Deliũ.
3549	2	330	Amynthas.		Induciæ vnius anni inter Ath. & Spart. Scionẽ rebellem obsident Athen.
3550	3	331	Alcæus.		Spartani vincũt Athen. ad Amphipolin. Brasidæ & Cleonis interitus. Fœd⁹ Lann. inter Athen. & Laced.

A. M.	*OL.*	*V.C.*	*Arch.*	*Olympionica.*	*Res gestæ & euentus.*
3551	4	332	Aristo[illegible].		Sociale fœdus ciuitatum cōtra Spar. & Athen. Scionæorum deletio.
3552	90	333	Arystophylus.	Hyperbius Syrac.	Deliis patriā reddunt Athen. Heraclea Trachiniæ oppugnatur à vicinis.
3553	2	334	Archias.		Argiuorum cum Spart. bellum & offensio.
3554	3	335	Antiphon.		Archiuorum seditio.
3555	4	336	Euphomus.		Alcibiades instaurat Remp. Argiuorū. Athen. his opitulantur aduersum Lacedæmonios.
3556	91	337	Aristomnestus.	Exenetus Acragantinus.	Ægestani cum Selinuntiis belligerantes, Athenienses aduocant.
3557	2	338	Chabrias.		Athen. expeditio in Siciliam; & Alcibiadis condemnatio.
3558	3	339	Pisander.		Gylippus Laced. Syracusanis contra Athen. auxiliatur.
3559	4	340	Cleocritus.		Decelia munitur à Spartanis, Alcibiadis suasu, contra Athenienses. Horrenda clades Atheniēsiū in Sicilia.

3560

A. M.	*OL.*	*V. C.*	*Arch.*	*Ol. Vict.*	*Res gestæ & euentus.*
3560	92	341	Callias	Exęnetus. Agrig. iterum.	Diocles Syracuſ. remp. corrigit Athen. prælio nauali in Peloponeſiis vincuntur; & CCCC. viros rei pub præficiunt.
3561	2	342	Theopōpus.		Athen. Democratiam inſtaurant, Mindarum Laced. vincũt ad Abydum. Alçibiad. reuocant.
3562	3	343	Glaucippus.		Ægeſtani Carthag. attrahunt in Siciliam. Mindarus iterum vincitur. Corcyræorum ſeditio immanis. Mindari ad Cyzicum III victi interitus.
3563	4	344	Diocles.		Hannibalis in Sicilia graſſatio; Selinuntis & Himeræ excidium. Alcibiades & Theramenes Laced. vincunt; Chalcedonem & Byzantium recipiunt.
3564	93	345	Euctemon.	Eubatus. Cyrenæus.	Alcibiad. Athenas reuerſus, fit ſummus Imperator, & breui poſt exul. Hermogenis Syracus interitus.
3565	2	346	Antigenes.		Callicratidæ, nauarchi Laced cum Conone Athen. pugnæ nauales ad Mitylenẽ.

A. M.	OL.	V. C.	Arch.	Ol. Vict.	Res gestæ & euentus
3566	3	347	Callias.		Agrigentũ à Carthagin. desolatur. Dionysius tyrannidẽ Syrac. capessit. Athen. victoria ad Arginusas, cæso Calligratida. Duces Athen. optime meriti capite dãnantur.
3567	4	348	Alexias.		Athen. ad Ægos potamos debellati à Lysandro: Imilcard. Carth. Gelam & Camarinam occupat.
3568	94	349.	xxx. tyranni.	Corcinas Larisæus.	Athenæ captæ xxx. tyrãni grassantur. Theramenes interficitur. Alcibiades opprimitur. Dionysii cum Siracusanis bellum.
3569	2	350	Euclides.		Clearchi Spart. tyrannis, & fuga Lysandri, machinationes contra remp.
3570	3	351	Micion.		Laced. cum Eleis bellũ. Dionysii structuræ magnificæ Syracusis.
3571	4	352	Exenetus.		Cyri cũ fratre bellum infelix. Græcorũ reditus è Persia difficilis, Thrasybul⁹ deuictis tyrãnis, Athen. libertatem restituit.

AM.	OL.	VC.	Arch	Ol. Vict.	Res gestæ & euentus
3572	95	353	Laches.	Minos Atheniensis.	Socrates condemnatus. Thimbre Laced. ad defendendos Græcos in Asia contra Teribazum mittitur.
3573	2	354	Aristocrates.		Conon Atheni. Persicæ classi præfectus; Dionysii apparatus in bellum Punicum.
3574	3	355	Ithycles.		Siculorum in Carthagin. mercatores & inquilinos grassatio
3575	4	356	Lysiades.		Dionysii cum Carthagin. bellum in Sicilia vario euentu.
3576	96	357	Phormio.	Eupolis Eleus.	Imilconis, prætoris Carthag. res gestæ contra Dionysium, & fuga in Africam. Agesilai cum Persis in Asia bellum, Lysander ad Haliartum interfectus.
3577	2	358	Diophantus.		Græci contra Laced. conspirant, Agesilaus ex Asia reuocatur. Conon vincit Periarchum, Laced. classis præfectum, ad Cnidum.
3578	3	359	Eubulides.		Conon muros Athen. reficit. Seditio Corinthiorũ: & belli Corinthiaci initium.

A. M.	OL.	V.C.	Arch.	Ol. Vict.	Res gestæ & euentus.
3579	4	360	Demostratus.		Dionysius vincit Magonem Carthag. D. in Sicilia. Iphicrates Athen. rem feliciter gerit ad Corinthum.
3580	97	361	Philocles.	Terires.	Thrasybuli Athen. nauarchæ quædam res gestæ contra Spart. Carthag. expeditio in Siciliã minus prospera.
3581	2	362	Nicoteles.		Euagoras in regnum auitum restituitur.
3582	3	363	Demostratus.		Thimbro à Strutha Pers. nauarcho interimitur; Thrasybulus ab Aspendiis. Thuriorum cũ Lucanis bellum, & clades horrenda.
3583	4	364	Antipater.		Græci Italici victi à Dionysio
3584	98	365	Pyrrhio.	Sosippus Athen.	Dionysii poemata in Olympiis exploduntur. Rhegium oppugnat.
3585	2	366	Theodotus.		Pax Antalcidæ, qua Græci in Asia Persis denuo subiiciuntur, Rheginorum deditio; & Dionysii in hos crudelitas

A. M.	OL.	V.C.	Arch.	Ol.Vict.	Res geſtæ & euentus.
3586	3	367	Myſtichides.		Arthaxerxis cum Euagora bellum. Spartani Græciam turbant. Dionyſius infelix poetaſter.
3587	4	368	Dexitheus.		Pax Euagoræ data Gaos deficit à Perſis. Teribazus cauſam dicit Mantinea Spar. dedita; & in pagos iterum diſperſa. Dionyſii molitiones contra Græciam.
3588	99	369	Diotrephes.	Dicon Syracuſ.	Dionyſius Agillæ fanum ſpoliat.
3589	2	370	Phanoſtratus.		Dionyſii cũ Pœnis in Sicilia & Italia bellum non ſatis felix Spar. cum Olynthiis.
3590	3	371	Menãder.		Phœbides Spart. Cadmeam occupat.
3591	4	372	Demophilus.		Bellum cum Olynthiis continuatur.
3592	100	373	Pytheus.	Dionyſiodorus Tarentinus.	Olynthii Spartanis ſubiiciuntur.
3593	2	374	Nicon.		Peſtis Carthagine ac Panici terrores.
3594	3	375	Nauſinicus.		Thebani exules Athen. ope Cadmeam recipiunt.

A. M.	*OL.*	*V. C.*	*Arch.*	*Ol. Vict.*	*Res gestæ & euentus.*
3595	4	376	Callias.		Græcorum aduersum Laced. conspiratio. Agesilai expeditio in Bœotiam. Chabriæ victoria de Spart. & gloria.
3596	101	377	Chariander.	Damon Thurius.	Triballorum excursio in Thraciam. Thebani vincunt Laced. duplo plures ad Orchomenon.
3597	2	378	Hippodamus.		Artaxerxes pacem in Græcia facit, à qua Thebani se excludunt. Seditiones aliquot ciuitatũ Græciæ.
3598	3	379	Socratides.		Persarum cum Ægyptiis bellum sine effectu Athen. Corcyræos contra Laced. defendunt.
3599	4	380	Asteius.		Bura & Helice in Achaia terræ motu absorptæ.
3600	102	381	Alcisthines.	Damon Thurius.	Fax cælestis, ruina Spartan. portentum Belli Thebani initium.
3601	2	382	Phrasiclides.		Thebani Spart. memorabili prælio vincunt ad Leuctra duce Epaminonda.

A.M.	O.	V.C.	Arch.	Ol. Vs.	Res gestæ & euentus.
3602	3	383	Dysnicetus.		Seditio Argiuorū Scytalismus nuncupata Thessali Græciæ imperium affectant, Iasonis consilio.
3603	4	384	Lysistratus.		Epaminondas Laconiam inuadit, & Spartam oppugnat. Messenen instaurat.
3604	103	385	Nausigenes.	Pythostratus Athen.	Thebanorum cū Alex Pheræo bellum. Pelopidas capitur. Dionysius obit.
3605	2	386	Polikelus.		Pelopidas liberatur.
3606	3	387	Cephisodorus.		Bœotici belli finis.
3607	3	388	Chion.		Arcadum cum Eleis de Triphylia bellum.
3608	104	389	Timocrates.	Phocis Athen.	Pisatarum cum Eleis de ludis Olympicis conflictus & victoria Orchomenos desolata. Pelopidæ victoria de Alex. & interitus.

A. M.	O.	V. C.	Arch.	O. Vict.	Res gestæ & euentus.
3609	2	390	Chariclides.		Epaminondas irrito conatu Spartam iterum tentat Thebanorum cum Laced. & Athen. ad Mantineam pugna anceps; & Epaminondæ interitus.
3610	3	391	Molon.		Tachi Ægypt. R. cum Persis bellum & Agesilai interitus.
3611	4	392	Nicophemus.		Alexander Pheræus classem Athen. vincit.
3612	105	303	Callimedes.	Porus. Cyrenæus.	Philippus R. Maced. factus, Phalangem inuenit.
3613	2	394	Eucharistus.		De Pæonibus & Illyriis Victoria Philippi.
3614	3	395	Cephisodotus.		Dionis fuga, & præparatio ad bellum cum Dionysio. Tauromenion conditum. Eubœæ bellum intestinum. Bellum Athen. sociale. Philippus Amphipolin, Pydnam & Potidæam capit. Philippos condit.
3615	4	396	Agathocles.		Dionis bellum cum Dionysio felix. Alex. Pheræi interitus.

3616

A.M.	O.	V.C.	Arch.	O. Vict.	Res gestæ & euentus.
3616	106.	397	Elpinus.	Porus Maliensis.	Dionysius Syracusis excedit. Præsidium in arce obsidetur à Syrac. Socialis belli acta & finis.
3617	2	398	Callistratus.		Philomelus fanum Delphicum occupat; cumque Locris bellum gerit.
3618	3	399	Diotimus.		Philomelus Delphicos thesauros spoliat. Locros Thessalosque vincit. In angustias redactus se præcipitat. Dionis interitus.
3619	4	400	Eudemus.		Onomarchus Dux Phocens. Thessalos & Philippum vincit Sed ab iisdem vicissim profligatus occumbit. Methonē exscindit Philippus. Hipparinus Syrac. regnum paternū recuperat.
3620	107	401	Aristodenus.	Smicrinas Tarent.	Phayllus Dux Phocens. infelix. Laced. cum Megalopolitis & Thebanis bellum.
3621	2	402	Thessalus.		Ochus Rex Persarum, Sidonem dolo capit; quæ vna cum ciuibus conflagrat.

A.M.	OL.	V.C.	Arch.	Ol. Vict	Res gestæ & euentus.
3622	3	403	Apollodocus.		Persæ, Theban. & Argiuorum ope Ægyptum, Nectanebo deuicto, recipiunt.
3263	4	404	Callimachus.		Mentoris euectio, & res gestæ.
3624	108	405	Theophilus.	Polycles. Cyrenæus.	Philippus Thraciæ vrbes subigit, Olynth. proditione capit. Belli cum Athen. initium.
3625	2	406	Themistocles.		Phocensium variæ cum Bœotis pugnę. Animaduersio in sacrilegos depeculatores. Bœoti Philippi auxilium implorant.
3626	3	407	Archias.		Phocensis belli finis. Extrema Phocens. seruitus. Sacrilegorum pœnæ diuinitus.
3627	4	408	Eubulus.		Timoleontis in Siciliam expeditio, contra Dionysium reducem in regnũ & Carthag. Hicetas, princeps Syracus. à Timol. victus.
3628	109	409	Lyciscus.	Aristolochus. Athen.	Timoleon in angustias redactus subleuatur. Philippi in Illyride ac Thessalia res gestæ.

3629

A. M.	Ol.	V.C.	Arch.	Ol.Vict.	Res gestæ & euentus.
3629	2	410	Pythodorus.		Dionys. tyrannide abdicata, priuatam deinceps vitam agit. Timol. remp. Syracus. instaurat.
3630	3	411	Sosigenes.		Timoleon Profligatis tyrannis libertaté restituit.
3631	4	412	Nicomachus.		Philippus Perinthum oppugnat, auxiliis Byzantinorum & Persarũ defensam. Byzantium quoque obsidet.
3632	110	413	Theophrastus.	Anticles Athen.	Philip. obsidionem Byzantii intermittit. Timol insignem victoriam de Carth. in Sicilia reportat.
3633	2	414	Lysimachides.		Timoleontis merita in Siculos.
3634	3	415	Charondas.		Phil. de Ath. victoria ad Chæronæam; & insolentia. Archidami Lac. interitus apud Tarentum.
3635	4	416	Phrynichus.		Philippus imperator belli Persici à Græcis designatur. Timoleontis obitus.
3636	111	417	Pythodorus.	Cleomãtis Clitorius.	Belli Persici initiũ. Philippus in solennitate nuptiarum Cleopatræ filiæ, à Pausania satellite occiditur.

A.M.	O.	V.C.	Arch.	O. Vict.	Res geſtæ & euentus
3637	2	418	Euænetus		Alexander M rex Maced. Darius, Perſarum. Alex Attali ſeditionem cũ ipſo ex ſtinguit. Summus Græciæ Dux creatur. Thebas pertinaciter rebellantes, delet.
3638	3	419	Cteſicles.		Victoria Alex. de Satrapis Darii ad Granicum. Sardeis occupat. Miletum & Halic. expugnat. Aſiam littoralem ſubigit. Menno ſummus Imper. Perſarũ. Marmarenſium Lyciorũ internecio.
3639	4	420	Nicocrates.		Memnonis obitus præmaturus. Alex. morbus. victoria ſecunda ad Iſſum de ipſo Dario. Benignitas mirifica erga captiuam Darii familiam.
3640	112	421	Niceratus	Gryllus Chalcid.	Tyrus poſt difficilimam ac longam oppugnationem capitur ab Alex. Amyntæ exſulis conatus in Ægypto infelix.

A.M.	O.	V.C.	Arch.	Ol. Vi.	*Res gestæ & euentus.*
3641	2	422	Aristo pha-nes.		Ægyptus & Cyrene in ditionem Alex veniunt Iupiter Hammon. consulitur; Alexandria in Ægypto condita Legatio Darii ad Alex. cum ampliss. conditionibus. Victoria de Dario tertia ad Arbela.
3642	3	423	Aristophon.		Agidis Laced cum Antipatro prælium, & mors heroica. Susa cum thesauris tradita. Persepolis direpta. Arx incensa. Bessus Darium trucidat.
3643	4	424	Cephisophō.		Hyrcania & finitima subacta. Philotas & Parmenio, ob insidiarum suspicionē, necati.
3644	113	425	Euthy critus.	*	Paropamisadarum regio occupatur. Caucasi transgressio. Bellum cum Arianis. Bessi supplicium. Aornis petra capitur. Indum fl. rex transmittit. Mophin, Taxilis filium, in fidem accipit.
3645	2	426	Chremes.		Porus debellatur. Hinc Sopithes vrbes in India conditæ. Iborum deditio. Alex. in cōfluente Acesinæ & Indi periculum. Aduersus in Oxydracis casus. Cæteræ Indiæ gentes subactæ. Classis in Oceanum expeditio. Mors Calani Gymnosophistæ. Alex. Statirā ducit; Prætorianos è Persis deligit; Harpali rapinæ, luxus; fuga; interitus.

A.M.	O.	V.C.	Arch.	O. Vi.	Res gesta & euentus
3646	3	427	Anticles.		Hephęstionis mors. Lamiaci belli in Græcia origo. Bellum A L. cum Cossæis
3647	4	428	Sosicles.		Alex. contra Chaldæorum monita, Babylonē ingreditur.
3648	114	429	Agesias.	Micinas, Rhodius.	Legationes omnium gentium audit Al. Hephæstionis funus curat magnificentissimè. Intemperantia vel veneno extinguitur.
3649	2	430	Cephisodorus.		Arrhidæus rex creatus post Alex. Satrapiatum inter duces 1. distributio. Dissidium Phalangis cum equitatu; & Meleagri seditiosi interitus. Græci in Oriente rebelles à Pithone debellati. Bellum Lamiacum vt gestum, & interfecto Leosthene finitum. Leonnatus Antipatro succurrens à Græcis cæditur. Athenæ deditæ Antipatro. Reip status mutatur. Thimbro Cyrenem occupat & amittit. Perdiccæ cum Capp. & Pisidis bellum. Antip. & Craterus Ætol. oppugnant.
3650	3	431	Philocles.		Alex. cadauer in Ægyptum deportatur. ac sepelitur magnificentiss. Eumen. de Cratero & Neopt. victoria insignis. Perdiccæ bellum in Ægypto & interitus. Antip iterū prouincias distribuit. Eume. ab Antig. victus, Noræ obsidentur.

A. M.	O.	VC.	Arch.	Ol. Vi.	*Res gesta & euentus*
3651 * *	4 * *	432 * *	Apollodorus. * *	*	Attalus & Alcetas. Perdiccæ duces, ab Antigono victi. Arrhidæi cum Cyzicænis bellum. Polysperchontis decretum de liberandis Græciæ vrbibus. Eumenes fit regum tutor.
3654	3	435	Archippus.		Argyraspidum Phalanx, Eumeni adiuncta, frustra hæc ab Antig. & Ptolemæo sollicitatur. Democratiæ Athen. restitutio; & Phocionis supplicium. Polysperchon in Peloponeso minus prosperè belligeratur. Cassander in regno Maced. confirmatur.
3655	4	436	Demogenes.		Agathocles, occupata Syrac. tyrannide vrbem militib. diripiendam permittit. Olympiadis reditus in regnum & sæuitia Arrhidæi regis & Eurydicis interitus. Satrapę Orientis cum Eumene contra Antigonum se coniungunt.
3656	116	437	Democlides.	Dinomenes Laco.	Eumenis cum Antigono prælium anceps. Antigonus Eumenem victum capit & occidit. Diluuium Rhodium. Olympiadem Cassander Pydnæ obsidet.; Deditam necat. Thebæ à Cassandro instauratæ.

A. M.	O.	VC.	Arch.	Ol. Vict.	Res gestæ & euentus
3657	2	438	Praxibulus.		Ptolemæi, Seleuci, Lysimachi & Cassandri in Antig. conspiratio. & vtrinque gesta. Cassandri in Peloponeso, Acarnania & Illyride res gestæ. Alex. Polysperchontis acta.
3658	3	439	Nicodorus.		Alex. Polysp. interitus & Cratesipolidis vxoris strenuitas. Cassandri & legatorũ in Asia effecta. Agrigentinorũ cum Agathocle bellum.
3659	4	440	Theophrastus.		Lysimachi cũ Thracib. Scythis & finitimis bellum. Philippus Cassandri Dux cum Ætolis Epirotas vincit, Æacida rege interfecto.
3660	117	441	Polemõ.	Parmenio Mitylenęus	Antigoni ducũ, Ptolemæi & Polemonis res gestæ Ptolemæi Lagidæ in Syria, Cypro & Cilicia successus. Victoria de Demetrio; & Phœniciæ occupatio. Seleucus Babyloniã recuperat. Demetrii victoria de Cille. Ptolemęi duce, Syriæq; recuperatio. Antig. expeditiones in Nabatæos, & Babylonem irritæ. Agathocles Messene per dolum potitur.

A.M	O.	V.C	Arch.	O.Vict.	Res gestæ & euentus.
3661	2	442	Simonides.		Rhoxanen cum Alex. filio necat Cassander. Agathoclis cum Carthagin. pugna ad Ecnomon collem funesta.
3662	3	443	Hieromnemon.		Agathocles in Africam bellum transfert, & feliciter administrat.
					Hannonem profligat & cædit Oppida Carthag. subigit. Eumeli Bosporitæ cum Satyro & Prytani fratribus bellum; successus; interitus.
3663	4	444	Demetrius Phaler.		Carthagin. fœda clades ad Syracusas. Amylcaris supplicium Hercules Alexandri. F. à Polysperch. necatur Xenodocus, Agrig. Dux, vrbes Siciliæ liberat. Agathoclis periculum, & de Carthaginiens. victoria.
3664	118	445	Charinus.	Apollonides Tegeata.	Cleopatra, Alexand. M. soror necatur. Agathoclis bellum cum Numidis. Ophellam Cyrenens. principem, ad societatem belli inuitat. & insidiose occidit. Bomilcar tyrannidē Carthaginiens. infeliciter inuadit.

A.M.	OL.	V.C.	Arch.	O.Vict	Res gestæ & euentus.
3665	2	446	Anaxicrates.		Demetrius Athen. libertatem restituit. Cum Ptolemæo feliciter bellum gerit in Cypro. Successores Alexandri M. & Agathocles reges se nuncupant. Agath. in Siciliam excursus, & Archagathi clades in Africa. Fuga Agathoclis ex Africa, & filiorum interitus.
3666	3	447	Corybus.		Antigoni expeditio in Ægyptum infelix. Agathocles ad imperium deponendum se offert Dinocrati.
3667	4	448	Xenippus.		Demetrius Rhodum acerrime oppugnat, ciues fortissimè se defendunt. Agathoclis de exsulibus victoria, & reconciliatio cum Dinocrate.
3668	119	449	Phereclès.	Andromenes Corinth.	Demetrii cum Rhodiis pacificatio.
3669	2	450	Leostratus.		Demetrius vrbes Peloponnesi liberat. Cleonymi Spart. res Tarenti gestæ.

A.M.	O.	V.C.	Arch.	O.Vict.	Res gestæ & euentus.
3670	3	451	Nicocles.		Cassandri cum cæteris regibus contra Antigonum fœdus & societas. Demetrius è Græcia in Asiam reuocatur. Ptolemæus Cauam Syriam recipit.

CHRONOLOGIA SECVNDA,

Consules Romanos, & Tribunos Militares, Proconsulares à Xerxis inde expeditione in Græciam, ad Antigoni usque interitum; exactiori calculo, ad annos Orbis, Olympiadum, & Vrbis conditæ, applicatos; cum præcipuis euentis, repræsentans.

A.OR.	*OL.*	*V.C*	*Magist. Rom.*	*Res gestæ & euentus Reipub. Roman.*
3487	268 Secundũ Dionysii comput. Sigon. anno vno tardior est.		Spurius Cassius, III. Proclus Verginius.	Ad horum consulatum impressionẽ Xerxis in Græciam refert Diodorus, quæ quinquennio post accidit, vt Dionysius Halicarnas. testatur cum Æquis, Volscis, Hernicis negocium Romanis; & triumphus de his Cassii Cos.
3488	74	269	Q. Fabius Vibulanus. S. Cornelius Cossus.	
3489	2	270	Cæso Fabius, L. Æmilius Mamercus	Volsci victores vincuntur, Halicarn.
3490	3	271	M. Fabius Vibulanus, L. Valerius Potitus.	Veientis belli initium. Volsci & Æqui rebellãt
3491	4	272	Q. Fabius, C. Iulius. (*à Diod. præteriti*)	Æqui & Volsci agrum Romanum infestant, Dionysius.

A. OR.	*OL.*	*V.C.*	*Magistratus Rom.*	*Res gestæ & euenta Reipub. Rom.*
3492	75	273	Cæso Fabius II. S. Furius Medullinus.	Cum Veientibus & Æquis bellum. His Coss. Xerxem inuasisse Græciam, & ad Salaminum victum esse, Dionysius Halicarnass. memoriæ prodit.
3493	2	274	M. Fabius Vibul. II. Cn. Manlius.	Pugna cum Veientibus & Hetruscis cruenta. Triumphum oblatum à Senatu Cos. Fabius abiecit.
3494	3	275	Cæso Fabius III. T. Verginius.	Cremera castellum contra Veientes exstruitur. Halicarn.
3495	4	276	L. Æmilius Mamercus, C. Cornelius Lẽtulus, suf fect⁹ C. Seruilio Structo Ahalæ. Sigon.	Veiens bellum à familia Fabiorum geritur; Qui sequenti anno ad vnũ omnes nempe CCCVI, ad Cremeram victi, oppetière.
3496	76	277	T. Menenius, C. Horatius Puluillus.	
3497	2	278	A. Verginius Tricostus, Sp. Seruil. Structus	Veientes à Seruilio occidione occisi.
3498	3	279	P. Valer. Publicola, C. Nautius Rufus.	De Veientibus & Sabinis à P. Valerio Cos. triumfatum.

A. OR.	OL.	V.C.	Magistr. Rom.	Res gestæ & euenta.
3499	4	280	L. Furius Medulinus, A. Manlius Vulso.	Manlius Cos. de Veientibus triumphat. Lustrum VIII. Romæ factum.
3500	77	281	L. Æmil. Mamercus III. L. Vopiscus Iulius.	Seditiones Romæ grauissi. Dionys.
3501	2	282	L. Pinari⁹ Mamertinus. L. Furius Fusus.	Pestis Romæ & in Italia sæuiss. & seditio. Halicarn.
3502	3	283	App. Claudi⁹. T. Quinct. Capitolinus.	Res cum Æquis.
3503	4	284	L. Valeri⁹ Publicola II. T. Æmil. Mamercus.	Cum Volscis & Sabinis bellum.
3504	78	285	A. Verginius Montanus, T. Numicius Priscus.	Æqui repressi; Sabinis clades illatæ & acceptæ.
3505	2	286	T. Quinctius Capit. II. Q. Seruilius Priscus.	T. Quinctii Cos. triumfus de Antiatibus.
3506	3	287	Q. Fabius Vibulanus, T. Æmil. Mamercus. II.	Pax irrita cum Æquis.
3507	4	288	Q. Seruilius Crispus, Sp. Postumius Albinus.	Fœdus ab Æquis violatum, Halicarn.

A. OR.	OL.	V.C	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3508	79	289	Q. Fabius Vibul. II. T. Quinct. Capitol. III.	Æqui fusi cæsique. Lustrum IX.
3509	2	290	A Postumius Regillensis, Sp. Furi⁹ Medullinus.	Cum Æquis conflictationes.
3510	3	291	P. Seruil. Priscus, L. Ebutius Elua.	Pestis Romæ sæuissima.
3511	4	292	L. Lucretius Tricipitinus, T. Veturius Gemminus.	Triumphus Lucretii de Æquis; ouatio Veturii de Volscis.
3512	80	293	Seru. Sulpicius Camerinus. P. Volumnius Amintinus.	Turbæ à Tribunis excitatæ. Halicarn.
3513	2	294	P. Valer. Publicola, C. Clodius Sabinus.	Serui, duce Herdonio, Capitolium occupant. Valer Cos. interfectus.
3514	3	295	Q. Fabius Vibulanus III. L. Cornelius Cossus.	Lustrum X. Triumphi de Æquis & Volscis.
3515	4	296	C. Nautius Rutilus, L. Minucius Augurinus.	L. Quinct. Cincinnatus, Dictator ex agro vocatus, de Æquis triumfat.

A. OR.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3516	81	297	Q. Minutius Augurinus Q. Horatius Puluillus.	Bellum cũ Æquis & Sabinis. Tribun. pleb. primum X. creati.
3517	2	298	M. Valer. Lactucinus, Sp. Virginius Tricostus.	Auentinus M. plebi ad ædificãdum concessus. Halicarnas.
3518	3	299	T. Romilius Vaticanus, C. Veturius Cicurinus.	Cum Æquis prosperè pugnatum.
3519	4	300	Sp. Tarpeius, A. Aterius Fontinalis.	Legati III in Græciam, ad eorum leges cognoscendas missi.
3520	82	301	S Quinctilius, P. Horat. Tergeminus.	Pestilentia Romæ laboratum.
3521	2	302	T. Menenius Lanatus, P. Sestius Capitolinus.	Annonæ caritas; & rogatio de creandis Legumlatoribus. Halicarn.
3522	3	303	X Viri consulares legum ferendarum causa creati, App. Claudius, T. Genucius, Sp. Posthumius, Seru. Sulpitius, A. Manlius. T. Romilius, C. Iulius, P. Sestius P. Horatius, Spurius Veturius.	
3523	4	304	X Viri iterum propter duas tabulas addendas creati, Appius Claudius II. Marcus Cornelius Malugin. M. Sergius, L. Minucius, Q. Fabius Vibul. T. Antonius Merenda, M. Rabuleius, Q. Poetelius, K. Duilius, Sp. Oppius.	

A. OR.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3524	83	305	Consularem potestatem X viri vi obtinent. Virginius filiam interimit. Dionys. Halicarn.	
3525	2	306	M. Horatius Barbatus, L. Valer. Potitus.	Coss. iterum creati, facta secessione plebis secunda, propter Appii libidinem. Triumfi de Æquis & Volscis.
3526	3	307	Lars Herminius, T. Virginius Tricostus.	Ocium domi ac foris.
3527	4	308	M. Geganius, C. Iulius.	Bellum cum Æquis & Volscis.
3528	84	309	T. Quinctius Capitol. IV. Agrippa Furi⁹.	Æqui & Volsci, qui ad mœnia vrbis populabundi processerant, fusi.
3529	2	310	M. Genucius, Agrippa Curtius Chilo.	Ardeates deficiunt, Volsci agrum Rom. populantur.
3530	3	311	Tribuni militares III. creati, A. Sempronius, L. Atilius, T. Cloëlius. His Coss. suffecti, L. Papyrius Mugillanus. L. Sempronius Atratinus. Cum de Ardeatibus fœdus renouatum.	
3531	4	312	T. Quinctius. M. Geganius Macerinus.	Primi Censores Romæ; Geganii Coss. triumfus de Volscis, sub iugum missis.
3532	85	313	M. Fabius Vibulus, Postumus Æbutius Elua.	Ardeam Colonia præsidii causa deducta.

A.OR.	*OL.*	*V.C.*	*Magistr. Rom.*	*Res gestæ & euenta.*
3533	2	314	Q. Furius Pacilus, Man. Papyrius Crassus.	Foris res quietæ.
3534	3	315	Procul. Geganius Macerin. T. Menenius.	S. Melii largitiones frumentariæ.
3535	4	316	T. Quinctius Capitol. VI. Agr. Meneniꝰ Lanatus.	L. Quinct. Cincinnatus Dictator; Sp. Mælius interfectus.
3536	86	317	Tribuni plebis III. Man. Æmilius Mamercus, C. Iulius, L. Quinctius. Coloni Fidenates deficiunt ad Veientes, & legatos Rom. interficiunt.	
3537	2	318	Coss. M. Geganius Macerinus III. L. Sergius Fidenas.	Cruenta de Veientibus victoria. Æmilii Dictatoris triumfus de Faliscis, Veientibus & Fidenatibus.
3538	3	319	L. Papyr. Crassus. M. Cornelius Maluginēsis.	Expeditio in Veientes & Faliscos irrita.
3539	4	320	C. Iulius. II. Proculus Vergin. Tricostꝰ.	Q. Seruilius Dictator; Fidenas capit. Lustrum XII.
3540	87	321	Tribuni militares III. M. Manlius, Q. Sulpicius Prætextatus, Seru. Cornelius Cossus, à Diodoro eduntur. Coss. C. Iulius III, L. Virginius iterum.	Æmilius Mamercinus Dictator II. censurā quinquennalem, in annuam & semestrem mutauit. Eaque de causa tribu motus est.

A.OR.	OL.	V.C.	*Magistratus Rom.*	*Res gesta & euenta.*
3541	2	322	Tribuni Militares.	M. Fabius Vibulanus, M. Foslius, L. Sergius Fidenas.
3542	3	323	Trib. Milit.	L. Pinarius Mamercus, L. Furius Medullinus, Sp. Postumius Albus.
3543	4	324	Coss. T. Quinctius Cincinnatus, C. Iul. Mento.	A. Postumius Tubertus Dictator; triumfat de Æquis & Volscis.
3544	88	325	L. Papyrius Crassus, L. Iulius.	Æqui octennii inducias impetrant.
3545	2	326	Hostus Lucretius Tricipitinus, L. Sergius Fidenas II.	
3546	3	327	A. Cornelius Cossus, T. Quinctius Pennus II.	Triumfus Corn. Cos. de Veientibus; & spolia opima secunda.
3547	4	328	L. Papyrius Mugillanus, C. Seruilius Structus Ahala.	
3548	89	329	Trib. Milit.	C. Furius Pacilus, T. Quinctius Pennus, M. Postumius, A. Cornelius Cossus, Man. Æmilius Dictator III. Triumfat de Veientibus & Fidenatibus.

A.M.	*OL.*	*V.C.*	*Magistratus Rom.*	*Res gestæ & euenta.*
3549	2	330	Trib. Militares.	L. Furius Medullinus, L. Quinctius cincinnatus, A. Sempronius Atratinus, L. Horatius Barbatus. Induciæ Veientibus & Æquis datæ.
3550	3	331	Trib. Milit.	T. Claudius Crassus, Sp. Naucius Rutilus, L. Sergius Fidenas, Iulius Iulus. Lustrum XIII.
3551	4	332	Coss. C. Sempron. Atratin., Q. Fab. Vibul.	Hic sua temeritate ad Verruginem male pugnat cum Volscis.
3552	90	333	Trib. Milit.	L. Manlius Capitol. Q. Antonius Merenda, L. Papyrius Mugill. L. Seruilius Structus.
3553	2	334	Coss. N. Fabius Vibul. T. Quinctius Capitol.	Æqui turpi fuga à Fab. Cos. funduntur. Qui de illis ouans vrbem ingreditur.
3554	3	335	Trib. Milit.	T. Quinct. Cincinn. III. L. Furius Medul. iterum, M. Manlius, A. Sempr. Atrat.
3555	4	336	Trib. Milit.	Agr. Menenius Lanatus, P. Lucret. Tricipitinus, Sp. Nancius, C. Seru. Axilla.
3556	91	337	Trib. Milit.	L. Sergius Fidenas, C. Seruilius Axilla II. M. Papyrius Mugill. Q. Seruilius Dictator II. Lauicos Æquorum vrbem cepit & diripuit. Lustrum XIV.

A.OR.	OL.	V.C.	*Magistratus Rom.*	*Res gestæ & euenta.*
3557	2	338	Trib. Milit.	P. Lucre Tricipit. L. Seruilius Structus, Agr. Menenius Lanatus, (omnes iterum) Sp. Veturius Crassus.
3558	3	339	Trib. Milit.	A. Sempronius Atrat. III. M Papyrius Mugil II Sp. Nautius Rutilus II. Q. Fabius IV. Ociũ foris.
3559	4	340	Trib. Milit.	P. Cornelius Coss. L. Valerius Potitus, Quinct. Cincin. N. Fabius Vibulanus, Æqui Lauicanis nouis Roman. colonis bellum facessunt.
3560	92	341	Trib. Milit.	Cn. Cornel. Coss. L. Valer. Potitus, Quinct. Fabius Vibul. II. P Postumius Regillensis. Hic aduersus Æquos profectus, propter crudelitatem ab exercitu suo lapidibus fuit obrutus. Liuius.
3561	2	342	Coss. M. Cornel. Cossus, L. Furius Medullinus.	Furius Coss. Ferentinum, quo magna Volscorum multitudo se contulerat, cepit.
3562	3	343	Q. Fabius Atabustus, C. Furius Pacilus	Morbus & annonæ caritas Romæ.
3563	4	344	M. Papyrius, C. Nautius Rutilus,	Lustrum xv.

A.OR.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3564	93	345	Man. Æmili⁹, C. Valerius.	Æqui in agrum Latinum Hernicumque irruptione facta Caruentanam arcem occupant; sed præsidio deiecto, arx recuperatur, & Valer. Cos. ouat.
3565	2	346	C. Corn. Cossus, L. Furius Medullinus.	Verrugo in Volscis recepta, Caruentana arx iterum ab Æquis occupata, frustra oppugnatur.
3566	3	347	Tribun. Milit. consulari potestate.	C. Iulius Iulus. P. Cornelius Coss. C. Seru. Ahala, P. Cornel. Cossus Dictator, Volscos & Æquos cædit ad Antium.
3567	4	348	Tribuni Militares.	L. Furius Medull. C. Valer. Potitus. N. Fabius Vibul. C. Seru. Ahala, omnes iterum. præsidio Verrugine amisso in Volscis accepta clades.
3568	94	349	Trib. Milit.	P. Cn. Cornelius Cossus, N. Fabius Ambustus, L. Valer. Potitus. Veientibus bellum indictum, quod decenniũ durauit, stipendium de publico primum militibus datum.
3569	2	356	Trib. Milit.	T. Quint. Capitol. Q. Quinctius Cincin. C. Iulius II. A. Manlius, L. Furius Medul. III. M. Æmilius Mamercus. Veii circumsessi.

A. OR.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3570	3	351	Trib. Milit.	C. Valer. Potitus III. M. Sergius Fidenas, P. Cornelius Malugin. Cn. Cornel. Cossus, K. Fabius Ambustus, Sp. Nautius Rutilus II. Artena vrbs Volscorum capta.
3571	4	352	Trib. Milit.	Man. Æmilius Mamercus II. L. Valer. Potitus III. App. Claudius Crassus. M Quinctilius Varus, L. Iulius Iulus, M Postumius. Ad Veios hybernacula primum, obsidionis continuandæ causa, fieri cepta. Lustrum XVI.
3572	95	353	Trib. Milit.	C. Seru. Ahala III. Q Seruilius, L. Virgin. Q. Sulpitius, A. Manlius II. M. Sergius II. Castra Sergii ad Veios, à Capenati, Falisco & Veienti hoste, expugnata.
3573	2	354	Trib. Milit.	L. Valerius Potitus IV. M. Furius Camillus, M. Æmilius Mamer. III. Cn. Cornel. Cossus II. K. Fabius Ambustus. Bellum cum Volscis & Veientibus simul.
3574	3	355	Trib. Milit.	P. Licinius Caluus, P Mælius, P. Titinius P Menius, L. Furius Medull. L. Publilius Vulscus. Anxur in Volscis receptum.

A.OR.	OL.	V.C.	Magiſtratus	Res geſtæ & euenta.
3575	4	356	Trib.Milit.	M. Veturius, M. Pomponius, C. Duilius, Volero Publilius, Cn. Genucius, L. Atilius, Cum Veientibus Faliſcis & Capenatib. proſpere dimicatum.
3576	96	357	Trib.Milit.	L. Valerius Potitus V. M. Valer. Maxim. M. Furius Camillus I I. L. Furius Medul I I I. Q. Seru. Fidenas I I. Q. Sulpicius Camerinus I I. Legati ad Delphicum oraculum miſſi de Lacu Albano ad altitudinem inſolitã excreſcente.
3577	2	358	Trib.Mil.	L. Iulius Iulus, L. Furius Medull. IV. L Serg. Fidenas, A. Poſtumius Regillenſis, P. Cornel Malugin. A. Manlius. Oraculum Delph. relatum, de inſtaurandis ſacris. Luſtrũ. XVII.
3578	3	359	Trib.Mil.	P. Licinius, L. Titinius, P. Mænius, P. Mælius, Cn. Genucius, L. Atilius, Genucius in prælio aduerſus Faliſcos & Capenates cecidit. M Camillus Dictator; Veiis captis, bello finem imponit, triumfumque agit clariſſ. equis albis inuectus.

A.OR.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3579	4	360	Trib. Milit.	P. Cornelius Coſſus, P. Corn. Scipio. M. Valerius Max. II. K. Fabius Ambuſtus III. L. Furius Medul. V. Q. Seruilius III. cum Faliſcis & Capenatibus bellum.
3580	97	361	Trib. Milit.	M. Furius Camillus. III. L. Furius Medull. VI. C. Æmilius, L. Valerius Poplicola, Sp. Poſtumius, P. Cornelius II. Camillus iuſtitiâ Faliſcos in ditionem populi Romani redegit, remiſſo ad Faliſcos puerorum magiſtro proditore. Liu. in Æquis variè bellatum.
3581	2	362	Coſs. L. Lucr. Flauus. Seru. Sulpicius Camerinus.	Æqui à Lucretio Coſ. acie victi.
3582	3	363	L. Valerius Potitus, M. Manlius.	Luſtrum XVIII. Valerii triumfus. Manlii ouatio de Æquis.
3583	4	364	Trib. Milit.	L. Lucretius, Seru. Sulpicius, M Æmilius, L. Furius Medull VII. Agr. Furius. C. Æmilius II. M. Camilli exiliũ. Cluſini, à Gallis obſeſſi, opem Rom. implorant.

A.OR.	OL.	V.C.	Magiſtratus Rom.	Res geſta & euenta.
3584	98	365	Trib. Milit.	P. Sulpicius Longus, Q. Seru. IV. P. Seruil. Malugin. cum tribus Fabiis. Liuius. Roma à Gallis capta. M. Camillus Dictator. II. de Gallis, vrbe expulſis triumfat.
3585	2	366	Trib. Milit.	A. Valer. Poplicola II. L. Virginius, P. Cornelius A. Manlius, L. Æmilius, L. Poſtumius, M. Camillo dictatura continuata. Is ſacra reſtituit, vrbem reparauit, ne cupidus populus Veios tranſmigraret, effecit. Liu. Volſci ſeptuageſimo demum anno ad deditionem à Dictatore Camillo ſubacti. Æqui deuicti. Sutrium ab Hetruſcis receptum. Triumfus de his populis.
3586	3	367	Trib. Milit.	T. Quinct. Cincin. Q. Seruilius Fidenas V. Iulius Tullus, L. Aquilius Coruus, L. Lucretius Tricipitinus. Seru. Sulpicius Rufus. Cortuoſa & Contenebra, Hetruſcorum vrbes, captæ.
3587	4	368	Trib. Milit.	L. Papyrius, Cn. Sergius, L. Æmilius II. L. Licinus, M. Menenius, L. Valer. Public. III.

3588

A.OR.	OL.	V.C.	*Magistratus Rom.*	*Res gestæ & euenta.*
3588	99	369	Trib. Milit.	M. Camillus Serg. Cornelius Malug. Q. Seru. Fidenas VI. L. Quinct. Cincin. L. Horatius Puluillus, P. Valer. Camillus Volscos, Antiates, atque Hetruscos rebellantes vicit.
3589	2	370	Trib. Milit.	A. Manlius, P. Cornelius. T. & L. Quinctii Capitolini, L. Papyrius Cursor, M. Manlius, Capitolii defensor, regnum affectat. Contra hunc A. Cornelius Coss dictator creatur, Et de Volscis triumfat.
3590	3	371	Trib. Mil.	Serg. Corn. Malugin. II. P. Valer. Potitus II. Marc. Fur. Camillus V. Serg. Sulpicius Rufus II. C. Papyrius Crassus, Titus Quinct. Cincinn. II. M. Manlius ob affectati regni crimen damnatus, de Saxo Tarpeio deiicitur.
3591	4	372	Trib. Milit.	L. Valer IV. A. Manlius III. Seru. Sulpicius III. L. Lucretius, L. Æmilius III. M. Trebonius. Pestis Romæ, & inopia frugum.
3592	100	373	Trib. Milit.	Sp. & L. Papyrii, Seruius Cornel. Malug. IV. Q. Seruil. C. Sulpicius. L. Æmilius IV. Bellum cum Veliternis & Prænestinis.

A. OR.	*OL.*	*V.C.*	*Magistratus Rom.*	*Res gestæ & euenta.*
3593	2	374	Trib. Milit.	M. Furius Camillus VI. A. & L. Postumii Regill. L. Furius, L. Lucretius, M. Fabius Ambustus. Camillus Prænestinos & Volscos vincit; Tusculanos in fidem recipit.
3594	3	375	Trib. Milit.	L. Valer. V. P. Valerius II. C. Serg. III. L. Menenius II. Sp. Papyrius, Seru. Cornel. Malug. T. Quinct. Cincin. Dictatoris triumfus de Prænestinis
3595	4	376	Trib. Milit.	P. & C. Manlii, L. Iulius C. Sextilius. M Albinius, L. Antistius. In Volscis à Manliis temerè pugnatum. Prænestini rebellârunt.
3596	101	377	Trib. Milit.	Sp. Furius, Q. Seruius II. L. Menenius III. P. Cloelius, M. Horatius L. Geganius. Lustrum XIX
3597	2	378	Trib Milit.	L. Æmilius, P. Valerius IV. C. Veturius, Ser. Sulpicius, L. & C. Quinctii Cincin. Latini & Volsci fusi; Antiates, deditì. Tusculum à Latinis oppugnatum, recuperatur.
3598 3599 600 3601 3602	102	379 380 381 382 383	Tribun. plebis annos quinque dominantur.	Reip. Rom species quintum mutata. Leges tres aduersus opes patritiorũ, pro commodo plebis, à Trib. plebis promulgatæ. Liu.

A. OR.	OL.	V.C.	*Magistratus Rom.*	*Res gestæ & euenta.*
3603		384	Trib. Milit.	L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius, P & C. Valerii. Velitræ à Rom. obsideri ceptæ.
3604	103	385	Trib. Milit.	Q. Seruil. C. Veturius II. A. & M. Cornelii, Q. Quinctius, M. Fabius.
3605	2	3 8	Trib. Milit.	L. Quinct. Ser. Cornel Ser. Sulpicius, Sp. Seruilius' L. Papyrius, L. Veturius. Seditio de Plebeio consule. M Camillus Dictator. IV. Cui abdicato P. Manlius suffectus.
3606	3	387	Trib. Milit.	A. & M. Cornelii II M. Geganius, P. Manlius Capitolinus II. L. Veturius Crassus Cicur. II. P. Vale. Pot. Poplic. VI.
3607	4	388	Coss. L. Sexti⁹ Lateranus, L. Æmilius Mamercus.	Insignis est hic annus noui hominis, id est, plebeii, consulatu, duobusque magistratibus, prætura, & Curuli ædilitate Primus Prætor S. Furius M. F. Ædiles, Cn. Quinct Capit. P. Corn. Scipio.
3608	104	389	L. Genucius, Q. Seruilius.	
3609	2	390	C Sulpicius Peticus, C. Licinius Stolo.	Ludi Scenici primũ Romæ instituti Camillus moritur.

A. OR.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gesta & euenta.
3610	3	391	C. Genucius, L. Æmilius Mamerc. I I.	L. Manlius Capitol. claui figendi causa, ad pestem sedandam, Dictator dictus. Lustrum x x.
3611	4	392	Q. Seruilius Ahala I I, Lucius Genucius I I.	Dictator App. Claudius, post Genucii Coss. insidiis ab Hernicis circumuenti, interitum.
3612	105	393	C. Sulpicius II. C. Licinius Caluus II.	Dictator T. Quinct. Capitol. Gallos I I I. reuersos vicit T. Manlius à Gallo occiso Torquati cognomētum refert, Triumfus Sulpicii Petici Cos. de Hernicis.
3613	2	394	Pætelius Balbus. M. Fab. Ambustus.	Q. Ser. Ahala Dictator; Gallos fugat. Triumfus Poëtelii Cos. de Gallis & Tyburtibus. Ouatio M. Fabii Cos. de Hernicis.
3614	3	395	M. Popilius Lænas, Cn. Manlius.	Hic seditionem inter patres & plebem compressit.
3615	4	396	C. Fab. Ambustus. C. Plautius Poculus. I I.	C. Sulpicius Peticcus Dictator de Gallis triumfat. Plautii Cos. triumfus de Hernicis subactis.
3616	106	397	C. Marcius, C. Manlius.	Marcii Cos. triumfus de Priuernatibus, in deditionem acceptis.

A.OR.	OL.	V.C.	*Magistratus Rom.*	*Res gestæ & euenta.*
3617	2	398	M. F. Ambubustus II, M. Popilius Lænas II.	Fabius Cos. à Falscis & Torquiniensib. prima pugna fusus, post castris hostium potitur. C. Marcii, primi Dictatoris de plebe, triumfus de Tuscis.
3618	3	399	C. Sulpicius Peticus III. M. Valer. Poplicola.	Empulium ex Tiburtibus captum.
3619	4	400	M. Fab. Ambustus III. T. Quinctius.	Fabii Cos. triumfus II. de Tyburtibus.
3620	107	401	C. Sulp. Peticus IV, M. Valer. Publicola II.	T. Manlius Torquatus Dictator; Cerites sine prælio in deditionem accipit.
3621	2	402	P. Valer. Publicola, C. Marcius Rutilus II.	C. Iulius Dictator, contra vanum Hetrusci belli rumorem.
3622	3	403	C. Sulp. Peticus V. T. Quinct. Pennus.	Lustrum XXI. M. Fab. Ambustus Dictator, contra legem Liciniam.
3623	4	404	M. Popillius Lænas III, L. Corn. Scipio.	L. Fur. Camillus Dictator, propter comitia, ægris consulibus factus. Triumfus Popillii Cos. de Gallis.
3624	108	405.	L. Fur. Camillus, P. Claudius Crassus.	Camill9 Cos. Gallos acie fusos in Apuliã cõpulit. M. Valer. Trib. Mil. ex singulari pugna cum Gallo Coruini nomẽ accepit. T. Manlius Torquatus Dict. II.

A. OR.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3625	2	406	M. Vale. Coruus, M. Popylius Lænas, IV.	Dictator ἀνώνυμος.
3626	3	407	T. Man. Torquatus, Q. Plautius.	Domi forisque res quietę.
3627	4	408	M. Val. Coruus II. C. Poëtilius.	Lustrum XXII. Triumfus Valerii Cos. de Antiatibus, Volscis, Satricanisque.
3628	109	409	Marc. Fabius Dorso, Ser. Sulp. Camerinus.	L. Furii Camilli Dictatoris II. victoria de Aruncis.
3629	2	410	C. Marc. Rutilius III. T. Manlius Torq. II.	P. Valerius Poplicola Dictator, ob Latinas Ferias constituendas.
3630	3	411	M. Val. Coruus III. A. Corn. Cossus.	Triumfus vtriusq; Cos. de Samnitibus; cum quibus LXXI. annos bellatum.
3631	4	412	C. Marcius Rutilius, Q. Seruilius.	Lex lata, ne intra decennium eundem magistratum peteret. M. Valer. Coruus Dictator, seditionem militũ compressit.
3632	110	413	C. Plauti⁹ Nypsæus II, L. Æmil. Mamercus.	Priuernum à Plautio Cos. captum.

A. OR.	OL.	V.C	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3633	2	414	Titus Manlius Torq. III. P. Deci⁹ Mus.	Decius Cos. in bello cũ Latinis pro salute exercitus & victoria, Diis manibus se deuouit. Triumfus Manlii Cos. de Latinis, Campanis, Sidicinis, Auruncis. Is de filio suo, qui iniussu patris pugnauerat, supplicium sumpsit. Dictatura L. Papyrii Crassi.
3634	3	415	Tit. Æmilius Mamercus, Q. Publilius Philo.	Triumfus Publii Cos. de Latinis. Et dictura ad uersus rebellantes Latinos.
3635	4	416	L. Fur. Camillus, C. Mænius.	Latini ingenti pugna superati: Ac de his perdomitis ab vtroque Cos. triumfatum. Statuæ consulibus, ob meritum victoriæ, in rostris positæ.
3636	III	417	C. Sulpicius Longus. P. Ælius Pætus.	Sidicini Suessam Auruncam euertunt, C. Claudius Regill. Dictator. Alexandri M. regnum.
3637	2	418	L. Papyrius Crassus, K. Duilius.	
3638	3	419	M. Val. Coruus IV. M. Attilius Regulus.	Valerii Cos. triumfus III. de Calenis. L. Æmilius, Mamercin. Priuernas Dictator.
3639	4	420	T. Veturius, Sp. Postumius.	P. Cornelius Rufinus Dictator contra Samnites, creatus.

A. OR.	*OL.*	*V.C.*	*Magistratus Rom.*	*Res gestæ & euenta.*
3640	112	421	Magistratuum solitudo.	Pestilentiæ causa.
3641	2	422	A. Cornelius II. Cn. Domitius.	M. Papyrius Crassus Dictator, ob rumorem belli Galli. Lustrum XXIII.
3642	3	423	M. Claudius Marcellus, C. Valerius.	Alexander M. Persis debellatis, Monarchiam Græcorum inchoat. Cn. Quinctius Dictator claui figendi causa, ob captas matronarum mentes.
3643	4	424	L. Papyrius Crassus II. L. Plautius Venno.	Priuernum duobus exercitibus consularibus obsessum.
3644	113	425	L. Æmil. Mamer. IV. C. Plautius Decia. III.	Vterque Coss. de Priuernatibus triumfat.
3645	2	426	P. Plautius Proculus, P. Cornelius Scapula.	Palæpolitani vexant Roman. agrum Campanum, Falernumque incolentes.
3646	3	427	L. Cornelius Lentulus, Q. Publilius Philo II.	Cornelius Cos. Samnitibus bellum intulit; Philo Palæpolitanis.
3647	4	428	C. Poetelius III. L. Papyrius.	Q. Publilius Philo, primus proconsul, triumfat de Palæpolitanis.

A.M.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3648	114	429	L. Furius Camill. II. Iunius Brutus Scæua. L. Papyr. Cursor, Dictator.	Bellum cum Samnio & Vestinis. Alexander Magnus Babylone moritur. Triumfus Dictatoris de Samnitibus. Bellum Lamiacum. Athenæ deditæ Antipatro.
3649	2	430	C. Sulp. Longus II. Q. Æmil. Ceretanus.	Aristoteles & Demosthenes mortui.
3650	3	431	Q. Fabius, L. Fuluius.	Consulum triumfi de Samnitibus. A. Cornel. Cossus Aruina Dictator, ludorum causa.
3651	4	432	T. Veturius Caluin. II. Sp Postumius II.	Apud Caudium male pugnatum; Legiones subiugum missæ; Coss. ob turpiss. pacem hostibus dediti, anno sequente. Q. Fabius Ambustus, M. Æmilius Papus Dictatores vitio creati.
3652	115	433	Q. Publilius Philo III. L. Papyr. Cursor II.	Bellum, deditis consulibus, iterum Samnitibus indictum. Tres huius anni dictatores.
3653	2	434	L. Papyr Cursor III. Q. Aulius Ceretanus II	Samnites ad Luceriam superati, & sub iugum missi à Papyrio Cos. qui de his triumfauit. Lustrum XXIV.

A. OR.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3654	3	435	M. Foslius Flaccinator, L. Plautius Venno.	Apuli Theanẽses & Canusini in deditionem venerunt. Lustrum x x v.
3655	4	436	C. Iunius Bubulcus Brut9, Q. Æmilius Barbula.	Nerulum Lucaniæ vi captum.
3656	116	437	Sp. Nautius Rutilus. M. Popillus Lænas.	L. Æmilius Mamercinus Dictator I I. Samnites fundit; Saticulam oppugnat.
3657	2	438	L. Papyrius IV. Q. Publil. Philo. IV.	Q. Fabius Maximus Dictator; contra Samnites. Saticulâ Rom. PlistiâSamnites potiuntur.
3658	3	439	C. Sulpicius Longus I I I. M. Poëtelius Libo.	C. Mænius Dictator I I. Sulpicius Cos. triumfat de Samnitibus.
3659	4	440	L. Papyrius cursor V. C. Iunius Bubulcus I I.	C. Poëtelius Libo Dictator, Nola Atina, & Calatia captæ.
3660	117	441	M. Val Max P. Deci9 Mus.	C. Sulpicius Longus Dictator contra Samnites. Lustrum x x v i. Triumfus Valerii Cos. de Samnitibus.
3661	2	442	C. Iunius Bubulcus I I I. Q. Æmil. Barbula II.	Triumfi Iunii Cos. de Samnitibus. Æmilii Cos. de Hetruscis.

A.M.	OL.	V.C.	Magistratus Rom.	Res gestæ & euenta.
3662	3	443	C. Marcius Rutilius, Q. Fabius Maximus II.	
3663	4	444	Dictator L. Papyrius Cursor. II. M. Equitũ C. Iunius Bubulcus II.	Hi absque consulibus rerum summæ præfuerunt. Q. Fab. Max. Procos. de Hetruscis triumfus.
3664	118	445	Q. Fabius III P. Decius II	Vmbri ad deditionem à Fabio Cos. compulsi.
3665	2	446	App. Claudius, L. Volumnius,	Lustrum XXVII.
3666	3	447	P. Corn. Aruinus. Q. Marcius Tremulus.	P. Cornelius Scipio Barbatus Dictator Marci Cos. triumfus de Hernicis.
3667	4	448	L. Postumius Trib. Minucius.	Huic ex vulnere, quod à Samnitibus acceperat, mortuo suffectus M. Fulu. Cos. qui de Samnitibus triumfat.
3668	119	449	P. Sulp. Sauerrio, P. Sempronius Sophus.	Lustrum XXIIX. Triumfant Cos. Sempronius de Æquis; Sulpitius de Samnitibus.
3669	2	450	L. Genucius Auctinensis, Ser. Cornel. Lentulus.	Expeditio contra Latrones in Vmbriam.
3670	3	451	M. Liuius Decter, M. Æmilius Paulus.	C. Iunius Bubulcus dictator de Æquis triumfat.

INDEX IN CATHOLICA HACCE DIODORI SICVLI HISTORIA LOCVPLES.

Numerus prior librum, secundus caput, p. vero, capitis principium, m. medium, f. vero eiusdem capitis finem denotat.

Admi-

lo im-

D.

Eumenes

hydra

L.

Titho-

O.

Oeneo

FINIS.

Diodori Siculi
Bibliot. Histor.